
BIBLIOTECA NAZ
XXVI*
B
24
NAPOLI


BIBLIOTECA NAZ.
XXVI*
B
24
NAPOLI



PRÆFATIO

ad Lectorem.



Nnus hic agitur nonus, ex quo BOECLERIANARVM DISSERTATIONVM Tomum priorem recudi fecimus, earum videlicet, quæ maximam partem jam tùm ipſo Auctore curante, uno volumine ſed minore formâ, olim prodierant. Juſſimus tunc à nobis expectari ejusdem *Celeber-*

rimi Viri alia laborum Academicorum λείψανα, cùm *Orationes* Ejus & *Programmata* in lucem daturi; tùm verò etiam collectionem novam *Dissertationum partim* BOECLERUM *ipsum auctorem agnoscentium, partim sub Ejus auspiciis habitarum*, polliciti. Et illud quidem prius jam præstitimus: quò minus verò etiam Dissertationes promissæ statim sequerentur, intercessit aliorum Operum editio, quibus prælum occupari voluit Is, cujus sumtibus hæc parantur. Nunc ergo tandem fidem liberamus nostram, ne, quod dilatum esset, etiam ablatum crederetur. Ipsarum quidem, quas producimus, Dissertationum non eandem æstimationem esse, ultrò fatemur. Neque enim pro Bœclerianis omnes venditamus; & Tibi, *Cordate Lector*, ubi quæ ex solido huic nomini debentur, se offerent, facile erit vel paucis lineis lectis, velut ex ungue leonem, cognoscere, ac vicissim tironum labores, suo se indicio prodentes, ab istis distinguere. Interim ut venatores solent, qualis transierit fera, in ipsis vestigiis observare; ita non dubitamus, quin


quin etiam in his aliquam ſaltem ἰχνογραφίαν Bœcleriani ingenij agniturus ſis ex ipſa rerum tractatarum diſpoſitione, quam à Præſide, ut ſolet, acceperunt Reſpondentes; utcunque tractatio ipſa nonnihil interdum juvenile atque immaturum præferat. Et erant ſanè (ne quid diſſimulemus) adhuc una alteraque Diſſertationes, ſub eodem moderamine olim defenſæ, ſed tirocinium Scriptoris nimis manifeſtè arguentes; quas ob id ipſum, quòd tanti non videbantur, ut propterea Tomus hic debito fieret ſpiſſior, conſultò omiſimus. Ne quid de aliis dicamus, quas alioqui plus vice ſimplice impreſſas ſeorſim, aut libris quibusdam appendicis loco adjectas, in promta earum copia, hîc denuò exhibere ratio non fuit. De cætero ſelecta Diſſertationum harum argumenta, quicquid alibi deſideratur, abunde penſabunt: quæ cum circa politica, hiſtorica, philologica, nec non ad Jus publicum ſpectantia verſentur, in ipſa certè varietate ſuâ ſatis habent lenocinii. Faſtidioſum ſtomachum eſſe oportet, & planè ægrotantem, qui in tam varia promtaque lautiſſi-

morum ciborum copia non uno alterove ex iis capiatur. Nobis, qui in hac editione *Summi* quondam *Viri ex Familia Bœcleriana*, nunc rebus mortalibus exemti, Illuſtr. OBRECHTI, implere deſtinationem ſtuduimus, nihil jam reſtat amplius, quàm ut tuum, L. B. exoremus favorem, cujus uſibus omnis hæc opera impenſa eſt. Vale.


SYL-

SYLLABUS DISSERTATIONUM
in hoc Tomo comprehensarum.

SA-



SACRUM ROMANUM IMPERIUM.



Logium est, quod in omnibus publicis privatisque scripturis, sermonibus, meditationibus, domi forisque versatur: Sed cujus vel historia, vel philosophia, nonnihil explicationis & vindiciarum, adhuc desiderat. Quam ad rem, si non pro amplitudine & majestate argumenti, ex officio tamen civis Germani, simpliciter & ingenue, aliquid operæ conferamus, extra reprehensionem, nec extra gratiam fore nostrum studium, confidimus. Singula verba nobis singulas partes describent: ut & de SACRO Imperio, & de ROMANO Imperio, & de IMPERII ipsius appellatione agatur.

SACRUM.

HUjus non sine singulari divina providentia attributæ Imperio nostro appellationis *causas & significationem* plerique instituerunt exquirere: prætermissa *historia*, unde explicationi origo & lux est. Non enim hic ita *Imperii sanctitatem* consideramus, ut omnibus Principatibus, Regnis, Imperiis, multum de divinæ majestatis cha-

charactere trahentibus, convenit. quo de genere pleraque *in dissertatione de auspicio regio* attinguntur. Neque, ut studio obsequioque sapientium & bonorum virorum domi forisque debita summis potestatibus veneratio, per quicquid est sacrosancti, declaratur commendaturque. Verum, ut inter publicas formulas, & in stilo curiæ, ut loquimur, authenticum id decus elogii solennis Sacro *Romano Imperio* accessit. Jam in ipso Imperio Romano, *sacratissimos & sanctissimos Imperatores*, *sacras literas*, *sacrum palatium*, *sacra vestigia*, *Numen Imperatorum*, *divinas literas*, *divinam domum*, novimus: extra formulam tamen & titulum, de quo agimus, Sacri *Romani Imperii*. Ante *seculum* ergo *duodecimum* a Christo nato, non reperio publicæ scripturæ accommodatum hoc elogium. In privilegio, quod Fridericus I. Imperator Henrico Duci Austriæ dedit Anno MCLVI. Austria appellatur *cor & clypeus* Sacri *Romani Imperii*. Et mox iterum, quatenus Dux esse debeat *obnoxius* Sacro *Romano Imperio*, vel non, ostenditur. Hoc privilegium Fridericus II. Imp. insequente sæculo confirmavit Anno MCCXLV. his inter alia verbis: *Nos itaque, qui fidem & obsequia nostrorum Principum non patimur irremunerata transire, attendentes fidem puram & devotionem sinceram, quam prædictus Princeps ad Majestatis nostra personam & Sacrum Imperium habet &c.* Idem Imperator de tuendis Imperii juribus contra Papam & Turcos hac præscriptione utitur: *Fridericus Imperator Principibus & Statibus Sacri Imperii.* Et in literis ad Senatores & populum Romanum de proditoribus Imperii non receptandis, *a vobis*, inquit, *tanquam à* Sacri *nostri Imperii capite.* Et ad Justitiarium Terræ laboris, de exigenda subventione a Clericis: *Præter* Sacri *Imperii jus & morem nostra se pluries inclinavit humilitas.* In regula militaris ordinis Wilhelmo, cum Rex Rom. eligeretur, à Principibus Imperii præscripta Anno MCCXLVII. legitur: *Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ, militiæ Princeps*, Sacrique *Imperii Vasallus liber.* Literas Conradini Conradi IV. Imper. filii ad Principes utraque lingua sic inscriptas refert *Goldast.* ad A. MCCLXVIII. *Uni-*

apud Goldast. const. tom. un. p. 302.

ap. Goldast. tom. 3 Const. p. 389.

p. 394.

p. 378.

p. 400.

Statut. & Rescr. Imp. p. 88.

Universis SACRI *Principibus Imperii. Allen deß Hilligen Riichs Fürsten.* Anno præcedente *Richardus* ita orditur: *Richardus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus universis* SACRI *Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis.* Iisdem verbis *Rodolphus I. Imperator* utitur An. MCCLXXXIV. & in Constitutione de primis precibus An. MCCLXXIII. *ob reverentiam* SACRI *Imperii, dem H. Reich zu Ehren.* Inde magis magisque frequentata est formula, neque post Caroli IV. Auream Bullam, in qua aliquoties habetur, ut & in aliis ejus scriptis publicis, facile omissa. Adeo ut ob imperitiam stili curiæ notandum se in hunc diem præberet, qui solennibus formulis abesse tam auspicatam & sanctam vocem pateretur.

Ap. Miræum in donat. Belgic. p. 240.

Ap. eundem. p. 553.

Ap. Goldast.

Causas appellationis quomodo alii tumultuarie conquirant, *primo* indicabimus: *tum*, si quid addi queat, aut conjectari, requiremus. Nolumus autem hic ulla distinctione uti ejus, quod *sacrum*, & ejus, quod *sanctum* dicitur, cum præsertim vernacula nostra lingua, quæ hoc elogio inprimis gaudet, tale discrimen non agnoscat. *Quidam* ergo putant SACRUM, dici Imperium nostrum, *imitatione* veteris stili curiæ, qui Imperatoribus Romanis sanctitatem undique conciliare, rationis & consilii duxit: ut ante diximus. *Alii* à *religione*, *vel* communiter, *vel* singulariter; *vel* libero & expedito judicio, *vel* ex studio & commodo partium, rationem arcessunt: quia Imperium hoc à sanctissimo Deo prædictum, constitutum, & hucusque servatum sit; quia hoc Imperium Sanctum sanctorum, id est Christum nascentem complexu suo foverit; & ad judicium novissimum venientem deinde visurum sit; quia sanctæ Ecclesiæ Christianæ nobilissimam partem comprehendat; quia ex sacro & civili ordine corporis tanti compages aptata sit. nolo enim addere, quod & falsum est, & sanctimoniæ Imperii nostri haud raro adversum fuit, ob sanctitatem Pontificis; quem verticem & caput Imperii jactare non verentur, qui sanctum summumque & unicum caput Imperii Imperatorem venerari profano ausu dedignantur. *Nonnulli* denique ad sonum

vocis intenti, *sacrum*, quasi magnum, aut venerabile, aut inviolabile imperium interpretantur. Cujus generis pleraque habes apud *Besoldum*, *Speidelium*; *in Lexicis Juris Publici*: *& Magnificum Limnaeum*.

Thes. pract. V. *Heylig.* Notabil, I, P, I. 7.

Nobis, ut ante cætera tempus in usum receptæ publicum hujus formulæ indagare ratio fuit; ita, si ex illius temporis conditione possit aliquid investigari de consilio recipiendi, operæ factum videbitur pretium. Antea autem Imperium Romanum suam majestatem, etiam ex eo tempore, quo Germanico nomini accessit, facile tutabatur: sanctumque & erat, & habebatur domi forisque, etiam absque nomenclatione, & titulorum submonentium auctoritate. At, ubi novo sanctitatis vel mangonio, vel monopolio Pontifices quidam Hildebrandum auctorem secuti, sacram Imperatoris & Imperii nostri majestatem non profanare modo, sed profanatam deprimere adorti sunt: tum aliis modis, tum solennitate elogii vindicanda fuit Sanctitas Imperii, quam Deus, sibi soli secundam, in perpetuum consecraverat. Ne ideo tantum *sacrum* videretur Imperium, quia *sacrum Imperii diadema de ara Petri* (ut loquebantur etiam) *susceptum* esset: sanctitatem istam à vero sanctitatis omnis fonte derivandam, & contra importuna carmina rebellis Romæ propugnandam duxerunt Imperatores. Hinc Henricus V. Imperator Anno MCCIX: *Christiani orbis Imperium sibi à* DEO *Optimo Maximo impositum esse*; *proinde se de veteri more & ritu prisca religionis*, *sacris supremæ majestatis placitis non defuturum*. Et Fridericus I. edicto Anno MCLVII: *Cumque per electionem à solo* DEO *regnum & imperium nostrum sit*, *qui in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit*; *cumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit*, *Deum timere*, Regem *honorificare*: *quicunque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit*, *divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est*, *& mendacii reus est*. Et in alio Edicto: *Certe nobis coronam per electionem Principum imposuimus! nihil nisi solam unctionem ab eo*, (Pontifice) *accepimus*. ------ *Regnum non ab eo*, *sed à* DEO *suscepimus*. Iterum in Re-

Ap. Goldast. Constit. tom. un. p. 251.

p. 264.

p. 265.

in Rescripto ad Episcopos Germaniæ Anno M C LVIII. *Liberam Imperii nostri coronam divino tantum beneficio adscribimus.* &c. Hujus generis multa occurrunt: notumque est illud in decreto Ludovici Bavari & Ordinum Imperii Anno M CCC XXXVIII. *Sacrosanctum Imperium, summa in terris potestas, cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post Deum est, & tam grande nomen à solo Deo traditur.* & quæ magnifice non minus quàm vere attexuntur. p. 266. Goldast. tom. 3. constitut. p. 409. & in Monarchia S. Rom. Imp.

Neque nulla tamen suberat ratio (ut in ejusmodi excogitatis ac exquisitis titulis non simplicis consilii prudentia haud raro vertitur) quæ ad Christianæ religionis, & Ecclesiæ decus ac tutelam spectaret. Ita enim prorsus persuasum erat plerisque: Imperio & Imperatori Romano in primis à DEO attributum esse munus tuendæ, & adversus inimicos Christiani nominis defendendæ Ecclesiæ. Quamvis enim & alii Reges Principesque Christiani ad suum id spectare officium merito crediderint: primas tamen Imperii nostri, ut in reliquo civili ordine graduque (de quo postea) ita in patrocinio Ecclesiæ præstando partes esse, constans opinio & fama tenebat. Videntur huc respexisse Imperatores, cum *honorem Imperii*, & *salutem, quietem, unitatem Ecclesiæ, sive cum Imperio necessitudinem ac concordiam*, totiens summam consiliorum suorum, gravissimis sententiis profitentur. Friderici I. verba sunt ex Mandato Anno M C LIX. *Quoniam divina præordinante clementia, Romani Imperii gubernacula suscepimus, oportet, ut in omnibus viis nostris ipsius legem custodiamus, cujus munere, cujus voluntate dignitatis nostræ apicem adepti sumus. in hoc itaque sacratissimo proposito constituti, cum omnibus Ecclesiis in Imperio nostro constitutis debeamus patrocinari, sacrosancta Romanæ Ecclesiæ tanto impensius debemus providere, quanto ipsius cura & defensio à divina providentia creditur nobis esse commissa specialius.* Fridericus II. Romanum Cæsarem *Catholicæ Fidei Defensorem*, excellentiore nota laudat. Idem Fridericus II. ad R. Angliæ & alios Reges scribit: *Cum ad hoc, disponente Domino, Imperii sceptrum susceperimus, & Romanum Imperium nostrum ad prædicationem Evangelii præparatum, ut catholicam fidem & matrem*

Goldast. tom. un. p. 272.

Id. tom. 3. p. 394.

ind. 379.

trem Ecclesiam, à cunctis hostium incursibus, nostrarum virium conatibus eruamus. Subjicit de Tartaris repellendis. Unde

p. 383. & *Imperium Romanum Christianum* memorabili discrimine, si tempora sub paganis Imperatoribus considerentur, honoris causa signatur. Et quid remotioribus immoramur?

Capitul. Carol. V. & al. art. 1. In Capitulationibus Imperatoriis adhuc commendatur cura hujus elogii omnibus triumphalibus titulis præferendi, cuivis Electo Imperatori: scilicet *defensio*, non *Ecclesiæ* modo, sed totius *Christianitatis*. Et in Electione, orare jubentur Electores, ut divina ope eligere valeant idoneum

Aur. Bul. tit. 2. Cæsarem *pro salute populi Christiani*, & *caput populo Christiano*, sicut in jurejurando eorum amplius continetur. Quare Imperatorem nostrum recte *Christianissimum* dici, superiore

ap. Schardium tom. 1. p. 254. &c. addc Carpz. de L. Reg. Germ. c. 2. s. 1. sæculo demonstravit *Henricus Bebelius*. Quidni *Sacrum* diceretur & esset Imperium, cui Christianissimum caput præest, cui Christianitatis totius cura semper visa est eximie competere? An addam, cui ducatus in bello sacro, quod Christianis adversus ἀσπόνδους Turcas perpetuum esse debebat, communi gentium Christianarum suffragio defer-

de I. B. 2. 15. 12. tur? Ita de Augustis nostris sentit *Hugo Grotius*, loco, qui in annotatis ad illud opus non segniter explicabitur. Sane quantum ad *sacram* illam *militiam* momentum facere possit *sacrum Imperium nostrum*, nemo est, quin fateri cogatur. *Joan. Antonius Campanus*, non segnis Germaniæ & rerum Imperii obtrectator, ad Jacobum Cardinalem Papiensem,

Epist. 2. apud Freher. tom. 2. p. 148. in hac causa anno 1471. scribit: *Dico ego tecum, quod sentio*, FIERI OMNIA POSSE IN SALUTEM CHRISTIANAM, SI CÆSAR VELIT; *nihil, si tergiversabitur.* Et in sequente Epistola: *Si quæris sententiam meam, illud sentio, magnam spem propositam esse nobis, si Cæsar instabit; exiguam, si lentescet;*

Epist. 7. *nullam, si tergiversabitur.* Iterum: *Ego ea sum nunc sententia, qua nuper fueram, cumprimum de conventu ad te scripsi, pendere omnia ex Cæsaris voluntate: qui nisi omnia velit, quæ ad ineundum bellum pertineant, nihil dicam aliud, quàm fato malo perituram rem Christianam.* In iisdem autem quæ tum agitabantur comitiis, Hungari eo argumento ad Imperatorem

p. 152. utuntur, ut dicant: *oportere eum esse præcipuum Christianorum*

rum propugnatorem, qui idem Christianorum sit Imperator. Quod argumentum, non epistolis modo tetigit de quibus diximus, sed oratione in comitiis habita magnifice diffudit *Campanus.* Quare & in *precibus solennibus*, consecrando Cæsari destinatis, propulsatio barbarorum & Christiano nomini inimicorum hostium ponitur. Augusta vero & tanto Principe digna vox est Maximiliani I. Imperatoris de expeditione sacra, cui semper intentus varie interim distinebatur, deliberantis: *Nam me quidem in hoc Imperii fastigio, non solum in acie belli Ducem & Imperatorem esse, sed multo magis hujus publici consilii ducem atque auctorem esse convenit.* Sicut autem sæpissime impediti sunt Augustissimi Imperatores, quo minus sacris expeditionibus operam, ut destinaverant, darent: ita superiori sæculo se commovit Austriacorum Cæsarum virtus, reque Christiana præclare gesta, non exiguum Turcis terrorem incussit. Neque armis tantum, sed & consiliis pugnatum est. neque enim Cæsarum toto sæculo isto superiore quisquam fuit, qui adversus Turcas non pro salute Christiana præclare contenderet. Quid? quod vere Imperatoria Domus Austriaca longe lateque hic pro re Christiana excubat, magnamque vim pecuniarum, militum, munimentorum, apud fines & pro finibus, perpetua munificentia providentiaque adversus Turcas dispensat. Faxitque Deus, ut gloria sacræ militiæ, qua nulla est illustrior, in Sacro Romano Imperio Imperatoribus propria ac perennis duret! Non debet hoc loco omitti Francisci I. Gall. R. responsum ad Caroli V. Cæsaris Romæ factam querelam de auxiliis ad bellum Turcicum. *Obtuli*, inquit, *liberaliter, quod majores mei (quibus nihil unquam est præscriptum, ubi de ipsorum adversus hostem religionis ageretur officio) præstare sunt soliti, id me perlubentem esse Christianæ reipublicæ præstiturum, ut copias scilicet meas omnes (etsi multæ mihi proponebantur à bello quiescendi occasiones) tamen ipse præsens vel ad tuendam Italiam, cui tum etiam Turca imminebat, vel alio quocunque rei postularet necessitas, educerem; ita tamen,* UT CÆSARI NIHILOMINUS PRINCIPEM EA IN EXPEDITIONE LOCUM NON GRAVARER EX OFFICIO CEDERE.

In Reusneri Anti-Turc. vol. I.

pag. 56.

Apud Freher. tom. 3. p. 358.

Posset,

Possct, cui vacat, hoc loco paulo accuratius ratiocinari, quæ fuerint Sacri Romani Imperii in hunc diem, inter tot vices rerum, singularia fata, opera, miracula circa & ad rem Christianam universam: tum, quàm evidens divinæ providentiæ industria, hoc ipsum elogium *Sacri* Imperii, non ut aliis communicari illa laus potest, sed ut aliquid habet proprium, singulare, publicum, solenne, huic servaverit vindicaveritque. Neque enim tam sancta mysteria Grammaticis disputatiunculis, aut umbraticis speculationibus, vel explicari vel judicari debent. A quibus mireris non temperasse virum cetera doctissimum *Davidem Blondellum*, quando insolito fastu, veluti per indulgentiam, elogium SACRI, Imperio, quo ipse vult sensu, concedit, ut ROMANI appellationem, prorsus adimat, de quo postea. Sed, *Germanos*, inquit, *supremum regionis suæ Imperium* SACRUM *Imperium vocare non improbabunt, quibus Germaniam nobile Christiani orbis membrum esse, Christianis Principibus subesse, eoque Christo sacrum Imperium esse debere, in mentem venerit. sed eodem jure & Franciæ Occidentalis & Hispaniæ regna, quorum alterum Christianissimum, alterum Catholicum dici solet, Imperia Sacra, id est, ditiones ac regna Christi nomine consignata, Deoque consecrata, ex officio fuerint & nuncupari debuerint.* Parum his rebus, quæ ad publicam & curialem scripturam pertinent, se assuetum ostendit. Falsum est: Regnum Galliæ *Christianissimum*, Regnum Hispaniæ *Catholicum*, ea loquendi formula, & eo elogii genere, quo Imperium nostrum *Sacrum* vocatur, unquam dicta esse. Multum diversam rationem esse, ultro agnoverint, qui Regis *Christianissimi* & Regis *Catholici* cognomina ab origine sciunt intelliguntque: tum, qui reputant, publicas titulorum formulas, ab inflexionibus vocum arbitrariis (ut à *Catholico Rege*, *Catholicum regnum*; à solenni & publico elogio, per similitudinem & interpretationem, libera laudatio derivatur) plurimum differre. Alienum, ambiguum, insolens est, dicere: Germanos *supremum regionis suæ Imperium*, sacrum Imperium vocare. Quid est, *supremum regionis suæ Imperium*? Qui ita loquitur,

Præfat., apologetica contra Chiflet. XXXIII. 2.

tur, non videtur omnino cepisse, quid *Imperii* vocabulo notetur. An enim forma tantum reipublicæ, & τὸ κύϱιον signatur? minime gentium. Dicetur postea. Intolerabile in primis est & importunum, nunc demum quæri, quo significatu Imperium nostrum ita *Sacrum* vocari possit, sicut alia quoque regna sacra sunt, postquam totius orbis Christiani nationes & regna, etiam inter invidiam & æmulationes, ob ipsam Imperii Romani dignitatem coortas, jam à pluribus sæculis ita Imperium nostrum *Sacrum* vocarunt, sicut sua regna non vocarunt, publicisque & solennibus Imperii nostri titulis id vocabuli attribuerunt, quod sibi non vindicarunt. Non unus esset Rex *Catholicus*, qui honorem ejus cognomenti sibi posset vindicare, si ad Grammaticos & Rhetoras hic eundum esset. sed consuetudo & jus titulorum, tamdiu uni hoc adjudicat, qui publice ab omnibus hactenus tulit, donec alius idem juris, eodem consensu nationum consequatur. Et quid eximii esset in titulo *Christianissimi*, si Blondelli more, potius originem verbi spectando pluribus commune reddere vocabulum, quàm usum verbi publicum & curialem, ut sic loquar, attendendo, uni Galliarum Monarchæ vindicare instituas? Nimirum non debemus ex *titulis*, *epitheta*; aut ex *epithetis*, quæ libero ingenii certamine inveniuntur, variantur, permutantur, *titulos formales*, ut sic dixerim, concinnare. Id equidem non negaverint, qui aliquem rerum usum habent, ex eo, quod ab initio *epithetum* fuit, paulatim fieri posse *titulum solennem*. Sed *Titulus* ille demum habetur, qui non tantum utentis arbitrio assumitur, sed ab aliis agnoscitur & attribuitur. Huc ergo debebat spectare *Blondellus*, quod SACRI elogium Imperio nostro non domi tantum inter solennia attributum est, sed ab exteris & æmulis, in literis, legationibus, actuque & scriptura formali, cui nihil opponi potest, ut inanissimum sit disputare, & ad extenuandum hujus tituli decus requirere, quomodo aliis regnis convenire queat talis appellatio. Ostendendum enim erat, si quis nollet actum agere, SACRI Imperii elogio alia regna, solenni titulorum formula, præ-

ter hoc nostrum, honestata esse. Sæpe doleo viri doctissimi vicem, qui adversus *Chifletium* jussus scribere, non raro facit, quod in adversario reprehendit: neque semper pensi habet, quid scribat; dummodo causæ suæ serviat. Quamquam profecto hoc non est causæ servire, sed nocere; si quis studio certandi, proxima quæque arripit, censet, vexat, neque de ulterioribus aut citerioribus cogitat. Quid attinebat, quasi ad honorem Galliæ, extenuare aut communicare, aut aliter interpretari, quod ipsi Christianissimi Reges sanctius interpretati sunt, & vigorem ac prærogativam solitam voluerunt retinere? Franciscus I. Rex prudentia, auctoritate, rerum usu maximus, neque cuiquam ultra solitum admetiri titulos solitus, vel cum ad omnes Ordines scribit, Sacri *Romani Imperii Ordinibus* inscribit literas, & *Sacrosancti Romani Imperii Ordines* vocat; vel cum ad unum, exempli gratia, *S. Rom. Imp. Archimareschallo & Principi Electori*, destinat epistolam. Quin & in contextu literarum huc alludere, rationis duxit, in illis verbis: *Cum ad vos potissimum Romani Imperii sanctitas, & publici juris tutela dignitasque pertineat.* In *responso supra laudato* ista legas non frigide nec perfunctorie posita: *Mandaveram equidem legato meo, ut* Sacri *Romani Imperii Ordines, quibuscum me tum per vetus amicitia, tum Principatus Mediolani ratio sociarat, per occasionem mihi salutaret, meque ostenderet non ignarum esse, quanam mea esse deberet, & cum illis societas, &* erga illud ipsum Sacrosanctum Romanum Imperium observantia. Quid aliud, quàm obloquitur tanto Regi, cujus auctoritas pro ratione esse poterat, qui titulum tanta juris formula, tamque studiose ab ipso illuc, quo conveniebat, delatum, in epitheton vertit, extenuat, & Grammatici arbitrii facit! Nolo de illo dicere, quod admodum restricte scilicet, *Germaniam nobile Christiani orbis membrum*, fatetur. *Nobilissimum* optimo jure poterat dicere, vel quia Imperii dignitas totius Christiani orbis commodo hic recumbit, ut suo loco monstrabitur: vel de quo Legati Gallici (quorum ut auctoritas ita oratio publica est) superiore sæculo ad S. R. I. Ordines Spiræ conventum

Apud Freher. tom. 3.

tum agentes longe animosius & ita loquuntur: *An nos hoc nescire putatis, nullam procellam post homines natos in Germaniam ingruisse, quæ non confestim ad nos perveniret? Fuere patrum memoria, qui Galliam debellarent, vincerent, opprimerent; abstinere tamen à Germania cogerentur.* Sed redeundum nobis est ad auctoritatem publicam & solennissimam tituli, de quo agimus: quem scilicet & æmulæ nationes, & maximi Reges agnoverunt, & suo judicio prædicarunt. In literis Henrici VII. Angliæ Regis ad Imperatorem & Ordines in Comitiis Confluentiæ 1492. *Sacri Rom. Imp.* titulus sæpius repetitur. Verum non opus est, cumulare exempla: infinita enim sunt: neque hæc ipsa attulissemus, nisi ad intelligendam quæstionem pertinere visum esset, *Titulos usu & solennitate*, non ratiunculis & ritu Lexici, ut cuique in mentem venit, explicare. Sunt enim ejuscemodi contentiones frivolæ, inanes, gravibus hominibus & negotiis indignæ. Excellit sane amplissime illustribus in rem Christianam meritis Germania. nemini tamen cordato volupe fuerit, aliorum regnorum Christianorum merita, obtentu Tituli, extenuare. Est eritque Germanici candoris specimen, nec alienos titulos usu publice receptos firmatosque cavillari aut detrectare; nec domesticos cuiquam cavillandos aut detrectandos relinquere. Nobis interim in omnia hujus dissertationis eadem lex sit, *auctoritatem curiæ sequi*, quæ quo latius per gentes concinit, eo est gravior validiorque. Pergemus igitur nunc ad alteram vocem, qua Imperium dicitur

Freher. tom. p. 365.

Freher. tom. p. 36. &c.

ROMANUM.

NOlumus hic à primordio repetere, quæ prolixe ab aliis traduntur, de *Romani* Imperii appellatione, ejusque fatis: dum alii extinctum Romanum Imperium, alii servatum, varie disputant. Habent quod legant, quibus copia placet, apud *Limnæum* præsertim, tum in *Jure Publico*, & *Additionum tomis*; tum ad *Capitulationem Caroli V.* Addi possunt *Speidelius*, & alii. Ponemus tantum

pag. 98. &c. v. *Reich.*

tum quædam, adversus alios deinde profutura. I. Neque opus fuerit ad ulteriora ire, sed ea tempora in oculis habere, unde dicitur ROMANUM IMPERIUM cum adjectione NATIONIS TEUTONICÆ: *das Ræmische Reich Teutscher Nation.* II. Non opus fuerit, multum laborare, cur Nostrum Imperium ROMANUM dicatur, cum tamen Romæ non subjecta sit aut fuerit Germania: ratio enim haud dubie validior esset, quod Ottoni, & omnibus ab eo Imperatoribus Germanicis imperium in urbem Romam in perpetuum quæsitum est, sicut in Ottone I. & alibi amplius demonstratur. III. Id jus cum adhuc hodie durare, ostenderit *doctissimus Conringius libro*, quem in hoc argumento excellenter laudatum volumus, *de*
cap. 13. *Germanorum Imperio* ROMANO, & *in opere de Finibus Imperii cap. IX. & X*: Romani Imperii titulum non absurde sibi vindicat, cui Roma subest. IV. Etiamsi autem per injuriam excidisset Germania imperio in urbem Romam, non esset tamen propterea abstinendum titulo Romani Imperii, non enim sedes imperii ita alligata est loco, ut loco mutato, nomen imperii mutandum sit. Quo recte
l. 6. accommodant illud *Herodiani*: ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Ibi est Roma, ubi Imperator.* Ab Ottonis certe Magni temporibus sedem ejus Imperii, quod Roma quoque agnovit, sive, cui Roma citra controversiam paruit, in Germania, in hunc diem fuisse, dubio caret. V. Et quia in ROMANI Imperii nomine aliquid singularis gloriæ & celebritatis fuit (sicut apud omnes in confesso est) negari non potest, decus ejus gloriæ ad eos, tanquam per manus traditum & propagatum, pertinuisse & pertinere, quibus hæc appellatio communi quasi consensu attributa est & attribuitur. Quod de Nostro Imperio, nemo nisi omnium publice actorum imperitus, abnuerit. VI. Id vero, non sine singulari divina providentia evenisse, facile credunt, qui & divinitus prædictam celebritatem reliquiarum Romani Imperii, & multa non absque numine quoad hoc negotium gesta, denique verum rei totius & propagationis miraculum paulo altius meditantur.

tur. VII. Illud quoque non in obſcuro eſt: ex quo Germanis & Ottoni perpetuum urbis Romæ & Italiæ imperium datum eſt, nullum fuiſſe regnum, quod opibus & auctoritate, Germaniæ merito potuiſſet anteponi. ut ſic quoque celeberrimi Imperii dignitas in ſede incomparabili ſubſtiterit. VIII. Et quamvis nominum rationes ſæpe conſuetudo magis, quam prudentia moderetur, non videtur tamen ad retinendam *Romani* nominis auctoritatem quicquam incitamenti defuiſſe iis, qui ſerio intellexerunt & conſiderarunt, quæ hactenus dicta ſunt. IX. Quinimo ea ipſa publice omnibus inſita perſuaſio de Romani Imperii eminentia, ſanctitate, perpetuitate, videtur perfeciſſe, ut per tot æmulationes & certamina, duraret in hunc diem & pervigeret tanti nominis majeſtas, quod venerantur omnes foris Chriſtianæ poteſtates: adeo, ut ſi cui Chriſtianorum cætera potentiſſimo hic titulus accedere poſſet, citra omnem tergiverſationem, primo illum loco poſiturus eſſet. Sed proſpectum eſt legibus moribusque, quos Deus ſervet, ne tituli incomparabilis decus externis poſſit opibus accedere.

Hic vero *Blondellus* eum ſe gerit, quem non agnoſcerem, demto nomine. oſtendit profecto, non ſufficere multam lectionem & variam eruditionem ad tractanda argumenta publica, absque penitiore cognitione reipublicæ, morisque & actus publici. Certe dum partibus ſuis ſubſervire ex ſummo ſtudio contendit, earum ſtilum & ſcripturam publicam, & acta publica ſedulo impugnat. Quo genere ſcribendi nihil magnis Principibus magis averſandum reor. Cur enim, tantum ut adverſario contradicatur, nunc dicam, cujus contrarium Reſpublica mea ſemper dixit, ſcripſit, dicitque & ſcribit? Ludere hoc eſt: neque magis adverſarii, quàm ſuis rationibus illudere. Igitur ſtatim ſua vineta cædit, cum majore quàm decebat ſupercilio orditur: *Germaniæ Reges*, Imperatores, *Germaniæ regnum* Imperium *dici*, *Franco nemini diſplicuerit. cum enim Germania Europæ univerſæ latiſſima populorumque ad arma natorum feraciſſima portio ſit, cujus dominium alteri nulli in terris ob-* (Præfat. Apologet. XXXI. 3. b &c.)

ris obnoxium sit, viribusque suis solis fretum injuriæ cuivis propulsandæ per se par esse possit, aliasque multas ditiones, quæ imperiale sibi nomen vindicarunt, dignitate ac potentia longe superet, Imperiali titulo dignissima fuerit, si Imperium Germanicum *nuncupetur, eique cum summo imperio præfecti* Germaniæ Imperatores *dicantur, sui compos nemo refragabitur. At si Germaniam* Imperium Romanum, *Germaniæ Reges*, Romanorum Imperatores *ex usu posteriorum sæculorum communi quis vocet, à vero proprio priscoque majorum sensu & loquendi genere longissime abscedere videtur.* Ergo, inquam, Christianissimi Reges, qui in hunc diem Imperium nostrum, *Romani Imperii* elogio, Imperatores Nostros, *Romanorum Imperatorum* appellatione honestarunt, judice *Blondello*, assertore Gallico, à vero proprio priscoque majorum sensu & loquendi genere longissime abscesserint. Mereretur censuram, quam Blondellus non semel in adversarium stringit, si quis externus, nulloque peculiari vinculo obstrictus, tam profane de tantis Regibus sentire in animum induceret. Exempla infinita, id est, longe plura sunt, quam ut possint aut debeant huc conduci: unde constat, non factum tantum esse, quod diximus, sed magna ratione, consulto

Apud Freher. tom. 3. p. 340.

consilio, exquisito studio factum esse. In *Apologia ex castris ad Contaum Belgicæ vicum 7. Maji* 1537. eum se describit Rex Franciscus, qui *nunquam non dignitatem Ordinum &* Romani Imperii Nomen *coluerit.* Et *Legati ejusdem Regis*, postquam accurate nationem Germanicam ab Imperio distinxisset, imperium illud ipsum Germanis attribuunt, quod Carolus M. in Germaniam invexisset, id est Romanum. *Nam Carolus M.* inquiunt, *idem Gallorum parens & idem vester, omnium consensione afflictum illud* (Imperium) *propeque collapsum unus erexit: unus de nefariorum hominum faucibus eripuit: unus è Græcia, ubi exulabat abjecta ejus dignitas, non minus fortiter huc quam feliciter invexit. Nunc igitur partam tot suorum laboribus & periculis dignitatem vobis extorqueri, illa vestræ majestatis jacta a suis majoribus fundamenta convelli, Rex majorum suorum summus admirator, institutorum quæ ab iis profecta sunt, tenacissimus observator, voluerit?*

in orat. ad Ordin. Spir. pag. 365.

fuerit? Quid potuit studiosius apparatiusq; dici? An *Nominale* Romanum Imperium, *Nominales* Imperatores (ut *Blondellus* cavillatur) intellexerunt, qui ita locuti sunt? Hæc ex luce rerum & negotiorum publica, audiantur interim contra umbraticas nænias, testenturque: *Gallorum judicio apud Germanos esse Romanum Imperium, & quidem illud ipsum, quod Carolus invexit: ad Germanos Imperatores etiam post Carolovingos scilicet propagatum.* Audiatur etiam Legatus *Venetus* ad Imperatorem Maximilianum I. verba faciens apud *Gerardum de Roo*: *Denique Senatus Populusque ille, mundi domitor,* CUJUS IMPERIUM IN TERRIS IN TE SOLO EST, CUJUSQUE AMPLITUDO ET MAJESTAS IN TE CONSPICITUR, *nonne plures populos atque provincias clementia, æquitate & mansuetudine, quàm bello armisque imperio suo adjecit?* Histor. Austr. lib. XII. pag. 444.

Quis autem est *verus, proprius, priscusque majorum sensus, & loquendi genus*, à quo discedit hæc dictio? An *Romanum Imperium*, tantum dicetur, quicquid olim Imperatores Romani florentes sub sua ditione tenuerunt? Atqui nulla ratio uni illi significationi hanc appellationem alligat, ut ante dictum est, cum præsertim ratio præsentior ab imperio in urbem Romam in promtu sit: accedunt que alia, quæ ad auctoritatem titulis conciliandam idonea sunt. Jam à Carolinis temporibus, non negamus quidem, distincta esse interdum Regnorum & Imperii nomina: sed illud quoque meminimus, sæpe Imperii & Imperatoris vocabulo, tanquam excellentiore, summam loquendi factam. Interea ut *Germaniæ Imperatores* dicantur nostri Imperatores, stolide admonuit *Blondellus*, privata auctoritate stilum publicum totius Europæ corrigere ausus; tum ad *verum proprium priscumque loquendi genus majorum*, quod ipse sibi fingit, & publicæ auctoritati opponit, parum accommodate reformare nostra tempora orsus. *Imperium* enim absque adjectione Romani, Romanæ urbis ditionem tamen respiciebat, sicut infinitis locis scriptorum doceri potest.

Insignem vero prorsus fraudem, & circumforaneo sophista quam viro sapiente digniorem commisit *Blondellus*,

dellus, quod *titulum Romani Imperii Germanicis Imperatoribus in Ottone Magno* post Carolovingos *fundati*, prorsus silentio prætermittit, ac si nihil factum unquam esset. *Sigonii* ea de re confessionem alibi annotavimus. Et declaravit abunde laudatus ante *Conringius: in Ottone Magno per Cæsareum titulum Germaniam accepisse Imperium aliquod summum ac perpetuum in urbem Romam, Papam ac patrimonium Ecclesiæ Romanæ.* Hunc nodum Gordium, fide parum bona, inter affectationem curiosæ & omnia conquirentis diligentiæ præterivit gladiator ille famosus, & ab anno 1125. neminem Imperatorem aliquid juris in Romana ditione habuisse, ostendere satagit.

In Cæsarib. Germ.

Sed incipiamus à verbis ejus. *Cum igitur*, inquit, *nihil ab anno 1125. & quod excurrit in Romana ditione, quæ sola sub Carolovingis ejusdem potentibus* Imperium Romanum *dicebatur, cujusque unius gratia ab anno* 800. *ad* 1125. *quotquot in Germania, Gallia, Italia* Imperatores *audierunt,* Romani Imperatores *dicti sunt*, *Germanicorum Regum ullus possederit aut possideat*: . . . . hiat postea oratio, nec concluditur: festinatione tumultuaria, puto. satis tamen intelligitur, quomodo suppleri velit, nempe, ideo *Imperatoris Romani* elogium Nostro Imperatori non convenire. Nil dicam de exempli, quod nostris Imperatoribus tam graviter opponitur, diversis periodis, & quemadmodum Imperatoris Romani nomen & dignitas in Italia sub Carolis Calvo Crassoque, & interjecto Ludovico Balbo (Carolovingis) eviluerit: quis ab intercepta possessione (quid autem in hac re & quantum factum sit, post attingetur) tam importune argumentatur, ut jus alterius statim neget, de quo semper professio & testatio facta est? Si compendium hoc Blondellianum valuisset, non opus fuisset tot contentionibus togatis & armatis per tot sæcula agitatis de titulis regnorum, quos nemo jure nitens dimittit, nisi pactione aut victoria alterius partis ad solennem ejurationem adactus. Quod in nostris Imperatoribus non tantum factum non est, sed ne quidem publice controversia de titulo unquam mota fuit. nisi quis unius & alterius

terius Constantinopolitani Imperatoris irrisas statim & efficaciter nugas velit huc afferre.

Ut autem res tota clarius enitescat, paulo altius & supra annum 1125. historiam repetamus, imo ab initio sæculi undecimi. *Sigonii*, plena est auctoritas: qui Germanis nihil nisi evidentia veritatis adactus concedit. Illustris confessio legitur *principio libri VIII. de regno Italiæ*: 1002. *Italici, qui illustres duos, Regni Imperiique titulos ad exteros rursus esse translatos, pro insita animi magnitudine acerbe ferebant, ut tribus regnantibus Ottonibus multa pro antiquo decore repetendo moverunt, sic Henrico, Conrado, & Henrico II. subinde rerum potientibus prorsus nunquam quieverunt. ceterum quemadmodum rebus novis studentes ab his quoque, quos dixi, regibus virtute opibusque compressi sunt, hoc libro narrare pergemus.* De his ergo Imperatoribus nulla est quæstio. Sub Henrico III. (ut *Sigonius* numerat: nam aliis IV. est) *spes* tantum & *occasio* & *conatus* libertatis parandæ, sive, ut verius loquamur, rebellandi affulsisse videbatur. qua de re *initium* 1056. *libri IX.* agit. *Imperium inde Henrici filii* (IV. ipse, alii rectius V. numerant) *novum quasi stabiliendæ libertatis ac dominationis initium ab Italicis ipsis est habitum.* Adhuc debili pede, neque ad jus, sed ad factum demonstrandum hactenus proceditur. Sed *initium libri XI.* parum à confessione injuriæ abest. Præmittitur: *Quod Henrico Rege aut* PATIENTE, *aut certe* NON VINDICANTE, *Mediolanenses cum vicinis instituerunt, ut de omnibus controversiis inter se non jure judicioque contenderent, sed bello armisque decernerent, id proximis Regibus Lothario & Conrado rerum potientibus pleraque omnes civitates facere perrexerunt. Favit autem nescio quomodo eorum cœptis consiliisque fortuna: quod Reges ipsi Germanicis sedandis seditionibus occupati aut* RES RESPICERE ITALICAS NEQUIVERUNT, AUT DEMUM IN IPSO CONATU RERUM EXTINCTI *subito decesserunt.* Quid clarius? Non minus constitit Italicis de suo facinore, aversis scilicet legitimi Principis oculis conficiendo, quam de animo Principis jus suum minime neglecturo. Venimus nunc ad illa tempora, quæ designavit *Blondellus*, & ad Lotharium Henrici V. suc-

Sigon. lib. X. de regn. Ital. pr.

cessorem, quem statim probrose notat, & Pontificis carmen (magnæ scilicet auctoritatis in propria causa) longe deterius, quàm ipsi fere unquam voluerunt Itali, intellectum præscribit. Est autem insignis impudentia, eum ab omni Imperatorio jure excludere in Italia, qui in secunda expeditione Italica Jus Imperatorium exercuit tanta auctoritate tantoque successu. Idoneum testem iterum citabimus *Sigonium*, citra ambages memorantem:
lib. XI. de regno Ital.
ut pleraque armis & conditionibus occupaverit; ut occupatas terras Principibus beneficii loco attribuerit; ut populos & civitates contendentes judicaverit; ut Ducem Apuliæ dederit; ut denique Imperatorio nomine & auctoritate apud omnes valuerit in Italia. An, qui hæc fecit pro Rege & Imperatore, *solam coronam titulumque re sua vacuum*, consecutus dici potest? Quanto candidius & peritius *Sigonius* judicat? cujus ipsa verba arguent Germanici nominis obtrectatorem. Ponemus aliqua:
1136. *Ad lacum Benacum progressus* (Lotharius) *castrum Gandæ; ad Padum, Vardastallum recepit, atque* EORUM UTRUMQUE HENRICO GENERO BENEFICII LOCO ATTRIBUIT. —— *Italici lites, quas initio dirimere certaminibus instituerant, continuo* AD ILLIUS JUDICIUM REVOCARUNT. Subjicitur Mediolanensium & Cremonensium controversia, ubi *Cremonenses hostes judicati sunt. Cremenses à Cremonensibus accusati, quod, cum ex comitatu diœcesique sua essent, ad Mediolanenses defecissent, cum compellati die dicta non affuissent*, LOTHARII SENTENTIA CONDEMNATI. Ponitur inde lex in conventu Roncaliensi lata, cujus hoc procemium est: *Cum apud Roncalias* SECUNDUM ANTIQUORUM IMPERATORUM CONSUETUDINEM *pro justitia & pace regni comparanda consideremus, omnia*, QUÆ AD HONOREM IMPERII ROMANI *spectare videntur, solicite indagantes* &c. —— In causa Rinaldi
1137. & Pontificis Innocentii *Lotharius diem VII. Idus Julias ad causam cognoscendam constituit: atque utriusque partis patronos in consilio ad illam diem adesse præcepit.* & in hoc judicio, *privilegia Imperatorum Caroli*, & aliorum, *trium Ottonum, quatuor Henricorum, & unius Conradi, æquum esse dixit Lotharius, ut ab Innocentio servarentur.* In sequentibus nota, quod Legati

Legati Pontificis accuſarunt monachos Caſſinates, ut *qui cum Rogerio Siculo adverſus Eccleſiam atque* IMPERIUM *conjuraverint.* Ecce æquiores Blondello Pontificios legatos, qui auctoritatem *Imperii* & *Imperatoris* in Italia agnoſcunt. Et Lotharius reſpondit, *ſe id monachis condonare.* quod ſcilicet contra ſe peccaſſent, & in Imperium & Imperatoris auctoritatem conjuraſſent. In Ducatu quidem Apuliæ conferendo in Ranulfum lis aliqua inter Imperatorem & Pontificem exorta eſt, de qua *Otho Friſingenſis*: *in dando Ducatu inter ipſum* (Lotharium) *& Romanum Pontificem pene controverſia orta fuit, utroque Ducatum Apuliæ ſui fore juris affirmante: quæ lis conſilio tandem hoc modo deciſa dicitur, ut in dando Duci vexillo utrique manum adhiberent.* Hinc utique conſtat, Imperatorem, licet Pontificem pro ſua in eum facilitate & reverentia, in ſocietatem inveſtituræ admiſerit, ſuum jus nequaquam abdicaſſe, aut credidiſſe, Imperio & Imperatori nihil hic juris eſſe. Et, ut iterum appareat, quanto æquiores ſint nobis Itali, quorum tamen res agebatur, quàm Blondellus; credidit *Sigonius*: *Lotharium lege ſanxiſſe, ut ex uno jure civili Romano poſthac judicia fierent: eique legi in Italia obtemperatum eſſe, cum Italici ante alii Longobardico, alii Salico, alii Romano jure uterentur.* Non dico de hiſtoria, ſive, ut eruditi demonſtrarunt, fabula: ſed quod illi, qui ità crediderunt, eadem opera jus Lotharii in Italia ſive poteſtatem legislatoriam agnoverunt.

l. 7. c. 20.

add. Conring. de Fin. in Addend. pag. 856.

l. XI. de regn. Ital. p. 272.

De *Conrado*, qui Lothario Saxoni ſucceſſit, eodem faſtu & elato ſupercilio *Blondellus* decernit, *quod Cæſarem agere, & quicquam Dominii Imperiique Romæ retinere, ultro noluerit.* Allata hiſtoria *Othonis Friſingenſis* id non evincit. Non enim ſequitur: Conradus Romanis adverſus Pontificem tumultuantibus noluit ſuam auctoritatem accommodare: ergo omne imperium in urbem Romam abdicavit. Certe hoc non ſenſit *Friſingenſis*, qui paulo poſt diſertis verbis, *Eugenio*, inquit, *in urbe Roma ſedente*, CONRADO IN EADEM, *Ludovico in Occidentali Francia* REGNANTIBUS. Quanto rurſus meliori fide & candore *Sigonius*, & excuſat magno ſtudio Conradum, *quod in Italiam, ſicut deſti-*

lib. 1. de geſt. Frid. 1, c. 21.

lib. 1. de geſt. Frid. 1. c. 34.

l. XI. de regn. Ital.

destinaverat, venire & coronam accipere non potuerit, & animum vindicandi jus suum, recuperandique à rebellibus occupata, nunquam omiserit, nec auctoritate Cæsaris ac nomine in Italia caruerit. Plura sunt, quàm quæ huc transcribi debeant testimonia. Apud eundem Historicum legas: *Anno 1139. Genuenses à Conrado Rege pecuniæ signandæ jus impetraverunt. itaque in hunc usque diem accepti beneficii monumento nummos aureos ipsius Conradi Regis nomine signant. —— Placentini etiam jus signandæ pecuniæ à Conrado obtinuere.* Non factum esset hoc, si nulla Conradi, ut Imperatoris Romani, in Italia auctoritas fuisset: aut si *regni Italici solam coronam titulumque, re vacuum*, quod *Blondellus* criminatur, tenuisset Conradus. Et quandoquidem Pontificibus omne jus Imperatorium per hæc tempora tanto conatu vindicat *Blondellus*, valere utique debet contra ejus sententiam id argumentandi genus, quo ipse utitur. Si enim, ob novarum rerum molitores, & rebellium defectionem, Imperatori jus suum periit, quomodo ergo Pontificibus salvum esse dicet, ex quo contentio Romanorum adversus Innocentium instituta, *omnes deinceps Pontifices usque ad Clementem tertium exercuit.*

Sigon. XI. de regn. Ital. p. 271.

In *Friderico I.* cum non posset *Blondellus* de imperio in Italiam negare, imperium *in urbem Romam Romanamque ditionem* ei importune abjudicat. Operæ pretium est audire, quibus argumentis. *Roma urbe*, inquit, *exclusus est.* A quibus? scilicet ab iis, qui sua confessione rebelles, cum antea Imperatoris nomen & jus verbis agnovissent, non ex voto accepti, mox animum mutarunt. An rebellium & usurpatorum facto, quisquam suo jure excidit? Deinde, annon Pontifex quoque Hadrianus urbe tum exclusus est, & alias alii? quibus tamen jus in urbem firmum certumque esse vult *Blondellus*. non laudabili sophismate iterum *gravissimam orationem Friderici, de jure suo Imperatorio in urbem Romam*, silentio transmittit, *Othoni Frisingensi* plenius, *Sigonio* summatim descriptam. Quæ tamen (quod notatu dignum) habita est, Pontifice apud Imperatorem tum agente, & sciente. qui contradicere certe

de gest. Frid. lib. 2. c. 21. lib. 12. de r. It. an. 1155.

certe debuit tantæ asseverationi, si solus sibi in urbem Imperium vindicaret. Festivus vero est *Blondellus*; cum ex *consilio* Pontificis de ingredienda urbe, ad denegandam ditionem progressus, Imperatori nihil nisi advenæ conditionem reliquit: quod nec *Sigonius*, neque modestiorum hominum quisquam ut faceret, ulla re adductus est. Vim argumenti novam & inauditam! *Qui ab urbe aliqua seditione civium excluditur, & commeatum non impetrat, & ab alio præsidium in parte urbis habente, consilium accipit immittendi in tempore & loco suum exercitum; is nullum jus in urbe habet, sed ut advena ab eo, qui consilium dedit, & munitionem aliquam ejus urbis insedit, introducitur, ejusque jus in urbem agnoscit.* Tale quid nec Pontifex ipse ausus esset tum affectare. Et, cum post hæc insolescens, Imperatorum comitatem & officia reverentiæ, male affectato juri vellet prætendere, acerrimum habuit contradictorem Fridericum, cujus responsa & literæ apud *Historicos* & *Goldastum* in obvio sunt. Debuisset addere *Blondellus*, ut constaret ipsi ratio horribilis philosophiæ: *qui ab obsidione urbis tumultuantis peste in exercitum grassante revocatus est, quo minus posset eam in ordinem redigere, ille jus in illam urbem non habuit, aut amisit.* Ad integrandam enim historiam pertinebat ita argumentari. Nonne autem Fridericus *in patrimonio Petri*, quod vocant, *fodrum exegit*? nonne *Magistratus S. Petri in urbe nihil derogare* respondit *juri Imperatoris Romani, cujus ipsum nomen confessionem imperii in urbem significaret?* Et sane Pontifices coronando & vocando Imperatorem Romanum, idonei sunt de jure in urbem Romam testes. neque tam facile probatur, quam dicitur, & à *Blondello*, quasi certum sumitur: inane nomen, nudam coronam esse. Nulla corona indotata capiti Principum imponitur. Non est dissimilis iis, quæ præcessere, clausula. Ita enim, satis violente, *Blondellus*: *Si caruit* Fridericus Imperio Romano proprie dicto, *qui in alium transmittere potuit?* si *caruit*. Atqui non caret jure, qui usu juris, facto injusto alterius prohibetur. Aut si id *carere* vocat, crassius loquitur, & male objicit Imperatoribus *rebellem*

infidamque suis longo jam tempore Romam;

v. Sigon. XII. de regn. Ital. 1157. & 1159.

Gunth. Ligur lib. 1. p. 142.

Saltem adversus Pontificem, cui tamen *Blondellus*, quasi per monstrum doctrinæ in gente *Reformatorum*, tam firmum jus tribuit, nihilo minus valeret ratio, de Romanorum vel genio vel facto. Notus est *Pauli Jovii* locus: *Romani sive pristini decoris & antiquæ libertatis memores, sive ut sunt natura turbidi atque feroces, sacerdotum imperia, quod plerique eorum parum moderate avareque imperitent, æquo animo ferre non possunt. —— Cepere aliquando atque interemere Bonifacium Octavum, hominem quamquam factiosum, morum tamen ac literarum dignitate venerabilem: quin & Eugenium, eximiæ virtutis Pontificem, sede atque urbe immaniter expulere: alios palam expugnavere armis, alios conjuratione facta, ac obsessis itineribus in maxima vitæ atque amittendæ dignitatis pericula conjecere.* Rectius judicant, quibus in conventu Roncaliensi probata est ratio Friderici dicentis, se velle *jura, quæ Lotharii & Conradi suorum decessorum incuria obliterata, atque ab Italicis usurpata sunt, repetere, ac novis institutis stabilire.* Quod de *incuria decessorum* dicitur, vel ad quædam pertineat, non ad omnia, cum de diræ necessitatis impedimentis supra dictum sit; vel significet nihil aliud, quam non vindicatum jus, quantum ad eventum actumque: vel (neque enim omnino negari potest) revera non tam strenue se adhibuerunt in suo jure vindicando Lotharius & Conradus, sicut facere debebant. Iterum enim repetit illam querelam Fridericus anno 1171. apud *Sigonium*: *Si Lotharius & Conradus acriores se & promtiores in Italia coërcenda ferocia præbuissent, haudquaquam sibi tantum ad eam retinendam laborum fuisse ac periculorum exhauriendum.* Quam sit porro falsum, quod *Blondellus* de Friderici secundo adventu ait; *cum postea Romam ante annum 1167. eam frustra obsessurus non redierit*: iterum vel *Sigonii* historia ostendit; unde discimus, *Fridericum capta urbe & civibus pace data, obsides accepisse, Paschalem restituisse, Alexandro profugiente; postmodum, peste in exercitu oborta, Paschali Romæ cum præsidio relicto urbe discessisse.* An hoc est, *frustra obsidere urbem?* Mirum, quod non etiam attulit fabulam de collo Imperatoris à Pontifice calcato, & hinc felix Logicus argumentum nexuit. Legenda hic omnino & *Blondello* fortiter

hist. sui temp. tom. 1. libr. 1. pag. 5. edit. Flor. 1550.

Sigon. XII. de regn. It. 1159.

de regn. Ital. l. 14. p. 327.

Indid.

titer opponenda sunt verba *Sigonii ex principio libri XV. de regno Italiæ: Quin etiam Fridericus Imperator cum multa ex ditione Ecclesiæ oppida in Marchia, Umbria, Etruria & Romaniola occupata teneret, non modo non ea restituebat, sed proxima quoque affectare se ostendebat.* Extat etiam gravis totius dissidii inter hunc Imperatorem & Pontifices, ac impotentibus studiis partium libera consignatio apud *Petrum de Marca*, Archiepiscopum Parisiensem, virum doctissimum, in opere *de concordia Sacerdotii & Imperii.* lib. c. 1. §. 8.

De Henrico VI. itidem mira ratione argumentandi utitur *Blondellus: Si Henricus una conditione coronam nomenque Imperatoris promeruit, ut Tusculum sibi fidum Romanisque infestum, ne quid Romani periculi ab eo, quod tanquam servitutis suæ instrumentum exhorrebant, deinceps experirentur, diruendum tradere coactus est; quid sibi potestatis qua coërcerentur, retinuerit, aut quid urbis subjectaque ditionis universo dominio excussus à Papa Romanisque præter nudum nomen & insigne re sua vacuum obtinuerit?* Valde rhetoricandi se peritum ostendit, qui verba *Godefridi Monachi*, tam horribili glossa extendit. ad ann. 1191. Scilicet, si Imperator coronandus Pontifici petenti aliquid concedit, quod sæpe factum est, inde à primo ortu Pontificiæ coronationis; ea ratione *coronam nomenque Imperatoris meretur*: rem optimo jure debitam sibi, neque nisi per nefas ab ullo Pontifice denegandam, aut in dubium vocandam. An aliter loqueretur, qui omne Cæsarei fastigii arbitrium vel conferendi vel adimendi Pontifici in solidum vindicatum cuperet? quod præter adulatores curiæ Romanæ nemo unquam fecit. Quomodo autem ex eo, quod Tusculum Romanis tradidit, id est, compedem urbis refractariæ, eo ipso omni se in urbem jure abdicavit? An qui fidem urbis alicujus sequitur, neque vim adhibet, sive vim remittit, ideo jus suum in urbem amittit? Quàm bene ac prudenter, facilitate illa usus sit Henricus, non exquirimus. sed juris sui adeo post hæc immemor non fuit, ut querantur, qui juris Imperatorii vindicias, injuriam Romanæ Ecclesiæ vocant, quod Henricus *oppresserit Rom. Ecclesiam, sicut antecessores ejus.*

in Chro-

pag. 203. in *Chronico Belgico Magno.* quibus hoc verbo nihil aliud exprobratur, quàm quod juris & imperii in Romanam urbem & ditionem memores se retinentesque præbuerunt. Sed quod tanto Polyhistori ignotum esse, aut etiam dissimulari non debuit, male & non integre ex *Godefrido Monacho* illa historia refertur, quæ ex *Sigonii* accuratioribus monumentis omnino peti debuerat. Inde constat: de *rebellione Romanorum*, à qua *sejuncta fuit causa Cœlestini Pontificis*: in cujus manus Henricus tradidit Tusculum, *adversus Romanorum odia patrocinio defendendum.* Eam rem cum *Romani probassent, & ut legem concordiæ accepissent*, digresso Imperatore, *fide rupta Pontifici per vim admotam Tusculum extorserunt.* Quam hinc alia rerum facies, & à Blondellianis glossis diversa emergit? Ex eodem *Sigonio* discas licet: *Henricum Pontifici multam ditionem ademisse*, & Imperio vindicasse: *Duces Tusciæ ac terræ Mathildis, Ravennæ, Anconæ, Spoleti constituisse.*

de regn. It. l. 15. p. 349.

15. pag. 351. ann. 1193. & pag. 353.

Sequitur de *Philippo* Henrici fratre, & *Ottone IV*, quo tempore interregnum decem annorum ab aliis ponitur: longe diversa à *Blondello* scilicet sentientibus. *Iniqua* autem Pontificis odia non omisit arguere *Urspergensis.* ex quo etiam diligenter notabis contra Blondellum ista, quando de reconciliando Pontifici Philippo actum est: *A legatis Principum inducitur Papa, ut velit permittere, quatenus regnet Philippus. Ast propter hoc (ut retulerunt nobis viri veridici) promittitur Papæ, quod filia Regis daretur in uxorem filio fratris sui Richardi, qui jam Comes fuerat effectus Papæ suffragio,* NEC STATUIT PAPA REPETERE TERRAS, QUAS MULTOTIENS AB IMPERATORIBUS REPETERE CONSUEVERUNT ANTECESSORES SUI, *in Tuscia & Spoleto, & Marchia Ancona, sperans, quod in potestatem nepotis sui per prædictas nuptias possent devenire.* Antea autem, tanquam BONA ECCLESIÆ *injuste obtinentem*, communione sacrorum excluserat, ut est apud *Sigonium.* Hæc *Urspergensis* verba neque Philippum patiuntur in illo ἐξεθνισμῷ consistere, quo detrusum cupit *Blondellus*, cum de jure Imperii Romani in ditionem, quæ Pontificis habetur, quæstio incidit.

Sigon. 15. pag. 355.

Pag. 237.

Otto

Otto IV. quomodo *terras*, *quas S. Petri vocant*, *Imperio vindicaverit*, atque adeo *ditionis Romanæ compos* fuerit, nemo Historicorum tacuit. Et quamquam, violatum in eo esse jusjurandum, quod Pontifici præstitisset, conquerantur, inter ipsas querelas non dicunt nihil pro Ottone. *Godefridus* ille, qui Blondello fundus est, ait: factum esse jusjurandum ab homine *novo & rei nescio*; deinde *post consecrationem*, *à magistratibus & potestatibus revocatum & prohibitum esse*, quo minus restitueret. At *Sigonii* luculenta est narratio: *Otto urbe egressus in urbibus Etruriæ concedit, ac de more summis adhibitis Jurisconsultis, jura regni diligenter inquirere tanquam ea constituturus, incepit. Cum autem quædam oppida in Etruria à Pontifice, alia vero in Campania à Friderico modo vacante Imperio, occupata comperiret, quæ ad Imperium sive regnum pertinere putaret, nulla Pontificis ac sacramenti sui habita ratione, militibus protinus immissis recepit.* Addantur sequentia, ubi nominatim recensentur plura: & *Urspergensis* narratio. Habere hic locum quodammodo potuit, quod postea à Friderico II. usurpatum est; qui dixit: *se ex primo suo sacramento Imperii jura tueri, & dispersa congregare debere.* Quid ad hæc *Blondellus*? *Per hac*, inquit, *odium Pontificis incurrit, & ab eo excommunicatus est: ergo nihil veri in Romanos & Romanam ditionem dominii consecutus, Romanorum Imperator non secundum esse, sed secundum dici fuerit.* Quid protervius loqueretur emtus mancipatusque curiæ Romanæ vernula? Itane de Pontificiis illis brutis fulminibus, quæ nullo jure, nullo more in sacrosancta Principum capita vibrabantur consuetudine ejus temporis, judicat Theologus Reformatus? Non est leve profecto bonæ causæ documentum ex parte Imperatorum, quod excommunicare eos imo Imperio dejicere illi ausi sunt, quibus nullum ejus rei jus esse aut fuisse unquam, nemo bene sanus negaverit. ne de ipsa serie rerum vitio gestarum aliquid dicam. Quanto æquius est nominari Ottonis fulmen, qui *omnes populos*, *qui à se desciverant*, *proscripsit.* Non enim possunt defendi, qui excommunicationem pontificiam, causam defectionis habuerunt.

lib. XVI. an. 1209.

Sigon. 16. p. 17.

D Fri-

Fridericum ſecundum non Auguſtalia tantum ornamenta Romæ accepiſſe, ſed *Patrimonium*, quod appellitant, *ſua ditione tenuiſſe*, *Jura Imperii & provincias ei debitas ex ſummo ſtudio vindicaſſe*, conſenſu Hiſtoricorum conſtat. ut & illud: *hanc præcipue illi cum Pontifice* diſſidendi cauſam *fuiſſe*. Per diſſidia autem ut priora, ita hæc ipſa, fieri aliter non potuit, quàm ut quidam Pontificis, alii Imperatoris partes ſequerentur. quare & Gibellinorum & Guelphorum certamina dirum in modum per hæc tempora ſæviebant. Quis hic ſanus, etiamſi inter tanta certamina pars Pontificia aliquid Imperio debitum occupaſſet, jus Imperii propterea extinctum, poſſeſſoribus ſtabilitum aſſereret? Quis, ſi Imperator in ipſo recuperandi vindicandique actu morte præventus, aut rebellionibus ac defectionibus debilitatus, abſolvere cœpta non potuit, jus Imperii interiiſſe judicaret? Quis errorem eorum, qui Pontificia anathemata, ut oracula veneranda eſſe perſuaſi erant, vero juri cujusquam hominis præjudicio eſſe debere contenderet? *Blondellus* adverſus hæc omnia, quaſi opertis oculis, excerpit infortunia quædam: *Seditionem*, inquit, *moverunt Romani adverſus Papam; ergo ante ſeditionem Papæ paruerunt, non Friderico.* Quaſi vero Fridericus quicquam Papæ juris conceſſiſſet, *niſi ſalvis jure & honore Imperii & ſuorum regnorum.* quæ exceptio, etiam ſi verbis non expreſſa eſſet, naturaliter ſubintelligeretur; & Friderico tamen ſolennis fuit, apud *Sigonium*. Amplius inſonat: *Viterbium amiſit, & recedere coactus eſt Fridericus.* Scilicet *ut fortior poſtea reſpiraret, in* Suos Rebelles *inſurgendo.* Sicut ipſe, quem teſtem citat, loquitur *Matthæus Pariſienſis*. *Ille* de mutatis fortunæ vicibus & Paparum deſperatione fugaque amplius docere poterit: ille, utut metuens à Pontifice diſſentire, diligentiſſime Friderici apologias & actionem adverſus Pontificem, adeoque jura Friderici conſignat; nec ſine ἐπιεικείας ut cum dicit: Pontificis invectivas *Imperialem epiſtolam, licet PROBABILIA contineret, ſuſpectam reddidiſſe.* ut cum refert: *Dominus Imperator admirans, quod robur Romanorum nimis enervatum à* con-

de regn. Ital. lib. 18. p. 60.

p. 435. edit. Tigur. 1606.

constantia suæ subjectionis debitæ & fidelitatis tam fiducialiter promissæ recalcitravit, permittendo in eundem Imperatorem, Dominum suum naturalem, sententiam excommunicationis inferri in civitate, scripsit curiæ R. Cardinalibus & Senatori Urbis & Romanis. ut cum defectores omnes comparat hominibus temporariis, *qui fortunæ sequuntur serenitatem.* ut cum Landgravium ait *dilexisse Imperatorem, & Romanæ curiæ*, inimicos & æmulos Friderico quærentis, *odisse cavillationes.* ut cum ait, quæsitissimas adversus Fridericum criminationes multos potuisse erigere, *nisi Papales ejusdem Friderici adversarios, avaritiæ, simoniæ, & usuræ, aliorumque vitiorum maculæ coinquinassent.* Sed curiæ quidem Romanæ corruptelas infinitis locis fatetur deploratque. Cur non excerpsit ex *Matthæo* cordata illa testimonia, unde de jure Friderici & injuria Pontificis non obscure constare potuit? Gravissima sunt Regis Galliæ verba, quibus Pontifici respondetur: *Quo spiritu vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo non est major, imo par inter Christianos, non convictum vel confessum de objectis sibi criminibus exhæredavit, & ab apice Imperiali præcipitavit? Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, non nisi per generale Concilium cassandus judicaretur. De transgressionibus suis non est hostibus suis fides adhibenda; quorum Papa dignoscitur esse capitalis.* Et quæ sequuntur, valde consideratu digna. consimili gravitate Sacerdos Parisiensis jussus excommunicationis formulam è suggesto publicare: *Audite*, inquit, *universi: accepi in mandatis, ut candelis accensis, & pulsis campanis in Imperatorem Fridericum feram sententiam solennem. causam autem ignorans, non ignoro gravem controversiam & odium inexorabile motum inter eos. Scio etiam, quod unus illorum alii injuriatur: quis cui, nescio. Sed illum, in quantum se mea extendit potentia, excommunico, & excommunicatum denuntio, alterutrum istorum, videlicet ipsum, qui alii injuriatur, & absolvo injuriam patientem, quæ tam damnosa est toti Christianitati.* Si aliquid ex hac indole hausisset Blondellus, non semper injurias, & facta Pontificum nullo jure nixa, adversus jura Imperatorum allegaret, cum præsertim talia peræque Pontifici-

Pag. 474. Pag. 388. Pag. 589. Pag. 738. Pag. 500. Pag. 635.

bus (quibus ipse tantopere cautum vult) nocere debeant, si suarum in disputando legum memor esse velit. Digna est, quæ legatur apud eundem *Matthæum Parisiensem* disputatio populi Romani, sibi jura Pontifici nullo modo obnoxia vindicantis.

De *interregno* XXIII. circiter annorum non opus erat dicere. Sed, quanto rectius judicaverint ipsi Pontifices Romani, quàm *Blondellus*, manifestum est. *Blondellus* ad abolitionem Juris Imperatorii in ditione Romana, id intervallum retulit. At, non ita sensit Pontifex Nicolaus, qui *à Rodolpho I.* post interregnum Imperatore Electo, *pro vicariatu Etruriæ restituto, Romaniolæ Comitatum poposcit, quem Reges jam inde à Friderico I. sibi in magna contentione retinuerant, cum ad jus Ecclesiæ ab antiquo pertineret*: sicut apud *Sigonium loquitur.*

ann. 1278. l. 20. de regn. Ital. p. 112.

A Rudolpho I. omnibus Austriacis Imperatoribus insolentius insultat *Blondellus.* Rudolphum *nominatim criminatur*, quod *nec Rom. Imperatoris nomen nec coronam à Rom. Ecclesia consecutus, nihil de patrimonio Petri possederit, aut ad successores transmittere potuerit:* tum *quod accepto à civitatibus Longobardicis aliisque in Italia, pretio regni jura infringi passus fuerit.* Sed notum & alibi demonstratum est, Nomen Imperatoris Romanorum & coronam sive Jura Imperii Romani, non competere Imperatoribus nostris per & propter cærimoniam coronationis Pontificiæ, sed per Electionem Principum Germanorum, olim communiter; ab aliquot sæculis, à Collegio Electorali factam. sicut ipse Pontifex publico testatoque diplomate jam Ottonis I. tempore agnovit. Neque obest huic assertioni, quod nonnulli ante coronationem Pontificum se *Reges* tantum *Romanorum* dixerunt, non *Imperatores Romanorum.* Id enim nil juverit *Blondellum*: quia *Rex Romanorum* non minus jus in urbem Romam notat, quàm *Imperator Romanorum.* Deinde nulla necessitate, sed liberrimo arbitrio factum id est ab Imperatoribus. unde, si qua suspicio aut ratio majoris rei se offerret, aliter factum est. Sic Maximilianus Primus in Italiam profecturus, Tridenti titulum Impera-

Ger. de Roo lib. XII. pag. 447.

peratoris Romani, pro Rege Romanorum, assumsit, & publice promulgavit: & in hunc diem optimo maximo jure, nec repugnantibus Pontificibus, Imperatores Romanorum, etiam Romæ non coronati, vocantur. Perpetuo autem liberalitatem & beneficia Cæsarum adversus Pontifices Blondellus, pro abdicatione omnis Juris Imperii, quasi de plano, arripit. Verum nec potuisse vel Rudolphi vel Alberti vel Caroli IV. aut ullorum Cæsarum donationibus, alienari ea, quæ sunt Imperii; neque non reservatum esse summum jus Imperii in Romanos (de quibus *Blondellus* potissimum est solicitus) ostendit, & nobis disputationem ampliorem lucrifecit doctissimus *Conringius* in præcellenti *de Finibus opere cap. XX. & XXI.* Unde etiam corruunt *Blondelliana* carmina in numerum extensa: *Germaniæ Imperatores Romam Romanamque ditionem ab anno 1273. adeuntes in ea ut hospites in alieno vixisse, nullumque in Romanos & circumpositæ regionis populos imperium habuisse, sed Ecclesiæ Romanæ supremum in temporalibus dominium agnovisse: adeoque Imperatores Romanorum nec re ipsa fuisse, nec dici, nisi abusive admodum potuisse.* & quæ plura, non falso minus, quàm cum contumelia eructat. Rectius in Theologia sua ætatem fatigasset, quàm in iis rebus, ubi non potest discernere possessionem dependentem à summo alterius jure, & independentem prorsus: tum intelligere dominium utile, etiam plenum; quod non excludit jus superioris. In primis autem nisi plane voluisset in tenebris micare, debuit requirere *Acta publica & monumenta authentica*, unde Cæsaribus & Imperio disertis verbis adimeretur jus in urbem Romam. Hic Rhodus hic saltus. in quo profecto crus fregerit, vel celeberrimus controversiarum desultor.

In hac confusa sed audaci asseveratione, rursus fraudem commisit *Blondellus* non reticendam. cum enim de omnibus ab anno 1125. Imperatoribus disputationem instituisset, eosque quicquam in urbem Romam aut Romanam ditionem juris obtinuisse, impudenter negasset, postea ad Austriacorum Cæsarum nomen versus, rimam sibi

sibi elabendi reperisse visus est, si omittere posset *Henricum VII. Lucelburgium*, & *Ludovicum Bavarum*, ut omnis Juris Imperatorii, ita in Italiam & Romam Romanosque, gravissimos vindices. ne scilicet cursus ille temporis, quem Pontificibus quasi ad usucapionem contra Cæsares procedere optavit, nimis manifesto interpellaretur. quamquam ne tum quidem, si abessent hæc juris tam potenter exerciti documenta, pervenire, quo vult, posset. Et de Henrici quidem VII. imperio in urbem, de latis per Italiam in victos legibus, factis in reos læsæ majestatis judiciis, exempla sunt omni exceptione majora. in quibus & renovatam *Legem Regiam* à Romanis ponunt; *Urspergensis* supplemento, & *Goldasto*, non omissam. cetera de Imperio in Italiam urbemque Romam candide denarrant *Albertus Argentinensis*, *Conradus Vecerius*, *Aventinus* & alii. *Ludovico* IV. in asserenda Imperii & Juris Imperatorii auctoritate, egregiam navarunt operam Ordines Imperii: neque ejus rei finis est factus, donec veneno parricidiali optimus Princeps è medio sublatus est. Qua de re non historia tantum, sed publicæ disceptationes, in *Monarchia Goldasti*, testimonium dicunt. Quibus addideris *Herwarti defensionem Ludovici contra Bzovium*. In *Caroli* quoque *IV.* historia, etiamsi pro se putet facere *Blondellus* nimiam ejus facilitatem adversus Pontificem, ad summam quæstionis & bonæ fidei pertinet, non dissimulari prius iter Imperatoris in Italiam, ubi *obsequia Italicorum, ipsiusque Romæ* non defuerunt: & posterius iter, ubi Senator Romanus quidam habita ad populum oratione vere ingeminavit; *Ecce Rex Tuus venit.* in *Paralipomenis Urspergensis.* Addendus est *Platina* in *Urbano Quinto*. Ex *quo* etiam observare licebit, circa illa tempora (de quibus loqui cœpimus) *Senatoriam dignitatem* Romæ Imperatoris nomine gestam esse. *Benedictus* enim *Duodecimus Legato* demum *misso Senatui populoque Romano persuasit*, *ut Senatoriam dignitatem*, *quam* DIU REGIO NOMINE GESSERANT, *suis tandem & Ecclesiæ auspiciis administrarent*. Ejusdem *Platinæ* candor & modestia merito suggillare potest *Blondelli* pervicaciam

Pag. 275.

caciam in tuendis decretis partium studio à se factis. Non ille *ἀναρχίαν* Italicam, inter perpetua dissidia, rebelliones, tyrannides (quibus & ipsa Roma usque ad exitium conflictata est) vel ad Pontificum jura adstruenda, vel ad Imperatorum jura destruenda arripit, sed absentiam Imperatoris veram tot malorum causam judicat, jurisque Imperatorii minime dubii præsentiorem usum, ut remedium desiderat. *Interim*, inquit in Innocentio VII, *cum & vero Pontifice & optimo* IMPERATORE *carent Itali: unicuique scelerato peccandi licentia data est.* Fridericum III, Imperatorem loco & ritu solenni Roma agnovit: quando anno 1469. in fungenda publice cærimonia, cum in extremis verbis admonerentur turbæ, ut acceptæ gratiæ memores pro Romana Ecclesia & Pontifice orarent, additum est: Et pro Federico IMPERATORE NOSTRO. describente *Jacobo Piccolomineo Cardinale.* Et in precibus ex *libro cærimoniarum* apud *Goldastum in Politicis Imperialibus*, *idem* observes. Carolus V. Cæsar, quàm memor fuerit Juris Imperatorii, credamus par est *Paulo Jovio. Adventanti Cæsari*, inquit, *tres Pontificis legati præsto fuerunt, ut eum Pontificiæ ditionis fines intrantem sacramento adigerent, quo de more jurare cogebatur, nunquam se pontificiæ libertati vim allaturum.* Ea autem *jurisjurandi formula verbis rite conceptis ex sacris cærimoniarum libris petebatur. Sed Cæsar*, QUI IMPERATORII JURIS APPOSITE MEMOR, ITA JURAVIT, UT SE DE JURE SUO NIHIL DECESSURUM *testaretur.* De hoc tamen Principe, cujus victricia arma Italia expavit, Roma sensit, *Blondellus* fatetur quidem, *quod Pontificem cum tota curia & urbe sub potestate habuerit, Romaque potens fuerit*, sed glossis solitis indulgens addit: *eundem violento & hostili dominatu sponte abdicato, Clementem VII. Papam in integrum restituisse*, id est, ut ipse accipit, omni se Imperatorio jure abdicasse. Neque sufficit. Quid Jupiter Junoni in aurem dixerit, enucleate divinat *Blondellus*; & cur coronatio Italica Bononiæ non Romæ facta sit, impudentissima & conjectura & interpretatione in hunc modum promulgat: à Pontifice 1530. *non Romæ, ne quid realis in Romanos*

Apud Freher. tom. 2. p. 14.

manos subjectamque ditionem potestatis consecutus videretur, sed Bononiæ, urbe Pontificia longe extra fines Romani Imperii Carolini posita diademate redimitus est. Primo, *si quid realis potestatis in urbem, ubi coronatur, is consequi videtur, qui coronatur; quidni ergo Carolus in Bononiam saltem, ubi coronatus est, Pontificiam certe urbem, aliquid realis potestatis consecutus videretur?* vel ex regula, quamquam non ex mente, Blondelli: si sibi consentanea vellet dicere. Deinde, quem horribilis hujus arcani auctorem laudat? An ita conjicere licet de summorum Principum actionibus & consiliis? an conjicere fas est, imo hariolari in iis, quæ dubia esse non patitur historia, & rerum series? Edisserat nobis non somnia Blondelliana, sed rem certam & notam *Historicus Italus: Cæsar multis de causis Bononiæ coronari statuerat, quamquam id antea Romæ faciendum esse decrevisset, ubi superiores Cæsares tanquam in sanctissima sacrorum sede & felici nationum omnium domicilio, urbeque ipsa veteris imperii honore, antiquorum triumphis, & stupendis fortunæ supremæ monumentis longe clarissima, coronas legitimo jure suscepissent. Sed evastatæ urbis & nondum novis commodis sublevata calamitosa tenuitas, & opulentæ supellectilis ornamentorumque penuria Cæsarem avertebant, quamvis Romani ejus spe adventus ab omni tristitia & sordibus ad lætitiam veteremque splendorem revocati viderentur. Erant præterea Cæsari multa opportuno statoque tempore in Germania peragenda.* & quæ plura ibi sequuntur. Et, potestne homo quisquam, cui status ejus temporis non plane est ignotus, credere; Pontificem vel verbulo contradicturum fuisse, si Cæsar victor, & omnibus formidatus, voluisset Romæ coronari? Quisquamne fando audivit, Pontificem ullum suo juri Romano ita voluisse cavere, si Imperatorem Romanorum alibi quàm Romæ coronaret? In eos Imperatores, qui Carolum V. secuti Italiam nunquam ingressi sunt, jam suo jure debacchari videtur posse *Blondellus: nominales Imperatores, Jus Imperatorium, ut merum ens rationis, & ut accidens sine subjecto cavillans.* Imo (quod nemini credidissem nisi oculis meis) eo progreditur Blondelliana rabies in Cæsares, adulatio in Pontifices, ut dicere

Paul. Jov. lib. XXVII. p. 87.

dicere ausit: *Fuerint ergo in præsens potestatis suæ temporalis ac ditionis jure maxime proprie, si titulum illum non aspernentur,* (hui!) *Cæsares, Augusti ac Romani Imperatores, Romani Pontifices: quorum in urbe, olim mundi domina, & prisca Cæsarum sede, totaque circumiacente regione, quæ Carlovingorum Romanum Imperium universum constituit, aliis quibuscunque regibus exclusis, summum Imperium est.* Quid audio? nihil obstat, quo minus Cæsaris, Augusti, Imperatoris nomina sibi vindicent Pontifices, præter fastidium hujus honoris? aspernantur scilicet hos titulos. Quam diverso vivimus ingenio mortales? melius putassem de Pontificibus meriturum, qui dixisset: potuisse eos invadere hæc nominá, nisi modestia obstaret. Faveret huic opinationi historia. Solus enim Bonifacius VIII. cum de Electione Alberti Imperatoris approbanda appellaretur, ea superbia usus est, ut diceret palam: *se & Pontificem & Imperatorem esse.* apud *Gerardum de Roo.* lib. 2. p. 62. ceteri Imperatoribus iniqui, alia & varia causati, eo non excessisse leguntur.

Sed nimis longum est, omnes Blondelli criminationes refellere. Quæ ultro concident, si inania & vana colorum, quos aspergit, abstergantur. I. enim, quod *de loci continua nec interrupta possessione, & honore solii, quasi loco affixi* jactitat: validissime adversus Pontificem, adeoque pro Imperatore facit, quod Pontifices LXX. per annos Romanam sedem, juxta ipsorum dogmata loco affixam & solennem, non obtinuerunt: sed Avenione, tamen pro Pontificibus Romanis haberi voluerunt, & à Blondello habentur. Cur ea hypothesis non æque Imperatoribus prodesset? qua constaret, non in loco esse immotum fixumque jus, quo de sermo est. II. Et sane, contineri jure victoriæ citra dubium videtur potestas transferendæ sedis Imperii, retento priori nomine. Nihil solidi in contrarium afferri potest. Nam argutatio de vocabulis, mille exemplis redargui potest. III. Ita de hospitio & domo, quæ Imperatores Romæ, tanquam advenas receperit, nugæ sunt canoræ, quas conficit Blondellus. An Princeps, qui provinciam totam in feudum

alteri tradidit, neque sibi peculiaria ædificia reservavit, sed in domo vasalli, aut alterius civis ejus provinciæ diversatur, quotiens accedit, propterea omne jus suum in illam provinciam abdicavit aut omisit? An in urbibus ditionis suæ, nemini in beneficium datis, nullum jus habet, si in civis ædes divertit, neque peculiarem domum sibi reservatam ibi habet? IV. Falsum est, inde ab Ottonis Magni temporibus Germanicum Imperium ita Romano opponi posse, ut hoc ab illo divelli queat. Eo ipso enim quod Rex creatur in Germania, est etiam (non Germaniæ tantum Rex, sed) Romanorum Rex, imo jure ipso Imperator, nisi quod interdum nomen Imperatoris differri potuit, sicut apud plures gentes in hunc diem, Reges optimo jure regnantes, ante solennia inaugurationis, non Reges, sed Reges designatos, aut aliter, vocari potuisse constat. Romæ enim, ab Ottonianis temporibus nihil relictum est suffragii aut arbitrii, quo posset denegare nomen Imperatoris ei, qui quo jure actuque factus est Rex Germaniæ, eodem jure actuque nactus est jus Imperatorium, sive factus est Romanus Imperator. Unde &, citra contradictionem, hodieque est & manet Imperator Romanorum, ex quo tempore Roma tenetur sequi judicium Germaniæ. cujus invicti argumenti robur, quàm parum candide silentio prætermittere decreverit Blondellus, supra diximus. Quamquam enim Caroli Magni solium (cujus, & posterorum, ditionem unice in ore habet Blondellus) agnoscunt & tuentur Nostri Imperatores, adeo tamen non est omittenda Epocha Imperii Romani Ottoniana, ut vel sola ea rem adversus criminantium fabulas possit conficere. Qui ergo fatetur, Principes Austriacos à Rudolpho primo fuisse *Germaniæ Reges* (quod additur, seu *Franciæ Orientalis*, censura & explicatione opus habet) eo ipso, *eosdem Imperatores Romanorum* fuisse fateatur oportet. V. In beneficiis & amplissimis etiam privilegiis concessis, *Jus Imperii* saluum intelligitur. Inde ab Ottone Magno (imo ulterius, sed hinc repeti sat est) *formula jurisjurandi* apud *Sigonium* extat,

tat, qua feudatarii jurabant: *se fideles Domino futuros adversus omnes homines*, EXCEPTO IMPERATORE AUT REGE. de regn.It.7. p.176.
Atque ita Fridericus I. anno 1155. *ob B. Petri Principis Apostolorum reverentiam Hadriano Papæ civitatem dimisit Tiburtinam*, SALVO TAMEN SUPER OMNIA JURE IMPERIALI, apudGoldast. tom. 2.const. p.334.
absolvit deinde *Tiburtinos à fidelitate, quam Imperatori juraverant*, & præcipit, *ut venerabili Papæ fideliter assistant, devote serviant, atque sicut Domino suo devote obedire studeant, scientes, à juramento fidelitatis, quod nuper fecerint, se absolutos*, SALVO IN OMNIBUS JURE IMPERIALI. Potuerunt hi Papam *dominum agnoscere*, potuerunt *solvi juramento fidelitatis, illudque Pontifici jurare, salvo tamen jure Imperatorio.* Iterum atque iterum notentur hæc adversus Blondellianas illationes: & simul de reverentiæ in Papam officiis jura Imperatoria non extinguentibus. VI. Parum sibi constat *Blondellus*, & prout in partes sibi invisas aut dilectas incidit, in contraria quasi vento circumagitur. Cum de Balduini & Philippi titulo Imperatorio, & de Renati Andevagensis Carolique filii titulis regiis agit, modeste scilicet philosophatur: *injuriæ succumbere, rebusque propriis exinde carere, infortunium esse non dedecus; vim majorem, quæ regnantium fortunas evertit, nec afflictorum titulos expungere, nec jura in possessiones dominiaque eis ademta abolere; regia dignitate regnique quo exacti sunt titulo, nequaquam excidere, quorum manibus sceptrum violenter excussum est, dominium his, non dominii jus ab æmulis ademtum esse.* Additur: *de titulis Regni Hierosolymitani, & Portugalliæ.* An non vidit, si vici[...] contra Germanos Romanorum Imperatores, quod vo[...] (quod quidem nunquam concedendum est) non minus pro his valitura, quos impugnat, quam pro his, quos tali disputatione tuetur? VII. Immanis prorsus est temeritas Blondelli, ita tandem sibi triumphum canentis: *Tantisper, dum, quid de inveterato abusu statuendum Europa universa putet, expectamus, Austriacæ gentis Principes ullos Romanorum Imperatores reales fuisse, pro jure nostro negaturi* sumus. Itane abusus inveteratus hic est? quorum opera inveteravit? nimirum totius Europæ (& amplius) studio, sensu,

Præf. Apol. XXXV.3.

ſtilo, recepta eſt juris veri & ſolidi ſignificatrix formula: quam vel ſola conſuetudinis tam inveteratæ auctoritas, tueri idonea eſſet. unde magnificum argumentum ſtruit p. 257. & 258. *M. Antonius Dominicus JCtus*, *Aſſertor Gallicus*, pro Regis ſui honore & dignitate, extenſo in longius toto loco ac teſtimoniis referto; cujus eſt initium: *Hac quippe conſuetudine regitur non potentia, ut recte advertit Menochius Philippi II. Regis Hiſpaniæ in Ducatu Mediolanenſi Conſiliarius à ſecretis: Is judicandus eſt*, inquit, *major & dignior, atque ita ceteris anteponendus, qui pro veteri more & conſuetudine ita habitus eſt, & vere hac eſt omnium pæne ſententia. His ſuffragatur Baldus* &c. non enim deſcribere totum locum placet. Sed Europa ſcilicet, quem invexit, abuſum emendabit? ſive potius *Blondellus* Europæ totius hac in re criminator, ad mutandum conſenſum tam diuturnum, ſtilum tam ſtudioſe receptum, Europam impellet ſua auctoritate, & ratiunculis. Efficient illa nugamenta, ut in Concilio totius Europæ, Imperatori noſtro, titulus Imperii Romani abjudicetur, Pontifici adjudicetur. Et quoniam expectavit, dum hoc fiat, cur interim negavit, cur interim privato auſu ſtilum publicum, inceſſere & mutare, id eſt, *adverſus antiquorum torrentem niti*, quod alibi *Chiſletio* objicit, ſtatuit? Hoccine eſt *jus illud*, de quo inſonat: *pro jure noſtro negabimus?* Bona verba. hoc jus nullum eſt, vanum eſt, & ſine cujusquam approbatione, commentitium: ut privatus, auctoritatem totius Europæ, de abuſu accuſet, contra eam excipiat, imo decernat, & æjudicium unus contra omnes (Quiris an Senator ſine fragio?) faciat. Et expectavit ille quidem, ſicut in fabulis

ruſticus expectat, dum defluat amnis.

An reliquit expectationis ſocios? neminem, puto, cui cor ſapit. Nemo Pontifex, nemo Regum Chriſtianorum, Blondellianum conſilium pro bono, ſano, utili unquam habebit. Qui non videt rationes, omnium Regnorum & Principatuum rationes ignorat. Quare ſemper credidi, neque adhuc dubitandi ullam mihi video, vel probabilem, cauſam relictam, de mente omnium Europæorum

& Chri-

& Christianorum Regum : nemo est, inquam, venerandorum & coronatorum capitum, vel etiam de Amicis eorum, qui non adulatorias per artes, sed gravitate & prudentia consiliorum locum in republica suum tenent, cui vel satis honestum, vel utile videri queat, obtrectare Imperatoris Romani titulis & juribus. Quis enim non videt, eorum quidem Regum, qui ceteris potentiores habentur, & cum Imperatore Romano incomparabilem possunt trigam facere, rationibus interioribus prorsus repugnare id contentionis genus; reliquos autem omnibus argumentis ad contextum Europæ & communitatem pertinentibus, à tali proposito longius abstineri? Dictum sapienti sat est, & jam pridem à *sacri* & *Romani* elogio, desinere hæc scriptio tendit in

IMPERIUM.

In hac quoque voce ludos facit *Blondellus*, liberalis scilicet vult videri, si Augustis Cæsaribus nostris 1. nomen *Imperii* & *Imperatoris* concedat, quatenus *Imperium* significet *dominium, nemini in terris obnoxium, sua vi adversus omnem vim nixum*; & quatenus *Germania alias multas ditiones, quæ Imperiale sibi nomen vindicarunt, dignitate ac potentia longe superet.* 2. hac conditione, ne *Imperium* & *Imperator*, absque adjectione; neque cum adjectione elogii *Romanorum*; sed *Imperium Germanicum*, & *Imperator Germaniæ* dicatur. Satis imperiose adversus Imperium & Imperatorem. Sed in mala causa, cum ad sophistarum artes semel confugisset, nihil sinceri aut incorrupti adferre potest, si velit animo suo satisfacere. Quæstio erat de *Imperii* & *Imperatoris significatione antiqua, prima ac primaria* (in hac de Principatibus disputatione) & *constanti usu propagata* absque omni contradictione, dubitatione, mutatione. *Blondellus* affert nobis significationem *novam, heri & hodie natam, secundariam, nunquam pro solenni receptam*, sed paucorum arbitrio vel condonatam, vel relictam. *Imperatoris* enim vox, ex quo constitutæ à Cæsaribus monar-

chiæ accommodata eſt (initio in Cæſare dictatore facto ; in Auguſto, firmato prænomine) ſemper deinde ſignificavit Romanum Principem : non alium ullum. Etiam absque adjectione *Romani* tituli. Per ſe enim Imperator, eſt Princeps Romanus. unde apud *Dionem Cassium*, *ἐκ παραλλήλου* dicitur, *ὁ τῶν Ῥωμαίων ἀρχηγὸς καὶ κράτωρ.* An aliud ſignificavit, cum Carolus Magnus dictus eſt *Imperator*, cum Otto Magnus, eorumque ſucceſſores ? minime gentium. hæc una ſignificatio in ore, in animo fuit usque in hunc diem toti Europæ, & omnibus, quibus res Europæ penitius innotuerunt, ſi pauciſſimos excipias barbare invidos. *Imperator*, inquam, & *Imperium* ſemper ſignificavit Romanum Imperium : & Germanici Imperatores, ii intelligebantur, qui, in dignitatem ejus Imperii, quod Romanum vocatum eſt, ſucceſſerunt. Igitur, ſi vel maxime ſtilum, non animum Blondelli quis ſequens, *Germanicum Imperium*, *Germaniæ Imperatorem* diceret, non aliter tamen, nec alius, ab ullo ſtili publici perito acciperetur, quàm illud regnum, quod Romani Imperii nomen & æſtimationem meretur ac tuetur hactenus, indeque ipſum vocabulum Imperii gerit ; ille Princeps, qui ex jure Ottonum, ritu & ſignificatione vetuſta Imperatoris nomen habet. Cæcus utique ſit oportet, qui non videt, toto cælo diſtare illa : quando *Imperatores* noſtri, citra adjectionem *Imperatores* vocantur ; & quando alii *Imperatores Hiſpaniæ*, *Imperatores Ruſſiæ* (quæ jactantur exempla) appellantur. Hic enim ad alteram illam & novitiam ſignificationem tranſitur : quaſi *Imperii* & *Imperatoris* vox excellentius quiddam ſonaret, quàm regnum, & Imperium id eſſet, quod pluribus regnis conſtaret, aut plurium regnorum viribus reſponderet. Ament hanc ſignificationem quicunque volunt : noſtrum *Imperium*, etiamſi hoc quoque nomine citra omnem controverſiam excellit, altiore tamen auſpicio appellationem ſuam metitur. Sunt hæc celebritatis, gloriæ, honoris nomina. in quibus interpretandis infra tyronem ſapit, qui non animadvertit, quid interſit inter nomen Imperatoris noſtris Cæſaribus debitum.

debitum,& aliis Principibus, ex alia ſcilicet cauſa, accomodatum. Et quamquam loquendi genus unum idemque videatur (ſi dicas Imperator Romanorum, Imperator Hiſpanorum) diverſitas tamen maxima ſubeſt, tum quod altera appellatio auctoritate & uſu publico invaluit, altera eousque non proceſſit ; tum quod celebritas & majeſtas Romani Imperii, ſupra omnia Principatuum elogia aſcendit. Sicut & *Imperator Germaniæ*, ut notare cœpimus, longe aliam vim ſignificandi habet, quàm *Imperator Hiſpaniæ*. Ille enim, nomen Romanorum Principum, ex jure ſæpius declarato,& cum reſpectu illius, gerit : hic, tale jus nec allegare poteſt, nec eandem appellationis originem ullo modo oſtendere,neque denique eandem ſignificationem præferre. Mirari hoc loco lubet, quod nec hodie deſunt, qui ſuadere ſuis Principibus, an obtrudere æmulationem Imperatorii nominis inſtituunt. Nonne dicemus, hos ignorantes verum iter gloriæ, glorioſum putare, quod à magnitudine & gravitate animi, ſummis faſtigiis unice digna, longius devertit. Cur enim imitari ſtudeas,quod non aſſequare ? Fallunt enim & falluntur, qui idem eſſe putant, aut æque magnificum, ſi dicas, *Imperator Britanniæ*, aut *alterius regni*, ac ſi nomines *Imperatorem Romanum*, aut *Imperatorem* absque adjectione. Et hoc poſterius genus, ſicut aliquid excellentiæ oſtentare intelligitur, ita nemo vindicare ſibi volet aut poterit. Quis enim omnium Regum ſe volet abſolute appellari Imperatorem ? Ex quo Cæſarum noſtrorum prærogativa, clara in luce collocatur. De quorum antiquiſſima beneque fundata excellentia, cur nemo Chriſtianorum Principum aliquid decerpere aut diminuere optet, niſi ſuis ipſe & totius Chriſtianitatis rationibus intertrimentum creare velit, magnæ ſunt, & omnibus Blondellianis commentis, & inventis adulationis fortiores rationes. Sciunt, qui publica capiunt. nobis enim non licet eſſe prolixis. Quam agat parum bona fide Blondellus etiam cum Chriſtianiſſimis Regibus, vel hinc conſtat, quod per ſpeciem arcanæ ſcientiæ cordatiſſimis Heroibus affingit animum ab ipſorum indole

dole prorsus alienum, quasi in fovenda Imperatorum nostrorum dignitate & prærogativa, non serio agere, sed *comiter more solito blandiri* voluerint. Scilicet talia blandimenta per tot sæcula, tanta asseveratione alia aliis continuantur?

Sicut autem in *Imperatoris* nomine paratragœdiat Blondellus; ita in *Cæsaris* & *Augusti* vocabulis mira & nova parturit. quæ verbo tangenda sunt, vel ideo, quia Imperii Romani propria hæc elogia censentur. Hæc quoque ut Imperatoribus nostris dubia faciat, non sufficit ei dicere, aliis quoque Principibus ea accommodari posse, sed nescio quæ somniare videtur. *Si*, inquit, *eodem cum Moscovitis, quorum universa ditio extra veteris Romaniæ fines jacet, sensu Cæsaris vocabulum Germanis usurpare libeat, ut quemadmodum Moscovitæ Principem suum (quia latissimum Imperium tenet, in eoque jure vere monarchico, quale Cæsarum in Romania fuit, utitur) Cæsarem non Romanorum, quibuscum illis nihil est negotii, sed suæ gentis ac regionis inscribunt; sic Germani Regem suum, quia late & vere monarchica Cæsarumque in vetere Imperio pari pollet potestate, Cæsarem, suum scilicet non Romanorum, in quos ei nihil imperii est, nemo jure reclamaverit. Sed eadem ratione suum Franci, suum Hispani Regem, quia summo & vere Cæsareo Imperio uterque in ditione sua tremendus eminet, Cæsarem, si quando collubitum sit, verissime dixerint.* Quot sententiæ, tot monstra. Scilicet à Moscovitis Germani exempla & rationem Imperii describendi & nominandi petent: à novitio dominatu, antiquissimæ appellationis interpretatio arcessetur. nam de vocabulo *Czar* Moscovitico, quod Regem significare periti tradunt & sciunt, nolo dicere. Scilicet Cæsar inde dictus & inter vocabula Principatus adscriptus est, quod jura vere regia & monarchica aut amplitudinem Imperii significaret. Scilicet Cæsar Romanorum, e. g. Trajanus Cæsar Romanorum, in Latinis formulis est. Hæc in literis, tali viro nemo condonanda dixerit. in republica vereor, ne multo minus excusare hominem ullus mortalium ausit. An titulos sibi publicos & solennes, Principum quisque, si quando collubitum est, ultro accommodat?

dat?

dat? An si, præter Imperatores nostros, alii Reges, se Cæsares dicerent, id statim idem signaret, eandemque prorsus æstimationem subiret, quam in consuetudine totius orbis Cæsar sonat in elogiis nostri Imperatoris? An credat quisquam, inter assiduos elegantiæ aulicæ profectus, futurum quenquam, qui suo Regi suadeat, ut se *Cæsarem suæ gentis*, aut, sine additamento, *Cæsarem* vocet? *Gerberti*, Cæsarem vocantis Lotharium Regem manifesta ratio est & disertis verbis explicata: *satum Cæsaribus, Cæsarem* poëtico more dixit. *Augustus* & *Cæsar* quid intersit, nec intelligit Blondellus. Facilius quivis Principum *Augustus* dici potest, quàm Cæsar. *Sanctum* enim notat Augustus. nota autem *sanctitas Regum*. Et dicuntur sane sæpius *Augusti*, Principes: sed oratorio fere studio ac more. monstrent nobis exempla, si possunt, quis Augustus eo more, formula, ratione dictus sit, ut nostri Imperatores dicuntur. Reguntur hæc omnia, quæ ad titulos pertinent, usu longi temporis, consensu & suffragatione gentium, auctoritate curiæ. Quæ omnia, inaudita quasi temeritate profanantem *Blondellum* atque conculcantem, si quis ferre potest, ille bono utatur stomacho oportet. Posset illa intemperies uberius exhiberi, & redargui, nisi jam in longius processisset hæc annotatio.

Supererat etiam, ut *Sacri Romani Imperii*, servata in hanc diem divinitus ἀξιώματα singularia, quæ id faciunt longe lateque eminere, paulo accuratius in conspectum daremus: ut quantum instar sit, in Augustali fastigio; in incomparabili Electorum & vere regio splendore, in Principum, inusitata dignitatis & potestatis prærogativa excellentissime florentium, numero & ordine; in Civitatum, validissimi corporis robore & virtute rempublicam sustentantium, illustri collegio: per momenta civilis prudentiæ interiora exhiberemus. Sed expleto hujus scripturæ modo, satis habeo contra obsoletas nænias, novis coloribus imbutas, & temerariis obtrectationum stimulis perarmatas, asseverasse, inconcusso jure & vigore perstare, nostram

F Rem-

Rempublicam ; atque in perpetuum audire & SACRUM & ROMANUM & IMPERIUM.

Iterum autem iterumque volo meminisse lectorem, non constitutum nobis fuisse, ipsum tam nobile argumentum tractare, & quid de singulis partibus disputari possit, in medium afferre: sed unice volumus, quæ petulanter & insolenter à Blondello jacta sunt, repellere. *Contumelias*, inquam, *adversarii refellere, non confirmare Imperii jura*, hæc dissertatio instituit. Multum enim differt utriusque instituti ratio. Ne quis existimet, *virum doctum inclementius à nobis habitum*, non veremur: si quis ipsius Blondelli verba expendat. id quod ab æquo judice, nostro jure contendimus. Tam irreverenter, tam probrose summos Principes incessit, tam contemtim nationi nostræ insultat, ut interdum ne referre quidem intolerandas Germanis & ingenuis auribus injurias sustinuerim. Igitur ne dubito quidem, quin omnes, qui criminationibus responsionem comparaverint, meram moderationem agnituri sint. Quamquam non mea sed Patriæ & sanctissimorum in terris Capitum causa indignanti mihi paratam apud omnes bonos veniam fore, satis scirem.

Corollarii loco adjecta.

I. Quæri potest, an Quintius contra Nabidem tyrannum bene disputet apud Livium (XXXIV, 32.) quando sentire videtur: jus tyranno & invasori, etiam domi pactione cum oppressis quæsitum, adversus tertium parum valide allegari? In illis verbis: *Amicitia & societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope rege Lacedæmoniorum justo ac legitimo facta est. cujus jus tyranni quoque, qui postea per vim tenuerunt Lacedæmone imperium (quia nos bella, nunc Punica nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) usurparunt, sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti.* Et: an hæc causa adversus tyrannum ei prodesse possit, qui jam cum tyranno rempublicam obtinente semel vel aliquotiens contraxit? Et: an potius artificiose dissimuletur jus tyranno post invasionem

nem

nem quæsitum? Placebit hac vice, colloquii causa, Quintium defendere.

II. Masanissa non recte argumentatur in controversia finium adversus Carthaginenses, obtentu interruptæ possessionis apud *Livium* (XXXIV, 61.) illis verbis: *Neque enim, de quo agatur, probare eos posse. per opportunitates, nunc illos, nunc reges Numidarum usurpasse jus, semperque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset.* Intervenerat enim & confessio regis, & terminatio finium à Romanis facta: cui rex facile, qua erat apud Romanos gratia, intervenire potuisset. Aliter & melius de *perpetua possessione*, aut *interrupta* disputat Sulpitius adversus Antiochum, apud *eundem Historicum* XXXV, 16.

III. Legatus Pontificius in conventu Tulnensi, cum pericula Christianis à Turca imminentia, nisi Imperator sineretur vires eo vertere, exposuisset, *Alios*, inquit, *Christiani orbis Reges & Principes in Germaniam oculos habere conjectos, neque àliquid prius moturos, quàm illum exemplo sibi praire videant, qui* UTI PRIMUM INTER IPSOS LOCUM HABET, ITA ET NATIONI PRÆEST, UNDE MAXIMUM ROBUR *hoc tempore sit expectandum. Gerard. de Roo Histor. Austr. lib. VII. p. 274.*

IV. Mercatura, si magna sit, non sordida (ut *Cicero* distinguit) est ubi non dedeceat Nobiles, est ubi dedeceat: si nimirum nulla occasione & more loci invitati, aliorum hominum Mercurio proprie operantium lucra invadere & præripere studeant. Hæc enim ratio dignitatem habere nullam potest. Qui autem fructus suos vendit, mercaturam non exercet.

V. Sacri appellatio, de qua supra paucis actum est, qua de causa Imperio nostro *publice*, sive in *formulis publicis*, accommodata sit, tacente historia, nemo potest *certo & definite* assignare. In quæstione enim facti, ubi deficit testimoniorum auctoritas, non potest scientia dari *ἀναμφισβήτητος*. Supersunt *conjecturæ*, in quibus nemini quicquam obtrusum volumus; sed à quovis doceri optamus. Sicut autem libertas conjecturis magna fortasse debetur,

betur, ita rationum momentis magis aut minus probabiles eas reddi, omnes sciunt. Ex quo genere sit, si quis mentem Principum ex eorum scriptura & negotiorum genio, casibusque temporum venetur, aliorum sit judicium. Cogitabam omnium primo de *Græcorum* consuetudine, cujus æmulatione hoc genus loquendi in Sacro Romano Imperio invalescere potuerit. Sed videbam nihil solidi subesse huic opinationi. Primo enim, illo ipso tempore, quo in usum publice venit elogium *Sacri* Romani Imperii, *Fridericus I.* ab eo genere *Sanctitatis*, quo Græci Imperatores in titulis gloriabantur, sejunxit & distinxit hanc formulam claris verbis: *Sciat ille tuus* (Imperator Constantinop.) *me sanctitatis nomen, sicut arrogans ille canis, mihi non ascribere.* apud *Goldast. tom. constit. un. p.* 286. & eodem tamen tempore, in eadem causa *Sacrum Romanum Imperium* nominat. *ibid. Imperio* adscripsit sanctitatem, non personæ. Quid? an non sancta persona Imperatoris? Est omnino. sed nos loquimur de consuetudine titulorum ejus temporis. multis posset verissimis elogiis honorari, & honorata est aliis temporibus majestas Imperatoria: sed illo quo de loquimur, tempore, Imperatores Imperium vocabant SACRUM, non se. Igitur (quod etiam atque etiam notandum est) formula Græca, ἡ βασιλεία ἡμῶν, ἡ ἁγία βασιλεία ἡμῶν, *Imperium Nostrum, Sacrum Imperium nostrum*, nullo modo id significat, quod *Sacrum Romanum Imperium.* Græci enim illo genere *personam Imperatoris*, Nostri, hoc genere, rem & corpus Imperii, signabant. Græca formula nihil aliud sonat, quàm ut dicimus; *Majestas nostra*, id est, *Nos*; sive *Ego Rex, Ego Imperator.* Unde rectissime *Codini Interpres* illud, ἡ βασιλεία μου προβάλλεταί σε δεσπότην, reddit, adjecta ἐπεξηγήσει, *Imperium meum, sive majestas mea creat te Despotam.* Et quod in *Polychronio* (notum voti genus) vocabulo βασιλείας, Imperii, effertur, *Corippus* Imperatoris nomine interpretatur: *felices annos Dominis felicibus optant.* Nolim ergo diversa loquendi genera confundere aut permiscere. Hæc causa fuit, cur in hac brevitate, supra nihil de Græcorum illa formula dictum est. Sed video nos excludi spa-

ſpatiis ſcripturæ; igitur de Græcorum illo ſtilo & conſuetudine, tum diverſo charactere epiſtolarum, quæ à Noſtris ad Græcos Imperatores (exempli gratia Conradi III.) ſcribebantur, uberrima teſtimoniorum auctoritate, alio loco agemus. Unum addam de *tempore* recepti elogii. dixi ſæculum XII. *unum teſtimonium* poſui. Huic adde *Friderici Primi mandatum, quo Archiepiſcopus ad expeditionem vocatur*, apud *Goldaſt. conſtitut. tom. un. pag.* 276. Et *ejusdem Imperatoris Reſponſum ad Græcos anno* 1189. *pag.* 286. ubi diſertis verbis *Sacrum Romanum Imperium* exprimitur. Sunt hæc teſtimonia irrefragabilis auctoritatis, & omni exceptione majora: unde facile judicabit æquus lector, an tempus initii recte aſſignaverimus, Sed, nunc quidem deſinendum eſt. Spero me ſatisfacturum deinde de partibus argumenti, quod vindicare à quibusdam probris, non tractando exequi, nunc viſum eſt.

VI. *Sigonius* de temporibus Ottonianis (de Regn. It. VII, p. 177.) de concordia Imperii ac Sacerdotii, Imperatoris ac Pontificis, *Utraque vero*, inquit, *poteſtas ſacra erat, & ad Chriſtianam conſervandam rempublicam inſtituta.*

CONDUCTOR CAROLINUS.
ad A. B. caput I. usque ad §. 18.

De ipſa Aurea Bulla judicium Poſſevini præmiſſum examinatur.

APponemus ab initio, loco proœmii, Scriptoris Itali *Antonii Poſſevini Junioris, Philoſophi & Medici Mantuani*, ex *Lib. IV. Gonzagæ*, de Aurea Bulla mentionem. pag. 400. *Dum hæc*, inquit, *Mantuæ agerentur, Germania in pace erat; Cæſari, Electoribus ac Regni Proceribus, quanta nunquam hactenus concordia intercesſerat, ut nullo extrinſecus convelli poſſe crederetur. Nec ea populorum, ſed Domini modeſtia erat; quo turbas ac diſcordias averſante ſubditi ferme omnes conquieſcunt. Itaque Carolus præſentis ac futuri juxta providus, demendas conſternationibus*

nibus gentis causas judicans, legesque imponendas, quibus contentionum semina vellerentur, & aeterna Magnatibus amicitia interponeretur, animum remedio intendit. Longa enim experientia innotuerat, si inter Electores dissidio certaretur, difficillimo bello causam dari, quae reliquum Imperium abriperet. Sic Henricos, Federicos, nec minus se, contumacia exercitos, & victoriam Imperatori suo sanguine quaesitam. Convocatis regni Proceribus, Millesimo tercentesimo septuagesimo sexto (anno quinquagesimo sexto debuit dicere) *de modo dicendorum Caesarum, ordine Principum, Imperii juribus actum est. Sic vetus consuetudo restituta, abusus qui obrepserant sublati, & addita quae communi bono profutura credebantur: idque diplomate cui Bullae Aureae nomen ex rei dignitate impositum.* Non sunt hæc ad historiæ fidem usquequaque exacta, ut omnes vident. Sed memorabilis tamen locus haberi debet, quomodo ista res ad exteros pervenerit: cum præsertim hic scriptor inter eos poni mereatur, qui judicio graviore historias tractarunt. De concordia Electorum, & per hanc universorum Statuum Imperii, bene in judicium compegit, quæ in ipsa Bulla legerat. De causis discordiarum Germanicarum, more Italorum sensit: qui turbas ab Italia in Germaniam proseminatas Germanorum ingenio invidiose solent tribuere. Argumentum Aureæ Bullæ παχυλῶς & rudi admodum Minerva signavit. Interim, quamquam Aurea Bulla præcipue Jura Electorum & Electionis prosequatur, nobilissimum tamen Juris publici monumentum merito habetur, & à plerisque omnibus Lex Imperii fundamentalis laudatur. Quod elogium tamen paulo aliter, ac vulgo fieri solet, explicandum est. Non enim satis accurate dicunt: Lex fundamentalis est, quæ Majestatem Imperii realem complectitur, & quæ tolli non potest, nisi ut una Imperium concidat: Et hæc ad Auream Bullam accommodant. Præterquam enim quod majestatis realis & personalis tales traduntur explicationes, quæ salvis civilibus regulis stare non possunt: etiam illud notandum est, nullam legem talem ferri posse, aut latam esse, quin eadem potestas legislatoria quæ tulit, mutare queat, aut abro-

abrogare, aliamve ſubſtituere. Omnes enim leges quæ deſcribunt formam reipublicæ accidentalem, mutari aut abrogari poſſunt, ſalva manente republica. Ita ſi lata eſſet lex de republica unius imperio adminiſtranda, & hæc procedente tempore abrogaretur, aliaque ferretur de republica per Optimates adminiſtranda, non interiret tamen respublica, quamvis commutata hac lege. Si enim legis fundamentalis nomen ulla in re poteſt locum habere; fundamentalis potiſſimum ea dicitur, quæ deſcriptionem formæ reipublicæ continet. Atque hoc ſenſu jam Aurea Bulla, accurate loquendo, non eſſet prorſus & plene lex fundamentalis: non enim prorſus & plene deſcribit formam & ſtatum Imperii noſtri. Dicatur tamen & ſit *Lex fundamentalis Imperii*, quia ad fundamenta ſalutis publicæ, ejusque ſtatus, quem cupimus perennare, potentibus momentis pertinet; & legibus plenius fundamentalibus i. e. Capitulationibus Imperatoriis, usque in hunc diem ſacratur firmaturque, tanquam verum & fatale palladium Germanicæ Securitatis. De titulo *Poſſevinus* ita locutus eſt, ut ambiguitate ſibi caveret. Poteſt enim *dignitas rei* vel ad ſigilli aurei nobilitatem (quæ vera & hiſtorica ratio eſt) vel ad materiæ præſtantiam referri, quod figura ἐγκωμιαστικῇ etiam cæteri interpretes extulere.

Seligitur materia de conductu Electorum & conductoribus in Aurea Bulla.

Placet cum venia eruditi & Patriæ amantis Lectoris, per modum Annotationis, ad materiam *de Conductu & Conductoribus* aliqua conſignare; & inſcriptionem *Conductoris Carolini* his paginis imponere. Agitur enim de conductu, multis nominibus ſingulari, & à Carolo IV. Imperatore ad certam formulam deſcripto. Rejecerat *Gerlacus Buxtorfius* declarationem hujus loci in humeros doctiſſimi Competitoris ſui: qui tamen in egregia diſſertatione *de ſecuritate & ſalvo conductu*, quo minus ad ſingularia hujus Conſtitutionis Carolinæ progrederetur, itidem fuit præpedi-

peditus. Neque ſane, ut exhauriamus arduum hoc & non unis tricis implicitum argumentum, expectari debet. Annotationem enim, ex hiſtoria, & moribus patriis, & philoſophia civili, non commentarium profitemur. Interea in comitatu *Conductoris Carolini* incedere, & ſuo quodam miniſterio occupari, res plena favoris vel eſt, vel eſſe debet.

Legislator quis fuerit, requiritur.

Ut tota Aurea Bulla, Carolina conſtitutio dicitur, ita hæc pars de Conductu & Conductoribus Electorum, ad hunc refertur auctorem. Latæ autem ſunt hæ leges in Comitiis, ſive (ut ipſis Imperatoris verbis utamur) *in ſolenni curia Imperatoria Noribergenſi, aſſidentibus Imperatori omnibus Principibus Electoribus Eccleſiaſticis & ſecularibus, & aliorum Principum, Comitum, Baronum & Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine numeroſa*: Imperatore *in ſolio Majeſtatis Cæſareæ* reſidente, *Imperialibus infulis, inſigniis, & diademate coronato, matura deliberatione prævia, de Imperialis poteſtatis plenitudine.* Quo tam ſplendido apparatu, mos & ratio legislationis Comitialis in S. R. Imperio uſitatæ, graviter deſignatur & repetitur. Videntur quidem non accurate agere, qui Comitiorum Germanicorum conſuetudinem, inde à Caroli M. temporibus, usque ad noſtra, pari modulo metiuntur. Quanta enim facta ſit in Republica mutatio, nec ſemel, cum non ſinat nos ignorare hiſtoria; ſatis intelligitur etiam, non omni tempore eodem modo ordines & membra Imperii ad leges condendas ſe adhibuiſſe. Et utile omnino fuerit, momenta adminiſtrationis nomotheticæ diſtinctius eruere & proponere, usque ad illam Comitiorum formam, quæ non tantum more ſed jure publico eſt definita. Quod in hoc transcurſu, & hoc loco fieri non poſſe, ſatis apparet. Germanicarum interim ſeu Imperialium legum proprium eſt hoc ἀξίωμα, quod à Cæſare & Ordinibus, in quorum præſentia & adjunctione, Imperatoriæ poteſtatis vis & decus

decus amplius exſplendeſcit, in Comitiis feruntur. Neque quicquam habet Orbis terrarum, quod noſtrorum Comitiorum majeſtatem adæquet. In his *Imperialis plenitudo poteſtatis*, ut Carolina conſtitutio ſæpius loquitur, excelſiſſime viget. Neque probare eos poſſumus qui hanc loquendi formulam ita accipiunt, ut de omnibus aliis Principibus accipi ſolet. nam ſtilus curiæ ſuam interpretationem capit ex forma & conſtitutione reipublicæ. quo fit, ut eodem modo, ſenſu, ad ſuam cujusque hypotheſin, non eodem, diverſæ Reſpublicæ loquantur. Multo minus ferendum eſt, quod dicitur: nihil aliud hoc genere dictionis notari, quàm cum dicitur, *Princeps hoc egit ex certa ſcientia*. Utitur quidem & hac formula Conſtitutio Carolina (*cap. 9. §. 1.*) ſed non ἐν παρέλλήλω. Quin enim poteſtatis legislatoriæ ſignificatrix ſit hæc formula, dubio carere arbitramur. Sed à primo ſuo ortu (in hoc ipſum, quo A. B. condita eſt, forſitan ſæculum competente) an ſemper uno eodemque modo explicata ſit & explicetur usque ad hæc tempora, quæri poſſe, apparet. Neque ſane novum eſt, retineri formulas, alio rerum habitu ortas, ſi qua commode explicandi ratio ſubeſt. Senſus autem diverſos ita quis facile repererit: vel enim ſignificat *plenitudo poteſtatis*, jus vere regium; cum unus proprio jure, ſuopte auſpicio, legem fert: vel, ubi unus ſuo ſimul & aliorum jure, ex more & formula ſtatus, idem facit: vel ubi unus jure regio quidem, ſed ſolennibus curiæ adhibitis exerceri ſolito, conſtitutiones ſancit. nam illum modum, qui nihil aliud, quàm certam ſcientiam præ ſe fert, jam excluſimus. *Scientia* enim errorem in decernendo abfuiſſe; *plenitudo* illa, nihil facultatis decernere volenti defuiſſe, oſtendit. A quibus legum non modice pendet auctoritas: ſi nec per ſub & obreptionem ſuggeſtæ, nec ultra limites poteſtatis legislatoriæ proditæ ſint. Exprimitur utrumque plenius in Caroli IV. confirmatione de Electione R. Boh. apud *Goldaſtum* ann. 1348. *ex certa ſcientia de noſtra Romana Regia plenitudine poteſtatis.* tom. 1. p. 342.

Illud autem notabile eſt, quod in ſolennibus quidem

Comitiis lata est Lex Carolina Aureæ Bullæ, assidentibus omnibus Ordinibus: non autem per omnia ab omnibus Ordinibus vel consultata, vel decreta. Exempla sunt insignia *Cap. 3. §. 2.* ubi Imperator dicit: *se habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, & de ipsorum consilio decernere, & de Imperatoria potestatis plenitudine hac edictali lege perpetuo valitura sancire &c. Cap. 12. §. 2.* cum dixisset, Curiam Noribergæ celebratam, cum Electoribus & multis aliis Principibus & Proceribus, de solis Electoribus addit: *habita cum iisdem Principibus Electoribus deliberatione, & de eorum consilio, pro bono & salute communi cum dictis Principibus Electoribus tam Ecclesiasticis quàm Secularibus duximus ordinandum &c.* Ita enim plenius habet *Editio Goldasti & MSC. noster Codex.*
p. 385. Ad quem locum Limnæus etiam ita annotat: *quanquam hac indicta curia solenni in qua cum Electoribus multi alii Principes & Proceres præsentes fuerunt, constituta sint, non tamen cum illis omnibus, sed cum Electoribus tantum deliberata & constituta deprehenduntur. Consensu Statuum tunc Bullam promulgatam fuisse, extra dubium versatur: omnia autem ejus contenta à cunctis Statibus deliberata fuisse, ipsius Bullæ testimonia negant.* Ita in Ludovici Bavari Diplomate quodam 1342. legitur: *sicut hoc jus cum consilio Electorum ad bonum commune, statuimus & ordinavimus.*

Species hujus conductus singularis designatur.

Conductus (utendum enim est voce Legis, de qua agitur) securitatem meandi & commeandi notare solet. Qui vel debetur ex jure naturæ, vel ex jure gentium, vel ex jure civili. Ex jure naturæ debetur hæc securitas omnibus iis, quibus commercium seu communicatio aperte vel tacite concessa est. an vero solenni comitatu armatoque, aut vigore morum & disciplinâ reipublicæ citra apparatum tutelarem præstetur, hactenus nihil interest. Jus gentium his iisdem vestigiis incedens, consuetudines

nes inter populos peperit, non ſine diſcrimine & gradu, ſicut exempli cauſa in ſecuritate legatis, fœderatis, ſociis, hoſpitibus præſtandâ, apparet. Jure Germanico publico conductus legalis non unius generis, per conſtitutiones Imperii & uſu atque obſervantiâ, deſcribitur, & Solennibus certis informatur: deſumtis ex ipſo naturæ & gentium jure, atque adeo ex æquo & bono, rationibus, & ad tempora ſtatumque Reipublicæ accommodatis. Atque hic duplex occurrit conſideratio. Spectatur enim conductus vel ex neceſſitate officii, vel ex facultate privilegii ac prærogativæ. Neceſſitas officii illuc ſpectat, ut civium quilibet eos, qui Reipublicæ ſumma negotia tractant, ejusque rei cauſa meant commeantque, adjutos, defenſosque, quantum poteſt, velit. Sicuti & in arctiore fœdere, ſocii fœderis ad eadem officia obligati cenſentur. Electores autem Principes, in apice rerum conſtitutos, & ad providendum, ne quid reſpublica detrimenti capiat, lege publica inſtructos, in maximo omnium & ad ſummam reipublicæ pertinente negotio verſari, quando Imperatorem eligunt, nemo ignorat. Sua igitur quemque civem pietas, ad conferendam opem, qua ſecuritati tantarum & rerum & perſonarum proſpicitur, in itu, in reditu, in loco negotiationis, in neceſſitatibus & apparatu & ſubſidiis actionis, ultro ſolicitat. Hujus debiti exactor eſt, Conductor Carolinus; ſeu Conſtitutio Aureæ Bullæ: eo ſeverius, quo major eſt negotiorum neceſſitas. Unde & ad conventus publicos, curias, comitia, euntium munitior eſſe ſolet ſecuritas, & conductus ſolennior. Quemadmodum autem præcipue neceſſitatem officii Imperio debiti, in conductu Carolino ſpectari, vel horribilis ſanctio, argumento eſt; cum privilegia, honores, prærogativæ, jura, non ſoleant ita ſanciri, ut non utendo iis tam atroces pœnæ incurrantur: ita per conſequentiam in deſignato ordine & executione conductus, reſpectus eſt juris vel mediate vel immediate conducendi per ſuum territorium & loca ſuæ ditionis. Ne ſcilicet inter conductores, occaſione officii tam neceſſarii,

Reform. Frid. 3. an. 1442. §. 8.

lites suboriri possent, fieri voluit Legislator hunc conductum, sicut alia, ad omnes quidem Imperii Cives Statusque pertinentia negotia, sed modo & ordine, qui Imperii contextum, ex consuetudine & Lege publica decet juvatque, exequenda. Exemplum peti potest ex constitutionibus Pacis Publicæ, quibus hactenus Conductus Carolinus comparari potest. ad eam enim tuendam vocantur ex necessitate officii Imperio debiti, omnes, non tantum Immediatorum Statuum honore gaudentes, sed etiam quibus Mediati obsequii gloria relicta est: secundum necessitudinem tamen & respectum juris & gradus cuique competentis, auxilii ferendi consuetudo describitur. Quâ de re amplius mox dicendum, & simul de argumento immedietatis, quam vocant, ex conductorum denominatione peti solito, aliquid monendum erit.

Cæterum in hoc Conductu Carolino non securitas tantum præstanda spectatur, sed etiam rerum necessariarum facultas & parabilis copia exigitur. sine qua, ne obtineri quidem finis legislatoris posset, qui vult hoc iter Electorum sine omni impedimento, aut difficultate, in expedito constituere. cap. 1. §. 5.

Quantum autem discrepet singularis hic conductus, ab aliis conductibus, per singula membra hujus annotationis, in sequentibus ad extremum patefiet.

Conductores qui & quomodo describantur.

Conductores, ad exemplum accuratæ legislationis, describuntur 1. *ex Statu & conditione sua.* 2. *ex situ & loco.* 3. *ex nominibus.* 4. *ex habitu animorum.*

In *primo* genere, omnes, qui membra & cives Imperii Germanici haberi solent & possunt, ponuntur: *Electores*, Coëlectorum suorum Conductores, *Principes*, *Imperii Vasalli*, *Comites*, *Barones*, *Milites*, *Clientes*, *Nobiles*, *Ignobiles*, *cives*, *& communitates castrorum*, *civitatum*, *& locorum sacri Imperii universa.*

Hic ante omnia dubitatur, an de Immediatis tantum Statibus sermo sit, quibus scilicet territoria & jus conducendi

cendi tribui videtur? Quod quidem negandum esse, ostendit res ipsa, ut supra cœpimus dicere. Necessitas enim conducendi, ad omnes pertinens, qui membra Imperii vel mediate vel immediate, ut solemus loqui, habentur; non autem honor & jus conductus, præcipue hic spectatur. Quare & Civitatum Mediatarum diserta habetur mentio. §. 12. primo inter Conductores Electoris Trevirensis nominatur Archiepiscopus Elector Moguntinensis: deinde ex civitatibus subjicitur *Civitas Moguntinensis.* Ita §. 14. inter conductores Electoris Saxoniæ nominatur Civitas Erfordia: quæ, quo minus inter Mediatas Civitates haberetur, nec in Camera Spirensi, nec apud alios efficere potuit auctoritas hujus loci in A. B. Satis enim apparet, designationem Conducentium fieri, magis ex ratione itineris & loci, quàm ex statu & conditione Mediatæ vel Immediatæ subjectionis. Quando enim dicunt, jus conducendi esse argumentum Superioritatis territorialis, sive cohærere juri Superioritatis & territorii; exceptiones quidem in obvio sunt, quoad eos, qui jus conducendi in alieno territorio, vel vi servitutis jurisdictionalis, vel pacto, habere possunt: neque tamen de cetero statim ex conditione Mediati Status, in Immediatum migrant, qui conducere jubentur. Ita dici posset, si jus potius, quàm onus & necessitatem conducendi velit quis urgere: civitates mediatas vocari ad conducendum non jure proprio, sed jure sui Principis: ut executio tantum ex ordine & consequentia loci, juxta consuetudinem, significari intelligatur. Ad omnes, qui membra sunt Imperii vel mediate vel immediate, onus & necessitatem conducendi pertinere, quod jam dictum est, tota constitutio de conductu declarat, & illa verba §. 3. de *Victualibus* vendendis ac sufficiendis, dubitari non sinunt: quippe cum & civitates communitatesque omnes & earum cives ac membra obligentur; sitque ea hujus muneris obeundi natura, ut ad Immediatos restringi se nullo modo patiatur.

Vocantur ergo, quod ad statum & conditionem con-

ducentium attinet, omnes sine exceptione, quorumcunque operam *Locus & situs* (hæc enim *secunda* descriptio est) Electoriis ad Electionem itineribus tutandis necessariam & commodam facit. Quod quidem verbis legis adeo est explanatum expressumque, ut dubitandum non sit, quin omnes, quicunque ab Electore super priorem numerum constituto aut constituendo appellarentur ex locorum pertinentium conditione, obligentur conductum Carolinum præstare, pari necessitate ac illi, qui nominatim exprimuntur. Ratio enim legis, ex necessitate officii Electoribus ad Electionem proficiscentibus præstandi, nullas exceptiones patitur. Illud deliberationis est, an quotiens in statu Statuum aliquid mutatur, etiam lege publica id significandum decernendumque sit: præter mutationem ipsam scilicet, ejusque formam. Rei ipsius necessitas non potest allegari, sicut diximus. superest consilii voluntas, si quis existimare velit, conformari ad eundem habitum legalem (si licere potest nobis ita loqui) debere, quæ sunt ejusdem ordinis gradusque. Verum ubi juri Statum spectanti prospectum est, expectatio specialium & solennium indifferens haberi, nisi peculiaris causa obstet, potest.

Laudari interim jure optimo meretur Imperatoris diligentia, qui (ut *tertio loco* posuimus) non describit tantum conductores, sed nominat: cum repetitione obligationis generalis, à qua *ad singulares conductus & conductores, pro regionum & locorum adjacentia cuilibet magis aptos designandos*, proceditur. Unde satis constare potest, si qua mutatio rerum & locorum fieret, Electoribus liberum esse, magis *aptos conductores* eligere. Causa enim hujus conductus perpetua est, & ad omnia tempora hominesque, ut ante dictum, pertinet.

§. 9. Putamus autem in hac nominum illustrium recensione, multum latere, de notitia Imperii, ejus præsertim temporis. Sed, pro ratione instituti, licebit nobis ex multis pauca decerpere.

Primo igitur, nollemus quærere, cur Electorum, ut Electo-

Electorum, in hac enumeratione non fiat mentio. Lex enim secum ipsa conferri, & ex se ipsa explicari debet. Quod cum fiet, apparebit, ab initio constitutionis valide & signanter in hoc conductu Electorio obligari *Electores, ad conducendos Coëlectores suos.* Conductor Carolinus Electores conducit, non modo, ut civis & pars Imperii est, sed vel maxime ut Elector est. Electorum enim concordiæ frustra caveretur, si à Coëlectoribus quicquam conductui adversum oriri posset.

Quod ad ordinem attinet, Bohemiæ Regem primo loco nominari, videmus. nec putaremus causam à singulari, & notissimâ de cetero, erga Bohemos benevolentia, repeti debere, sed temporis & personæ, hunc ordinem non fuisse modo, sed esse debuisse. Imperator ipse fuit Rex Bohemiæ. quæ causa stilo curiæ pro omni ratione sufficere potuit.

Inter conductores Archiepiscoporum Coloniensis & Trevirensis, appellatur etiam, *de Limpurg* (*§.* 11. & 12.) qui infra (*cap.* 27. *§.* 6.) *Vicepincerna de Limpurg*, exprimitur. ubi non possis probare interpretes, qui de suo addunt vocabulum *Baronis.* Quod in textu non dicitur. Imo in hac de conductu materiâ, quin appellatio *Comitis* huc quoque pertineat, nulla dubitandi ratio reliqua est; nisi velis omnes sanæ interpretationis regulas subvertere. Ergo, quando hæc enumeratio singulorum conductorum confertur cum illa generatim facta, non recte dicitur: *fieri hic tantum mentionem Principum, Comitum, Baronum, Civitatum.* Dicendum potius videtur, *nullam fieri hic Baronum mentionem.* Enumerantur *Comites de Isenburg, de Westerburg, de Runckel, de Limpurg & Falckenstein*: ubi nulla apparet ratio, cur Limpurgium, Comitibus præcedentibus & insequentibus, sine mutatione prædicati, lex inseruisset, nisi pro Comite habuisset. Neque inter auctoritatem legis, & interpretum, dubitatio longa est. Ab officio designabatur Illustrissima hæc familia plerumque (sicut in ipsa A. B. bis factum est) sine elogio dignitatis generalis. Bis tamen & in hac constitutione exprimitur dignitas generalis

r[illegible]omitum, & in aliis monumentis publicis au[illegible]enticis. At, qui ſecure multa deſcribunt in jure publico, ut ſuas ſententias paribus fulciant auctoritatibus, poſtulandum eſt. Si enim quis velit forte dicere; *In Catalogo membrorum Imperii ampliore, inter quatuor Barones referri*; jampridem viri uſu rerum periti demonſtrarunt, nullam eſſe ejus catalogi αὐθεντίαν, ne dicam, illas arithmeticas appellationes, ad conditionem & qualitatem Status, appellationibus talibus alias notari ſoliti, non referri ſtricte & accurate, ſed alias comparandi rationes ſpectare. Videntur autem interpretes ſuæ opinionis & appellationis, quantum ad *Baronem*, inde occaſionem arripuiſſe, quod Pincernis de Limpurg, elogium *Semperfrey* tribui ſciebant. id cum Baronis vocabulo converti crediderunt. At non ita argumentari nos poſſe, vel illud indicio eſt: quod Comites Weſterburgenſes, quos nunc Lainingenſes repræſentant, etiam *Semperfrey*, ſive *des H. Reichs Semperfrey* dicuntur: non certe ex reſpectu Baronatus cujusdam, ſed altiore auſpicio. Non eſt ſcilicet novum, titulum à principio excellentiore modo ſignificatuque deſtinari alicui: qui poſtea in plures, nec eodem modo, pro diverſitate temporum vulgatur.

Dum de elogio Semperfrey loquimur, liceat nobis, cum bona æqui Lectoris pace, ponere conjecturam, de titulo *Waltheri de Sepf.* Hunc enim Pincernam Imperii anno 1213. fuiſſe, *Goldaſtus in Statutis*; & ex eo *Limnæus* (*ad cap. 27. §. 6.* A. B. *obſervatione* 11.) refert. Atqui nulla noſcitur hujus nominis familia. Putem ergo, ſcriptum fuiſſe: *Schenck Walther Semperfrey*; ſive per compendium ſcribendi, *Sēpf.* Judicet quisque quod volet.

Ipſa vox *Semperfrey*, ſicut in hunc diem non ſatis explicata & documentis hiſtoricis illuſtrata eſt, ita etiam *Baronum* quoque appellatio, non in omnibus momentis ad liquidum perducta eſt. *Barones* aliquando ſplendide uſurpabantur, ut *Comites* ſub ſe comprehenderent. Illuſtre eſt diploma Principum Imperii Electioni Ottonis IV. Imperatoris faventium, apud *Goldaſtum*, anno 1200. in cujus

jus

jus principio, & medio, in summam, ponuntur, *Principes & Barones Alemanniæ*, qui elegerunt, & electioni consenserunt; & *Principes ac Barones*, *à tam rationabili electione discordes*. Et in subscriptione, *Henricus Comes de Kuke* nominatim exprimitur. Sed tempore Aureæ B. scriptæ distinctis jam gradibus *Barones* infra *Comites* noscebantur, sicut ex tota constitutione clarissimum est. Disparitatem tamen postea aliquam mansisse inter Barones, ratione Familiarum & Officiorum & publicæ præcedentiæ, plerique omnes annotant. in eo tamen non satis caute agunt, quod Baronum nomen inculcant, ubi authentica monumenta id non habent, sed vel *Domini*, vel *Officii* nomine; vel, ut supra dictum est, elogio *Semperfrey* utuntur. Ita cum *Paurmeisterus* in recensione Statuum, in Comitum seriem refert, *die Reussen*, ex vulgari potius errore, quàm ex authenticis documentis, addit *Barones*. *Domini* enim nomen, quod authenticum est, non statim in *Baronem* verti potest. Ex *Paurmeistero*, jam *Reinkingius* hanc annotationem format: *Quidam ex Baronibus, quales sunt Limburgici, Waldburgici & Russi, quibusdam præferuntur Comitibus, ut videre est apud Paurmeisterum.* Quamquam quoad Limpurgicos cautius egerat Paurmeisterus, ita expresso nomine: *Limpurg Semperfreyen*, absque Baronum vocabulo, quod aliis addidit. nisi quod elogium illud cum Barone ἐκ παραλλήλου dici, vulgo creditum est. *Limnaus* autem inter utrumque vult quodammodo incedere, *In specie autem*, inquiens, *quod Limburgenses attinet, responderi etiam potest, illos facilius Comitum titulo ornari, vel sub eo comprehendi posse, cum non sint simplices Barones, sed Semperliberi, nec non Officiales Imperii, Erbschencken, atque à nonnullis, eos quibusdam Comitibus præferri, annotatum fuerit.* De *Baronum* voce sumtam, non demonstratam opinionem diximus. Et Officia illa Imperii hæreditaria, sicut illustrissimam & quodam modo incomparabilem prærogativam merentur; ita Baronis nomen, si in Familia hæreret, aut hærere authenticis monumentis probaretur, per se non extinguerent. Hæc in loco & occasione non præterire voluimus: parati, alia tem-

tom. un. p. 287.

de jurisd. lib. 2, c. 1.

l. 1. class. 4. c. 15. n. 55.

addit. ad lib. 4. c. 5. p. 417.

H poris

poris & ſcriptionis opportunitate oſtendere, quàm ſint multa, quæ apud Scriptores Juris Publici, & Genealogicos, ex vulgi potius opinione, quàm ex authenticis ad fidem faciendam monumentis petuntur.

Dum *Electores, Conductores*, nominantur; non additur Titulus muneris Electoriæ cujusque dignitati connexi: ſed quando *Electores conducendi* deſcribuntur, apponuntur elogia *Archicancellariorum*, *Archipincernæ*, *Archidapiferi*, *Archimareſchalli*, *Archicamerarii*. De conducendis enim Electoribus, ad illud munus obeundum, quod Imperii totius ſalutem capitaliter ſpectat, præcipue laborat conſtitutio: ut conductores ipſi quoque alter alterius ſint, ex conſequentia & ſucceſſu negotii ſtatuitur. Ibi monſtrantur: hîc jubentur. Ibi in excellentia ſuæ dignationis & muneris incedunt: hic in pari cum ceteris conductoribus officio, ſalvis de cetero perpetuis prærogativis, collocantur.

§. 5. & 6. Deſcribuntur amplius Conductores, ab *affectione animi*. id enim *quarto loco* poſuimus, ſi forte diſcordent vel Electores conductores ab aliquo Electore conducendo, vel ceteri Principes. Reſpexit legislator ad mala priorum temporum, quæ ex propinquo in oculis erant: cum Germania diffidiis Ordinum & privatorum undique inquietaretur & turbaretur. Et fatendum eſt, diffidendi non conſuetudinem modo ſed licentiam, in Germania iſtis temporibus fuiſſe juſto familiariorem. ſicut ex cap. XVII. A. B. licet animadvertere. Cum autem fas ſit, privata odia publicis utilitatibus remittere; ad hanc autem patriæ debitam quidem voluntatem, non omnes ſponte inclinari poſſint; neceſſitas legis, & ſeveritas ſanctionis, adjungenda fuit, ne quid de utilitate publica, omnium maxima, deperiret. Facit huc aliquo modo, §. 4.

Conductoris Carolini officium conducendis debitum.

Id continetur, uno verbo, *conductu*. & quidem, *absque dolo, & contradictione* præſtando. Si per ſingularia nomina

mina evolvendum eſt hoc officium ; Lex ipſa in duobus ponit : *Non lædere ; & ſecuritatem præſtare.*

Læſio conſiſtit in his, ſi 1. *hoſtiles cuſtodiæ tendantur, ſeu inſidiæ parentur.* quæ videantur ἐκ παραλλήλου dici : niſi quis velit habere veriorem expoſitionem, ut *hoſtiles cuſtodiæ* referantur ad vim apertam ; *inſidiæ* ad vim occultam. In Germanico textu : *Wer eym Kurfürſten ſyntliche Hude vermacht, oder ſich vermiſſet Lage zu legen. Hoſtiles cuſtodiæ tendi*, hoc loco videntur, ſi armata manus iter facientibus ſe objiciat, eosque, ut hoſtes repellat, progreſſuque prohibeat. *Inſidias* tum eas intellexeris, quæ graſſandi prædandique animo, tum quæ vindicandi & inimicitias exequendi propoſito fiunt. *Weglagerung, und Verwartung.* utraque enim res ſecuritati adverſatur : quæ quo ſanctius in conductu Carolino munitur ac deſcribitur, eo majorem facit talis criminis atrocitatem. 2. ſi *invadantur* Electores aut eorum Legati *in perſonis aut rebus.* Germanicus textus ita explicat, ut *invaſio in perſonis*, ad honorem, famam, exiſtimationem ; *in rebus*, ad corpus & bona referatur : *oder ſye oder etliche mee vnder yne an ſin Ere oder ſiner Lude Lip oder Gut anegriffet.* Ita in *Goldaſti Statutis.* Ut *Receſſibus Imperii* præfigitur, totus textus ita habet : *feindlich erwarten, oder vvas thætlichs vvider ſie, ihrer einen oder mehr, fürzunehmen, ihr Perſon oder Güter anzugreiffen.* Quæ quidem verba, *hoſtiles cuſtodias* & *inſidias*, ut ἐπεξηγητικῶς conjunctas interpretantur. ſed vetuſtior textus Germanicus, ut Latino propior in his, ita ad pleniorem ſecuritatis deſcriptionem aptior videtur. Quod autem *invaſionem in perſonis & rebus* attinet, noviſſimus textus Germanicus, Latinum κατὰ πόδα ſequitur : vetuſtior autem non alienam *honoris & famæ* mentionem habet. illud dubitatione dignius eſt, quod *invaſio in corpore & bonis* ad Legatos tantum Electorum, non ipſos Electores refertur. ad pleniorem ſenſum exprimendum faceret, ſi verba ita concepta eſſent, *an ſin oder ſiner Lude Ere Lip oder Gut anegriffen.* 3. ſi conducendi *turbentur.* Germanice, *anbetrüben*, ſive *beleydigen*, utraque verſio reddidit. Quibus vocabulis, omnis

 oſten-

offensio, & læsio notatur, valido in supplementum significatu, cum, post unam & alteram speciem, quicquid impedimenti, injuriæ, offensarum non enumerat, universum intelligendum datur.

Sicut hæc plenissime accipi debent, ita etiam *Securitatis præstatio* omnibus numeris absoluta & quanta in Conductoris vires & industriam convenire potest, sancitur. Securitas præstari potest commeantibus; vel disciplina reipublicæ, vel auctoritate imperantis, administrantisve, vel armis, seu armata tutela.

Disciplina reipublicæ securitas conficitur, ubi vel sensus vel sermo ille vere obtinet: *Per limites mei imperii aut administrationis, nemini iter facienti periculum est; didicerunt mei, vi abstinere, pacem publicam revereri.*

Intervenit autem Imperantis administrantisve *auctoritas*, cum minister publicus, e. g. buccinator, aut alius, conducendo additur; non qui vim propulsare manu, sed conspectu & significatione auctoritatis ac potestatis Heri sui, paratus instructusque sit. Idem de *Literis*, Ejus, qui Securitatem præstare vult, nomen aut sigillum aut utrumque præferentibus, sentire ac dicere fas est. Quo & alia symbola, cippos, pilas, picturas, eodem significatu prostare solita, retuleris.

At *armati conductus*, inter gentes usus est, *vel* ubi probabiliter non desunt, qui ab injuriâ commeantium, nisi vim metuant, temperare vix solent; quod pro ingenio nationum locorumque facile dijudicatur: *vel*, ubi ex magnitudine negotii, certioris præsidii causa, sive ad majorem securitatem, quasi ex abundanti, aut honoris etiam causâ, armati conductores adjunguntur.

Conductor Carolinus, qui *conducit* Electores sive *conductum præstat* Electoribus ad Electionem tendentibus, ut constitutio hæc postulat, armatus est. Ne enim sine armis hoc officium obiretur, pericula priorum temporum, oppositæ hostiles custodiæ, structæ insidiæ, monuerant. Venit in partem consilii, proclivis ad diffidendum circa tale negotium, & in transitu rerum, aut ubi Princeps non

sumitur,

ſumitur, ſed quæritur, occaſio. Tum, quia non ornamenti tantum ſed & præſidii cauſa, ipſis Electoribus armatus comitatus, non more ſolum ſed & lege præſto eſt; conductor Carolinus præſidium præſidio præſtat, & vires firmat viribus.

Modus & numerus armatorum, quibus conducendi ſunt Electores, ſecuritatis fine terminatur. Itaque pro temporum & periculorum opinione, augeri debet. Quod facile eſt factu Conductoribus, cum quibus nemo eſt, quin ſociare operam teneatur. Adeo quidem, ut, ſi nominatim conductoris alicujus vires aliquo caſu non ſufficerent, ex non nominatis, ut quiſque loco & opportunitate proximus eſt, advocari poſſe, & ad ſubſidium ferendum teneri, ipſo legis hujus vigore, vix dubitatio detur.

De *præbendis Victualibus*, hujus conductus lege etiam caveri, jam ante cœpimus dicere. *Cui* convenit hoc officium? Non aliis potius quàm *conductoribus*. quæ vox apud Latinos ſequioris ævi etiam pro *hoſpite*, ſicut *conductus* pro *hoſpitio*, accipitur. collegit exempla ad *Sidon. Apoll. lib. 5. ep. 17. Jo. Savaro*, & ex eo deſcripſit quædam *Georg. Erhard* ſive potius *Michaël Caſpar Lundorpius, ad Petronium.* In verbis equidem Conſtitutionis exprimuntur *omnium Civitatum Cives & Communia*, *Bürger und Gemein*, ſive *die Bürger und Gemeinen aller Stadte.* Ergo Conductor apud ſui quidem territorii Civitates & cives hac de re proſpiciet conducendis: in omnibus autem territoriis, idem omnes facere tenebuntur, quoſcunque ad conducendi operam & miniſteria teneri, ſupra dictum eſt: quibuſcunque nominibus appellitentur. Et ſunt ſane in ipſius Legis anterioribus articulis poſita nomina, quæ neminem excludi patiantur. Quanquam autem *Cives & Communia Civitatum* multa ſuo complexu continere intelligantur, ſi quis tamen ſpeciali & ſolito fere ſignificatu malit accipere, ratio manifeſta eſt ex eo, quod in tali itinere, opportunitates Civitatum inprimis quæri, moris & conſilii ſit. Neque minus tamen obligationis univerſalitas manet, ſi extra ordinem in pagis aut vicis, aut quibuſcunque locis

p. 364.

p. 551.

hospitium desideratur. Sicut enim electio locorum conducendis libera relinquitur, ita hospitale officium ad eum modum, non adstringi sed extendi censetur.

Quid autem debent præstare ex hoc officio? *Victualia* nominantur. Qua voce, non minus ac alterâ magis Latinâ, *Victus*, significantur non tantum, quæ ad cibum potumque & vestimenta, sed etiam, quæ ad stramenta, habitationem, ministeria, medicamenta, curam denique cultumque hominum & jumentorum pertinent. Id quod adjectâ hîc *necessitatum* voce amplius declaratur. *Kost und Liefferung, nach aller ihrer Nothdurfft.*

In quantum & quomodo tenentur præstare? *Vendendo & vendifaciendo*, inquit Bulla. & quidem *in communi pretio atque cursu.* Illud *vendifacere*, etiam complectitur illam magistratus & Principis auctoritatem, quâ de singulis cogi possunt nonnulli, ut res aliquas, necessitatibus scilicet Electorum & Electoralium Nuntiorum explendis, & vendant, & communi pretio vendant: quas alioquin in alia tempora & pretia reservaturi erant. Imo hæc necessitas vendendi, ab ipsa Lege omnibus videtur imponi, in quantum opus est: executio autem rei iis demandari, quibus jubendi & administrandi jus est. *Pretium commune*, addito vocabulo *cursus*, *nach gemeinem Lauff und Werde, in gemeinem Kauffgeld*, ita accipi debet, ut non illud pretium modo intelligatur, quod *currens* appellatur, & *taxato pretio* opponitur: sed etiam *taxatum lege pretium* includatur. quod non desinit esse commune, quia à lege taxationem accepit: cum legislator in dubio credatur communem peritorum æstimationem sequi, & plerumque in favorem ementium pretium definire. Si tamen constet, ex certa causa, & quasi extra ordinem, taxationem commodo vendentium factam; dubitationem vix habet, quin hæc constitutio, ad favorem emtoris reduci hoc negotium velit.

Ultro autem intelligitur, etiamsi non moneatur, etiam de publicis cellis, penuariis, horreis, erogari victualia æquo pretio debere, si privatorum hospitiorum commodi-

moditas aut copia, pro conditione locorum & temporum, necessitatibus commeantium ægre sufficiat.

Et quoniam Legislator, vendentium victualia aut procurantium, damnum non desiderat, iniqua tantum lucra & morositatem arcere contentus, aucta subito & inevitabili aliquo casu rerum pretia, pro currentibus & communibus haberi non desinunt, quatenus minoris res vendi citra damnum venditoris nequit. Si autem ex vicinia leviore pretio possint res necessariæ in locum transitus aut hospitii comportari, duplex videtur quæstio oriri: *primo*, an is, qui de Victualibus requisitus est, debeat pati, ut vicini forum tunc liberalius instruant, suasque merces minore pretio distrahant, quàm cives & communitates talium locorum, suas possent vendere? *deinde*, an ipse requisitus vel requisiti debeant aliunde, si id facile fieri potest, ultro advocare aut congregare, melius, quàm de suis, emenda? Ad utramque humanitatem & diligentiam hospitalem, si citra præjudicium cujusque Civitatis privilegiorum expediri potest, Bullam invitare, non etiam cogere, forte dixeris. Quod autem, si id omittatur, *fraudem*, in omni hoc negotio exclusam, conductores videantur commisisse, nemo sustinuerit opinari aut dicere. Atque hæc per modum paraphraseos cujusdam, de officio Conductoris Carolini, annotata esse, apparet.

Victualia præbenda esse æquo pretio, etiam, cum ante susceptum iter non petuntur nominatim, non est dubitandum. Quia enim Conductoris officium Bulla vult esse plenissimum, tum securitatis, tum necessariarum copiarum ratione, ipsa analogia hîc supplet, quod §. 4. de *securitate etiam non petentibus præstanda* dictum erat. Neque enim vel hîc, vel ibi, Tò *si petierint*, exclusionis, sed distinctionis notam habet. Versaturque manifestum discrimen in eo, quod *petentibus*, securitas solenni illo & apparato conductu; *non petentibus*, securitas tamen sufficiens præstanda est. Videturque Legislator consilio Conducendorum aliquid hic reliquisse: quibus scilicet tempora & loca ignota non sunt. Quo fieri potest, ut conductores de speciali

ſpeciali illo ac ſolenni conductu interdum ſibi appellandos, interdum non appellandos exiſtiment. Sicuti etiam veri ſimile non eſt, omiſſum iri petitionem victualium, ſi dubitetur, an omnia neceſſaria ex tempore præſto eſſe poſſint. Ubi nulla dubitatio; poteſt evenire, ut iſta petitione non opus eſſe videatur. Atque ita acciperem diverſitatem in literis requiſiti conductus, Matthiæ 1612. & Auguſtiſſimi Leopoldi 1657. tunc Bohemiæ Regum, annotatam *Limnæo ad A. B. §. 7. obſerv.* 10.

Exigit etiam Legiſlator à Conductore cautionem *ſcriptura* conſignatam, & *jureiurando* firmatam, §. 7. Non, quod ſemper ita opus ſit, ſed quod poſſit ita exigi. Sicut in ſecuritate ipſius conductus præſtandâ, liberum eſt petere conductum, ita, ſicuti dictum eſt, præſtandum, vel non petere. Petentibus, ſalva Legis auctoritate, denegari ſcriptura & jusjurandum non poteſt. Non petentibus debetur tamen conductus officium, ac ſi cautione juratoriâ ſignatum eſſet. Sed, quoniam eo tempore ſolennium maxima cura fuit, ſcriptura autem nihil certius, jurejurando nihil ſanctius inter mortales habetur, adverſus inimicitias, etiam ab amicis talia exigi mos & ratio fuit. Ad *firmitatem* ſcilicet & *certitudinem ampliorem*, & *efficacem obligationem*. Lex ſane omnes obligat, & quidem efficaciter: ſed in reciproca ſignificatione obligationis, ſive teſtatâ debiti, obſequiique obligatione, efficacia manifeſtius ſe ingerit oculis animisque. quæ origo celebratioris formulæ in actu civili habetur.

In eo movet *Limnæus* dubium, an Electores æque ac ceteri Principes & Status, ad cautionem juratoriam teneantur. eo, quod uſus eſt exemplari minus perfecto: quale in *Statutis Goldaſti* etiam exhibetur *Latinum* ex Archivo Palatino: ubi *Electores* omittuntur. At *Germanicum*, in *eodem volumine*, tum in *Receſſibus*, & *Latinum in Conſtitutionibus*, & *Mſc.* noſtro, Electores nequaquam omittit. Notaque ſunt non Electorum minus, cum Coëlectoribus, quàm aliorum Statuum cum Electoribus diſſidia: quibus hic obviam itur.

tom. un. p. 353.

De

De conducendis, disquiritur.

Conductor Carolinus conducit *Electores, & Eorum Nuntios*, neque quavis occasione, sed *ad Electionem proficiscentes*: cum *hominibus eorum*, ut Bulla loquitur, sive cum vasis comitibusque, ut vetustior formula habet.

Conducuntur, inquam, tanquam Electores, & Electorales Nuntii seu Legati, non ut quovis tempore & itinere securitas ipsis debetur, sed ut Electionis peragendæ causa commeantibus Carolini Conductoris officio securitas præstanda est.

Conducuntur, non ut Electores modo, sed etiam ut Coëlectores.

Conducuntur, non concordes modo Conductoribus, sed de cetero discordes. Conductus enim Carolinus omnium contentionum vel finem vel inducias habet.

Conducuntur Legati Electorum, si constat, eos ea, qua dictum est, causa legari. nam, an instrumentum procuratorium habeant sufficiens ad agendum, quod Electio postulat, sive quod ipsos, qui ad Electionem admittantur, idoneos faciat, non conductoris extra locum Electionis, sed Collegii Electoralis, in loco Electionis inspectio est.

• Huc igitur forte retuleris, quæ nonnulli de *Jure gentium*, legatis securitatē præstante, ad Conductum annotant. Quamquam Conductor Carolinus, ultra jus gentium, propria juris formula Legatos Electorales tuetur. Ipsos autem Electores, *Legatos Imperii* cum dicunt, commoda interpretatione opus est. Elogia enim, quibus in A.B. ornantur, facile obscurant *Legatorum* appellationem. Etiamsi velis Legatos Imperii dicere, quicunque Imperii negotium gerunt: communem facies aliis titulum in negotio non communi. Electio enim convenit solis Electoribus, jure tum sui status, tum collegii, perpetuo; nec per modum communem negotii gesti, sed longe excellentius, prærogativa eminentissima & incomparabili. In Electores crimen majestatis committitur: Electoribus, ut supra dictum, jus videndi ne quid Imperium detrimenti capiat, non temporario antiqui &

extraordinarii exempli more, sed solennem & Collegio ordinarie annexam potestatem tribuit; antea usu, deinde ipsius Carolinæ constitutionis vigore: in Electoribus sunt Vicarii Imperii, vacante Imperio, illo ipso tempore, quo conducuntur, eo jure fungentes. Quæ, & similia, faciunt, ut fiduciaria Legatorum auctoritas, sicut & ministerialis Magistratuum potestas (quamvis eâ voce, ut minus accurate desinant uti Scriptores talium argumentorum, vix reliqua spes est) longe infra Electorias in Electione curas & jura, subsistat.

Quare etiam quàm sit singularis Carolinus conductus, apparet ex consideratione Conducendorum: qui & communiter describuntur, ut vidimus; & nominatim, *Rex Bohemiæ Sacri Imperii Archipincerna, Archiepiscopus Coloniensis S. Imperii per Italiam Archicancellarius, Archiepiscopus Trevirensis, S. Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius, Comes Palatinus Rheni S. Imperii Archidapifer, Dux Saxoniæ S. Imperii Archimarscallus, Marchio Brandenburgensis S. Imperii Archicamerarius.* cur non etiam Princeps & Decanus tam Augusti Collegii, *Archiepiscopus Moguntinus, S. Imperii per Germaniam Archicancellarius?* Respondet *Limnæus*: *quod Moguntinus conductore nullo indigeat, quando proficiscitur Francofurtum, ad Electionem ibi perficiendam; eò enim versus semper in territorio suo progredi potest. Indigere autem potest, si Electionis actus alibi, quàm Francofurti celebretur.* Sed quia Carolus lege voluit hunc locum Electioni destinare, non opus fuit, ad exceptiones, tempori tantum & necessitati condonandas (ut disponitur cap. 28. §. 5.) respicere. Si tamen *legitimum impedimentum* Electionem alium transferat in locum, Elector Moguntinus, jam communi jure Electorum, ab initio hujus legislationis signanter expresso, potest conductores sibi optare, qui ratione loci & temporis necessarii videntur. Forte & ob hoc ipsum nominati non sunt conductores, quod Carolus locum Electionis Francofurtum omnino servari cuperet (ubi scilicet Moguntino conductores non videbantur necessarii) neque facile, aut citra legale impedimentum mutandum esse, indi-

§. 10. usque ad 16.

indicare vellet. Nam quod *Hartmannus Maurus in coronatione Caroli V.* ipsum Carolum IV. mutasse hanc suam legem anno 1363. & libertatem loci statuisse refert, nec probari, nec sine probatione credi potest. Vix dubitem interea, præter causam dictam, fuisse & alias, ob quas Moguntino conductores singulares non attribuerentur, ex illius temporis & status rationibus, nobis ignoratis. Forte & reperiri aliquid possit, si meditentur, qui ingenio valent, & instructu Tabularum publicarum juvantur. ap Goldast. Polit. Imp.

Loca, per quæ conductus Carolinus fit, signantur.

Conductor Carolinus tenetur conducere per *terras, territoria, & loca sua, & etiam ultra, sicut longius poterit.* Et: *per territoria sua, & aliàs quanto poterit remotius.* Et: ut unusquisque *ad præstandum conductum, per suas duntaxat terras & territoria, ac etiam ultra quanto potest remotius, sit adstrictus. durch ihre Lande, gepiete und Stede, und auch fürbaß, so sie ferrest mogen. sonderlich durch syn Lande und Gepiete und auch fürbaß, so er ferst mage.* Recentior versio, in fine hujus legislationis de conductu, sequentem particulam, *sine dolo* huc transfert: *allein durch sein land und gepiete, auch so ferr er es ungefæhrlich vermag zu geben.*

Generalitas in exprimendis locis, respondet generalitati in assignandis conductoribus: apparet enim, ex sanctione ipsa, ut ante diximus, non tantum Immediatos vocari ad hujus conductus officium præstandum, sed etiam Mediatos per modum Pacis publicæ seu generalis, & Edicti de auxilio ferendo (*eines gemeinen Friedens und Hülffgebotts*) pro cujusque viribus. Unde Jureconsultus non incelebris, civitati fundamentum Immedietatis in conductu Carolino quærenti, quàm infirmum præsidium aspiraret, cum etiam Mediati conducere hic jubeantur, ostendit: & addidit mentionem civitatum non Imperialium jus conducendi habentium.

Quod autem attinet illa verba, *etiam ultra, quanto pot-*

erit remotius, & perspicuitas & repetitio declarat, indicari *amotionem à proprio territorio aut loco, & sic transitum in alienum territorium.* Sed *potestas juris* additur: *sicut poterit*, salvo jure cujusque. Qua in re putamus, Legislatorem respicere, *extensionem* partim *legis*, partim *voluntatis*, partim *necessitatis*. *Legalis extensio* quando est, vel pacto, vel consuetudine, jus est conducendi per alienum territorium. Qualia exempla nec tum defuisse, satis aptè colligitur. *Voluntaria extensio*, ad multa pertinere potest; quæ nunc, pacatioribus temporibus & itineribus, haud æquè attenduntur. Periculo enim imminente, consilii & rationis fuit, vel admittendo, vel invitando adjungere sibi conductores in societatem officii, qui jam per sua loca conduxerant. Major etiam fuit species, numerosius incedentium. Potuit accedere ejus, qui conducebatur, votum aut desiderium: potuit attendi commoditas aliqua à conductoribus conducto exhibita, & amplius exhibenda. &, si quæ possunt hujus generis alia, ad rerum temporumque veras imagines accommodari. *Necessaria extensio* ad præsentiorem periculi metum pertinet, si conductores sequentes, præcedentium operâ se opus habere dicant ad meandum remeandumve, & hi (præcedentes) non habuerint exceptionem τῦ ἀδυνάτε, sive ejus, quod moraliter fieri nequit. Posset & ille necessitatis casus cogitari, si sequentes conductores non fungantur officio, ut tum præcedentes teneri intelligantur. Cogitari, inquam, hoc posset. nam ex historia, tale quid inde ab A. B. conditâ accidisse, demonstrari non potest. Ut servaretur quippe Lex, utut accuratissimæ constitutionis, sanctio & severitas pœnarum effecit, de quâ nunc dicendum est.

Sanctio Constitutionis, & pœnarum denominatio consideratur.

Sanctio in hac constitutione, & *criminis acerbitate*, & *pœnarum severitate* maxima constat. Causam tantæ severitati *Necessitas* temporum videtur suggessisse. Latrocinia & grass-

& grassaturæ ubique increverant. quibus in Germania & Bohemia coërcendis singularem Carolus industriam ac disciplinam adhibuit: denique ea fundamenta jecit, quibus postea Imperatores Pacis Publicæ Leges superstruxerunt. Accesserant & turbarum, in transitu rerum & circa Electionis negotium, exempla, & factionum dissidiorumque uberrima materies. Igitur mediocribus remediis non credebatur sisti posse temporum licentia.

Descriptio criminis fit I. *generaliter.* II. *per specialia nomina.* III. *per colores & exaggerationes.* *Generaliter* in istis: *si qui huic nostræ constitutioni contraire præsumserint. contra præmissa facere præsumentes. contrarium facientes. qui secus fecerint. qui nostras leges & constitutiones adimplere noluerint aut eis contraire præsumserint. in has leges nostras committens.* Quæ generalis descriptio, & ad omissa, quæ lex fieri jubet, & ad commissa, quæ lex fieri vetat, ex ipsa cujusvis sanctionis natura, pertinet.

Specialia nomina delicti, miscentur rationibus & coloribus, ad exaggerandum pertinentibus. *Perjuri*, *rebelles*, *negligentes*, vocantur; qui in hanc constitutionem de conductu Carolino deliquerint. Ubi vox *negligentiæ*, ad rei præceptæ omissionem, quæ dolum habet conjunctum, *αὐξητικῶς* referenda est. *Rebellio* ad exaggerandum spectat. *Perjurium* partim *interpretativè*, ut loquuntur, exaudiri debet; quatenus fide ordinariâ & juratâ ejus, qui Imperii membrum vel Mediatum vel Immediatum est, continetur observantia Legum Imperialium, & præsertim hujus de Conductu Carolino; ut sine nota perjurii se opponere nemo queat: partim *legaliter*, quatenus hac ipsâ constitutione pro perjuro habendus & puniendus violator conductus Carolini decernitur. Præter hanc generalem contraventionem, exprimuntur etiam nominatim delicta quædam, ut *custodiæ hostiles*, *insidiæ*, *denegatio literarum, quibus obligatio conductus continetur.* De quibus supra dictum est. §. 4. & 7.

Rationes, *tanquam colores*, ad intendendum crimen, congeruntur in illis verbis: *præsertim cum contra Rempubli-* §. 2.

 cam

cam ac sacri statum & dignitatem Imperii ac etiam contra honorem proprium & salutem, tanta rei temerarii neglectores, tanquam rebelles, inobedientes & perfidi, infideliter & perversè agere convincantur. vmb daß sie begriffen werden, daß si wider eyn gemeyn gut offenbare vnd deß heilgen Richs Gesetze vnd würdigkeit, auch vvider eygen ehre vnd heil vnd groß ding frevelig gehindert han, vnd auch als vviderspennige, vngehorsame, vngetreu also bœßlich vnd vngetreulichen han gethan. Textus Latinus haud dubie causali voculâ *cum* rationem severitatis reddit. id quod recentior Germanica versio non æquè clarè expressit: *Besonder so dieselben vvider deß Heiligen Reichs gemeinen Nutz, Stand oder Würdigkeit, auch vvider sein eigen ehr, als freventliche versæumer und vviderspennige, dem Heyl solcher sachen ungehorsam, so häßig, ungetreulich, und vvidervvertiglich mißhandelt, erfunden vverden.* Vel hinc liceat animadvertere, quanti sint faciendæ versiones Germanicæ, & quàm non æquandæ Latino textui. sicut rectissime *Limnæus* monuit. Addimus hoc loco, in transitu: ex his & aliis Germanicis textibus A. Bullæ clarum esse, *Latinè ab initio conscriptam, postea demum Germanicè* (licet forte non adeo diu postea) *versam esse.* An & hoc adjicere fas est: novissimam versionem Germanicam non omnia in melius retulisse; imo infra vetustiores non raro substitisse? Sed ut ad rem ipsam redeamus, Carolus crimen violati conductus, eo usque exaggerat, ut majestatis læsæ id haberi velle videri queat. Rationes graves & pæne irrefragabiles in promtu sunt. I. Descriptio ipsissima criminis læsæ, in illis verbis validè continetur, *si quis contra Remp. & Sacri Statum ac Dignitatem Imperii, tanquam rebellis & perfidus infideliter & perverse agere convincatur.* Ubi *perfidæ rebellionis* mentio hostilem animum in Rempublicam; *Status & Dignitas Imperii*, publicæ venerationis læsæ, & potestatis turbatæ significationem portendit. II. quia Legislator, imitatorem Veterum Imperatorum agit in Aurea Bulla, sicut patet, vel ex *cap.* 24. *§.* 1. ex *l. Quisquis C. ad l. Jul. Maj.* dimanante. Jam autem inter Arcana Principatus Romani hoc fuit, ut crimina, quibus coërcendis mediocria

diocria remedia non sufficiebant, gravius appellando, etiam citra extensiones tyrannicas, specie legis majestatis tractarentur. notante *Tacito*. III. Si jam olim Lege Juliâ constitutum fuit, ut is majestatis teneretur, cujus operâ, consilio, dolo malo consilium initum esset, ut magistratus P. R. quique imperium potestatemve habebat occideretur: quid mirum, si securitati Electorum (qui magistratibus Romanis non satis digne compararentur; cum altiore auspicio emineant) hac præscriptione caveretur? cum præsertim IV. *hostiles custodiæ & insidiæ* nominentur. & V. Electores *pars corporis Imperatorii* sint, ut semper Sacrosancti & inviolabiles, ita præsertim in Electionis negotio & apparatu. Verum, si ita hæc exaggeratio interpretanda videatur, strictior esse debebit interpretatio, neque ad ipsos Electores, sed ad cæteros Immediatos Mediatosque, sicut in ipsa Constitutione ubi hæc verba leguntur, enumeratio fit, applicanda. Sed hæc ad declarandam exaggerationem criminis, ita allata par est intelligi, quatenus ad atrocissima crimina, pacis præsertim publicæ violationem spectantia, coloribus depingenda, ex natura & conditione criminum majestatis, aliquid mutuari solent Legislatores. Quod autem pro formali, ut loquuntur, crimine majestatis haberi per omnia voluerit violationem conductus sui, Carolus; vel propterea non fuerit existimandum, quia illâ appellatione, infra aliàs usurpatâ, hic non utitur: quamvis tanto studio & apparatu velit rem magnam & horrendam facere.

l. A. 72, 4.

l. 1. §. 1. D. ad l. Jul. Maj.

h. c. §. 4.

c. 24 §. 1.

§. 2.

Sicut in *pœnarum* denominatione amplius apparet. Pertinent autem pœnæ *partim* ad omnes necessitate conducendi obligatos, si deliquerint: *partim*, ad singula genera, in quæ conductores tribuuntur. *Communis* omnium, *pœna perjurii* est. *die pœn Meineids*. ut qui violaverit has conductus leges, pro perjuro habeatur. *die sint glich meneidig*. ut habet vetustior versio. *Perjurium* autem ad fidem Imperio debitam juratamque respicit.

Quantum ad *Electores* conductores attinet, præter pœnam perjurii, decernitur, *perditio, pro illa duntaxat vice, suæ* §. 1.

vocis

vocis quam in electione hujusmodi fuerat habiturus. Quæ quidem satis clara sunt: nisi quæ postea sequuntur, difficultatem non minimam crearent. His enim pœnis, aliqui novum aliquid addi; nonnulli autem hanc ipsam *privationem vocis* §. 1. in §. 8. explicari & ἐξηγητικῶς produci existimant. *Prior* sententia nititur apparatu verborum, qui non otiosus debet putari: *si quidem talis Princeps Elector extiterit* (qui contraire aut has leges non adimplere, præsumserit) *ex tunc ceteri sui Coëlectores à suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce electionis & aliorum Principum Electorum loco, dignitate careat atque jure; nec investiatur de feudis, quæ à Sacro Imperio visus fuerit obtinere.* Ita enim Msc. noster Codex habet. versio vetustior: *ist es, daß er ein Kurfürst ist, zu stunt so sollen die andern sin mit Curfürsten denselben fürbaß me auß ihrer Gesellschafft schliessen, und sol darby verlyren Stymme der Kor und der Kurfürsten Stad, Würdigkeit und Recht, und sol auch nit ingesetzt vverden von der Lehen vvegen, die er von dem heiligen Riche heldet.* Nec mutat recentior: *er sol auch sine Walstimm, so vvohl andere Churfürstliche Würdigkeit, Stat und Gericht mangeln, noch einiges Lehens, so er vom H. Reich hett, fähig oder empfänglich seyn.* Ubi tanta verborum frequentatio. *quod debeat non voce tantum sed dignitate, Statu, jure, Electorali carere*, videtur plusquam temporariam privationem ad unius Electionis actum restrictam & suspensionis naturam referentem, exprimere. Quare *Rümelinus ad A. B.* explicat: *Elector has leges adimplere renuens, Electoratu suo privatur.* Alii verba sine explicatione repetunt. Sed hic obstant rationes magni ponderis. Ut facere novum Electorem & Electoratum, ita etiam deponere aut extinguere, res est ingentis moliminis. An credi potest, Carolum, negotium totius Imperii auctoritate tractandum, in solius Collegii Electoralis manus resignasse? Dices forte: quidni? cum tantum faveat dignitati Excelsissimi hujus Collegii? cui nec minora, si Electionem Imperatoriam consideramus, usu, consuetudine, & ipsâ lege Carolinâ, tradita sunt. præterea, hæc *Depositio* non tam fieret à Collegis Electoribus (nisi quoad execu-

dissert. 2. th. 6.

executionem) ſed Imperatoriâ totiusque Imperii conſentientis auctoritate in legem hanc publicam relata. Sed &, quantum à violatione hujus legis omnes deterrere voluerit Legislator ſeveritate pœnarum, ex toto verborum contextu conſtat: ut mirum vix eſſe debeat, ſi hæc quoque pœnæ acerbitas, ceteris pro portione quadam reſpondeat. Favere videtur & ratio ſeveritatis; ſi Elector ea quæ ad honorem Electorum & ſalutem ſancita ſunt, violet, ut dignus non videatur in tam ſacroſancto Collegio numerari, cui proprius honor & ſalus, non Collegarum tantum, in levi habetur. Huc addi poteſt, quod de deneganda Feudorum inveſtiturâ dicitur. Qui enim non inveſtiendus eſt de feudis, quæ à S. R. Imperio viſus fuerit obtinere, in perpetuum excluſus à Collegio Electorum videri queat. Sed, utut hæc non ſint nullius ponderis, facile tamen, qui omnia conſideranda conſiderat, exiſtimabit, non decerni perpetuam & plenam à Collegio Electorali excluſionem: in quâ diſertiſſimis verbis & definitâ expreſſione opus videtur. Et, quia nulla hîc praxis occurrit (quæ non minimum alias explicandis legibus momentum facit) forte huc potiſſimum inclinandum eſt & in toto negotio, & in denegandâ inveſtiturâ, ut ſuſpenſio potius quàm omnimoda privatio Electoralis Dignitatis accipienda ſit: donec ſcilicet, qui deliquerit, Imperio & Imperatori ſatisfecerit, & conceſſâ veniâ, inveſtituram & priſtinam dignitatem recuperaverit. Flexit huc oculos *Arumæus*, cum vocem *inveſtiendi* ſtricte accipit, de prima inveſtiturâ, excluſâ confirmatione, quæ tamen cap. 2. §. 5. ſancitur. *Quod ſi Elector*, inquit, *vel Princeps, Comes, Baro, Nobilis, qui nondum de Electoratu, Principatu, Comitatu, Baronatu aut feudo inveſtitus eſt, Conſtitutionem hanc de ſalvo Conductu implere noluerit, aut ei contravenire præſumſerit*, &c. diſc. I. ad A. B. §. 15.

Pœna aliorum, qui non ſunt Electores, exprimitur non uno modo. *Primo* de iis agitur, qui ſunt *Principes, Comites, Barones, Milites & Clientes*. hic addunt nonnulla exemplaria, *& univerſi nobiles contrarium facientes*, quod etiam in MSC. noſtro comparet, & retinuit Verſio Germanica

nica vetuſtior : *Alle Fürſten und Graffen, Landes-Herren, Edel, Ritter, und Knechte, und alle Wolgeborn, die darvvider thun.* Sed, ut *Goldaſtus* Latinum textum *in Conſtitutionibus* exhibet, omittitur poſteriore loco, vox, *nobiles*, & ponitur ita : *& univerſi contrarium facientes.* ſicut etiam noviſſima Verſio Germanica ponit. Vir, de his ſtudiis bene meritus, ſubſtituendum cenſet, *ignobiles* : ne bis *nobilium* fiat mentio. Nolim aſſentire. Si adjectitia vox eſt *nobilium*, valde vetuſtum eſt gloſſema. & ratio, cur acceſſerit, non adeo obſcura eſt. Indicandum enim videbatur, de *Nobilium* pœna hic agi, quatenus à civibus & communitatibus in hac conſtitutione aliquotiens diſtinguuntur. de quibus etiam mox ſequitur. Eſt autem pœna, præter *reatum perjurii, privatio feodorum omnium, quæ à S. Rom. Imperio, & à quibuscunque aliis obtinent, & etiam omnium poſſeſſionum ſuarum à quocunq; habitarum. Die fallen in* pœn *Meneydes vnd Verluſte aller Leben, die ſie von dem heiligen Rich han, vnd ander Leben, von vveme ſie die hant, vnd alles ihres Guts, wo ſie es hand.* ubi diſcrepat textus Germanicus vetuſtior, à Latino: quod ibi *ſpecificatio* bonorum, ut vocant, hic *origo & titulus* ſpectatur. Plus autem videtur quodammodo indicari, ſi dicas, à *quocunque habeas poſſeſſionem*, atque his verbis ipſum titulum & occaſionem exceptionis & prætextus bonæ fidei ac juſti acquæſtus, extinguas; quàm ſi nomines *bona ubicunque habita.*

Civium & Communitatum pœna, præter *perjurium*, cujus notâ communiter violatores Conductus Carolini inſigniuntur, eſt *privatio jurium, libertatum, privilegiorum, & gratiarum à ſacro obtentarum imperio*; tum *bannum ac proſcriptio Imperialis, quam cum perſonis & bonis ſuis omnibus incurrant.* Cujus banni deſcriptio horribilis & plena habetur, primum ab *objecto*, quod ad perſonas & bona pertineat; deinde ab *effectu*, quod *cuilibet liceat auctoritate propriâ & ſine judicio ſeu invocatione magiſtratus cujuslibet impune violatores illos invadere, nullamque pœnam propter hoc invadens ipſos debeat ab Imperio aut quovis alio formidare.* Utrobique frequentibus verbis & copioſâ denuntiatione res geritur. Et in banni quidem

quidem descriptione, *personas* & *bona* Germanica Recentior *κατὰ πόδα* expressit: *Vetustior* reddidit, ex formula, puto, judiciali, *Jhr Lip und Gut.* De illis verbis, quæ *effectum banni* ordiuntur, quædam monenda sunt. Non bene enim interpungi plerumque, & omissis voculis *quos* & *omni* corrigi arbitramur. Fortasse optime retinebitur integer textus, ut in *MSC.* etiam *nostro* & *Goldasti* Constitutionibus legitur; sed hac interpunctione, post *incurrunt*, nova sententia inchoabitur in hunc modum: *& eosdem, quos ipso facto exnunc prout extunc omni jure privamus, deinceps cuilibet hominum auctoritate propria &c. licebit invadere.* Præterea, sicut legislatio non ad singulos tantum sed ad totas communitates ac civitates pertinet, ita etiam pœna banni totas universitates, ceu fulmen, cui comparatur, afflare potest. Est enim hæc natura, horribilis hujus pœnæ, ut feriat ubicunque potest, & quoscunque potest: cum inventa sit ad terrorem augendum. Quo incusso, ubi pertimuerint, qui banno Imperiali perculsi sunt, & ad satisfactionem decurrerint, æquitate Judicis, & si ad instantiam partis impetratum est hoc fulmen, etiam partis moderatione, vel spontaneâ, vel à Judice elicitâ (præsertim ubi de tota communitate agitur) de rigore, vix abest, quin aliquid remittatur. In talibus enim, rigor immobilis, ad ultimos casus, ubi Respublica dirâ necessitate ad statuendum exemplum compellitur, reservari solet.

v. Gail. de P. P. 2, 9.

Cæterum *proscriptio Imperialis* in *Vetustiore Versione* dicitur *Kayserliche Acht*, in *Recentiore des heiligen Reiches Acht.* sicut in pluribus monumentis ista *ἐκ παραλλήλου* dici, notum est.

Invasio banniti, quæ hic permittitur, intra terminos strictiores, & citra interfectionem, merito & prudenter, ut arbitror, à *Limnæo* coërcetur. Sed nobis non est constitutum hoc loco de Banno Imperiali prolixius agere.

Usus Constitutionis hujus de Conductu Carolino, an & quis hodie.

Dubitari fere posset, an magnus hodie hujus legislationis usus sit. Ita enim *Freherus cap. XII. de Tutela Curaque Testamentaria Electorali: Conductus Electorum ad Comitia euntium tam accurate præscriptus, pene totus in desuetudinem abiit: credo, quia Pace publica firmata melius quàm Bullæ tempore, & securitate viarum publicarum vigente, custodiâ & conductu illo parum opus.* Salva tanti viri auctoritate, existimem, hæc liberalius dicta. Non enim in desuetudinem abiisse totum hunc Conductum Carolinum, vel novissima exempla demonstrant. Minore cura & solicitudine ac severitate rem geri, quàm in Carolinâ Constitutione continetur, verum est: & fiduciâ pacis securitatisque temporum solet evenire; ut in multis aliis cernimus. Tertio argumentum Freherianum adversus omne jus conducendi eadem argumentandi ratione converti posset: quod tamen non solet dimitti, ut notum est. Quarto, si, quod Deus prohibeat, pericula temporum priorum redirent, præsentius cerneretur, & expromta in originarios usus esset Lex Carolina; cujus auctoritas, desuetudinis obtentu, nequaquam imminuenda videtur.

Testatur etiam interea pleno vigore, de *sanctitate Electoralis axiomatis*; & *operis Electorii*, ad totius Imperii perpetuam salutem pertinentis, *majestate*. De quibus nihil decerpendum est ullo prætextu.

Ad *illustrandas legislationes de Pace Publica*, ad hoc exemplum in multis exactas, quàm potentibus momentis pertineat, fortiter ostendi posset, si hoc jam ageremus.

Nomothesia Carolinæ, quàm sit accuratum hoc specimen, itidem clarius est, quàm ut dici debeat.

Neque de *Usibus Historicis*, ad Notitiam Imperii, ejus temporis, spectantibus, aliquid adjiciendum ducimus, expleta jam mensura hujus scriptiunculæ *αὐτοσχεδίως* deproperatæ.

Corol-

Corollarii loco adjecta.

I. An ullo caſu aut cauſâ Chriſtianis fas ſit, Turcarum armis viribusque alios Chriſtianos oppugnare? N.

II. An Principi Chriſtiano à Turcis impugnato, teneantur alii Principes Chriſtiani, ſi poſtulantur, auxilium ferre; idque jure divino & naturali? A.

III. Præcipuum potentiæ Turcicæ robur in quibus conſiſtat; tum in quibus præcipua infirmitatis indicia appareant?

IV. Donationes à Principe moriente emendicatæ, an jure revocari poſſint? Rationes dicet *Hieronymus Oſorius lib. 1. de reb. Emmanuelis Luſit. R.*

V. Rectiusne ſeveritate adverſus Judæos anno 1482. uſi ſint Fernandus & Iſabella Caſtellæ Reges, an benignitate & manſuetudine, Joannes & poſtea Ejus ſucceſſor Emmanuel, Luſitaniæ Reges?

VI. An conditores XII. Tabb. in lege, *qui alienas fruges excantaſſit, capital eſto*, fieri hoc poſſe magicis artibus crediderint, an propoſitum tantum & conatum magicum puniri voluerint? Conferendi ſunt *Auguſtinus de* C. *D. VIII*, 19. *Plinius XXX*, 1. & *XXVIII*, 2. *Senec. Nat. Q. IV*, 7. *Apulejus apolog.* 1.

VII. An illud ab Apulejo ex antiquioribus ſumtum verum ſit: *Quindecim liberi homines, populus eſt; totidem ſervi familia; totidem vincti ergaſtulum?* A. ſi populus μειωτικῶς e. g. de vico aut pago; *familia* & *ergaſtulum* ἐξαιρέτως de plenioribus legitimisque, capiantur.

VIII. An *Scipio Gentilis in Apolog. Apuleii (pag. 246.)* recte exiſtimet, *morem ſcripto agendi cauſas, magno reip. malo inductum eſſe?* N.

IX. An lex Attica, & judicii Martii conſuetudo, quâ *patroni cauſæ, principia dicere & miſerationem movere vetabantur*, ad actores tantum pertinuerit: &, an omnino probanda ſit? Non probanda indefinitè videtur. Vid. Quintil. II, 17. & VI, 1. *Apulej. Miles. X.*

An Poëtæ, philoſophicè, *fames* dicatur *Furiarum maxima*? ſive: *an nulla pœna ſit fame gravior*? A.

Appendix
CONDUCTORIS CAROLINI.

QUia video brevitatem, & feſtinationem mihi fraudi fuiſſe, in hoc ſchediaſmate; pauca reſpondebo, non quidem Arcadico pecori, quod ne vocabula quidem harum rerum intelligens alienas cenſuras affert, ſed illis Cenſoribus, qui nullam occaſionem alienis laboribus inſultandi omittunt. Nam *Ludimagiſtellus* iſte *Calumniator*, *Sycophanta*, *Paratragœdus*, qui ſe Juriſconſultum vocat; tum aliis pluribus facinoribus, tum famoſis libellis infamem in modum occulte diſſeminandis, indignum ſe facit omnium bonorum virorum commercio, & cathedrâ Academicâ, cujus opprobrium diu fuit, ne triviali quidem ludo præfici dignus; denique in nullo cenſu ponendus, niſi forte ſycophanticorum latronum turba eum ſigniferum cooptet. Ne tamen impuriſſimi hominis ſcelera lateant, paulo poſt oſtendentur Soli mendacia, furores, flagitia, quibus Reipublicæ & ſeculo non *delicias* profectò *facit*, ſed convitium. Utendum enim eſt dictione, quam ſervum animal ex occultis nec intellectis ſuſurris, arreptam, ſtatim ad obſcœnitates & ineptias ſui moris tranſtulit; & ſincera honeſtiſſimaque gaudia eadem voce ſignari non credidit: licet pueri eum mille exemplis verberare queant; fruſtra quidem, ut opinor: quî enim bruta beſtia, unam eandemque vocem tam diverſa ſignificare, intelligeret? aut quî, nullius omnino linguæ peritus rabula, de ullo loquendi genere erudito judicaret? Sed conventum volet hunc latronem mox publica & privata Nemeſis. Nunc ad rem.

Reprehendunt, quod (*pag.* 10.) *Erfordiam & Moguntiam*, *Civitates Mediatas* dixerim. Et de *adulatione* quidem, nemo niſi calumniator ſuſpicatur, ex ſuo ingenio alios judicans,

dicans. Nemo eſt hîc, qui adulationem (tace ſycophanta) admittat, vel afferat. Ignorantia & malignitas eſt, quæ veritati obſtrepit. *Erfordiam* à multis ſæculis, atque adeo ante A. B. *fuiſſe civitatem Mediatam*, agnovit ſemper Aula Cæſarea, ante Cameram inſtitutam; agnovit Camera ſuperiori ſæculo (niſi omnes mecum errarunt, qui apud *Gylmannum Meichſnerum*, *Klockium*, propriis Erfordienſium confeſſionibus, & præterea argumentis invictis crediderunt, viri ſcientia & rerum uſu tales, ut, qui iis ſe præferre velit, teſtimonio valde violento opus habeat) agnorunt Comitia; & in noviſſimo conflictu non Moguntina tantum Sedes apud Pacificationem Oſnabrugenſem, ſed etiam ipſa Sereniſſima Domus Saxonica, cujus in clientelam ſe Civitas tradidit, Immedietatis affectationem gravi ſcripto publicato retuderunt. Quid? quod ipſi, præcipui Conſiliarii Civitatis, & aliunde in conſilium vocati, reſponderunt, Fundamentum Immedietatis ex A.B. & jure conducendi ſperatum, valde infirmum imo nullum eſſe. ad quam rem digitum intendi *pag.* 27. Addatur *Limnæus I.P.* IV, 8, 82, &c. *Martin. Mager. de Advocat. cap.* 6. *à n.* 173. *usque* 180. Nec eſt, quod à me amplior demonſtratio exigatur: cum hæc res in oculis & manibus ſit.

Moguntiam, anno demum 1462. Mediatam Civitatem factam eſſe ex Immediatâ, *Kyriander in Trevirenſibus*, *Stumpfius in Helveticis* referunt; absque ulla probatione: ex his ceteri ſecure deſcribunt, catalogum exhibente *Knipſchildio*. Ita ſcilicet res confecta eſt; licet oſtendi poſſit; Moguntiam jam ante Auream Bullam, paruiſſe Archiepiſcopis Moguntinis, tanquam Patrimonii S. Martini Sedem primariam; omniaque præſtitiſſe, per quæ ſubjectio demonſtratur; neque illam conjecturam, ex capta anno prædicto Moguntiâ, ullius Hiſtorici ſuffragio aut Documentorum fide illuc pertinere, quaſi tum demum, Immedietatis conditionem amiſiſſet. Qui in contrarium argumenta, non nomina ſine argumentis, afferent, vincent. Habebit illa res ſuum locum.

De *Illuſtriſſimo Limpurgio p.* 12. &c. actum eſt, ut omnes vident,

vident, ex hypothesi *Limnæi.* quod enim ego, non ignoratam mihi dubitationem, de Conducentium locis, territoriis, regionibus & familiis, tum de ipsorum Limpurgiorum origine, lineis, necessitudine, seposuerim prorsus hoc tempore; & manifestum per se est, & ultro prædictum. *Limnæus* autem ad hæc ipsa verba Textus *cap.* 1. *§.* 11. *observat.* 18. posuerat: *Barones Limpurgici dicuntur semper Freye, suntque Vicepincernæ Imperii, hac Bulla nostra cap.* 27. *§.* 6. *des H. Reichs Erb-Schencken.* Hæc dum repetii (*p.* 12. *f.*) satis apparere utique debuit, me ad alienam sententiam annotationem ponere; & quidem, relictâ disputatione de pluribus Limpurgiis, tantum de illa Pincernarum Familia agere, ad quam *Limnæus* nomen Limpurgium (ab aliis ad diversas Familias accommodatum) in tota A. B. refert. Hîc ergo rogo Censores illos (nam cum Asinio Sycophanta mihi nolo negotium esse) ut mihi potius ex documentis publicis, instrumentis, diplomatis, subscriptionibus, quàm ex scriptoribus illis, mihi fortasse non minore numero cognitis, quàm ipsis, ostendant, ubi vocabulum *Baronis* Pincernarum Limpurgiorum nominibus sit additum, & quotiens id factum sit, quaque ratione & auctoritate. hæc enim omnia considerari debere, nemo negaverit. Imo hac ipsâ de causa proposui publicè, ut, quoniam Documenta ejuscemodi per Archiva disperguntur, elicerem aliorum investigationem. *Secundum* erat, quod notavi, in A. Bulla neque hoc *cap.* 1. neque altero *cap.* 27. *Baronis* nomen recte addi; *hîc* enim, *Comitis* appellationem Limpurgio nomini additum apparere: *infra*, *Vicepincernam de Limpurg*, absque *Baronis* titulo occurrere. *Tertio*, elogia *Domini*, & *Semperfrey*, non statim evincere Baronis conditionem, monui. *Quarto* honorifica *Paurmeisteri*, *Reinkingii*, ipsius *Limnæi*, *judicia* de Illustrissima hac Familiâ, attuli. Et obscurari potius incuriâ multorum Scriptorum, splendorem hujus Familiæ, quàm describi, in loco & tempore doceri posse, adjeci. Quid ergo in his, ò mei Censores, peccatum est? Quæ hîc ignorantia, quis error, tyroni etiam erubescendus accusa-

accuſatur? Docete, quæſo, paratum gratias agere. Nam adulandi causâ me hæc ſcripſiſſe, nemo niſi excors Calumniator dixerit.

Qui etiam deliravit, locum aliquem fore iis, quæ domi ſuæ ex alterius ſtudiis de genealogiâ quadam audiverat. ubique enim alieno ore ſtiloque blaterat. Occaſione elogii *Semperfrey*, verba *Paurmeiſteri* (ex *lib*. 2. *cap*. 11. §. 40.) repetii *p*. 14. *Weſterburgenſes, quos Comites Leiningenſes jam repræſentant*. Quæ totidem elementis habet *Beſoldus de Comitib. & Baron. cap*. 4. §. 19. & *Limnæus I. P. lib*. 4. *c*. 5. §. 23. & cum explicatione ex Rec. Imp. ad A. B. c. 1. §. 11. obſerv. 16. p. 136. ne de *Daniele Ottone*, & ceteris dicam. Quid hîc de genealogiâ? quæ tricandi occaſio?

Supereſt, quod non credo illis Cenſoribus deberi, quibus hactenus, libenter meritoque reſpondeo. aut, ſi quid moverunt, certe Ludimagiſtellus Calumniator non cepit per ſtuporem, neque accepta reddidit per malitiam. Magnum facinus admiſi: Dixi, *in Electores crimen majeſtatis committi poſſe*, *p*. 25. Habeo facinoris ſocios, gaudeo, præclaros profecto viros innumeros; è quibus paucos tantum nominabo, ne mihi ſecutulejorum emblema ingeratur: illos

defendit numerus, junctaque umbone phalanges.

Dicunt ergo hoc *Arumæus*, *Reinkingius*, *Schützius*, *Cammannus*, *Beckerus*, *Freinshemius*, &, præſertim, cum fusâ explicatione & auctoritate rerum præjudicatarum *Carpzovius in Practica Criminal. part*. 1. *quæſt*. 41. *Limnæus*, qui in hac locutione aliquid deſideraverat antea, noviſſimis *annotationibus in A. B.* multum videtur remiſiſſe. Subtilitas eſt nec neceſſaria, nec recepta, quando quis diceret: *Committitur quidem crimen majeſtatis, inſidiando vitæ Electorum, ſed in Imperatorem committitur, non in Electores; Imperator & Imperium in Electoribus læditur*. Æque enim receptum eſt olim & hodie, ut dicatur: *crimen majeſtatis committi in eos, qui ſunt pars corporis Imperatorii*. ſicut cum infinitis aliis loquitur *Perezius C. ad L. Jul. Maj.* & *Carpzovius l. d.* Quod enim *Limnæus*, *Fachinæo* etiam uſurpatum lemma ponit,

crimen majestatis non committi nisi in habentes majestatem; nemini accurate cogitanti facile se potest approbare; si consideret, Legislatorem crimina, ex usu reipublicæ, & pro necessitate temporum, definire; idemque nomen non iisdem delictis semper imponere. Et extensiones Legis majestatis, non tyrannicæ tantum, (ut Tiberii, Domitiani &c.) sed bonorum Principum consilio repertæ (ut Augusti, Arcadii & Honorii &c.) notæ sunt omnibus, quibus historia non ignota est. Quamquam, in exemplo, non opus est huc decurrere. Quis enim ita patiatur assumi: *Electores non habent majestatem?* Licet enim totam non habeant, participant eam tamen. Quo fit, ut nonnulli longius progressi, *in omnes Imperii Status crimen majestatis committi posse*, statuant. sed A. B. de quâ nobis sermo, haud dubie aliquid eximium hîc Electoribus decernit: ut gradus maneat inæqualitas, etiam ubi de juris æqualitate præsumitur. Sed quantæ in utramque partem salebræ in hac quæstione occurrant, quando de communicanda, aut partienda majestate; de majestate Imperatoris unius, an Ordinum quoque; de dependentia ac independentia Ordinum; de una, aut ex multis in modum unitatis constituta Republicâ; de variis summæ potestatis, & summâ minoris vocabulis, eorumque distinctione & usu; quæque sunt ejus generis alia, huc spectantia: de his, inquam, frustra diceretur apud eos, qui non assueverunt tales quæstiones ad propria cujusque partis principia revocare. Et absolvi posse apud homines non iniquos eum, qui dicat, in Electores committi crimen majestatis, etiam absque apologiâ, nihil dubitandum est.

Sed Ludimagistello Calumniatori, famosorum libellorum artifici & disseminatori clanculario, aliunde satisfiet fortioribus remediis; & fœdissimorum mendaciorum refutatio, toti mundo ostendet, quantus sit Calumniator Principum & Procerum, Collegarum & extraneorum, vivorum & mortuorum, singulorum & universorum, virorum & fœminarum: cujus sycophantiis matronæ sanctissimæ ad mortem crucientur; cujus convitiis tribunalia exhor-

exhorrescant; cujus pravitatibus clientes ad summum discrimen adducantur. Neque non patefiet bruta indoctissimi hominis stupiditas in mandatis corrumpendis, in negotiis depravandis, in scandalis ad pias aures obtrudendis; tantâ veritatis luce, ut omnes, qui norunt Sycophantam Paratragœdum, statim agnituri sint imaginem monstri. Ego enim bonas horas melius collocabo; nisi in quantum necessitas mihi incumbit tuendæ innocentiæ & famæ tot Regum Principumque non testimonio tantum munitæ, sed præsidio tutæ: inprimis etiam Reipublicæ Argentoratensis; quæ honorifica sua judicia, & perscripta de me ad exteros, & honorificis Senatusconsultis compluribus in Actis consignata; cur patiatur livore & infamibus machinis oppugnari, causam, spero, neque publicè neque privatim ullam inveniet: neque vitio mihi vertet, si, quotiens famosæ ejusmodi chartæ adversus me evolabunt, jure defensionis naturali utar vel ego, vel pro me amici.

Quod si his defensionibus aliqua intercurrerint, quæ attingi nollet Inclyta Respublica, in me nulla hærebit culpa, sed in stupore & malitia Calumniatoris, qui & affert ea, quæ nemo sanus enunciaret, & tam fœde convitiatur mentiturque, ut & sæculi & Reipublicæ intersit, non tolerari exempli infamis noxam.

WITIKINDUS MAGNUS.

EX hâc stirpe, nomine & meritis fulgentissimæ Principum Familiæ, in primis Marchionum Misniæ, Ducum & Electorum Saxoniæ, & Imperatorum Saxonicorum, originem deducunt. Sicut, præter ceteros Genealogicos, diligenter ostendit *Elias Reusnerus*: cui addi debent *Chytræus*, *Cyriacus Spangenbergius*, *Albinus*, *Lazius*, *Blondellus*. Retro vero, ultra Theodoricum Witikindi Magni avum, certa series Saxonicorum & Westphaliæ Principum, incorruptis testimoniorum monumentis tradita non est, notante *Chytræo* chronici sui libro tertio, post principium.

Βασιλικ. Stirpe Witikindeâ p. 260. &c. Chron. Sax. lib. 2. p. 48. &c. *Sachs. Chron.* c. 79. *Meisn. Chron.* tit. 19.

 Merito

de migr. gent. lib. 9. p. 526. Seren. Margaretæ Austr. ſeminat. matern. 5. Georg. Fabr. orig. Sax. lib. 1. p. 1.

Merito autem Witichindus hic, *Primus* hoc nomine deſcribi poteſt. nam quem *Hunibaldus* alium vetuſtiorem Witikindum jactat, is tali auctore non agnoſcitur. *Magnus* cur vulgo cognominetur, adhuc amplius conſtaret, niſi res ab eo geſtæ, & ad eum pertinentes, ſummatim potius quàm enucleatè traderentur. Sic quoque diſperſa variè, in unum conduci, & quodam modo declarari, forte operæ pretium fuerit.

tom. 3. p. 381. ann. 785.

Nomen ipſum literis exprimunt non uno modo. In Annalibus Eginhardi, *Widikindus*, mſc. *Vuinichindus*. In Chronico vetere Moiſſiacenſi, *Guiduchint*. In fragmento vetere apud Franciſcum du Chesne, *Widukindus*. In Annal. Franc. Fuldenſib. *Witukind*. In Chronico Brevi apud *du Chesne*, *Widichinus*. In Chron. Hildesheim. *Witbuchingus*. In Annalibus Bertinianis, & Mſc. Mon. Sangall. *Widochindus*. Apud *Sigebertum Gemblac. Wintichindus*. Apud alios *Witekind*, *Wittikindus*. In Catalogo nominum propriorum. Monaſt. S. Gall. apud Goldaſtum, *Witichint*, *Vuiduchint*. Videatur omnino *Reineccius* in notis ad *Poëtam Anonymum de rebus Caroli M.*

Script. Alem. tom. 2. ad lib. 1. p. 16.

Ultimus Rex, & *Primus Dux Saxoniæ*, à pleriſque recentioribus appellatur. Et de re quidem non dubitatur: ſed de conſuetudine appellandi, haud æque conſtat. Vetuſtiſſimus quisque, talis appellationis nullam facit mentionem. *Annales Eginhardi*, qui vulgo Aſtronomo Ludovici Imp. tribuuntur, *Widikindum unum ex primoribus Weſtphalorum*, vocant. quem locum explicat *Meibomius in Vindiciis Billinganis*. Quare *Albertus Krantzius* caute: Wedekindus *Saxonum primarius princeps* (*ſive regem eum dicere collibeat*) *magno prælio victus*. Et alibi, *Wedekindum omnium primarium ducem* nominat. Doctiſſimus Fabricius annotat: *ante annum 628. nullius neque Regis neque Ducis Saxonum, ab ullo ſcriptore, qui extant, nomen citari, cum ſine rege aut ducibus eſſe non potuerint*. Idem, qui amplius obſervat: Saxones diviſo in toparchias imperio, duodecim virorum Sena-

ann. 777. p. 313. Metrop. lib. 1. c. 9. Saxon. lib. 2. c. 2. Orig. Saxon. lib. 1. p. 61. Krantz. metrop. lib. 1. c. 1.; Lindenbrog. in Chron. add.

Senatum constituisse, ex quibus is, qui re communiter deliberatâ decretaque bello præficiebatur, *Regis* nomen susceperit, finito bello deponendum. Et in his Witichindum Vuernechini filium, de quo nobis sermo, numerat. *Witichindus Monachus* tamen tradit: *à tribus Principibus totius gentis Ducatum administratum esse, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis atque vocabulis signatos* ait, *in Orientales populos, Angarios & Westphalos.* quem locum reconciliare aliis Scriptoribus conatur *Reineccius ad Poët. Anon. de rebus Car. M. p. 3. Alberto Stadensi,* Witikint, *Dux Saxonum* dicitur. *Regem* vocitari à *Ditmaro lib. 1. Reineccius* annotat ad Poët. Anonym. Qui de *Magno Duce* sermocinantur, non meminerunt, se novissima vetustis confundere. Fuerit Witikindus, magnus Dux ob rerum gestarum magnitudinem, non appellatione curiali. *Principem Angariorum Chytræus* vocat. addunt alii *Iburgum*, quod nunc detorto paulum vocabulo Driborg vocant. *Westphaliam* denique ei ceu provinciam tribuunt. Videndæ doctissimæ *Notæ* in Monumenta *Paderbornensia p. 84. & 108. 109.*

Krantz Sax. lib. 2. c. 22.

lib. 1. p. 6.

ann. 785.

p. 15.

Krantz Sax. lib. 1. c. 24. & 25.

Sicuti autem inclyta Saxonum gens, multos aliis gentibus reges dedit: ita quin animus verè regius in Witikindo agnosci debeat, nemo inficias iverit; qui magnitudinem consiliorum, celeritatem cogitationum, industriam in agendo, constantiam in perficiendo, fortitudinem, libertatis studium, perseverantiam in laboribus, fiduciam in adversis, & ceteras laudes, quæ summam fortunam vel mereri vel ornare possunt, ex vero æstimaverit. Quo in genere parca est admodum historia, neque tam spectacula nobis magnorum operum ad intuendum, quam indicia ad conjectandum exhibet. Igitur nec de educatione Witikindi, & juvenili ætate, nec de gradibus aut passibus, quibus ad tantum gloriæ fastigium conscendit, possumus afferre, quæ expectari in descriptione magnorum Principum, mos est. Angusto enim incedimus tramite, qui tenui filo signatur, intra terminos *belli Saxonici, ejuratæ ethnicæ superstitionis, & exitus militaris.*

De bello Saxonico, quod Carolus M. post annos amplius triginta vix finire potuit, ejusque causis, & magnitudine, *Eginhardus in Vita* Caroli summatim, verbis, quæ multi descripserunt, *Adamus Bremensis*, *Helmoldus in Slavicis*, *Albertus Stadensis*, *Abbas Urspergensis*, & alii: singillatim autem & per annos, cum *Eginhardi Annalibus*, alii Chronicorum ante laudati scriptores. In bello hoc gravissimo & pæne anniversario, quin prima fuerit apud Saxones persona Witikindus, non est dubitandum: licet Veteres ab initio belli non statim ejus meminerint. Totum belli tempus ei tribuit *Fabricius*: primum concitorem facit *Aventinus*. Fabricius rotundè non accuratè se locutum ipse ostendit, quando post 786. annum, qui ante tempus dimidium belli totius expletum ponendus est, impermixtum bello in fide mansisse Witikindum, refert. quod & *Erpoldus Lindenbrogius* affirmat.

Orig. Saxon. lib. 4. p. 425. lib. 4. pag. 239. p. 438. & 439.

in Chron. Car. M.

Witichindum, ut populares suos adversus Francos incitaret, non leves causæ permovebant: primum, quod errore communi bellicosarum nationum, quiescere, partem ignaviæ, suas alienasque fortunas spe metuque versare, virtutis opus existimabat: deinde quod libertatem Saxonum à Caroli Avo & Parente gravius, quàm ut oblivioni tradi deberet, attrectatam reputabat: virtute præterea gentis nondum infracta aut domita confisus; & præsertim occasioni temporum imminens, quam adversus distractum circa tot populos & imperia Carolum haud difficulter patefieri, non absurde credidit. Talis animi septimo ante Witichindum sæculo apud Cheruscos fuit Arminius, qui libertatis vindicandæ jus perpetuum esse, opinatus est, *liberator Germaniæ* propterea ab hoste dictus. & Segestus socer ejus, moderatioris sapientiæ, quæ fidem pactionum interpositam obstare vindiciis libertatis autumabat, non aliud pretium, quàm popularium odium retulit. Accessit ad superiora irritamenta apud Witikindum, odium Christianæ religionis, superstitionibus paganis adversæ: cujus acerrimum vindicem Carolum non ignorabat.

Tac. 2. A. 88.

Tac. 1. A. 58.

Et

Et *Carolum* quidem Saxones infestatis limitibus Francicis, ad propulsandas armis injurias excitaverant. Sed fuit Carolo non minimus ad hoc bellum stimulus, Christianæ religionis, destructo paganismo, propagandæ perpetuum & acre studium, quod *Adamus Bremensis*, *Helmoldus*, & alii non tacuerunt. An hæc justa belli causa, sæpe disputatum est: etiam superioris sæculi anno 47. *Fernandus Vasquius* declinavit hanc quæstionem: *Grotius* non exhausit. Maneamus intra terminos nostri exempli. Si gentem aliquam Christiano nomini infestam esse constat, & ad illud delendum semper intentam, quidni liceat, cognito hostili animo, bello eam aggredi, & victoria ita uti, ut abolitis paganiis, Christiana religio introducatur? Adde duplicem cautionem, & omnibus tricis viam obstrues: primo, ut temperamentum juris bellici, sine quo jus belli in rigore suo, Sepulvedâ aliquo interprete acceptum, summa injuria est, adhibeatur: tum, ut fides interposita, si qua paganis data est, servetur. Prioris temperamenti magnum habemus auctorem, ipsum Carolum: qui Witikindo nuntiari jussit: *se procerum dignitati & Saxonum saluti cupere consultum*. Posterius, clades Varnensis Vladislai Hungariæ Regis ultro commendat. *Divina certè vindicta hanc cladem omnes ascribebant*, inquit *Gerardus de Roo*. Melius enim fuerat, *pacem cum Turcis aut non fecisse, aut factam servasse*. Addenda sunt, quæ de consilio Juliani rumpendæ pacis auctoris, consignantur.

Thuan. lib. 54. f. Illust. controv. lib. 1. c. 10. §. 11. I. B. 2. 20. 46. Thuan. 54. f. Fabric. orig. lib. 4. p. 433. Hist. Austr. lib. 5. p. 156. add. Specul. Hon. Austr. ann. 1444.

Initio statim belli eluxit Caroli pro Christianâ religione studium. Habito enim Wormatiæ Francorum concilio, in Saxoniam misit copias, & *prima vice castrum Heresburgum cepit, ad Ermensul usque pervenit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi repperit, abstulit*. ita *Annales Bertiniani*, pæne iisdem verbis *Metenses* & *Regino*, ubique ὁμόφωνοι. nisi quod *Hermenensul* & *Hermansaul* vocatur idolum. *Eresburgum* hoc non accipi debere de Mersburgo ad Salam, Thuringiæ fluvium, sed de urbe aut castro veteris Saxoniæ ad Dimolam, cum hoc, tum alia multa memoratu

ann. 772. ann. eod.

moratu digna de hoc loco, exhibent accuratissimæ *Notæ in monumenta Paderbornensia.* *Irmensulam* autem *Saxonicam* totâ commentatione descripsit doctissimus *Henricus Meibomius.* *Lindenbrogius* etiam imagines hujus, & aliorum deastrorum Saxonicorum ob oculos posuit. Pauca attigit *Elias Schedius de DIs Germanis.* Inopiam aquæ, qua destruentes fanum, laborabant, veluti miraculo suppletam, plerique adjiciunt. Victi Saxones, Carolo ad Visurgim accedenti, obsides (Albertus Stadensis XII. nominat) dederunt, impetratâ pace.

à p. 59. ad 71.

in Chron. Car. M. Syngr. 3. c. 3.

Exigui temporis requies illa fuit. cum enim anno insequente, Carolus in Italia Desiderium Langobardorum regem debellaret, Witikindo facile fuit persuadere Saxonibus, ut ulcisci prioris anni damna auderent. cum præsertim Carolus neque limitem Saxonicum valde custoditum reliquisset: neque peculiari tractatu, Saxones ad quiescendum obligasset. Effusi igitur in viciniam Francis parentem, omnia igni ferroque miscebant, usque ad Buriaburg, in quod castrum se receperant, qui fugiebant Hassi. &, ut Saxones ostenderent dolorem ex idolo suo destructo, Fridislariensem Basilicam à Bonifacio Martyre consecratam, igni absumere parabant, miraculo repulsi à cœptis. *Annalibus Bertinianis* & *Metensibus* addendus *Regino ann. 773. & 774.* Nonnulli ad Mœnum penetrasse Saxones, & Saxenhusam oppidum è regione Francofurti condidisse tradunt, notantibus *Fabricio* & *Spangenbergio.* Et Carolus, accepto rebellionis nuntio, maturato in Germaniam reditu, cum Ingelheimium pervenisset, in quatuor agmina partitis copiis (quatuor *Scaras* vocant vetustiores annales, quam vocem Germanicam alii per *legiones*, alii per *exercitus* interpretantur) triplici victoria potitus est. nam quarta legio non reperit, cum quibus pugnaret.

ann. 773.

Orig. Sax. lib. 4. p. 426. Chron. Sax. c. 73.

ann. 774.

Insequentium duorum annorum res gestas (775. & 776.) è recentioribus obscurius ordinat *Fabricius*, clarius quodam modo Spangenbergius. Fundus, in *Annalibus Bertinianis* & *Metensibus*, & *Reginone*, *Poëta Anonymo*, *Annalib. Eginhardi.* Summa, isthæc: Conventus Duriæ celebratus; Sigi-

ann. 775.

Sigiburgum à Francis captum; Heresburgum instauratum; prælio pulsi Saxones, apud Brunisbergam, ubi Francos frustra transitu Visurgis arcere conati sunt. qua de re eleganti carmine, *Monumenta Paderbornensia*:

Arx ubi Brunonis, circumspicit alta, Latini
Militis infectas cæde Visurgis aquas.
Saxones hic, amnem, Carolum, transire parantem
Nequicquam telis impediere suis.
Sed dare versa fuga victori terga coacti
Cesserunt totum fluminis imperium.

ubi nobilis annotatio. Sequitur apud Ocrum (*Obacrum*) fl. deditio Saxonum Ostfalorum (*Austreleudi* Sax. vocantur) Duce Hassione, obsidibus & jurejurando firmata: Angariorum, apud pagum *Bucki* (*Buchi*, *Bukki*, quæ est Boca ad Lippiam) Duce Brunone Witikindi fratre: Westfalorum, armis subactorum. Heresburgum à Saxonibus rebellantibus captum, Sigisburgum frustra tentatum, & miraculo defensum; Desiigburgum etiam egregie propugnatum. *Desenberga* est, quæ

p. 72. &c.

Notæ in monum. Paderborn. p. 75. &c.

ann. 776.

Paruit Imperio Caroli, cum Francus adegit
Saxona degeneri vertere terga fuga.

in *Monumentis Paderbornensibus*, & *Notis*. Hinc iterum concilium Wormatiæ habitum, bellum in Saxones decretum, consultis facta juncta: Heresburgum iterum instauratum, aliudque castellum ad Luppiam, claustrum devictorum, extructum: quo maxima dedentium se multitudo venit, obsides offerens, fidem promittens, Sacramentum Christianæ religionis suscipiens. Dispositi custodes, & manus militum idoneis locis collocatæ.

Devenitur ad concilium magnum, quod Carolus M. Paderbornæ coëgit: ad quod non Francorum modo proceres sed & Saxonum, excepto Witikindo, venerunt.

anno 777.

Hic, ubi fons Paderæ media surgentis in urbe
Duco vetus magni nomen ab omne Padi,

M *Marte*

Marte diu ancipiti Carolus certare coactus,
Delegit castris conciliisque locum.

p. 92. &c. Ita auctor *Monumentorum Paderbornensium*, cujus aureolæ Notæ thesaurum antiquitatum Saxonicarum continent. *Witikindus*, qui semel decrevisset, nunquam in amicitiâ cum Francis esse, eam sibi conditionem quæsiverat, ut affinem haberet, qui & opibus valeret plurimum, & in societatem consiliorum adversus Francos & increscentem longe lateque Caroli dominationem communi periculo adduci posset. itaque Regis Danorum (Normanni tum vocabantur) sororem Gevam secum matrimonio conjunxit. Gotricus is erat, quem exteri Gothofridum aut Sigfridum appellant. unde *Joh. Isaacus Pontanus* duos ex uno redegit, notante errorem *Stephano Johannis Stephanio in Notis ad Saxonis Grammatici libr.* 8. *f.* Hic cum partem Saxoniæ *tributo* sibi obligasset, & *Germaniæ oppressionem* animo agitans, etiam plus ultra aspiraret, faciles præbebat aures sororio, immodicas spes inflanti, & nihil æque illis obstare ac Francorum opes, demonstranti. *Paulus Æmilius* ingenio hic indulget, & suasoriam Witikindi, aliorumque contradictionem ponit: ex quo describit *Lindenbrogius*. Opportunum erat Dania receptaculum Witikindo & quos ipsi socios fugæ eadem ferocia aut amicitia junxerat, unde, ceteris Carolo se dedentibus, nova in Francos consilia procuderet. In hoc Paderbonensi concilio, plurimi iterum Saxones sacro lavacro tincti, & in hanc fidei formulam adstricti sunt: se religionem Christianam, & fidem erga Carolum Regem, ejusque liberos & populum Francorum, constanter servaturos, sub pœna amissionis libertatis, & omnium bonorum. *Bertiniani Annales* ita efferunt: *secundum morem illorum, omnem ingenuitatem & alodum manibus dulgtum fecerunt*, (i. e. amittere se debere professi sunt, sive, in eventum dimiserunt) *si amplius mutassent, secundum modum consuetudinemque eorum, nisi conservassent in omnibus Christianitatem, vel fidelitatem supradicti Caroli Regis, & filiorum ejus vel Francorum. Annales Metenses & Regino* ita interpretantur: *sacramenta dederunt, ut perderent*

Poëta Anonym. Hist. Dan. lib. 4.
ad p. 166.
Saxon. Grammat. hist. Dan. lib. 8.
ann. 777.

rent ingenuitatem, & omnem hereditatem, nisi conservarent susceptam Christianitatem, & promissam fidelitatem Regis & filiorum ejus. Eginhardus: *si ulterius Regis statuta violarent, patria & libertate privarentur.* ex quo eadem verba mutuatus est *Albertus.* Tantis fidei pignoribus editis, nondum tamen fidem servare decreverant.

Neque enim Witikindus, libertatem, & sacra patria amittere fas ducebat. Quare, cum sequens annus Caroli arma in Hispaniam traxisset, famaque de morte ejus percrebuisset, Witikindus hoc illud esse tempus clamitabat, quod finem Imperio Francorum & servituti Saxonum portenderet, si viri essent, & fortunæ venienti sinum pandere auderent. Facile movit homines armis innutritos auctor consilii: ut hoc duce ad Rhenum usque ferro & igne omnia miscerent, non sacris non profanis, nulli ætati aut sexui parcerent. Quibus Carolus auditis, Altisiodoro, ubi tum agebat, delectam Francorum manum (Scaram *Franciscam* [an? Francicam] vocant Annales Bertiniani) misit. cujus tamen conspectum Saxones, deceptos se videntes non sustinuerunt, sed refugere summa ope contenderunt. Quorum plerosque consecuti Franci apud Fluvium Adarnam (Eder) magna clade affecerunt. Witikindum apud Thassilonem Bavariæ Ducem confugium & receptum invenisse, *Spangenbergius* nescio unde hauserit. Hæc ad annum 778. veteres Annales referunt. Chron. Sax. c. 74.

Anno 779. describuntur ea, quæ adversus Saxones apud Buchol (*Bucholtz* silvam à fagis dictam) & Medofulli (Spangenb. *Medbel oder Mepel an der Emß*) gesta sunt. ubi nulla Witikindi mentio. Anno 780. quæ apud Saxones & Sclavos circa religionem & leges ordinata sunt, commemorantur. *Spangenbergius* veteri chronologiæ bene congruit: in Fabricio transponuntur anni, quod typographi potius, quàm auctoris sponte factum crederem, nisi in *Summarum volumin.* eodem modo exhiberi viderem. Anno 781. de Saxonicis rebus siletur.

Annus autem 782. Witikindum in patriam reduxit à Nordmannis (Danis) ad quos profugerat: postquam

 cogno-

cognovisset, Carolum Regem concilio Saxonum apud fontes Luppiæ (Lipspring) celebrato, cui ipse cum sociis interesse noluit, in Franciam rediisse. More suo popularibus ad arma vocatis, castra posuit ad montem Suntal. Ibi Francorum Duces eximios, qui ad Sclavos licentius agentes compescendos missi erant, Saxonumque auxilium speraverant, magna clade affecit, magnamque fortitudinis laudem retulit. Quo nuntio, & jacturâ tot illustrium virorum commotus Carolus, cum exercitu in Saxoniam properavit, & ubi Alara in Wisaram influit, obvios habuit ac supplices Saxones, qui inquisitione factâ, omnem in Witikindum primarium incentorem culpam transtulerunt. Sed is in solitas latebras confugerat. de ceteris, qui persuasioni ejus primum morem gesserant 4500. fere omnes nobilitate conspicui, ad pœnam dediti sunt. Triste spectaculum hic ira præbuit Regis, quando *super Alaram fluvium in loco qui Ferdi* (Verda) *vocatur, omnes una die decollati sunt.* verba sunt *Eginhardi in Annalibus.* Quidam & exilio damnati. *Poëta Anonymus Saxo:*

v. Spangenb. Chron. Sax. c. 75. p. 108.

add. Bertin. & Met. A. &c.

Tradita sunt sanè reliquorum bis duo letho
Millia, quingentique viri, qui tam grave bellum
Illius (Witikindi) *contra Francos gessere suasu.*
Hosque die cunctos Rex decollaverat una
Juxta Alaram fluvium, locus idem Ferdi vocatur.

ex Bibl. Pithæi.

in vit. Rat. p. 24.

Annales incerti auctoris: quorum mors (intelligit legatos & duces Caroli cæsos) *quatuor millium & quingentorum hominum decollatione vindicata est.* Hæc illi satis clarè. Solus *Egolismensis*, territus, credo, magnitudine supplicii, quasi *prælio occisos* memorat. Ita enim scribit: *Iterum omnes Saxones convenientes subdiderunt se potestati domni Caroli, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui ipsum rebellium maximè terminaverunt. In eo autem prælio occisi sunt de Saxonibus quatuor millia quingenti.*

Insequens annus (783.) iterum rebellione & clade Saxonum insignitus est. neque dubium haberi potest, atrocitate supplicii ad ulciscendas necessitudines & propinquorum mortes, concitatos Saxones. Aliqui de Danicis auxiliis

xiliis addunt. Duobns præliis, uno apud Thiotmalli seu Theutmalli (antiquis Teuteburgium, hodie Detmoldia est) altero apud fl. Hasa, non auspicio tantùm sed ductu suo victor Carolus exritit. Witikindi instinctu & consilio rem gestam apud Saxones, non dubitatur. posteriori prælio per triduum pugnato, etiam interfuisse eum, & ex fuga in arcem à suo nomine dictam confugisse, inde paulo post evasisse, variè deinceps latebras mutantem, novissimi Scriptores tradunt, veteribus tacentibus.

Notæ ad monum. Paderb. p. 37. &c. Eginhard. in vita C. Spangenb. Fabric Lindenbrog. &c. Chytræ.

Neque tot cladibus perdomiti sunt Saxones, quin Frisiorum auxiliis sibi conciliatis iterum discrimen belli adeundum statuerent. Igitur (ann. 784.) Carolus filium cognominem adversus Westphalos rem gerere jussit: Ipse, cum Visurgis exundatio iter interciperet, per Thuringiam late provectus est in Ostfalos. ita ex *Reginone* corrigendi sunt *Annales Bertiniani* & *Metenses*, qui utrobique Westphalos ponunt. Recepit victorem filium Wormatiæ, ubi consilio habito decrevit, nullam quietem perterritis dare, donec perdomiti, cupidinem rebellandi abjicerent. Non intercessit ergo hiems quo minus Saxoniam percursarent infesta agmina, Heresburgo, ubi hiemabat Carolus, dimissa.

add. Ursperg.

v. Egolismensis in vit. Car.

Vidit tamen Carolus, solis armis, quamquam fortibus ac felicibus, rem confici non posse. & ad excidium gentis indomabilis grassari, labes victoriæ videbatur. Quapropter consilii unici esse credidit, Witikindum sibi reconciliare. Hîc vero apparet, quantus sit ille, quem cum hostem frangere non posset Rex tot gentium, tot Ducum victor profligatorque, amicum ultro ambivit; & quo gladium tenente, pacari Saxoniam posse desperavit, ejus amicitiam, ut finem belli, expetivit. Hoc Carolus, hoc 785.
Caroli proceres in concilio Paderbornensi (quando *publicum populi sui conventum in loco qui patherbrunno vocatur more solenni habuit*) optimum factu judicarunt. *Peractis his, quæ ad illius conventus rationem pertinebant*, *in pagum vocabulo* Bardengoo (*Bardengavi* est tractus circa Bardevicum in agro Luneburgico) *proficiscitur*, *ibique audiens Uuidokindum ad Al-*

ita MSC. Annal. Eginh.

Meibom. de pagis Saxon.

 bionem

bionem esse in transalbiana Saxonum regione, primo eos per Saxones, ut omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cepit. cumque ipsi facinorum suorum sibi conscii regis fidei se committere dubitarent, tandem accepta ab eo quam optabant impunitatis sponsione, atque impetratis quos sibi dari precabantur suæ salutis obsidibus, quos eis amaluuinus unus aulicorum à rege missus adduxerat, cum eodem ipso ad ejus præsentiam in Attiniaco villa venerunt, atque ibi baptizati sunt. nam rex postquam ad eos accersiendos memoratum amaluuinum direxit, in Franciam reversus est. Descripsimus hæc ex MSC. membrana, quæ in *Annalibus Eginhardi* nonnihil interpolata leguntur, dum editores meliora facere student, quam stilus seculi ferebat. Consentiunt, licet paulo breviore narratione defuncti, *Annales Bertiniani & Metenses, Regino, Urspergensis, Stadensis.* Satis tamen hinc intelligitur, quàm solicite quam comiter cum hoste acerrimo egerit Carolus. primo tentat animum Witikindi per populares, quibus jam documentum suæ fidei & clementiæ dederat. mox diffidenti, & quasi ex æquo agenti cum victore, obsides pollicetur. denique virum illustrem à latere suo, qui adduceret, honoris causa mittit. Alii, sine acceptis pignoribus securitatis mendici habitu in castra Regis venisse, & cum cœnam dominicam celebrari videret die paschatis, miraculo ad expetenda Christianæ religionis sacra inductum, memorant. Sed tempus paschale non congruit. præcesserat enim adventum Witikindi conventus Paderbornensis, mense Majo habitus, & Carolus Paderbornâ Attiniacum regressus erat. Ipsum porro Carolum manus admovisse baptizando & pro eo spopondisse, nec minus Reginam Fastradam pro Geva Widekindi conjuge, facile credimus. Gratulandum est hodieque, utrisque, Carolo & Witikindo: illi quod moderationem armis efficaciorem in tempore speculatus est: huic, quod salute non civili modo sed cœlesti una eademque operâ potitus est. Albionem (Poëta Anonymus Saxo, *Abbonem* vocat) recentiores tradunt, Saxoniam Transalbinam tanquam supremum principem possedisse. quod refellit doctissimus *Lambecius.* Insignem quoque utriusque sexus

Fabric. Spangenb. Lindenbrog. Krantz. Sax. 2, 23; Stangefol. Annal. Westphal. lib. 2. p. 86. & 87.

Orig. Ham.

ſexus comitatum, in partem & communionem Sacrorum Chriſtianorum tunc veniſſe, *Sociorum* nomine Annales indicant.

burg. part. 1. p. 7. & 8.

Ex hac rerum commutatione ingens lætitia, & pax fidelior conſtantiorque. *Tunc tota Saxonia ſubjugata eſt*, inquit *Vita Caroli à Pithœo edita. quievitque illa Saxonicæ perfidiæ pervicacitas per annos aliquot*, ait *Eginhardus.* quæ metro incluſit Poëta laudatus:

Hic iidem proceres ſacri baptiſmatis unda
perfuſi, tandem Regi manſere fideles,
ipſaque gens aliquot requieverat inde per annos.

Octo ſcilicet annos. quibus fido etiam commilitio Saxonum aliquotiens Carolus uſus. In hoc tempus aliqui referunt rem Eccleſiaſticam in Saxonia propagatam. *Tunc demum*, ait *Stadenſis*, *Saxonia* [illegible]*cta in provinciam redacta eſt, quæ ſimul in VIII. Epiſcopatus diviſa Moguntino & Colonienſi Archiepiſcopis eſt ſubjecta.* Eundem numerum tradit *Helmoldus* ex *Adamo Brem. Chronicon Mindenſe*, *decem* numerat. vid. doctiſſ. *Bangerti Not. ad Helmold.* Sed ad ulterius tempus hæc transfert accuratiſſimus *Johannes Gryphiander.* Idem qui inquirit etiam de *ſervitute ex Saxonia ſublata*, *de immunitate conceſſa*, *de exemptione ab Imperio*, *de provincia ſive ducatu Saxoniæ, de decumis ad Eccleſias translatis*: quæ omnia poſt hanc pacem Saxonibus conceſſa aut imperata liberalius juniores & ſecurius memorant. De inſignibus Witikindi, & equo in album mutato ex nigro, nihil attinet refragari: cum per tot ætates duraverint.

ad ann. 788.

Sclav. lib. 1. c. 3.

de Weichb. Saxon. c. 29. c. 24. &c.

ex Poëta Avon. ad ann. 803.

Verum, ætas humana requiritur, antequam memoria priſtini ſtatus deponatur, & patientiâ novi imperii animi imbuuntur. vix certa parendi fides, dum ſuperſunt, qui aliam rempublicam viderunt. Poſt octo annorum quietem, Saxones (793.) Hunnicam militiam detrectantes, interfecto etiam Caroli in Daniam legato, iram Regis concivere. qui mox (794.) bipartito exercitu in campo Siniſtfeld (hod. Sentfeld) eos in ordinem redegit. Poëta Anonymus, *Sinothfeld*. MSc. *Sinofeldo*. In *Monumentis Paderbor-*

derbornensibus elegantissimo carmine celebrantur *Tropea Caroli M. Francorum Regis in campo Sintfeld* :

Nunc ubi fertilibus late flavescit aristis
Tam Cereri gratus quàm spatiosus ager,
Olim campus erat, quo prælia Saxo minatus
Francorum signis obvia signa tulit,
Sed victus cessit titulo : victoria donat
Mœnia vicino conspicienda jugo.
Si Marathon Persis nomen fatale peremtis,
Miltiadæ jactat clara tropæa ducis :
Gloria major erit Caroli, qui parcere victis
Maluit, hostili quàm jugulare manu.

In sequenti anno (*795.*) ob interfectum Wilzan (*Wizin*) Abotritorum regem, qui ad Carolum iter habebat, insidiis Saxonum, in auctores facinoris deditos gladio animadvertit, & tertiam eorum partem obsides accepit.
Hermann. Contract. An. Bertin. Eginh.
Anno 796. 797. iterum late pervastata Saxonia, castrorum suorum locum apud Visurgim *Haristelli* vocari jussit, mutuatus nomen ab Heristallo Francico. Videatur omnino in *Monumentis Paderbornensibus*, *Heristallum Saxonicum in ripâ Visurgis.* Ab his omnibus turbis purgant Witikindum *Krantzius*, & *Fabricius*. Sane nec Veteres ullam in cum per hæc tempora suspicionem concitant.
add. Linden. brog. p. 177.
Anno 798. Nortliudi trans Albim seu Nordalbingi, interfectis præfectis Regiis, iterum clade insigni coërciti, obsides dederunt ferocissimum quemque : & anno sequente Carolus
799. Regis filius cum exercitu illuc profectus in fidem eos suscepit. Transalbiani tamen illi, anno 802. iterum vastati : cum instigantibus ad rebellionem Danis aures patefecissent. anno autem 804. in Franciam translati sunt, Abotritis in eorum sedes inductis. Cæterum magna est laus Witikindi, quod fidem Christo & Regi semel datam, inter tot popularium tumultus, nunquam violasse compertus est.

Quem verò statum devictæ à se Saxoniæ dederit Carolus, unus ex veteribus, *Poëta Saxo*, qui tempore Arnulfi Imperatoris scripsit, explicare uberius studuit. Et hac

hac occasione *Reineccius* in descriptionem ampliorem, quàm Notarum modus ferebat, digressus est. Doctissimus quoque *Conringius* bonam & huc pertinentem operam navavit, in re judiciaria explicandâ. *Spangenbergius* ad hunc finem retulit judicia Westphalica, quasi à Carolo M. instituta. cujus narrationem descripsit *Erpoldus Lindenbrogius*. Sed quod à Carolo M. non proficiscantur illa, ostendit *Gryphiander* prolixe: cui *Conringius* astipulatur, quâ de re mox licebit aliqua annectere.

de Judiciis Germ. §. 21. usque ad 48.
Chron. Sax. c. 85.
de Weichbild. Sax. c. 45. & seqq.
de Jud. Germ. §. 40.

Nunc enim ad *Witikindum* redeundum est. Cui duas Uxores attribuunt: primam, *Gevam* Daniæ R. filiam, cujus matrimonium, ut robur & præsidium ad majora nitendi amplexus est. hæc genuit ei filium *Wigbertum*; & *Hasalam* filiam. Altera Uxor *Suatana* (seu *Suaterna*) Principis Bohemi filia appellatur, è quâ suscepit *Witikindum II.* Comitum Wethinensium conditorem. *Albertus Stadensis* Witikindi Magni posteritatem eatenus memorat, ut ad Magnum Ottonem à Wigberto, Brunone, Ludolfo, Ottone Henrici patre, properet.

Reusner. Chytræ. &c. v. *Krauß im Stamm und Ankunfft deß H. Sachsen.* Laur. Peccant. theatr. Sax. part. 1.

Exitum vir militaris sortitus est militarem. *In extremâ enim senectute bellum gessit, nescio quâ causa excitatus* (verba sunt *Fabricii*) *cum Nothardo* (alii Geroldum vocant) *Duce Suevorum: quod prælium cum durasset satis diu, fatigatus gravitate armorum & contentione pugnæ oppetiit: & in templo à se structo sepultus fuit. quod cum Henricus I. Imp. destrueret, & Vallerslebam non procul à Brema transferret, etiam cineres ejus loco moti sunt & Padelborna repositi, ut Chronicon Cellense, in qua urbe divi honore cultus est, ut Origines. Diem, mensem, annum & obitus & translationis, vetustas locorumque illorum vastitas oblivione obruerunt.* Albertus Krantzius, *in Ecclesia collegii, quod fundaverat, sepultum, & postea Paderbrunnam à filiis translatum*, tradit. Describit *Crusius Annal. Suev. lib. 1. part. 2. c. 2.* Vulgo annum mortis assignant 807.

Orig. Saxon. lib. 4. p. 439. & 440.
Saxon. lib. 2. c. 24.

Quod si Witikindus nactus esset facundos & diligentes rerum gestarum conditores, vix ullo maximorum imperatorum minor haberetur. Sed incidit in tempora annalibus scribendis iniqua. Unde de coævis scriptori-

 bus

bus vix unus & alter; nec de iis, qui aliquot post sæculis Carolina tempora attigerunt, multi supersunt. hique omnes levi mentione & quasi in transcursu defunguntur. Juniores, plura quidem adferunt, sed quibus non usquequaque licet fidere. Ex *Gobelino Persona*, *Krantzius* & alii multa describunt, quibus non semper acquieveris. *Chronicorum* ad varias nationes & loca sua scripta accommodantium, quanta sit credulitas & negligentia in rebus vetustioribus corripiendis describendisque, notius est, quàm ut dici debeat. Supersunt varia Chronica necdum edita: sed pleraque à temporibus, de quibus sermo est, nimis remota, neque auctoritatem præstare idonea. *Spangenbergius* sine dubio multum diligentiæ adhibuit: plus etiam, *Fabricius*. optem tamen sæpe, fontes, unde hauserint, nosse: In *Erpoldi Lindenbrogii Carolo*, mirari licet, sæpe in margine adscribi, *Hermannum Contractum, Sigebertum*, & alios, in quibus ne apex quidem ejus rei, quæ tractatur, extat. Quàm multa non aliud, quàm ex famâ, nunquam satis liquidâ, subsidium habent? Longè magis ergo interdum ad novissima tempora quadrat, quod jam olim *Curtius* questus est: quod summa *componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel par huic vitium credulitas sit*. Igitur paucula illa ex vetustioribus colligere, quàm novissima cumulare, satius visum est.

lib. 9. c. 5. n. 21.

Judicia Secreta sive Westphalica, à Carolo M. veluti necessariâ severitate, ut *Chytræus* autumat, ad continendos in officio Saxones, inducta, vulgo credi tradique, diximus. Liceat ergo pauca hic, per modum appendicis, annotare. Duo sunt inprimis doctissimi viri, qui de hoc argumento disquisiverunt: *Gryphiander, de Weichbildis Saxonicis*, *& Meibomius, de Irmensula Saxonica*. Non exscribenda sunt, quæ illi fusius disputant. I. *Quod fuerint judicia sic appellata, ut diversis vocabulis exprimuntur*, non dubitamus. II. An talia fuerint, ut describuntur, maxima oritur dubitatio. nam & suspecta res est, quod ejus temporis aut proximè insequentis æqualis nemo, mentionem rei facit, quam præteritura non erant illius ævi ingenia.

Plurib. capp. c. 12. à p. 39. usque ad 46.

genia, ad hæc παράδοξα arripienda præ ceteris intenta. *Gryphiander* cum *Frebero* primum putat *Æneam Silvium* sexto demum post Carolum sæculo, tradidisse. *Meibomius* duplicem ex sæculo Christiano XI. & sæculo XIV. auctoritatem affert, ad quæ responderi potest; sic quoque intervallum esse à sæculo VIII. aut IX. (discrepant enim de origine) ad sæculum XI. Deinde vix probatum dari potest, *crudelissimam legem Saxonum* (apud Wipponem *in Conrado Saliquo*) accipi debere de Westphalicis judiciis. certe nec Meibomius ipse sic accepit in *Notis ad* Witichindi *Annales*. *Henricus de Erfordia* adhuc longius abest à temporibus Carolinis, & nugis admixtis, auctoritatem, si quam habet, destruit. Nec minimam suspicionem parit diversitas & discordia narrantium, qui nec in tempore instituti talis, neque in causis & delictis vindicandis, neque in modo & ordine exequendi conveniunt, sed valde dissona tradunt. III. *An Carolus M. aliquod genus judiciorum instituerit, quod diceretur heimliche, Westphalische oder Freygericht*, rationes sunt graves ab aliis productæ, cur difficile ad fidem sit, quas nondum vidi refutatas. Ipsi quidem, Judices, & *die Freygraven*, id jactabant, & famâ inolitâ nitebantur. memini me vidisse exceptionem Imperatori hoc nomine oppositam. Et Fridericus III. Imp. in *Reformatione* suâ 1442. ad Caroli M. institutum rem videtur revocatam velle. Posset quidem hîc dici, non esse necessarium, ut curia semper in veritatem historiæ inquirat: posse accipi prætextam famam & ad jus ferendum utiliter converti. quâ de re *Gryphiander*. Sed dicamus potius, Imperatorem, si non verba cavillari sed sensum ex toto contextu inspicere velimus, negare, à Carolo M. talia judicia, qualia vulgo tum jactabantur & affectabantur, unquam instituta esse, sed Carolum nullis judicibus, ultra suæ jurisdictionis terminos, & causarum discrimina, & ordinem æquitati consentaneum, tam infinitam & liberam potestatem concessisse, & quæ antehac eo nomine venditarentur judicia, nihil tale affectasse. De cetero in formulis Processuum etiam legitur: *Jch ... ein gewehrt richter und frigreve*

c. 6.

pag. 41.

de Weichb. Sax. c. 55.

greve des H. Richs vnd der Keyserlichen frien graveschafft zu ..... tun kunt und bezugen vermitz diß offenen brief für allen fürsten, hertzogen, graven, edlen, herren, rittern, Stetten, ampluten, voigten, richtern, vnd vort allen guten mannen die disen gegenwertigen brieff sollent sehen oder mægent hæren gelesen werden, daß ich dalig vff dag datum diß brieffs den fryen Stul in .... gelegen mitt vrtel vnd recht becleidet, vnd besessen hatte gespanneter banck in einem offenbaren freien K. gericht zu richten nach gesetzen vnd alten herkumen des grossen vnd heilgen Kaiser Carls melder gedechtnuß, alß mir dann zu recht geburht &c. Et post Reformationem prædictam ausi sunt jactare: *hæc à Carolo M. instituta, hactenus conservata, etiam in Reformatione Friderici Imp. stabilita, omni contradictione superiora esse.* Gloriabantur amplius, *se nomine totius Imperii & vice sacra judicare.* Ita *Ich .... ein gevvehrt vriegrave und richter des Allerdurchl..... Sigmundes Romischen Kayserß..... des fryen Stols tot.....gelegen do kunt und betuge in disem breyve der hemlichen achte, vor allen ersamen vriegraffen, und vor allen ersamen rechten vryscheppen derselver heimlicher achte, dat ich op disen tage gyffte deß breyves besat stad und Stol den vorgenanten fryen Stol to .... vnder Kænigs banne gespannender banck in einem vryen gehegeden gerichte mitt oirdeln und rechte to richten over lyff vnd eere na gesette vnd recht des hilgen richs hemelicker beslotner achte &c.* postea in sententia ferenda, *dat sy dem vorgen.....sin recht don vnd hangen ene an des Kænigs Wymen, dat iß an den eyrsten hom den sy ankumen, und dar to bequame iß &c.* Hæc ex Sæculo XV. IV. Interim, dum tanto ambitu Imperatoris & Imperii auctoritatem ubique prætexunt, totum in Imperio judiciorum ordinem convellunt, & Imperii arcana tentant. Jampridem enim plerisque Imperii Civibus prospectum erat, ne evocarentur ad longinqua & externa judicia, si apud suum magistratum aut electum in vicinia judicem juri stare vellent. At illi judices Westphalici hæc insuper habebant, & in omnes sibi jurisdictionem vindicabant. Quare Reformatio Cæsarea id agit potissimum, ne causæ à competen-

tibus

tibus judicibus avocarentur, aut ad judicia Westphalica traherentur illi, *deren man zu ehren vnd recht maehtig seyn künte.* Hanc tamen ipsam Reformationem, ut diximus, pro se interpretantur, & spretâ sanctione pœnali, omnibus modis se opponunt. Igitur præter Reformationis remedium, Cæsar plerisque Statibus Imperii peculiaria privilegia contra judicia Westphalica dedit, & pro infirmioribus etiam constituit conservatores & defensores talium privilegiorum, ex vicinis Principibus. semper tamen obluctabantur illi, & priorem importunitatem pertendebant, ita ut Freygravius aliquis, *der doch kein Stulber ist*, exhibitâ sibi inhibitione Cæsareâ, quâ in irritum revocabatur talis citatio, &, in eventum, sententia, respondere non sit veritus: legisse se mandatum Cæsareum, sed S. M. Cæs. non intelligere hoc jus, neque inhibere posse, *das nach dem vnser allergnedigster Herr der Rœmische Kayser der Westphalischen gerichte nicht vvissende vvere, soliche inhibition vber die Westvelischen gerichte vssgenzulassen, sinen gnaden nicht gepurlich sin solte &c.* Igitur Status Imperii complures fœderabantur contra violentiam horum judiciorum, ita ut, si quis fœderatorum deprehenderet nuntium ferentem literas citationis aut alias ejusmodi schedas, cuicunque alii fœderato inscriptas, is latorem carceri manciparet & male mulctaret. Sunt imo tales geruli literarum undis suffocati, aut aliter necati, aut neci vix subtracti. Neque hæc severitas effecit, ut desisterent Westphalici judices. submiserunt quinimo clam homines, qui in portis & aliis locis apud aditus urbium abderent aut infigerent de nocte literas denuntiatorias.
V. Apparet ex his sæculo XV. cotidie pæne frequentatis contentionibus, judicia Westphalica, ut prætendebantur, pro abolitis fuisse, si rem ipsam velimus dicere: neque potuisse cum Camerâ anno 1495. institutâ, stare. Omnia molimina Westphalicorum pœnam merebantur, constitutionibus & privilegiis sancitam, & repetitam *Ordinat. Camer.* 1555. *part.* 2. *tit.* 20. *§.* 8. Quid enim superarat illis, si leges Comitiales exercerentur? Itaque VI.
 dubi-

dubitare hactenus licet, an in Archivis alia reperiantur *Acta* talium judiciorum, quàm quæ de abusu testantur, sive ad ea tempora pertinent, quibus abusus usum absorpserat & ignotum fecerat: ita ut undique contradictiones opponerentur. Cumque ea, quæ dixi, in pluribus archivis reperiantur, VII. bene mererentur de hoc argumento, qui feliciores in reperiendo, usum judiciorum horum ante abusum historicè demonstrarent; & ostenderent, quo tempore judicia Westphalica, & quomodo in usu fuerint, ut ab aliis judiciis proprio charactere, sed legitimo, non improbato, dignosci possent. Non opus est negare talem usum: sed fas est, desiderare descriptionem & historiam. Non sufficit dicere: fuit usus Secretorum judiciorum. nam ejus mentionem fieri in Actis publicis, vel ex *Wehnero* constat. Sed descriptionem historicam ante tempora abusus, requirere liceat. hoc reperire, hactenus mihi non fuit integrum. VIII. Aliud enim genus existimo *der Wissenden*; cujus formulam habet

pag. 410. Wigulejus *Hundius circa finem des Bayrischen Stammbuchs.* licet Meibomius vocis comparandæ causa ad Westphalicos referat: apud quos dicebantur *Wissend*, qui secreti judicii scientiâ essent imbuti. *als des fryen hemlichen gerichts vvissende vnd echt recht Fryschœffen.* & in inscriptionib. lit. *diesen brieff soll nieman lesen oder hœren dann ein Fryschœffen.* Item illa formula: *das vor uch als der fryen hemlichen gericht unvvissendt nicht zuvermelden ist &c.* Atque hæc hactenus paucissima ex plurimis. Justum enim volumen impleret accuratior consignatio eorum, quæ ad Westphalica judicia pertinent. à quâ neminem deterrere potest Freheri libellus de his judiciis, in quo paucissima attigit.

IV.
THEODORICUS OSTROGOTHUS, ITALIÆ REX.

MEruit tantus vir, cujus dispersa pleraque haud perinde ad memoriam valent, diligentius narrari posteris. Quare, unde repeti singula debeant, servato temporum

porum rerumque ordine, consignare decrevi: operæ facturus abunde pretium, si ad illustrandam ejus ævi, quo vixit, historiam, aliquid adjumenti hic libellus attulerit.

Græci Theuderichum, Latini Theodoricum vocant: Juniores, Veronensem cognominarunt, vel ob illustrem apud Veronam de Odoacro victoriam; vel quod in ea urbe, præcipuo à se cultu operibusque adornata, regiam habuisset. Plures viderunt ea tempora Theodoricos, regali nomine sceptroque fulgentes. In quibus Westgothorum unus in Gallia, Theodoricus major, *Sidonio Apollinari* laudatus (malè enim *Guil. Fornerius* & alii, nostro Theodorico, quem non vidit *Sidonius*, illam descriptionem aptant) alter Ostrogothorum, & subinde Italiæ Rex, *Ennodii* panegyrico celebratus, omnium animos in se verterunt. Ille nobilitatam præclaris facinoribus vitam, inter victoriam de Attila in campis Catalaunicis, profudit: hujus operibus postrema, sæculi à nato Christo quinti, cum magna parte sexti, occupatur.

Hadrian. Valef. rer. Franc. l. 4.

Lib. 1. ep. 2.

In not. ad Cassiod. lib. 1. ep. 25.

A. C. 451.

Paternum illi genus longa cognatione regiæ Amalorum stirpi annexum: unde, Ostrogothici regni insigne, cognomen vulgo addunt, Amalum vocitantes. Ex ea familia Avus ejus Wandalarius terna prole mascula celebratur. Walamir, Theodemir, Widemir, concordia & virtute ad præcipuum gloriæ enisi, Hunnorum dominatu, post Attilæ mortem, profligato, Romanorum amicitia opes gentis recrearunt. Horum fratrum Theodemirem seu Dietmadum, plerique *Jornandem* secuti, Theodorici patrem faciunt. Sed *Malchus apud Photium*, & *Anonymus Excerptorum auctor*, ab *Henrico Valesio* cum Ammiano Marcellino editus, Walamiro genitum perhibent. Nec alio pertinet illud in *Chronico Marcellini*: *Theodoricus cognomento Valamer.* Ex quo corruptum est alterum illud *Reginonis*: *Theodoricus cognomento Walager.* Materna origo impar. De Erelieva enim concubina susceptum, *Jornandes* scribit: quam alii Trileuuam, Liliam; *Anonymus Valesii* de Gothico nomine in baptismo Eusebiam dictam, nominant.

Jornand. de reb. Get. c. 48. & 52.

cap. 55.

cod. 78.

cap. 52.

Nati-

Nativitas ejus incidit in annum Christianum quadringentesimum quinquagesimum quintum, si octavum ætatis egit, cum à patre Leoni Imperatori Constantinopolitano obses pacis daretur, sicut *Jornandes* auctor est. Multum profuit ei hæc educatio ad ea, quæ gesturus erat. Quare *Ennodius* Ticinensis Episcopus, *Educavit te*, inquit, *in gremio civilitatis Græcia, præsaga venturi. quem ita ingressum vitæ limen erudivit, ut dum adhuc de puero haberet hilaritatem, mox eum sequeretur securitas de tutore.* Et de indole ad gravitatem imperii exsplendescente addit: *adhuc in cano flore degebas adolescentiæ, nec virtutum messem lacteus ante experimentum culmus attulerat: adhuc blanda erat imago pubescentis, nec tingens faciem lanugo vestiebat, quando avi purpura & flosculus, supervenientis imperii promittebat solicitis de gratia commutatione terrorem.*

In panegyrico.

Remissus ab hoc obsidatu domum, octodecim annorum adolescens, cum reperisset patrem à bello Suevico regressum, impatiens otii, comparata sibi delectorum clientium manu ad sex millia armatorum, ingens virtutis documentum edidit. Inscio enim patre, trajecto Danubio, in Sarmatarum Regem Balvi, victoria de Romano Duce Camundo parta elatum, improvisus irruit, amplissimaque de interfecto spolia ad parentem reportat. Urbem quoque Singidonum Sarmatis ereptam, in suam ditionem redigit. Hinc commilitio patris æstimatus, in Illyrico & Thessalia rem gerit. Occasio belli, infirmatum, tot factionibus & rebellionibus Principum, Romanum Imperium; ac injuriis opportunum. accessit inopia rerum necessariarum, quam armis libentius quàm industriâ pacis quærebant militares animi, non sufficientibus multitudini, quas à Romanis acceperunt, terris. Eventus belli is fuit, ut, præter uberem prædam, agris & oppidis augerentur Gothi. Atque id ultimum patri Theodorici operum mortalium fuisse, *Jornandes* seu *Jordanus*, ex quo ista attulimus, testatur.

Jornand. c. 55. A. C. 472. A. C. 473. cap. 56.

Cujus, quæ sequitur narratio, non satis distincta est. Lætatum Zenonem Imp. successione Theodorici in locum

cap. 57.

cum patris, evocasse eum ad se, & in primoribus habuisse, nemini ad fidem difficile videri potest. sed intervallum illud, cum sequitur, *post aliquod tempus*, consulem factum, expleri debet. Præstabunt hanc operam *Evagrius*, & *Anonymus Valesii*, cum *Ennodio*. Nam & Ille perduelles, Illum, Marsum, Leontium, Pamprepium opera Theodorici compressos refert: & Iste, reductum ab exilio, hujus viri opera Zenonem affirmat. Ponam ipsa verba in re plerisque præterita: *Zeno confortans Isauros intra provinciam, deinde misit ad civitatem Novam, in qua erat Theodoricus Dux Gothorum, filius Walameris, & eum in solatium sibi adversus Basiliscum objectans militem, post biennium* (non integrum) *veniens, obsidens civitatem Constantinopolim. Sed quia Senatus & populus Zenonem metuentes, ne quid mali pateretur civitas, relicto Basilisco, se illi omnes dederunt aperta civitate, Basiliscus fugiens ad Ecclesiam intra baptisterium cum uxore, & filiis ingreditur.* Credo nec *Ennodium* satis intellectum, de hac re indubie loquentem in illis: *pulsa est extemplo principalis urbe reverentia, & in vacuam possessionem nullo ascitus sanguine tyrannus* (Basiliscus intelligitur) *accessit.* Et subinde: *In ipsis congressionis tuæ foribus cessit invasor, cum profugo per te sceptra redderentur, de salute dubitanti.* Cumque hoc meritum amplius extulisset, de præmio accepti consulatus illa subjicit: *Sed parcus in exigendis præmiis, quasi sufficiens ad vicissitudinem operum tuorum, fasces accepisti. non quo tibi accederet genius de curuli, sed ut de te pretium palmata mereretur.* Nondum satis. Palmatam & fasces consulares, nominatim indicant sequentia: *Ille annus habuit consulem, qui rempublicam non tam solicitudine quàm opinione tueretur.*

lib. 3, c. 27.

p. 478.

A. C. 477.

In panegyrico.

Sed adhuc differt consulatum orta de integro discordia inter Theodoricum & Zenonem Augustum, si *Marcellino Comiti* credimus. Consulibus enim Severino & Trocundo, qui annus præcessit designationem Consulis Theodorici, ita ponit: *Theodoricus, cognomento Walamer* (Walameris filius) *utramque Macedoniam & Thessaliam depopulatus est, Larissam quoque Metropolim deprædatus.* Insequente anno, qui

A. C. 482.

A. C. 48[illegible]

qui Anicium Faustum solum habet Consulem, sequitur apud *Marcellinum : Idem Theodoricus Rex Gothorum Zenonis Augusti munificentiis pene pacatus, Magisterque præsentis militiæ factus, Consul quoque designatus, creditam sibi ripensis Daciæ partem, Mœsiaque inferioris, cum suis satellitibus pro tempore tenuit.* Apud *Iornandem* honores cumulantur: *Et post aliquod tempus* (cujus acta hactenus supplevimus) *ad ampliandum honorem ejus, in arma sibi eum filium adoptavit, de suisque stipendiis triumphum in urbe donavit, factusque est Consul ordinarius, quod summum bonum, primumque in mundo decus edicitur, nec tantum hoc, sed etiam equestrem statuam ad famam tanti viri ante regiam palatii collocavit.* In *Annalibus* brevius, sed ut explicet consulatus honorem : *Theodoricus vero Zenonis Augusti pellectus humanitate Constantinopolim venit, ubi magister militiæ præsentis effectus, Consulis ordinarii triumphum ex publico dono peregit.* Describit consulatum, conatu ornandæ orationis, triumphi comparatione, quam explicare præsertim *Cassiodorus* potest. Idem qui morem *per arma adoptandi*, optime declarat. *Magister militiæ præsentis* apud Marcellinum, aut *magister militum præsens* (ita enim legerem apud Jordanum, pro *præsentis*) sive Præsentalis, dicebatur, qui in procinctu sive comitatu Principis agebat, & præsentalibus numeris præerat, cum alii aliis in locis Magistri armorum essent constituti. Eodem ergo honore Zeno Theodoricum affecerit, quo postea Justinianus Vitalianum apud *Iornandem*, quem *ad se evocatum magistrum militum præsentem, & Consulem ordinarium fecit.* Addunt *Procopius* & *Anonymus Valesii*, etiam Patriciatus honorem Theodorico datum. Quod vocabulum Constantinus Maximus, ab antiquo significatu, ad novum & insignem honorem transtulit. Habuit autem collegam in consulatu Theodoricus, Fl. Venantium Decium, occidentis consulem.

De reb. Get. cap. 57.

De regnor. success³. cap. 104.

A. C. 484.

Var. 6. 1. adde Pithœi adverf. 1. Henr. Valef. ad Ammian. p. 7.

De success. regn. c. 110. lib. 1. Goth. v. Zosim. 2. Cassiod. 4. 2. & lib. 8. ep. 9. 10. 11. Henr. Valef. ad Marcell. p. 321.

A. C. 487.

Ab hoc tempore, *Jordanes* eum Constantinopoli detinet, usque ad expeditionem Italicam. Quod fieri nullo modo potest; tum per alias rationes, tum ob testimonium *Marcellini*, qui Boëthii consulatu ita scribit : *Theodoricus Rex Gothorum, Zenonis Augusti nunquam beneficiis satiatus,*

tus, magna suorum manu usque ad regiam civitatem Melentiadam oppidum, infestus accessit, plurimisque locis igne crematis, ad Novensem Mœsiæ civitatem, unde advenerat, remeavit. Hoc esse illud tempus oportet, quo Zeno Imperator, consilio quàm armis Theodoricum amovere maluit, Italiamque ei Odoacro insessam ostentavit. De qua re *Procopius*: Lib. 1. Goth.
Ζήνων δὲ βασιλεὺς τὰ παρόντα εὖ τίθεσθαι ἐπιστάμενος, Θευδερίχῳ παραινεῖ ἐς Ἰταλίαν πορεύεσθαι, καὶ Ὀδοάκρῳ ἐς χεῖρας ἰόντι τὴν ἑσπερίαν ἐπικράτησιν αὐτῷ τε καὶ γότθοις πορίζεσθαι. ἄμεινον γάρ οἱ εἶναι, ἄλλως τε καὶ ἐπ' ἀξίωμα βουλῆς ἥκοντι, τύραννον βιασαμένῳ τε καὶ Ἰταλιωτῶν ἄρχειν ἁπάντων, ἢ βασιλεῖ διαμαχομένῳ ἐς τόσον κινδύνου ἰέναι. *Hugo Grotius* Latine sic convertit: *At Zeno Imperator; gnarus rebus uti, ut dabant tempora, Theuderico hortator est, ut in Italiam iret, Odoacroque dejecto, sibi ipse ac Gothis pararet Occidentis regnum: Quippe satius homini in senatum allecto Roma atque Italis imperare, invasore pulso, quam arma in Imperatorem cum periculo experiri. Jornandes* petitam à Theodorico hanc conditionem refert: suasoriamque ad Zenonem eo nomine adornat. *Anonymus Valesii* ita: *Zeno itaque recompensans beneficiis Theodericum, quem fecit Patricium & Consulem, donans ei multum, & mittens ad Italiam, pactuatus est, ut si victus fuisset Odoachar, pro merito laborum suorum loco ejus, dum adveniret tantum, præregnaret.* De reb. Got. c. 57.

Ab hac pactione pendet jus Imperii Italici, quod Theodoricus tenuit. Agitatur ea disceptatio post hæc tempora inter legatos Gothorum, & Belisarium Justiniani Ducem, apud *Procopium*. Illi inquiunt: *Non vi Romanis Italiam eripuere Gothi. Odoacer eam Imperatoris cum cæde raptam vi tenebat: cum alter Imperator Orientem obtinens Zeno, ulcisci interfectum, Italiam servitio eximere quærens, sed virium, quas Odoacro opponeret, non satis apud se reperiens, Theuderichum Principem nostrum, qui ipsi tum Zenoni obsidium minabatur, permovit, ut inimicitiam recentem condonaret memoria dignitatum à se acceptarum (& Patricius quippe & Consul Romanus fuerat) de Odoacri autem in Augustulum scelere pœnas sumeret, Italiamque ipse & Gothi tenerent in posterum, ut qui optimo jure.* Contradicit Belisarius in hanc sententiam: *Misit Theudericum O-* Lib. 2. Goth.

doacro bellaturum Zeno, non ut is Italiæ imperium vindicaret (insessor enim insessori ad Imperatorem quid interest?) sed ut sub Imperatoris legibus libertate Italia uteretur. At ille re adversus Odoacrum bene gesta, cætera contra fas egit, vero domino terram recusans reddere. Mihi vero qui vi rapit, & qui retinet alienum, in æquo sunt. Priorem sententiam alii Gothorum
lib. 1. legati ad Francos apud *Agathiam* repetunt: *Theuderichum non nolentibus Romanis, sed Zenonis Imperatoris concessu venisse in Italiam, neque eam Romanis abstulisse, qui pridem eam amiserant, sed, depulso Odoacro invasore peregrino, belli jure quæsivisse, quæcunque ille possederat.*

Hæc postrema imbellius audiuntur. Neque enim, qui latroni rem alienam eripit, sibi eam invito domino retinere potest. Posset forte juvari ratio ista, si diceretur: pactionem illam, quâ Zeno Theuderico imperium Italiæ concessit, fundari jure belli, adjudicante cuique, quod sui sanguinis periculo quæsivit. Verum & sic reditur ad pactionis formulam, unde judicium unice faciendum est. Quandoquidem autem non extat illa ὑποθήκη
Lib. 3. c. 27. Ζήνωνος, sive instrumentum pactionis Zenonis, quod *Evagrius* appellat, conjectura utendum est: quæ nos eo ducit, ut credamus, fiduciarium regnum pactione Zenonis
Aventin. l. 2. prope fin. concessum Theodorico, non proprium; aut si de restituendo nihil dictum est, ut vicarius Imperatoris esset Theodoricus. An nomine & insignibus regni? Non credo. Id enim peculiari legatione per Faustum Nigrum à Zenone postea petiit: sed cognito Zenonis fine, non ex-
Anon. Val. Rer. Franc. lib. 5. p. 244. & 245. pectato Anastasii consensu, regium nomen præcepit, sicut ex veterum monumentis *Hadrianus Valesius* colligit. Hinc illud *Procopii*: ἦν δὲ ὁ Θευδέριχος λόγῳ μὲν τύραννος, ἔρ-
Lib. 1. Goth. voc. Θευδερ. γῳ δὲ βασιλεὺς ἀληθής. quod descripsit *Suidas*: *Erat quidem Theuderichus verbo invasor, re autem ipsa rex verus.* Intelligit autem virtutem & facultatem, non jus regnandi. *Aimoinus* temporum rerumque seriem confundit: & præsertim
Lib. 1. c. 10. hist. Franc. evocatum aliquotiens in aulam Theodoricum, eo quod regnum affectare diceretur, insidiasque ei à Zenone structas, loco non suo narrat. Et de insidiis quidem illis, ante

ante expeditionem Italicam ponendis, jam olim variatam rei actæ memoriam, *Evagrius* fatetur. Juniores securius in hac re versantur; apparebitque satis ex illis, quæ dicta sunt, & quæ dicentur, quid desideretur in verbis illis *Onuphrii Panvinii: Fuit autem Theodericus Ostrogothorum rex, gente Amala ortus, Zenonis Imperatoris amicus, à quo ad liberandam Italiam à tyrannide Odovacri missus, eum Ravennæ occidit, Italiaque imperio, consentiente Anastasio, potitus est.* Lib. 3. c. 27. Comment. in lib. 3. Fast. a. Chr. 493.

Sed nobis ad expeditionem Theodorici regis redeundum est. Ad quam suscipiendam non metus tantum insidiarum Zenonis, sed Friderici etiam propinqui, Felethei regis filii instigatio, aliquid potuit. *Procopius* ita eam signat: *Theodericus sequentibus se Gothis Italiam petit. imposuerant curribus mulieres puerosque, & quantum ferri poterat supellectilis. Ad Ionium mare ut venerant, destituti ad transvehendum navibus, oram obeuntes ad Taulantios finitimasque gentes pervenerunt.* Apud *Jornandem: recto itinere per Sirmas ascendit, vicinas Pannoniæ.* Annum *Marcellinus* ponit à Christo nato CDLXXXVIII. tempus hibernum *Ennodius in panegyrico* designat. Quod tempus de apparatu belli accipiendum putant. Festinant enim nimis *in Marcellini Chronico* etiam sequentibus annis attributa, ad rei exitum. Quippe & proximus annus, retundendis Bulgaris & Gepidis, expeditionem Italicam morantibus, convenire videtur. Rem enim adversus Bulgaros gestam (nam de Gepidis nulla dubitatio relinquitur) ante Italiam intratam, vel illa *Ennodii*, cui utriusque victoriæ descriptionem præcipue debemus, clausula ostendit, Bulgarico bello subjecta: *Cursim multa transcendo, ne pigrioris stili vitio serius advenias, ne Romana fax curiæ diu in umbra coacta tardius elucescat.* Hinc apparet, errare *Pencerum*, qui *in Chronico Carionis* primam Bulgarorum mentionem fieri putat, in historia Constantini Pogonati circa annum Christi 680. Nam in his ipsis Theodorici temporibus iterum Bulgari memorabuntur. *Sigonius* Gepidarum regem Transillam (alii Trafstilam, vel Trapstilam) Bulgarorum, Busam vocat. Lib. 1. Goth. hist. add. Ennod. panegyr. cap. 57. A. C. 488. A. C. 489. Sigon. de occid. Imper. lib. 15. In panegyr. Lib. 4. De imp. occid. lib. 15. p. 260.

Post hanc victoriam suscepta est expeditio Theodorici, de qua cœpimus dicere, anno sequenti Fausto ac
A. C. 490. Longino Consulibus. *Qui cum Odoacro erant, in occursum cum se tulissent, praliis aliquot, suo cum Duce Ravenna sese & aliis circum locis, qua munita maxime, inclusere*, notante *Pro-*
Lib. I. Goth. *copio*. Ad quem fere modum *Jornandes*: *Inde Venetiarum fines ingressus* (Theodoricus) *ad pontem Sontium nuncupatum*
de reb. Goth. c. 57. *castra metatus est. Quumque ibi ad reficienda corpora hominum jumentorumque aliquanto tempore resedisset: Odovacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille, ad campos Veronenses occurrens, magna strage delevit, castrisque solutis, fines Italia cum potiore audacia intrat; transactoque Pado amne ad Ravennam regiam urbem castra componit, tertio fere milliario ab urbe, loco, qui vocatur Pineta.* Verum tres diversas pugnas cla-
p. 479. rius signat *Anonymus Valesii*: *Occurrit venienti Odoachar ad fluvium Sontium, & ibi pugnans cum eodem, victus fugit. At vero Odoacer abiit in Veronam, & fixit fossatum in campo minore Veronense V. Kal. Octobris. Itaque persecutus est eum Theodoricus, & pugna facta ceciderunt populi ab utraque parte. tamen superatus Odoachar fugit Ravennam pridie Kal. Octobris.* Subinde: *Fausto & Longino. his Coss. Odoachar rex exiit de Cremona, & ambulavit Mediolanum. Tunc venerunt Wisigotha in adjutorium Theoderici, & facta est pugna super fluvium Adduam, & ceciderunt populi ab utraque parte. & occisus est Pierius Comes Domesticorum III. Idus Augusti, & fugit Odoachar Ravennam, & mox subsecutus est eum Patricius Theodericus veniens, & fixit fossatum, obsidens Odoacrem clausum per triennium Ravenna.* Duo prio-
In panegyr. ra prælia *Ennodius* celebrat: & in Veronensi, magnificas vestes Theodorici in aciem ituri, tum orationem ad matrem & sororem describit. Tempus ita distinguit *Cas-*
In Chron. A. C. 489. A. C. 490. *siodorus*, ut duo prælia in consulatum Probini & Eusebii; tertium, in consulatum Fausti Junii conferat. Priore quidem anno annotans: *His Coss. felicissimus atque fortissimus D. N. Rex Theodericus intravit Italiam, cui Odovacer ad Isontium pugnam parans victus cum tota gente fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Verona vincitur Odovacer.* In sequente: *Hoc cos. ad Ducam fluvium* (Aduam debuit dicere) *Odovacrem*

D. N.

D. N. Theodericus Rex tertio certamine superavit, qui Ravennam fugiens obsidetur inclusus. *Sigonius* autem tria ista prælia in annum posteriorem confert, & diligenter describit. Atque in hoc ipsum tempus etiam Gundobaldi Burgundionum regis in Liguriam Æmiliamque incursionem, magnamque vim hominum in captivitatem abductorum convenire putat: dum Odoacer in bellum Gothicum versus, nudum patefecisse latus videbatur. Raptim autem direptis rebus prædisque actis, recessisse hostem ait, ut primum audisset Theodericum Italiam ingressum esse. *Hadrianus Valesius* eodem quidem anno id accidisse memorat, sed post illas victorias, de quibus dictum est, Gundobaldo Theodorici conclusionem Ticinensem, in occasionem invadendæ Liguriæ rapiente.

De occid. Imper. lib. 15. A. C. 490.

Rer. Franc. lib. 5.

Theodoricus enim relicto Addua fluvio, cum Mediolanum expugnasset, multi in fidem ejus se dedere properarunt, etiam Italici milites, qui duce Tufa ab Odoacro defecerant. Venit & Ticinensis Episcopus Epiphanius Mediolanum ad victorem, illoque celebri est ab eo testimonio laudatus: *Ecce hominem, cujus totus Oriens* (*Sigonius* legisse videtur *orbis*) *similem non habet: quem vidisse premium est; cum quo habitare securitas. Fortissimo muro civitas Ticinensis incolumi isto vallatur: quos oppugnantum nulla vis possit obruere, quos nequaquam Balearis funda transcendat excursus. Si qua necessitas inter undas certaminum accesserit, tutum est apud istum, matrem familiasque deponere, & expeditum excursibus militare bellorum.* Vates fuit Theodoricus, cum ista loqueretur: cum enim paulo post Tufa cum militibus Italicis defecisset, perculsus re inopinata Theodoricus relicta Mediolanensi urbe, Ticini receptum habuit. De qua re ita *Ennodius*: *Interea perduelles animos dedititii exercitus mutationum incendit ambitio: quorum caput Tufa fuit, homo in perfugarum infamia notitia veteri pollutus, qui concepit mente ingenti, ut se desperatis partibus cum multitudine redderet. Quod cum Theodericus Rex principali solicitudine cognovisset, continuo omnem illam, quam totus Oriens vix sustinuit, contraxit manum, atque ad Ticinensis civitatis se angustiam contulit. Valesii*

Ennod. in vita Epiphanii.

In vita Epiphan.

Ano-

Anonymus ad hunc modum : *Eo anno missus est Tufa magister militum à Theoderico contra Odoacrem Ravennam. Veniens Faventiam Tufa, obsedit Odoacrem, cum exercitu, cum quo directus fuerat, & exiit Odoachar de Ravenna, & venit Faventiam, & Tufa tradidit Odoacri Comitem Patricii Theoderici, & missi sunt in ferro, & adducti Ravennam.* Atque hoc vult accidisse, ante prælium ad Adduam. Sed observabit, qui volet, non semel permutata in illo fragmento, ex disjectis velut membris temere congesto, tempora. In hac conclusione miram Epiphanii Episcopi virtutem *Ennodius* celebrat; tum in captivis utrimque redimendis, tum in sublevandis necessitatibus obsessorum Gothorum.

In vita Epiphan.

Quibus cum cæli tempestates patrocinari viderentur, Odoacer, omisso Ticino, Ravennam rediit : ubi à Theodorico mox est acerrima obsidione coërcitus. Cujus initium *Sigonius*, vel anno, quem ante diximus, exeunti, vel postero ineunti, Olybrio Cos, putat convenire. Prodiit tamen cum omnibus copiis Odoacer in aciem : sed post infelix prælium, minoribus in posterum eruptionibus rem gessit. *Anonymus Valesii : Olybrio V. C. hoc consule exiit Odoachar rex de Ravenna nocte cum Herulis ingressus in Pineta, in fossato Patricii Theoderici, & ceciderunt ab utraque parte exercitus, & fugiens Levila magister militum Odoacris, occisus est in fluvio Vejente. & victus Odoacer fugit Ravennam, Idib. Juliis.* Plura hujus anni in summam confert *Chronicon Cassiodori : Olybrius Jun. Cos.* (*Cuspinianus* legit : *Olybrius V. C. Cos.*) *Hoc consule Odovacer cum Erulis egressus Ravenna, nocturnis horis ad pontem Candidium à D. nostro rege Theoderico memorabili certamine superatur. Tunc etiam Vandali pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione cessarunt. Eodem anno Zeno occubuit, cui Anastasius in Orientali successit imperio.* Comparavit huc locum *Jordanis ex Annalibus*, *Cuspinianus*; in quo quartum hoc cum Odovacro prælium dicitur. Obsidentes interim Gothi, ne desides ad unam urbem hærere viderentur, alia quidem oppida aliis modis ceperunt; at Cæsenam urbem, trecentis à Ravenna stadiis disjunctam, ipsamque Ravennam, nec vi, nec pactione in ditionem redi-

De Imper. Occ. lib. 15. A. C. 491.

Pag. 480.

Proc. Goth. lib. 1.

redigere potuerunt. Qua occasione naturalis situs firmitatem apud Ravennam studiosè *Procopius* describit. Continuatur obsidio crebris eruptionibus certaminibusque anno insequente Augusto Rufinoque Coss. quem *Cuspinianus* sæculi quinti nonagesimum primum, *Sigonius* & alii 492. numerant. Atque hoc anno *Sigonius*, Theodericum, ait, domitis plerisque, in castra ad Palatiolum posita rediisse III. Kal. VIIbris, familiamque (quam Ticini Epiphanio commendatam reliquerat) huc traduxisse, ut potentior auctor esset præsens urgendæ obsidioni. Quæ *veteris Chronici auctor incertus* apud *Cuspinianum* in Albini consulatum refert. Hujus temporis illud prælium existimatur, quo Odoacer ultimo conatu, eruptionem ausus, Theodericum obvium in castra recedere coëgerit: donec matris hortatu, ac pæne convitio hostem instaurata pugna in urbem obsessam rejecerit. Sed obsessos inopia, obsessores tædium, hortante præsertim Episcopo Ravennate Johanne, ad pacem faciendam compulit. de qua *Procopius*: *Cum jam tertium annum Gothis ac Theodorico traheretur obsidio, Gothi assidere mœnibus fessi, Odoacri milites rerum, quibus vivitur penuria tentati, pacificante Ravennæ Antistite, ita inter se comparant, ut pari iure Ravennæ imperent, & Theudericus & Odoacer. mansit pactis aliquandiu fides, sed eventus is fuit, ut Odoacrum, insidiarum, ut quidem dicebatur, compertum, ad epulas vocatum, Theuderichus dolo occideret.* *Jornandes* toto triennio variis eruptionibus inquietata ab Odoacro Theoderici castra referens, addit: *Sed frustra laborat* (Odoacer) *quia cuncta Italia dominum jam dicebat Theodericum, & illius ad votum res illa* (an? illi) *publica obsecundabat. Tantum ille solus* (Odoacer) *cum paucis satellitibus, & Romanis, qui aderant, & fame, & bello quotidie intra Ravennam laborabat. Quod* (an? quo) *dum nihil proficeret, missa legatione veniam supplicat. Cui primum concedens Theodericus, postmodum hac luce privavit.* Valesii *Anonymus*: *Igitur coactus Odoachar, dedit filium suum Thelane obsidem Theodorico, accepta fide securum se esse de sanguine. Sic ingressus est Theodericus: & post aliquot dies, dum ei Odoachar insidiaretur, detectus conte ab eo præventus*

A. C. 491.

Sigon. de Imper. Occid. lib. 15. ex Aimoino &c.

lib. 1. Goth.

De reb. Get. 75.

ventus in Palatio manu sua Theodericus eum in Lauretum praeveniente gladio interemit. Non debet hujus monumenti oratio exigi ad Grammaticam : cujus decretis passim injuriam facit. estque ejus generis, quod *Hieronymus Bignonius in praefatione ad Marculsi formulas* describit. *Anonymus Cuspiniani : Albino V. C. Cos. regressus est Rex Theodericus ad Ravennam, & venit ad Fossatum Palatioli 4. Cal. Septembris. Hoc consule facta est pax inter Theodericum Regem & Odoacrum 3. Cal. Martias. Et ingressus est Ravennam Rex Theodericus tertio Nonas Martias, & occisus est Odoacer Rex à Theoderico in Palatio cum commilitonibus suis.* Chronicon *Cassiodori : Hoc Cos.* (Albino) *D. N. Rex Theodericus Ravennam ingressus, Odoacrem molientem sibi insidias interemit.* At *Marcellinus* diversi temporis acta in consulatum Eusebii & Probini cumulans, de exitu Odoacri sic subjicit : *Porro ab eodem Theoderico perjuriis illectus, interfectusque est. Anonymus Valesii*, etiam exercitum Odoacri tum interfectum tradit istis verbis : *Cujus exercitus in eodem die omnes interfecti sunt, quis ubi potuit reperire cum omni stirpe sua.* Sicut *Cuspiniani Anonymus*, de *commilitonibus Odoacri*, memoraverat. Filii & propinquorum Odoacri caedem addunt alii. Quod factum nemo saevitiae absolvat.

in Chron.

Vid. Sigon. de Occ. Imp. lib. 15. fin. & Hadr. Valesi. rer. Franc. lib. 5.

Ad victorem accurrerunt, qui Gothorum Ticini relicti fuerant : quae res Rugis miseram urbem patefecit. hos postea immisso exercitu, Theodoricus expulit; cum & caetera, quae Odoacri paruerant, tum Dalmatiam, Rhaetiam, praemium victoriae recepisset. nam de Sicilia diximus. Asterio & Praesidio Cos. Theodoricus, triumpho de hostibus acto, gladium vagina recondidit, & ad ordinandum imperium tot calamitatibus & turbis undique quassatum, animum adjecit. Quod quidem, qua ille dexteritate, quibus artibus effecerit, postea singulatim memorabimus.

Ennod. in vit. Epiph.

A. C. 494. & 495.

Matrimoniis autem & affinitatibus, ut esset undiquaque munitior, inter prima curarum fuit. *Missa* igitur *legatione* (verba Jordani refero) *ad Lodoin, Francorum Regem, filiam ejus Audefledam in matrimonio petit. Quam ille gratè*

A. C. 495. de reb. Get. c. 58.

gratè libenterque concessit, suos filios Iblebertum, & Cheldepertum, & Thuidepertum credens hac societate cum gente Gothorum inito fœdere sociari. Antequam ergo de Audefleda sobolem haberet, naturales ex concubina, quas genuisset adhuc in Mœsia, filias habuit, unam nomine Theudicodo, & aliam Ostrogotho. Quas mox, ut in Italiam venit, regibus vicinis in conjugium copulavit, id est, unam Alarico Vesegotharum, & aliam Sigismundo Burgundionum. Subinde Eutha１ricum, in Hispania agentem, *ad se facit venire, eique Amalasuentham filiam suam in matrimonio jungit. Et ut ad plenum progeniem suam dilataret, Amalafredam germanam suam, matrem Theodati, qui postea rex fuit, Africa regi, Wandalorumque conjugem dirigit Trasemundo; filiamque ejus, neptem suam Amalabergam Thuringorum regi consociat Hermenfrido.* Memorat ex parte & *Procopius: Alaricho minori, Visigothorum ea tempestate Principi, filiam suam virginem despondit Theudichusam: Nermenofrido vero Thuringorum Principi Amalobergam sororis sua Amalafrida filiam.* Valesii Anonymus: *Postea vero accepit uxorem de Francis, nomine Angofledam. Nam uxorem habuit ante regnum, de qua susceperat filias, unam dedit nomine Arevagni, Alarico, regi Visigotharum in Gallia: & aliam filiam suam Theodegotham Sigismundo filio Gundebai regis. Item Amalafrida germana sua in matrimonium tradens regi Wandalorum Transimundo. Deinde sexto mense revertens Ravennam alia germana sua Herminifrido regi Toringorum: & sic sibi per circuitum placuit omnibus gentibus.* Putat doctissimus *Valesius*, scribendum *filiam germanæ suæ.* id enim alios de Amaloberga tradere. sed tam accurate non est scriptum hoc monumentum, quin plura hujus generis occurrant. *Neptem* suam vocat ipse Theodoricus, in epistola, qua Herminafrido regi Thoringorum eam tradit. Ipsa Audofleda (quæ & Odelfleda, & Angofleda, & Anaflede) non filia, sed soror Chlodovei, à *Gregorio* & *Aimoino* dicitur. Quod vero propius existimat *Hadrianus Valesius* ex *epistola IV. lib. 3. Cassiodori.* cui posset addi *prima*, ubi Alaricum & Ludovicum *affinitate sibi conjunctos* vocat: & *lib. 2. epist.* 41. sed infirmum hinc argumentum peti, in aperto est. Verum hæc matrimonia, quæ *Jornandes*

lib. 1. Goth.

p. 481. & seq.

apud Cassiodor. 4. 1.

& alii conjungunt, diversis subinde temporibus convenire, satis constat.

Sicut autem plurimum favoris Theodorico conciliavit, venia ante actorum concessa, & relaxata legis severitas, qua ii, qui adversis partibus studuerant, magnam partem intestabiles redditi erant; auctoribus clementiæ Epiphanio Ticinensi, & Laurentio Mediolanensi, Episcopis: ita magnis laudibus celebrata est, solitudo Liguriæ
A. C. 495. suppleta missis ad Gundobadum Burgundionum regem legatis, illo ipso Epiphanio, & Victore Taurinensi Episcopo, qui captivos plerosque gratis, quosdam pe-
De Imp. Occid. lib. 16. cunia numerata receperunt. Quam historiam accurate commemorat *Ennodius in vita Epiphanii*, & ex eo *Sigonius*.

In hunc annum *Sigonius* refert celebrem Clodovei regis de Alemannis victoriam, victorisque ad Christianam religionem adjunctionem, & Theodorici de victoria gratulationem, per legatos transmissam, una cum citharœdo, quem Rex Francorum desideraverat; describente
lib. 2. ep. 41. *Cassiodoro*. Alii in quartum post hæc annum differunt.
Rer. Franc. lib. 6. pr. *Hadrianus Valesius* in A. C. 496. confert, & diligenter describit.

Subnatum est interea aliquid iratum in animo & aula Anastasii Imperatoris adversus Theodoricum: non alia, puto, de causa, quàm quod Theodoricus suis auspiciis omnia ordinare, regisque nomine & jure incunctanter
A. C. 498. uti videretur. Misit ergo legatos ad Anastasium, cum
lib. 1. var. 1. literis, *Cassiodoro* descriptis: unde satis intelligas, Theodoricum vim imperii in occidente sibi vindicare, sed Romanæ magnitudinis jampridem in duo quasi membra divisæ imaginem, modumque regendæ reipublicæ nihil à pristino discrepantem, ut causam amicitiæ & pacis, & conjunctionis adornare. Cujus generis multa etiam in posterum usurpavit. Ut in consule Romano ab Imperatore Orientis fieri solito apparet. Quod & Gothi postea
lib. 2. Goth. adde Cassiodor. 2. 1. jactarunt apud *Procopium*: ὡς καὶ οἱ τὸ ὑπάτων ἀξίωμα γότθοι ξυνεχώρουν πρὸς τῦ τῶν ἑώων βασιλέως ἐς ἕκαστον κομίζεσθαι. *Permissu Gothorum Romanos quotannis consulatum dante Orientis Impe-*

rato-

ratore accipere. Sed de his novi imperii artibus postea. Cæterum eventum legationis ad Anastasium missæ, solus narrat *Anonymus Valesii* his verbis: *Facta pace cum Anastasio Imperatore per Festum de præsumtione regni, & omnia ornamenta Palatii, quæ Odoachar Constantinopolin transmiserat, remittit.*

In annum sequentem *Sigonius* confert expeditionem Francorum in Burgundiones, in qua partes quoque aliquas Theodorico, ut & in præmiis victoriæ tribuendis *Procopius* accurata narratione assignat. *Hadrianus Valesius*, omissa mentione societatis Francorum cum Ostrogothis, in annum sæculi ultimum contribuit. De Occ. Imp. lib. 16. A. C. 499. lib. 1. Goth. rer. Franc. lib. 6.

Quo ingressus tandem urbem Romam Theodoricus, omni magnificentia, & prolixa civium voluntate excipitur. *Cassiodorus*: *Hoc anno* (intelligit Cos. Patricio & Hypatio) *D. N. Rex Theodoricus Romam cunctorum votis expetitus advenit, & Senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donavit annonas.* & quæ sequuntur. *Anonymus Valesii*: *Post facta pace in urbe Ecclesiæ, ambulavit Rex Theodericus Romam, & occurrit B. Petro devotissimus, ac si Catholicus. Cum Papa Symmachus & cunctus Senatus vel pop. Rom. cum omni gaudio extra urbem occurrentes deinde veniens, ingressus urbem, venit ad Senatum, & ad Palmam populo allocutus, se omnia, Deo juvante, quod retro Principes Romani ordinaverunt, inviolabiliter servaturum promittit. Per tricennalem triumphans populo ingressus palatium, exhibens Romanis ludos Circensium.* Sequitur de liberalitate, postea memorandâ. Pro *tricennalem* mallet *Henricus Valesius decennalem*, quasi anticipata solennitate decennalium. Oratio, quam ad populum habuit, æri incisa, publice asservata est, eodem *Anonymo* memorante. Dum autem Romæ agit Theodoricus, Odoinum (aliis Odoindus est) Comitem ac civem suum sibi insidias molientem, capite plecti jussit in Palatio Sessorio. *Anonymus Valesii*: *Liberium Præfectum prætorii, quem fecerat in initio regni sui, fecit Patricium, & dedit ei successorem in administratione præfecturæ. Itaque Theodorus filius Basilii, Odoin Comes ejus insidiabatur ei. Dum hæc cognovisset, in Palatio, quod appellatum Sessorium, caput ejus amputari præcepit.* Indidem di- A. C. 500.

discimus, *sexto mense Ravennam reversum* esse Theodoricum.

A. C. 502. 503. Post hæc Bulgari ex Thracia, quo anno priore penetraverant, in Pannoniam effusi Sirmium occuparunt. Ad quos debellandos à Theodorico Rege Pitzia (seu Petza) Comes missus est: ut antiquam sibi patriam armis assereret. *Jornandes: Petzamin quoque suum Comitem inter primos electum ad obtinendam Sirmiensem dirigit civitatem. Quam ille expulso rege ejus* (Gepidarum rege) *Transarico, filio Trasstile retenta ejus matre obtinuit. Indeque contra Sabinianum Illyricum magistrum militiæ, qui tunc cum Mundone paraverat conflictum, ad civitatem Margoplano, quæ inter Danubium, Martianumque flumina adjacebat, cum duobus millibus peditum, equitibus quingentis, in Mundonis solatia veniens, Illyricianum exercitum demolivit. Nam hic Mundo Attilanis quondam origine, descendens, Gepidarum gentem fugiens, ultra Danubium in incultis locis, sine ullis terræ cultoribus debacchatur. Et plerisque abactoribus, Scamarisque & latronibus undecunque collectis, turrim, quæ Herta dicitur, supra Danubii ripam positam, occupans, ibique agresti ritu prædans vicinos, regem se suis grassatoribus nuncupat. Hunc ergo pæne desperatum, etiam de traditione sua deliberantem, Petza subveniens, è manibus Sabiniani eripuit, suoque Regi Theoderico cum gratiarum actione fecit subjectum.* Celebrat hanc victoriam oratorio more *Ennodius*: sed oratione adeo corrupta, ut quid voluerit exprimere, sensum æstimantibus appareat; quid dixerit verbis, nullo contextu integro recolligi possit. *Chronicon Cassiodori* in consulatu Cethæi: *Hoc Cos. virtute D. N. Regis Theodorici victis Bulgaribus Syrmium recepit Italia.* Provinciam victam Colosseo Comiti armis protegendam, jure componendam tradidit: sicut discere licet ex *Cassiodori* Variis, *Sigonio* etiam laudatis.

[de reb. Get. c. 58. — In Panegyr.]

In Alaricum generum Theodorici, Vesigothorum in Gallia regem, Clodoveus, obtentu Arrianæ hæreseos comprimendæ, sed revera cupiditate regni impulsus, arma movit. Quantum hic Theodoricus literis & nuntiis annixus sit impedire, quo minus ferro dijudicarentur, quæ arbi-

[Lib. 3, ep. 23. & 24. & lib. 4. ep. 13. Sigon. de occid. Imper. lib. 16.]

arbitrorum opera componi possent, apud *Cassiodorum quatuor priores libri tertii epistolæ ad Alaricum, ad Gundibadum, ad Luduinum sive Clodoveum, ad Herulorum & Thoringorum Reges*, demonstrant. Sed Clodoveus imbelliam Alarici pro incitamento habuit: quo victo, cum latius propagare imperium tenderet, excussa Theodorico cunctatio est. Misso igitur Hibba duce, illustrem de Francis victoriam retulit, finesque Imperii sui propagavit, missoque in Galliam Gepidarum exercitu, defendit. Memorat *Jornandes in Geticis, Procopius in Gothicis, & alii*: quorum scripta concinnat *Sigonius*, & examinat insuper *Hadrianus Valesius in sexto rerum Francicarum*. A. C. 506. A. C. 507. A. C. 508. c. 58. Lib. 1. Lib. 16. de Imp. Occid.

Hispaniam Amalarico Alarici filio per Theudam Theodoricus servabat: cujus opera (quamquam Ibæ aliqui tribuunt) etiam Gisalaricum res novantem devicit, atque, ne is victus, Trasimundi Africæ regis opibus defenderetur, gravi epistola perfecit. Et quia suis viribus Hispaniam, tutelæ vocabulo tenuit, inter Vesigothos Hispaniæ Reges, eum aliquando numerari videas. Cassiod. var. 5. 43.

Hinc de rebus in republica, & adversus exteros gestis non multa reperias, usque ad illud tempus, quod mutati in deterius principatus Theodorico initium tulit. cujus rei specimen in Boëtio dedit, singulari eorum temporum ornamento. Cœperat Theodoricus, ingenio dominationis armis quæsitæ, ad suspiciones pronior esse, & libertatem gravitatemque virorum illustrium, crimine rerum novarum à delatoribus infamatam, cupidius prædamnare. Quid Boëtio Aulici & sycophantæ vitio dederint, ipse potissimum retulit *libro 1. consolationis philosophiæ*, quo tanquam cygneo cantu suam calamitatem levare aggressus est; unde verbo tenus descripsit *Sigonius*. Expleto igitur consulatus, quo invidiam & odia malorum meruerat, anno; accusatus; & in exilium missus est Ticinum. Secuta est arctior custodia, qua & Symmachus, Boëtii socer, conclusus est: ejusdem gravitatis & innocentiæ vir; iisdemque artibus aulæ odium meritus. Occisus est uterque indicta causa. Quæ res non invidiam modo Theo- Pros. 4. A. C. 522. 523. 526.

dorico

dorico maximam, sed perniciem quodammodo attulit. Eodem enim anno, non sine manifestis divinæ vindictæ indiciis, extinctus est. *Procopius* ita memorat: *Symmachus & Boëtius ejus gener, nobilissima stirpe orti Senatores & consulatum adepti erant: ambo sapientia studiis exerciti, ambo juris observantes, supra quam dici posset, erant: multis civium, multis & externis promti solari inopiam, fama insignes, inde sibi acerbissimorum hominum invidiam peperere. His calumniam in illos appetitarum rerum novarum struentibus fidem habens Theuderichus vitam utrique ademit, bona redegit in fiscum. Non multis diebus post cœnanti regi appositus à ministris est piscis magni caput: id Theudericho caput visum occisi nuper esse Symmachi, dentibusque in labrum inferius impressis, sævumque & horrendum intuens, minas ipsi intentare. Portentoso visu exterritus, ingentique percussus frigore, cursu cubiculum petiit: jussisque insterni sibi multis vestibus, quievit. Post id Elpidio medico re omni enuntiata, in Symmachum ac Boëtium, quod peccaverat, deflevit: pœnitentiaque & doloris magnitudine non multo post obiit.* Addit quidem: ἀδίκημα τοῦτο πρῶτον καὶ τελευταῖον ἐς τοὺς ὑπηκόους τοὺς αὐτοῦ δράσας, ὅτι δὴ οὐ διερευνησάμενος, ὥσπερ εἰώθει, τὴν περὶ τοῖν ἀνδροῖν γνῶσιν ἤνεγκε. Quod *Grotius* vertit: *Id illi injuria in subditos* (sibi) *primum ac postremum fuit, quod non adhibita, ut solebat, inquisitione de tantis viris statuerat.* Plura ei tribuit *Anonymus Valesii* malefacta: confusa, ut solet, temporum ratione. Id monumentum, si excipias confusa, ut diximus, tempora, & orationis vitia, quæ sæculum tulit, ad veritatem historiæ satis insigne, cum in paucorum manibus versetur, hic describendum est: quatenus ad Boëtii casum pertinet. *Posthac*, inquit, *cœpit adversus Romanos Rex subinde fremere inventa occasione. Cyprianus, qui tunc Referendarius erat, postea Comes Sacrarum & Magister, actus cupiditate insinuans de Albino Patricio, eo quod literas adversus regnum ejus Justino Imperatori misisset. quod factum dum revocatus negaret, tunc Boëtius Patricius, qui Magister officiorum erat, in conspectu Regis dixit: Falsa est insinuatio Cypriani, sed si Albinus fecit, & ego, & cunctus Senatus uno consilio fecimus. falsum est, Domine Rex. Tunc Cyprianus hæsitans, non solum adversus Albinum, sed & ad-*

Lib. 1. Goth.

& adversus Boëtium ejus defensorem, deducit falsos testes adversus Albinum. Sed Rex dolum Romanis tenebat, & quærebat, quemadmodum eos interficeret, plus credidit falsis testibus, quàm Senatoribus. Tunc Albinus & Boëtius ducti in custodia ad baptisterium Ecclesiæ. Rex verò vocavit Eusebium, Præfectum urbis Ticini, & inaudito Boëtio protulit in eum sententiam. Qui mox in agro Calventiano, ubi in custodia habebatur, misit Rex, & fecit occidi. qui accepta chorda in fronte diutissime tortus, ita, ut oculi ejus creparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur. Redtens igitur ex Ravenna, tractans non ut Dei amicus, sed legi ejus inimicus, immemor factus omnis ejus beneficii & gratiæ, quam ei dederat, confidens in brachio suo. Et post aliqua: *Sed dum hæc aguntur, Symmachus caput Senati, cujus Boëtius filiam habuit uxorem, deducitur Roma Ravennam. Metuens verò Rex, ne dolore generi aliquid adversus regnum ejus tractaret, objecto crimine jussit interfici.* Mox de morte Theodorici ea subjiciuntur, quæ fortasse ex parte ad aliam historiam pertinent, & huc transsumta sunt. Cum enim de Joannis Episcopi morte, & mandato Arrianismi propagandi retulisset, addit: *Sed qui non patitur fideles cultores suos ab alienigenis opprimi, mox intulit in eum sententiam Arrii auctoris religionis ejus. fluxum ventris incurrit, & dum intra triduo evacuatus fuisset, eodem die, quo se gaudebat Ecclesias invadere, simul regnum & animam amisit. Ergo, antequam exhalaret, nepotem suum Athalaricum in regnum constituit. se autem vivo fecit sibi monimentum ex lapide quadrato miræ magnitudinis opus, & saxum ingentem, quem superponeret, inquisivit.* Adjiciunt fabulam *Gregorius*, *Aimoinus*, & ex his *Sigebertus*. quod *ejus animam quidam solitarius, apud Liparam manens insulam, viderit inter sanctissimum Papam Joannem & Symmachum ex consule deductam, in Vulcani demergi ollam, eo loco vicinam. Quæ ideo sic dicitur, quod inibi mare, tanquam æneum vas, fervescat ab igne.* Potentiæ annos septem & triginta *Procopius* ei tribuit: sed Italici regni annos 38. alii, (in quibus *Sigonius*) Lib. 1. alii 32. numerant: *Baronius* 33. plenos. ætatis 72. *Sigonius* annotavit. Quomodo convocatis primoribus Gothorum *Athalaricum infantulum vix decennem* (*Procopius* 8. annorum

facit)

facit) *filium filiæ suæ Amalasuenthæ, qui Eutarico patre orbatus erat, Regem constituerit, eique in mandatu dederit, ut regem colerent, Senatum P. Q. Rom. amarent, Principemque Orientalem placatum semper & propitium haberent*, consignatum reliquit *Jornandes*. Cui addi debent ipsius Athalarici epistolæ jam successione potiti, apud *Cassiodorum*, *principio octavi libri usque ad epist.* 8.

In reb. Get. c. 59.

Quatenus ex omissis aliquid petendum est, Theodoricus etiam Alemannos armis sub suam ditionem redegit, sed annum ejus rei certum erui non posse, fatetur *Sigonius*, in anno hujus sæculi decimo quarto. Laudat testes, literas ad provinciales in Suevia: quæ in *libro IV. Cassiodori epistola est* 49. *Agathias* præcipuus auctor est: cujus locum *H. Grotius* Latine sic convertit: *Alemanni, si Asinio Quadrato fides, viro Italo & Germanicarum rerum exacto scriptori, convenæ sunt variis è nationibus collecti, id ipsum apud eos significante vocabulo. Hos quondam Theuderichus Gothorum Rex, cum omnem Italiam teneret, in obsequio habuerat sub tributi lege.*

Lib. 1.

In laudes ejus, si ultima demas, consentiunt, ut vidimus, Scriptores. *Procopio* judice, nemine eorum, qui imperium tenuerunt, inferior existimari debet: hostibus formidatus, suis desideratus. Inprimis autem illustris est commendatio, quæ apud *Suidam* legitur: *Ita*, inquit, *Gothis & Italis præfuit, ut omnia ei adesse diceres, quæ homini ad imperandum genito conveniunt. Justitiæ enim studiosissimus fuit, legesque bono in usu servavit. A barbaris finitimis tutum præstitit imperium: prudentia & virtute, ut qui maxime, excelluit. Neque quicquam injuriæ subjectis vel ipse intulit, vel ab aliis inferri passus est.* Quæ omnia vulgo gratiora fuerunt, quod post continentem malorum seriem, & perpetua bellorum civilium ac tyrannidis facinora, respirare sub ipso Italia, & longo post tempore ad quandam antiqui floris faciem redire videbatur. Sed hæc ex ipsa administratione reipublicæ, quam in hunc locum distulimus, rectius intelligi possunt.

Lib. 1. Goth.

voc. Θευδ.

In republica ordinanda, quam armis pepererat, militiæ summam sibi rationem habendam duxit. Et Romæ qui-

quidem, ut imago veteris status maneret, Palatinam militiam reliquerat: singulisque de illo numero, peramplo sane (nam & silentiarii & domestici, ac scholares connumerabantur) diaria (σύνταξιν ἐς ἡμέραν ἑκάστῳ) etiam ad liberos & posteros transitura constituerat. Testis *Procopius in ἀνεκδότοις.* Apud idonea autem provinciarum & limitum militem aluit: sicut ex *Cassiodori Variis* abunde liquet. Loca opportuna de integro munivit: cujus industriæ specimen in castello Verrucæ apparet, *feris gentibus objecto.* Ita *sexaginta milites in Augustanis clausuris jugiter constituti* adversus hostes excubabant. *Retias munimina Italiæ, claustra provinciæ* non dissimili studio armatis firmavit. Qui ne desides otio remitterent animos, exerceri eos & arma meditari voluit, sicut ex *epistola libri I. quadragesima* apud *Cassiodorum* animadvertere licet. *Castra* quoque & *fabricas diligenter* muniri præcepit. *Nam quis eum*, inquit, *providentiam habuisse putet, si tunc cœperit fabricis operam dare, aut penum condere, cum oporteat bella tractare?* Et: *Similis discincto habetur, qui ignobili torpori relinquitur.* Arma autem quam accurate fabrefacta & parata sint, ostendere possunt *Formulæ de armorum factoribus.* Disciplinam, verum militiæ robur & vinculum, severissime rexit Theodoricus: idque ut negotii sibi datum crederent, duces & rectores provinciarum monuit. Itinera militaria innocua præstitit, providitque, ut milites *sub omni moderatione transirent, illisque cum provincialibus non rapiendi votum, sed commercii facultas esset.* Egregium est illud ad Gepidas in Galliam destinatos: *Ite moderati. tale sit iter vestrum, quale decet esse, qui laborant pro salute cunctorum.* Et alterum ad Gothos ad occursum Principis evocatos: *Illud necessario commonemus, ut venientium nullus provenire possit excessus, nec possessorum segetes aut prata vastetis.* Quin & damnum à transeunte forte exercitu datum, pecunia pensavit. Utque facilius custodiri mensura morum posset, *annonas* militibus diligenter constituit: eaque de causa *exercituales expensas* ac triticum sæpe de Italia in provincias destinavit. *Commodius enim*, inquit, *sub expensarum lege tenetur exercitus, quam si cuncta fuerit*

Pag. 117. Ed. Nic. Alem. Cassiodor. Var. 3, 48.
Id. 2, 5.
Id. 7, 4.
Id. 1, 17.
Id. 7, 21.
7, 18. & 19.
1, 11.
5, 10.
5, 10.
5, 26.
2, 8.
2, 5.
3, 41. & 42.
5, 13.

fuerit vastare permissus. Quapropter consequatur exercitus alimoniam deputatam, ne qua pars prædictam possit sustinere violentiam.
1. 10. Emolumenta etiam solennia equitum peditumque, ut *integro pondere & numero præstarentur*, providit adversus fraudes Arcarii præfectorum.
5. 27. *Donativa* insuper *annua* constituit.
5. 36. Dimissis quoque à militia ea procedebant, levandæ inopiæ: nisi quis sua se ope sustentare idoneus esset.

Frustra autem armis adversus vim externam munias imperium, si intus confuso honesti discrimine, veluti domestico dissidio conflictetur. Singulari itaque studio Theodoricus justitiæ laudem sibi & Gothis vindicabat.
3. 23. Magnifica est oratio, qua Colosseum Pannoniæ Sirmiensi rectorem impositum cohortatur: *Æquitati fave: innocentiam animi virtute defende. ut inter nationum consuetudinem perversam, Gothorum possis demonstrare justitiam: qui sic semper fuerunt in laudu medio constituti, ut & Romanorum prudentiam caperent, & virtutem gentium possiderent.*
5. 30. Et alibi: *Quos duces eligimus, eis simul & æquitatis momenta jure delegamus. Quia non tantum armis, quantum judiciis nos effici cupimus clariores.* Id *correctoribus* & *præsidibus* provinciarum studiose commendatum. id ad *provinciales*, & *defensores*, & *curiales* perscriptum. Cumque permixti Romanis (ita enim & provinciales appellabantur, subditi ante Romanis) Gothi sive Barbari (quod nomen jam non convitii, sed discriminis fuisse, vel *Edictum Theodorici* ostendat) passim viverent, utrosque æquabilitate juris tanquam vinculo continere studuit.

v Hadrian. Valesf. rer. Franc. lib. 6. p 289.

Testis epistola ad Correctorem provinciæ, cujus nomen varie ponunt codices. ubi & hæc legas:

Cassiodor. 5. 13.

Si quod negotium Romano cum Gothis est, aut Gotho emerserit aliquod cum Romanis, legum consideratione definies: nec permittimus indiscreto jure vivere, quos uno voto volumus vendicare. Censebis ergo in commune, quæ sunt amica justitiæ. Quia nescit personas respicere, qui meram cogitat æquitatem. Inprimis legenda est *Formula comitivæ Go-*
7. 3. *thorum per singulas provincias*, qua describitur, quomodo lites *inter duos Gothos*, *inter Gothum & Romanum*, *inter duos Romanos*, debebant cognosci ac terminari. Voluit autem in jure dicundo illud præcipue spectari, ut jus esset supra omnem

omnem injuriam positum, id est, ne humilitas sua cuiquam, potentiorem nacto adversarium noceret. Hæc enim naturæ vox & lex est: hæc jurisdictionis anima. Aurea sunt, & in exemplum omnibus jus dicentibus commendanda verba, quibus adversus Fausti P. P. impotentiam insurgit: *Inter gloriosas Reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, revolvimus, cordi nostro est, levamen humilium: ut contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum, nec liceat quicquam apud nos audaciæ; cujus est propositi, superba calcare.* Eadem gravitate Joannem Consularem Campaniæ, adversus Præfecti prætorio potentiam & terrorem potenter munit, ac in tuitionem suam recipit. Judices & libenter, & idoneos, & quotiens res aut homines postularent, & varii generis, & extra ordinem dedit. Per se quoque sedulo jus dixit: atque, ne injuriis locus fieret, infirmitate aut culpa judicum, ad suum comitatum & audientiam multa revocavit. Quæ ipsa res judices, veluti comminatione proposita, officii admonuit; & calumniatores absterruit: innocentibus autem & oppressis ingenti præsidio fuit. Quod ne primo statim loco tentatum vilesceret, gradus quidam constituti erant: ut partes eligerent arbitros, de causa legibus cogituros, præsente magistratu provinciali, antequam ad comitatum Principis veniretur, *ubi nec redemtio esset forte suspecta, nec invidiosa posset nocere calumnia.* Verum, hanc laudem Theodorici loquuntur tot rescripta variis causis definiendis, tanquam ex oraculo depromta. *Anonymus Valesii* etiam illud ejus judicium celebrat, quod in causa Filii, quem mater primo agnoverat, postea in gratiam sponsi pro peregrino expulerat, tulerit. Cum enim rem, ut acta erat, didicisset, improbitatem matris tandem indicto juvenis matrimonio deprehendit ac detexit. Cujus generis sententiam Claudio Imperatori Romano *Suetonius* tribuit. Æquitatis in judicando ita studiosus fuit; ut & occasiones ejus captaret diligenter, & rationes prudenter subduceret. Quod in illa sententia videas, qua confesso quidem puellæ raptum, sed metu tormentorum,

[Margin notes: 3, 20. — 3, 27. — 3, 37. & 40. — 4, 46. adde 5, 32. — Pag. 481. — Cap. 15.]

cum in longo custodiæ situ, etiam defensorum patrocinia postulanti sæpius fuissent subtracta, adversariis gratia & ingenio florentibus, sex mensium exilium citra aliam pœnam aut infamiam imponit. Ita plena est humanitatis oratio, qua in quæstione status Ocerum, qui *pridem sub libertate* militaverat, cæcum, à calumniis liberat. Et qua litium moras amputat.

Cassiodor. 3. 46.

5. 29.

1. 5.

Cum autem Theodorico esset propositum, rempublicam in eo statu relinquere, quo sub Imperatoribus erat, legum in judiciis maximam voluit auctoritatem esse. Unde Gothorum legati, etiam de his temporibus, ad Belisarium ita loquuntur. *Τούς τε νόμους καὶ τὴν πολιτείαν διεσωσάμεθα τῶν πώποτε βεβασιλευκότων οὐδενὸς ἧσσον. Leges & statum reipublicæ conservavimus nullo Imperatorum minus.* Sed quod additur, caute accipiendum est: *καὶ Θευδερίχου μὲν ἢ ἄλλου ὁτουοῦν διαδεξαμένου τὸ Γότθων κράτος, νόμος τὸ παράπαν οὐδεὶς, οὐκ ἐν γράμμασιν, οὐκ ἄγραφός ἐστι. Theuderici autem, aut alterius, qui in Gothorum principatum successerunt, neminis extat ulla, vel scripta, vel non scripta lex.* At quot *edictalia programmata & formulas*, legum vim obtinentes apud *Cassiodorum* legas? Ipsum autem *Edictum*, quod *Theodorici* nomine præscribitur, insignem partem *codicis Legum Antiquarum* constituit, & *Ostrogothici juris caput* à *P. Pithæo* merito celebratur. Certe dum miscebantur Romanis Gothi passim per provincias, multæ leges renovandæ, aliæ supplendæ, addendæque fuerunt: sicut ex ipsis Edicti verbis abunde intelligitur. Quid? quod nullius temporis ea disciplina est, quin eventus rerum, genius hominum novam subinde legislationem postulet. unde & *præfatio Edicti*, de contemtu & oblivione legum loquitur. Forte igitur de legibus ad statum urbis & Italiæ pertinentibus Gothi apud *Procopium* locuti fuerint. De Edicto autem ipso, & ad illud, pluribus alio loco, si Deo visum fuerit, differere constituimus.

Procop. l. 2. Goth.

4. 10. lib. 6. & 7.

Præfat. ad Edict.

Magistratus, meritorum habita ratione, solicita cura elegit: sicut ex pluribus ad Senatum epistolis, quibus candidatos delectosve commendat, apparet. Prodidit testimo-

testimonium suæ voluntatis etiam in ipsis codicillis, quibus dignitates confert. *Ad ornatum*, inquit, *Palatii credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere. quia de claritate servientium crescit fama dominorum. Tales enim provehere Principem decet, ut quoties procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta judicia habuisse.* In judicibus legendis usum fori, eloquentiam & bonas artes spectavit, sicut Capuani exemplum demonstrat. Neque alia mens ei in Senatu supplendo. *Nam quid dignius*, inquit, *si & senatorio vestiatur honore togata professio? ut in illa turba doctorum, audeat liberam proferre sententiam: nec frenetur imperitiæ terrore, quem hortantur ad vocem jura facundiæ. Gloriosa est denique scientia literarum: quia, quod primum est in homine, mores purgat: quod secundum, verborum gratiam subministrat: ita utroque beneficio mirabiliter ornat, & tacitos & loquentes.* Qua in re priscæ consuetudinis observantiam ubique profitetur.

4, 3. 5, 21. & 22. 3, 33. adde 4, 35.

Literarum studiis etiam aliis occasionibus & favit eximie, & prudenter prospexit. Cujus consilii rationes ipsum Theodoricum optime audias explicantem in *mandatis Patritio* datis, ut retineret Romæ, studiorum causa missos, neque nisi idoneo profectu auctos, aut se inconsulto discedere pateretur. Id quod eo est laude dignius, quo minus ipse literarum peritia valuit. Quam tyranni apud suos extinguunt, suppriuntve. Apud *Procopium* Gothi, reprehendentes institutum Amalasunthæ, Atalarichum more Romanorum procerum erudiri cupientis, Theuderichum tantis rebus gestis clarum, *literas ne auditu quidem attigisse*, ajunt: sed *ne voluisse quidem ullos Gothorum liberos in ludum itare literarium, quasi parum fortiter ferrum & arma contemturos, qui flagra timere consuevissent.* Si in Gothis hoc secutus est, Romanos tamen à veteri disciplina deficere non tulit. Minime autem hic utar auctoritate *Anonymi*, quem *Valesius* edidit. Qui cum undique congregaret diversi generis fragmenta, quæ Justino Thraci Imperatori conveniebant, Theodorico Ostrogotho tribuit illis verbis: *Igitur Rex Theodoricus inliteratus erat, & sic obruto sensu,*

1, 39. 4, 56. lib. 1. Goth. pag. 484.

sensu, ut in decem annos regni sui quatuor literas subscriptionis edicti sui discere nullatenus potuisset. De qua re laminam auream jussit interrasilem fieri, quatuor literas regis habentem, unde ut si subscribere voluisset, posita lamina super chartam per eam penna duceret, & subscriptio tantum ejus videretur. Quis non videt hæc Justino (vel decem annorum imperii argumento) convenire, à Theodorico aliena esse. de quo nec stupidum ingenium credi ullo modo potest. Justini autem consuetudinem illam accurate describit *Procopius* in *ἀνεκδότοις*, & explicat in Notis *Alemannus*. Potius audiri debet idem

pag. 481. *Anonymus* in illis de Theodorici sapientia: *Hic dum inliteratus esset, tanta sapientiæ fuit, ut aliqua, quæ locutus est in vulgo, usque nunc pro sententia habeantur, unde nos non piget, aliqua de multis ejus posuisse. Dixit: aurum & dæmonem qui habet, non eum potest abscondere.* (Quid, si quis utrumque?) *Item: Romanus miser imitatur Gothum, & utilis Gothus imitatur Romanum.* Non cepit acumen dicti, qui legendum censuit, *vilis Gothus*. *Utilis* hic opponitur *misero*; ex mente dicentis.

Cassiodor. I, 34. Annonæ curam solicitissime rexit. Itaque constitutum est, ut ne frumentum exportaretur, nisi servata cuique regioni idonea copia. Commoniti ergo, qui curam litorum habebant, *ut non ante quispiam peregrinas naves oneraret, ad aliena litora transituras, quàm expensa publicæ ad optatam possent copiam pervenire.*

I, 35. Sed & ut frumenta publica mature Romam adveherentur, prospectum. Hanc enim urbem præcipue annona abundare, summa ratio suasit, quam

II, 5. explicat *epistola Senatoris ad Ambrosium vices in præfectura prætorii suas agentem.* Proxima Italiæ cura erat. *Si enim desi-*

2, 12. *deriis nostris*, ait Rex Theodoricus, *commercia peregrina famulantur, si prolato auro acquiritur externa devotio, quanto magis suis bonis abundare debet Italia, cum nulla in parendo probetur sentire detrimenta?* Hoc ea epistola scribit, qua laridum extra Italiam asportari vetat.

Liberalitate eximia erga omnes ordines usus est. *Donavit populo Romano & pauperibus annonas singulis annis centum viginti millia modios.* verba sunt *Anonymi Valesii*. *Mendicis*, inquit

quit *Procopius*, *qui circa Petri Apostoli ædem se tenebant*, *tria millia medimnûm Theodoricus ἀνὰ πᾶν ἔτος in singulos annos decrevit.* Mansit ista liberalitas usque ad Alexandri Forficulæ in Italiam sub Justiniano adventum: qui ejusmodi solatia paupertatis simul & semel sustulit. Principum priorum beneficia libenter confirmabat. Ita enim immunitates Massiliensibus firmatas orditur: *Lubenti animo antiqua circa vos beneficia custodimus, cum nova utilitatibus vestris præstare cupiamus.* Etiam non petita: *ut & illa possitis accipere, quæ vos non contigit postulasse. Ipsa enim est perfecta pietas, quæ antequam flectatur precibus, novit considerare fatigatos.* Et in omnes sparsa. *Hoc sunt enim*, inquit, *regia dona, quod semina: sparsa in segetem coalescunt; in unum coacta depereunt.* Et constanter: *Liberalitatem nostram*, inquit, *firmam decet tenere constantiam: quia inconcussum debet esse Principis votum, nec pro studio malignorum convelli, quod nostra noscitur præceptione firmari.*

Pag. 482. in Arc. Hist.

Cassiodor. 4. 26.

3. 29.

3. 35.

Navium & nauticæ rei studium prolapsum summa cura restituit. *Cum nostrum*, inquit, *animum frequens cura pulsaret, naves Italiam non habere, ubi tanta lignorum copia suffragatur, ut aliis quoque provinciis expetita transmittat, Deo nobis inspirante decrevimus, mille interim dromones fabricandos assumere. qui & frumenta publica possint convehere, & adversis navibus, si necesse fuerit, obviare.* Quæ res ut felicius succederet, remiges etiam ex domo regia, & ligna idonea etiam ex regalibus prædiis desumi jussit. Sepes in fluviorum alveis piscandi causa factas recidi, & alveos repurgari præcepit: ut inoffensus esset navigationibus cursus. Hinc etiam negotiationibus & mercaturæ multum adjumenti accessit: cum præsertim etiam terrestria itinera quàm maxime tuta præstarentur. Signat stilo, quo solet, *Anonymus Valesii*: *Negotiantes de diversis provinciis ad ipsum concurrebant. Tanta enim disciplina fuit, ut si quis voluit in agro suo argentum vel aurum dimittere, ac si intra muros civitatis esset, ita existimaretur. & hoc per totam Italiam augurium habebat, ut nulli civitati portas faceret, nec in civitate portæ claudebantur: quis quod opus volebat, faciebat, qua hora volebat, ac si in die.*

5. 16.

5. 18. & 19. & 20.

Pag. 483.

 Atque,

Cassiodor. 1, 19. 2, 31. 4, 47. 5, 5. Atque, ut annuntiari singula cognoscique citius possent, cursum publicum non terra modo, equis; sed navibus etiam per fluvios, voluit procedere. Atque, ne publicis negotiis interveniret impedimentum, mulctam constituit, si quis cursu publico privatim abusus esset, aut parhippum plus centum libris onerasset. Jumentis denique & hominibus molestiam diminuit, commoda auxit.

Ædificandi studio & industria nemini cessit Theodoricus. quam virtutem modo magnificentiæ propositis, modo liberalitatis regulis, modo prudentia muniendi infirma moderabatur.* Longum fuerit, opera ejus publica referre, Romæ, in Italia, & per provincias extructa. Pag. 412. *Anonymus Valesii: Ad restaurationem Palatii, seu vel reparationem mœnia civitatis singulis annis libras ducentas de arca vinaria dari præcepit.* Et subinde: *Erat amator fabricarum, & restaurator civitatum. Hic aquaductum Ravennæ restauravit, quem Princeps Trajanus fecerat, & post multa tempora aquam introduxit. Palatium usque ad perfectum fecit, quem non dedicavit. Portica circa Palatium perfecit. Item Veronæ Thermas, & palatium fecit, & à porta usque palatium porticum reddidit. Aquaductum, quod multa tempora destructum fuerat, renovavit, & aquam intromisit. Muros alios novos circuit civitatem. Item Ticinum palatium, thermas, amphitheatrum, & alios muros civitatis fecit.* Cassiodor. 1, 25. Consilii sui de ornanda urbe rationem ipse explicat: *Ea custodiri volumus maxime, quæ urbis faciem videntur ornare. Quis enim dubitet, fabricarum miracula hac provisione servata? & pendenti saxo formatas cameras tegularum tegmine custoditas? ut antiqui Principes merito nobis debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem: ut pristina bonitate reluceant, quæ jam fuerant vetustosa senectute fuscata.* Et 1, 28. iterum: *Digna est constructio civitatis, in qua se commendet cura regalis: quia laus est temporum, reparatio urbium vetustarum. In quibus & ornatus pacis acquiritur, & bellorum necessitas præcavetur.* Igitur universos Gothos Romanosque hortatur, ut qui saxa habent in suis agris utilia, ad mœnia extruenda conferant. Marmora quoque ruinarum ad 2, 7. decorem urbis diligenter asservari & comportari curat.

Quanta

Quanta cura Ravennam, eadem, & columnas devehi jubet? Quo studio Herculis basilicam Ravennæ construi fe- 3, 9. & 10.
cit? Quantum est, quod in Aponum fontem impendit? 1, 6.
Muri Arelatenses, Catanenses, Tridentini insignia hujus 2, 39. 3, 44.
consilii monumenta sunt. Theatri vero Pompejani Romæ 5, 9.
substructionem destinata de cubiculo regio pecunia juvit.
Quare etiam *Romanæ civitatis fabricas accurate discussit, si la-* 4, 51.
bor operis concordaret expensis, aut si qua pecunia resideret apud 1, 21.
aliquem, quæ non esset fabricis expensa, ut deputata rei redderetur eroganda. Provocati & viri insignes, data potestate
ædificandi. Instituta insuper inquisitio in eos, qui aquam 4, 30.
publicis usibus destinatam ad privata vertissent; æs, 5, 3.
plumbum, aliave clanculum subduxissent. Aquilegi, qui 3, 30. & 31.
ex Africa Romam venerat, præmia constituta. Non omittenda est *Chronici Cassiodori* annotatio: *Sub Theodorici fe-* 3, 53.
lici imperio, plurimæ renovantur urbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisque ejus operibus antiqua miracula superantur.

Agriculturæ ratio exsiccatis crebro paludibus, ad 2, 21. & 32.
quod studium præmiis alliciebantur possessores, melior & 33.
reddebatur.

Neque veterem Principum artem, voluptatibus plebem detinendi & dulcedine otii permulcendi omisit Theodoricus. Spectaculorum enim frequentia & splendore munerum cum pristinis temporibus certavit. Graviter tamen de isto more loquitur: *Expedit interdum desipere, ut* 3, 51.
populi possimus desiderata gaudia continere. Modo etiam & disciplina rem totam coërcitam vel *Formula Tribuni volupta-* 7, 10.
tum ostendat. Utriusque consilii rationes decore explicat ipse Rex: *Licet inter gloriosas reipublicæ curas, & regalium* 1, 20.
solicitudinum salutiferos fructus, pars minima videatur, Principem de spectaculis loqui: tamen pro amore Reipublicæ Romanæ non pigebit, has quoque cogitationes intrare: quia undecunque præstare possumus, dignum nostris sensibus æstimamus: præsertim cum beatitudo sit temporum, lætitia populorum. Postea comperisse se ait, *seditiones turbulentas à quibusdam scelestissimis incitari, & causas lætitiæ publicæ ad furoris certamina prorupisse,* quos sci-

1, 31. licet mox compescit; ut & rixas omnes & injurias theatrales. *Spectacula voluptatum*, inquit, *lætitiam volumus esse populorum: nec erigere debet motus irarum, quod ad remissionem*
1, 27. & 30. *animi constat inventum.* Unde & distinguuntur studiose, quæ loquacitati vulgi debeant in spectaculis condonari; & quæ judicio mereantur vindicari. Sicut enim *neminem à spectaculorum gaudio removere*, ita *seditionis semina radicitus volebat amputare.*

Exactionibus, tributis, vectigalibus, Rempublicam sustineri, nemo est, qui nesciat. Ergo pari diligentia & moderatione tractari res tam necessaria, eademque invi-
2, 24. & 25. diæ exposita debet. Diligentiam Theodorici ostendunt *Edicta* & *Rescripta: ne dum domus quædam præpotentium & Senatorum suas non implebant per ordinem functiones, tenuiores alie-*
5, 6. & 7. *no debito onerentur: ut reliquatori ablata prædia fiscus in idoneum, qui debitum ejus ærario regio lueret, transferret: ut Si-*
5, 31. *liquatici conductoris debitores & reliquatores, etiam presbyteri, judicio ad solutionem adigantur.* Possuntque accuratam hujus negotii tractandi curam amplius declarare *Epistolæ Senato-*
11, 7. *rii ad universos judices provinciales*, ut monerent possessores
12, 2. de trina illatione tributi ordinarii suis temporibus facien-
12, 10. da, cessante venalitate dilationum; *ad universos Cancellarios provinciarum*, ut tributa in tempore exigant, & Arcarii una cum rationibus reddant; ad *Canonicarium*, de asse
12, 16. tributario, justo pondere & libra inferendo. Neque Gothos hac in re indulgentius habitos, testatur *Epistola Theo-*
2, 19. *dorici*, cujus principium est: *Fisci volumus legale custodiri compendium: quia nostra clementia rebus propriis videtur esse contenta. Et sicut nullum gravare cupimus, ita debita nobis perdere non debemus. Indigentiam juste fugimus, quæ suadet excessus: dum perniciosa res est, in imperante tenuitas. Modus ubique laudandus est.* Hujus modi illustria sunt specimina, vel cum nova tributa excogitari non passus est; vel cum fraudes & sævitiam exactorum coërcuit; vel remisit, aut moderatus est tributa. Gravasianos ergo & Pontonates majori quàm Odovacris tempore intulerant, tributo onerari passus non
4, 32. est; magnifice præfatus: *Cum omnes reipublicæ nostræ æqua-*
biliter

biliter desideremus augeri, crementa tamen fiscalium tributorum justissimo sunt pensanda judicio: quia servientium imminutio est hujus illationis accessio, quantumque pars illa proficit, tantum se hac firmitate subducit. sed à nobis qui fisci utilitatem stabili volumus diuturnitate consistere, excludenda est dispendiosa semper enormitas. Imo, sicut hæc amplius explicantur in mandatis, quæ Advocato Fisci dantur, *Sit interdum causa mala Fisci, ut bonus Princeps esse videatur. Majori quippe compendio perdimus, quàm si nobis indebite victoria suffragetur.* Et: *Lucrum cum invidia periculum est. Quanto melius, omnia moderata gerere, quæ nullus audeat accusare?* Hinc ab illicitis exactionibus, gravi mulcta denuntiata exactoribus, negotiatores defenduntur. Alibi autem solicite recensentur fraudes, & iniqua lucra, quibus rem tributariam exacerbari constabat, gravissimaque remedia constituuntur. Remittendi ac minuendi tributa, nulla occasio dimittebatur. Conductores Apuli frumenta sibi inimicorum surreptionibus concremata questi, ne ad integram præstationem cogerentur, petebant. *Quod nos*, inquit Theodoricus, *pro ingenita humanitate considerandum esse judicavimus: ut quorum non possumus accusare desidiam, relevandam potius æstimemus fortunam in hac parte esse.* Universis provincialibus in Gallia, bello damnum passis, humanissime rescribit: *Vobis itaque hostili ferocitate vastatis, pro qualitate læsionis per indictionem quartam relaxatam agnoscite tributariam functionem (quia non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor offerre) ita tamen, ut de illis, quæ constat intacta, exercituales juventur expensæ.* Ejusdem moderationis & æquitatis specimen est in remissione Siliquatici, de qua ad Gemellum: *Siliquatici præstationem, quam rebus omnibus nundinandis provida definivit Antiquitas, in frumentis, vino & oleo dari præsenti tempore non jubemus: ut hæc remissio solutionis copiam possit præstare provinciis, & respirent aliquatenus fessi præsentis salubritate decreti.* Ita provincialibus Alpium Cottiarum assem publicum per tertiam indictionem relaxat, quia *exercitus transiens more fluminis, eos dum irrigat, oppresserat.* Ita Campani Vesuvii mortis incendio læsi, pro modo læsionis, tributis sublevantur.

1, 22.
2, 26.
5, 39.
1, 16.
3, 40.
4, 19.
4, 36.

4. 50. In vita Epiphan. Ita Liguria voce & deprecatione Epiphanii Ticinensis Episcopi immunitatem unius anni impetrat: describente uberius *Ennodio*.

Ut rebus Ecclesiæ data immunitas servaretur, ad alia tamen non extenderetur, providit. 1, 26. 2, 29. Ut prædiis & hominibus Ecclesiæ Mediolanensis, in Sicilia constitutis, tuitio præstaretur, Adilam Comitem monuit. Ravennatem & Mediolanensem Ecclesiam *privilegio negotiatoris immunis* donavit. 2, 30. Collata Ecclesiis veterum Principum pietate, confirmavit: ablata restituit. Non erat quidem Theodoricus orthodoxus religione, sed Arrianus *Hexacionita*, sicut eum vocat *Chronici Alexandrini auctor*. Id enim præstantissimum genus Arrianorum perhibetur: quibus Justinianus Imperator, cum ceteris templa auferret, reliquit. lib. 2. Goth. Gloriantur tamen Gothi apud *Procopium*, de his & insecutis temporibus: *quod religionem Romanis illibatam servaverint; quod Italorum nemo volens invitusve, Arianus factus sit; Gothorum autem plures impune ad sententiam Romanorum in religione concesserint; quod templa Romanorum summa cærimonia coluerint, ita ut nemo, qui eo confugisset, à quoquam vim pateretur.* Capere debemus *vim*, quæ corpori & vitæ infertur: non quasi hujus Ecclesiastici asyli ope indemnes prorsus fieri potuerint, qui facinus perpetrarant. Exemplum nobile est apud *Senatorem* in homicida: 3, 47. qui *conscius facti sui intra Ecclesiæ septa refugiens, declinare se credidit præscriptam legibus ultionem. Hunc*, inquit Theodoricus, *Vulcaniæ insulæ perpetua relegatione damnamus: ut & sancto templo reverentiam habuisse videamur, nec vindictam criminosus evadat in totum, qui innocenti non credidit esse parcendum.* ad A. C. 498. *Cuspinianus* & *Sigonius* ex *Joanne Zonara*, ut summæ æquitatis documentum erga Catholicos referunt, quod ministrum Catholicum præcipue sibi carum, cum vidisset ad Arrianos studio placendi aulico defecisse, sua manu interfecerit: quasi male fidem Principi servaturum, quam Christo violasset. tom. 3. p. 45. Sed *Zonaræ*, hic Theodoricus est Dux Africæ. Unde illi ad nostrum traxerunt, A. C. 598. errorem vel nominis, vel viri, puto, in Zonara suspicati. In controversia Symmachi

Papæ,

Papæ, quin bene de Ecclesia meritus sit Theodoricus, etiam illi negare nequeunt, qui nimium juris in Ecclesiasticos usurpasse contendunt. Idem dicas de Synodo insequentis temporis: qua *Pius & Sanctus* appellatur Rex. excusationem rei meditanti *Baronio*, jungas licet *Nicolaum Alemannum*. Actum etiam in ea Synodo de lege regis Odoacris abroganda, *qua inconsulto rege comitia perfici Pontificia vetabatur. Non ignorandum tamen est* (inquit *Sigonius*) *hanc Symmachi sanctionem observatam non esse: ac per multos post annos injussu Principis pro ratis ea comitia non fuisse* (vid. *Epist. Athalarici apud Cassiodor.* 8, 15.) *donec quieta tandem ac tuta à seditionibus civitate hoc jus ab Imperatore Constantino* (Pogonato) *ultro remissum est, Benedicto Secundo Ecclesiam obtinente.* Quasi ab eo tempore nihil scilicet sibi negotii esse cum electione Romani Episcopi voluissent Principes. Sed de ea re alibi. Inter eximia Theodorici facta, etiam absolutio Cæsarii Arelatensis Episcopi temere accusati, & liberalitas in eum à *Sigonio* refertur. Qui & legationem Joannis Pontificis ad Justinum Imperatorem, pro Arianis mandatam, pro Catholicis peractam; indeque iram Theodorici in Joannem, carceremque & mortem ejus diligenter exequitur. Eandem historiam memorabiliter enarrat *Anonymus Valesii*: additque decretum Theodorici aliis indictum *septimo Kal. Septembr. Indictione IV. Olybrio Cos. ut die Dominico adveniente Arriani basilicas catholicas invaderent.* Inde causa & genus mortis, de quo ante nostram sententiam protulimus. Sepulcrales arcas nimis impenso pretio vendi, mos incesserat. Ne ergo vel humare vilius suos cogerentur homines, vel ad luctum iis adjiceretur iniquum facultatum dispendium, moderatus est Theodoricus pretium ejusmodi arcarum, quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera distrahebantur. Judæis permisit ea, quæ Principum priorum *divalia constituta* indulserant. *religionem* enim, inquit, *imperare non possumus: quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Ita veteres Synagogæ parietes reficere, minime autem aliquid ornatus adjicere, aut in ampliandis ædibus evagari sinit. Eum in sensum *universis Judæis* Genuæ consti-

A. C. 501. aut 502.

In Not. ad Procop. Arc. Hist. pag. 13. & 73.

De imp. occid. lib. 16. A. C. 502.

ad A. C. 510. ad A. C. 524. & seq. adde Baron.

p. 486.

Cassiodor. 3. 19.

2. 27.

4. 33. constitutis, privilegia, quæ Judaicis institutis legum provida decrevit antiquitas, annuit. Synagogam autem eo-
4. 43. rum Romæ tumultu succensam legibus vindicari in auctores seditionis, &, si quid adversus Judæos querelæ cui-
5. 37. quam esset, judicio terminari jubet. Judæis etiam Mediolanensibus Synagogas adversus Ecclesiasticos tuetur, tricennali præscriptione munit, & memorabili causula eos ad exuendam superstitionem allicit: *Concedimus quidem, clementiæ consuetudine, quæ rogastis; sed quid Judæe supplicans, temporalem quietem quæris, qui æternam requiem invenire non possis?* Alium tumultum Ravennæ adversus Judæos ortum, & Theodoricum Judæis æquiorem memorat *Anonymus Valesii* loco corrupto quidem, ut mos hujus fragmenti, sed non omittendo, cum rem aliis præteritam reprehendat: *Posthac Theodorico Veronæ consistente propter metum gentium, facta est lis inter Christianos & Judæos Ravennæ. quare Judæi baptizatos nolentes, dum lividenti frequenter oblatam in aqua fluminis jactaverunt. Debinc accensus est populus non reservantes neque Regi, neque Eutharico, aut Petro, qui tunc Episcopus erat; consurgentes ad Synagogas mox eas incenderunt. quod & in cena eadem similiter contigit. Mox Judæi currentes Veronem, ubi Rex erat, agente Trivuave* (hunc Triguillam putat H. Valesius) *præposito cubiculi. & ipse hæreticus favens Judæis insinuans Regi factum adversus Christianos, qui mox jussit propter præsumtionem incendii, ut omnis populus Romanus Ravennates Synagogas, quas incendio concremaverunt, data pecunia restaurarent: qui vero non habuisset unde dare, frustati* (fustatos legit Valesius) *per publicum sub voce præconis ducerentur. Data præcepta ad Euthericum Cilligam, & Petrum Episcopum secundum hoc tenore præcepit: & ita adimpletum est. Ex eo enim invenit Diabolus locum, quemadmodum hominem bene rempublicam sine querela gubernantem subriperet.*

Cassiodor. Artes, quibus honor & elegantia fastigii Principalis
5. 1. adornatur, satis calluit Theodoricus. Quanta comitate, quàm decoris verbis accipit munera Wandalorum regis,
5. 2. & remittit ei sua? Quàm liberaliter extollit succina sibi ab Hæstis donata? Quanta gravitate, cui tamen permixta ratio humanitatis inest, Trasimundi regis dona non accipit?

cipit? Evocatio autem honoraria, vel ſponte Principis 5. 44.
facta, vel petentibus indulta, exquiſitæ gratiæ formulis
& regulis diſpenſatur, ut cultiſſimi temporis, & politiſſimæ aulæ genium (ſi ſtili mutatam indolem demſeris)
referre videatur. Sed, quo tendebamus, perveniſſe nos 3. 22.
putamus. 7. 14. & 35.

Unum supereſt, ut ſcripturæ hujus conſuetudinem, vel explicem indoctis, vel eruditis excuſem. Quanquam hoc poſteriori labore ſuperſederi poſſe rectius dixeris. Imperiti rhapſodiam criminabuntur, deſcripta totiens aliorum ſcriptorum verba bene multa, ſæpe parum Latina, ſæpe non barbara modo, ſed vitioſa. Sed fruſtra apud hos ſermonem ordiar, ſi non intelligunt temporum genios, hiſtoriæ fata & fontes, & eruendi ex caligine, quæ abdita ſunt, prudentiam. Quanto illi rectius conſuluiſſent poſteritati, qui rudiorum ſæculorum & librorum monumenta ſuis verbis conſignarunt, ſuo ſtilo inverterunt, ſi aliquando reliquiſſent nobis, etiam corruptas paginas, etiam infantem eloquentiam? Multa inde didiciſſet eruditus lector, quæ ex ornata & diſerta oratione genuinis ſubſtituta ne ſuſpicari quidem fas eſt. Eſt, ubi ludere ac pæne inſanire dixeris, qui inepto vulgo centones farciunt. Si tu tamen cum hoc genere velis comparare, vel Lipſii graviſſimum doctrinæ propoſitum in Politicis, vel Berneggeri prudentiſſimum conſilium in Tuba Pacis, facile crediderim futurum, ut inter imperitos principatus tibi decernatur. Ita hic quoque exiſtimandi cauſa eſt, non eſſe idem, duo cum faciunt idem. Eſt & rhapſodiæ hiſtoricæ genus utiliſſimum: cujus ſi mihi dabunt ſpecimen, quod quidem ſit ſani coloris, lubenter illos & liberaliter laudabo, quibus tam in proclivi eſt alienos labores carpere. *Sigonius* in opere hiſtorico *de imperio Occidentali* primus, & hactenus unus fuit, qui Theodorici noſtri res ſcrutandas colligendasque ſibi duceret. Lib. 16.
An aliquid hic acceſſerit, cordati lectoris eſto judicium.

V.

HISTORIA CAROLI MAGNI IMPER. ROM.

PRÆFATIO.

CAROLI, qui rebus geſtis Magni cognomen meruit, vitam & imperium tum ejus ævo, tum poſterioribus ſeculis aliqui literis ad poſteritatem propagare aggreſſi ſunt. Sed in iſta Scriptorum turba, plerique ſeu barbaræ ætatis vitio, quæ omnem ſermonis elegantiam profligaverat, ſeu paucitate rerum & diſperſis hinc illinc hiſtoriæ particulis, tanti Viri memoriæ vix ſatisfecerunt. Quapropter dum materiam publicæ diſquiſitioni inſtituendæ requiro, haud inconſulte me facturum ſperavi, ſi hæc ipſa maximi Imperatoris geſta ſuis eruta locis in unum conducerem, & quanto liceret ſtudio conſignarem. Etſi enim nec à me eruditum aliquid expectari poterit, nec ab hac ætate perfectum quicquam, juvabit nihilominus Principem illum penitius conſideraſſe, qui magnitudine ſua in id faſtigii evectus eſt, ut Imperatoris Romani nomen primus in ſua gente conſequeretur. Sane admirabilis fuit divini Numinis providentia, qua poſt fractas Orientis opes & concuſſum illic Imperii robur, ita majeſtas ejus apud externos eſt reſuſcitata, ut regnantibus Conſtantinopoli per ſummam ſocordiam Conſtantinis,

Leo-

Leonibus, & impotentis denique animi fœmina Irene, novus interim in Occidente ſplendor CAROLUS oriretur, qui acceptam à Patre Pipino gloriam non augeret modo per omnia virtutum experimenta, ſed ad auguſtum illud, & quo in terris ſublimius non reperitur honoris culmen etiam perduceret. Cæterum inter Scriptores, quibus velut inſtrumentis in hoc labore uſus ſum, primi EGINHARDUS, *Ganguinus*, *Acciaiolus*, *Cuſpinianus* ſeſe offerunt, breviter univerſam CAROLI vitam complexi, fidemque conſenſu merentes, tanto majorem ille, quanto tum vetuſtate nobilior, tum dignitate apud ipſum Imperatorem eminentior olim fuerat. Succeſſit his *Adelmus Benedictinus*, cujus annales à Pipino ad CAROLUM MAGNUM continuati in Ludovico Pio, (ſub hoc enim floruiſſe dicitur) exeunt, non omittendus præcipue hoc nomine, quod ſuperſtes ex æqualibus illius ſeculi fuſius narrat, quamvis interea rude ſermonis genus facile temporis infelicitati condones: adeo barbaries omnia corruperat. Addidimus, quæcunque ex *Aventino*, *Sabellico* & *Sigonio* memoratu digna viſa ſunt. Nam *Pauli Æmilii*, viri ut ad priſcam ſcribendi formam proxime accedentis, ſic ceteris merito præferendi authoritate præcipue uſi ſumus. Tanta nimirum & cura & gravitate, nec minus erudito orationis filo Francorum memoriam Regum perſequitur. Cum vero omnium, quos hactenus memoravimus induſtria præcipue circa CAROLUM bellis & rebus civilibus occupatum verſetur, ne mutila eſſet

S 2 nar-

narratio, aut maxima piissimi Imperatoris in rem Christianam beneficia sileantur, pleraque ex *Baronio* religionem & res sacras concernentia mutuati sumus, quantum equidem fidei diversæ partis scriptori præstare licuit, qui occasioni insidiatus, maxima minima in opinionum suarum adminicula trahere conatur. Cæterum & istis, quæ *Joannes Turpinus* fabulis equidem, quam incorruptæ rerum gestarum veritati similiora prodidit, locum aliquem dedimus, non tam amœnitate quadam pascere studentes legentium animos, quam ut testaremur, magis magisque fortissimi Principis facta esse suspicienda, quippe quæ molitione ardua, numero infinita, successu egregia, vel indagari plenius nequivere, vel sua (ita fieri amat) magnitudine supra certitudinem creverunt. Quæ ex *aliis Scriptoribus* admiscuimus, suo loco indicabuntur. Dignissimam ergo ampliori consideratione materiem, non mearum fiducia virium, sed ingenuæ exercitationis amore, fretusque lectoris æqui benevolentia nunc aggredior: nam (quod occupavi dicere) nec indolis alias meæ, ætatisve hujus captus tanto conatui sufficere posset.

I. CAROLUS MAGNUS IMPERATOR

à Parentibus maximis omnique laude & honore præfulgentibus Ingelhemi, vico propter Moguntiam in Germania, in hanc orbis communis auram est prognatus. Fuisse eum *Germanum*, quamvis Gallos quosdam negasse non ignorem, consensus tamen Authorum, & imposita mensibus ac ventis Teutonico sono nomina, sed præcipue imperium ejus opera in Germanos derivatum satis

ſatis evincunt. Magis de loco, qui cunas dedit Carolo, inter Authores quæritur. *Aventinus* enim Carlsburgi in Boiaria, (unde & oppido nomen) editum, magnaque ibidem reverentia arcem monſtrari peregrinantibus adſeverat. Cæteri fere, in eo, quem diximus, vico, genitum ſcribunt. hos ut ſequamur inclinat animus. Satis interim manifeſtum eſt, adeo honoratam fuiſſe poſteris ſummi herois memoriam, ut non una inter Germanos natio vindicare ſibi natales ejus laboraverit. Parentem habuit *Pipinum*, invicti roboris virum, qui ubi officiis publicis ætatem idoneam egit, regii præfectus palatii à Francis ordinatus eſt. Ille uſitato tum vocabulo Major-domus appellatus, in belli pacisque negotiis proximus Regi, & ſpectatæ inter ſuos authoritatis fuerat: qua dignitate Pipinus primum Senior, & Carolus Martellus, celebre illud Saracenorum fulmen, mox noſter Pipinus, cum fratre Carolomanno aliquandiu (qui tamen non multo poſt ſolitariam vitam in monte Soracte prope Romam amplexus eſt) continuatis in familia honoribus uſi, & collecta jam miniſterii diuturnitate potentia favorem omnium meruerant. Interea poſtremus è gente Merovingorum Childericus regno Francorum præerat, animum haudquaquam tanto faſtigio parem gerens; ſed corruptus otio atque ſocordia præter regis nomen, & inanem Majeſtatis ſpeciem nullius rei curam amplius habebat: Præfectus palatii conſultare, agere omnia, negotia domi forisque conficere, ſubvenire, providere, leges & jura conſtituere ſolebat, quibus perſpectis indignitate commoti optimates, tanti imperii corpus velut anima deſtitutum ſenſim collabi, in publico congreſſu regni ſummam Pipino deferunt, depoſitumque Childericum tonſo capite in monaſterium detrudunt, Pontificis, quo major cœptis reverentia eſſet, conſenſu accedente. Pipinus autem Rex hoc modo conſtitutus, ducta in matrimonium *Bertha*, omnibus muliebris ſexus ornamentis illuſtri femina, (cujus pater Heraclius Cæſar Conſtantinopolitanus, Phocam Mauritii interfectorem, & hinc gravem Imperio Tyrannum peſſundedit)

II.

III. dedit) variam mox bellandi materiam habuit. Nam *Aistulphum* Langobardorum Regem insolentius erga Pontificem Stephanum se gerentem compescuit, & *Saxones* ferocem populum, novis molitionibus semper vires quærentem, duplici prælio ad Visurgim profligavit; adhæc *Vaifarium*, Aquitaniæ ducem, contumaci superbia spernentem imperium suum domuit; de quo bello latius postea dicendum erit, tum quod defuncto parente CAROLUS istud excepit, tum quoniam militiæ rudimenta in eo deposuit: novissime *Tassilonem* Bavariæ regulum aggressurus videbatur, qui ubi nuncium de patris ægritudine accepit, ne salutato quidem Pipino cui in expeditione Aquitanica operam navabat, domum se proripuit, nec obscure rebus novis adjecit animum: sed interveniebat invictissimi Regis obitus, quo minus occulta ejus & factiosa consilia

IV. statim excuterentur. Tanti itaque parentes quum obtigissent CAROLO, vix potuit aliter nisi ad magnæ cultum fortunæ præparari. Jamprimum in puero divina quædam vis & natura maximo ingenio instructa elucebat, nec sanctius quicquam ducebant, quam innutritum cœlestibus præceptis, Eruditorum curæ committere. Quamobrem & *Christianæ religionis capitibus* accuratissime imbutus est, & opera *Petri Pisani* præstantis tum in re grammatica Viri, artium liberalium fundamenta hausit, *Latinæ* nimirum & *Græcæ* linguæ cognitionem pro seculi conditione maximam adeptus est; ut efferret illam expeditissime, hanc sufficienter intelligeret. Cum vero singulari temporis felicitate Reges Britanniæ legatum fœderi pangendo ad CAROLUM destinassent *Albinum Alcoinum*, è gente Saxonica Anglum, & olim Bedæ, cujus in re sacra præclari labores extant, auditorem, captus eruditione hominis CAROLUS è legato hospitem, ex hospite præceptorem habuit: nec solum *quæ ministra est humanæ sapientiæ*, disciplinam ab eo perdidicit, sed totis viribus ad *Orationem exercendam* conversus naturalem facundiam ita roboravit studio, ut præter promptum ac profluens sermonis genus facile ævi sui eloquentissimus crederetur. *Arabice* loquutum

tum esse Aigolando Saracenorum Regulo *Turpinus* auctor est, nec id fide indignum : dum enim in expeditione Hispanica præcipuam belli molem in illum vertit, facile temporis tractu notitiam linguæ comparare potuit. Cæterum quo mentem attolleret altius, abduceretque à vano metu aut admiratione rerum, Albino doctore *cœli siderumque scientiam* præcipue excoluit, cujus difficultatem si qua feliciores cursus moraretur, arte computandi adjuvit. tantos autem progressus fecit, ut in tabulis ac codicillis, quos hoc fine sub lectuli cervicalibus circumferebat, motus eorum delineare, cœlique imagines exprimere tentaret, sed otium rei necessarium, & ætas CAROLI negotiorum multitudine implicata, ac sensim ingravescens laudabiles conatus destituit. *At eam philosophiæ partem, quæ sibi aliisque probe imperare docet*, quo magistro aggressus fuerit, nullus quod sciam, memoriæ prodidit. Crediderim tamen, præter exemplum Patris Pipini & saluberrima monita, maximum in adolescente robur habuisse maturam rerum curam, quibus admotus, ipso usu omnium magistrorum præcepta superante arduum regendi munus animo complexus est. Non reticeri tamen debet præcipuum CAROLO ad solidiorem prudentiam momentum, *ante actorum notitia*. Quotiens enim cœnabat, magis de animo quam ventre pascendo solicitus, aliqua lectione epulas condivit. Prælegebantur ei antiquorum Regum gesta, quibus ut certissimis innixus documentis, totius vitæ scenam intuebatur. Fugiebat nunc præcipitia aliorum consilia infelici plerumque successu punita; nunc aliorum admirabatur virtutes, qui dignum moderatis actionibus exitum invenerunt. *Augustini* pariter summi Antistitis opera, & ex illis divinum, quod *de civitate Dei* est, monumentum in promptiores usus maxime seligebat, egregio prorsus consilio; quippe quo codice nihil gravius reperire licet, tanta cura instruit mortales, ut visa perspectaque vitæ civilis incertitudine, omnia consulta, dicta, facta, ad superam quæ DEI est, & in qua perpetua felicitas, civitatem dirigant. His atque talibus disciplí-

V. (margin, beside "poris tractu notitiam linguæ comparare potuit. Cæ-")
VI. (margin, beside "tua felicitas, civitatem dirigant. His atque talibus di-")

ſciplinis dum mentem firmat CAROLUS, interim corpus laboribus exercere non deſtitit. Spectabatur more Francis recepto, nunc ferocientes equos domitare, nunc aſſueſcere armis, ſæpe venationibus indulgere. Cujus equidem exercitii adeo ſtudioſus fuit, ut turbido etiam aëre per invios ſaltus & præruptos colles, & in media hyeme cum altæ nives terram premerent, adſtringerentque gelu campos, feras inveſtigaret: nec, quod rem ſaluberrimam & ſanitati ſuæ perquam utilem duceret, in ſenectute à tanto ardore remiſit, ſed quoties otium à publicis negotiis habuit, iſtas temporis reliquias huic delectationi deſtinavit. Adhæc natandi peritiſſimus inter ſuos frequenter corporis ſudores in præterlabente flumine abluebat, præcipue aquis genitali ſua vi calidis delectatus: quamobrem in regia Aquisgrani extructa per extremum vitæ ſpatium non cum filiis modo & amicis, ſed ſæpe ſatellitum cohorte balneum ingreſſus eſt, evenitque interdum, ut centum vel amplius homines una lavarentur. Scilicet decorum fore ratus eſt, ſi in conſpectu ſuorum, (quod *Curtius* in Alexandro prædicat) oſtendiſſet, levi ac parabili cultu ſe eſſe contentum.

VII. In tantis igitur corporis ac animi ornamentis, nihil deeſſe CAROLO videbatur, niſi ut ingenium cordata inſtitutione probe excultum in ipſo rerum gerendarum molimine exſereret. Huic curæ patris Pipini prudentia mox proſpectum eſt. Bellum, ut prædiximus, in Aquitania, contra Vaifarium ducem provinciæ gerebat, cujus hæc traditur cauſa. Vaifarius ſacerdotum opibus, quas Viſigothorum mox Saracenica impietas abſtraxerat, renaſcentibus jam & Pipini beneficio ad veteres dominos redeuntibus, iniquior erat, ſuæque poteſtati decedere arbitratus, quicquid templorum reditus augeret, in eos, Franco protegente, irruebat. Primum levibus præliis manus conſeruerunt: poſtquam ab utraque parte efferveſceret impetus, fremente imprimis Pipino, majeſtatem ſuam apud rebellem inſuper haberi, acrius bellum inſtauratur. CAROLUS à patre domo excitus in expeditionis conſortium

tium aſſumitur, ut virtutis oſtentandæ occaſionem nanciſceretur. Multa in eo bello egregiæ indolis experimenta dedit. Gergovia, Pictones, Bituriges ejus auxilio recepti, pugnaque commiſſa, cum præcipui diverſæ factionis duces caderent, Vaifarius autem ſimulata pace mitteret Regi obſides, pacata aliquandiu Aquitania eſt. Pipinus extemplo in Cantabros profectus, opem illis adverſus Saracenos, terrorem univerſæ Hiſpaniæ incutientes tulit, atque ita erexit eorum animos, ut indies de fortuna ſua melius ſperarent. VIII. Hos verò dum confirmat, Vaifarius neglectâ fide, quam obſidibus datis ſanctius colere debuiſſet, in Franciæ, Burgundiæque confinia excurſionem facit, & ingenti præda onuſtus latroni quam hoſti ſimilior domum redit. Rex habito Niverni conventu in Aquitaniam penetrat, muros urbium Ageni, Engoliſmæ deſtruit, quibus maxime fiſus perduellis trahere bellum cupiebat, aliquot oppidis ſive vi ſive deditione voluntaria potitur, inde exercitum ob acerrimam hyemis aſperitatem in caſtra reducit, ac licet Taſſilonis defectio, (cujus ſupra mentionem fecimus) animum in diverſa abſtraheret, decrevit tamen omnibus intermiſſis ad necem usque Vaifarium perſequi. In hunc finem recollecto exercitu Aquitaniam rurſus invadit, Toloſam, Cadurcos, Albios recipit; dumque circa urbem Sanctonicam moratur, Ramiſtanum Vaifarii patruum comprehenſum reſte ſuſpendit, tum quod ille ſpeculatus fortunam, nunc regiarum nunc Vaifarii partium eſſet; tum quod hoc exemplo metu cæteros percelli, & ex metu ad obedientiam reduci poſſe crederet. Nec conſilium fortuna deſtituit. Erovicus ac cæteri perfectorum ſe ac ſua Pipino permittunt, adeoque inclinatis rebus Vaifarius à domeſticis gratiam victoris aucupantibus occiditur, ſat efficaci documento, poteſtatem ſcelere partam plerumque non melius agi, quam acquiri; & perfidiam in auctores ejus recidere, ſiquando jusjurandum religione confirmatum ſervare domino neſciunt. Rex finita expeditione IX. Sanctonas revertitur, ibique moratus aliquantum morbo corripitur, quo inſtante ne ſibi deeſſet, primo Turones,

T mox

mox Parisios delatus, acrius laborare cœpit: aqua enim intercute membra ejus intumuerant. itaque imminente fatali hora, animam, unde acceperat, Deo reddidit. Princeps haud dubie illud fastigium sua virtute meritus, fortis etiam ac sapiens, qui denique benevolentia & auctoritate procerum populique amorem sibi conciliaverat. CAROLUS cum fratre Carolomanno, ubi primum fama mortis Pipini percrebuit, consensu nobilitatis regni habenas suscipiunt, & ut constaret, in quantum utriusvis se extenderet jurisdictio, certis limitibus imperium distinguunt. Carolus Noviomagi, Carolomannus Augustæ Suessionum coronantur: illi Vestria, (quam corrupte Neustriam vocant) Aquitania cum cæteris Occidentalis Franciæ provinciis cesserunt; huic transrhenanæ ditiones, Francia nimirum Orientalis,& ea, quam hodie Austriam dicunt, Germaniæ pars paruerat. Nondum omnia rite

X. ordinata erant, cum (ut fit in novis imperiis) Hunoldus ex eadem feraci rebellionum Aquitania surgit, & allectis popularium animis dux regionis salutatur. Illa inter nobilissimas Franciæ pars Ligeri fluvio & Gebenna monte cingitur, qua Occidentem spectat, mari quod hinc Aquitanicum appellatur, alluitur, à meridie ubi Pyrenæis clauditur jugis Vasconiæ nomen obtinet. hanc Lupus quidam insederat, anteriorem Hunoldus, captis urbibus præcipuis, quæ jam antea per Pipinum mœnibus nudatæ erant, facile occupaverat. Carolus minime cessandum ratus, ne mora hostium vires incrementa sumerent, exercitum contrahit promptum expeditumque, simul à fratre Carolomanno auxilium petit. at ille, sive pacem suam alieno bello turbare nolens, sive potentiam fratris & indefessum animi robur timens, adhæc purpuratis ejus mentem solita vanitate inflantibus, auxilium CAROLO denegat, & proprio tantum milite succinctum pergere in

XI. Aquitaniam sinit. Haud difficulter Regis ardor Hunoldum in fugam pepulit. Territus enim inopinato adventu ad Vasconiæ ducem Lupum se recepit, cumque eo consilia de regni societate incunda communicat. Cedentem

tem CAROLUS persequitur, dumque Sanctones, Pictones, ac Engolismenses suarum esse partium cognoscit, ad Vasconiam usque penetrat. Per legatos deinde Hunoldum à Lupo repeti jubet, *ni imperata protinus fierent, Vasconiæ parem cum cætera Aquitania sortem imminere; proinde aut nunc deditionem, aut mox bellum parandum, nec aliam quam Hunoldus expertus est, expectandam esse fortunam.* Interea ad flumen Dornoviam castellum, cui Fronciaco nomen fecerat, extruit, ostensisque tantum non illatis armis sententiam hostium opperitur. At Lupus celeritate Regis & spe veniæ permotus præter Hunoldum se ac sua quoque potestati ejus permittit, prudenti consilio novam domino obedientiam spondens, quem, si vel maxime bonitate causæ adjutus fuisset, nec arte bellandi nec exercitus robore, sustinere potuisset. Hunoldus CAROLO adductus in custodiam traditur. Prodit tamen *Paulus Æmilius* & ex *Sigeberto Baronius*, eum simulata pœnitentia Romam transmissum, ut perpetuam ibi vitam ageret, postea verò actum perfidiæ stimulis ad Langobardos defecisse, ac tandem sive ab ipsis Langobardis, quibus fallacia hominis perspecta erat, sive ab insidiatoribus aliis lapidibus obrutum, scelerum pœnas dedisse. Interea vero dum Rex felici expeditione auspicia Imperii firmat, Legati Pontificis Stephani superveniunt, & exhibitis literis summopere rogant, *ut concilio Romæ habendo suo & fratris Carolomanni nomine duodecim Episcopos è Gallia destinaret.* Magna tum Sedis Romanæ confusio & de summa dignitate concertatio erat exorta, Constantino aliquandiu fastigium illud tenente. Hic frater Totonis ducis Nepesini, nullis unquam sacris initiatus, post Pauli primi obitum à Desiderio Langobardorum Rege, pecunia, ambitu, postremo vi intentata obtrusus Romanis Pontifex fuerat: non jam obscuris Langobardi machinis: morte enim Pipini solutus metu, ac filiorum despectam habens juventutem, quo res procederet tutior religionis nomine, per suarum Pontificem partium de totius Italiæ dominio consilia agitaverat. Sed vertente anno Romani ira & indignatione perciti, quasi XII.

vero eminentissimæ sedis reverentia aliena temeritate in tantum proculcanda esset, Constantino gradum abrogant, vitæque solitariæ mancipato substituunt Stephanum tertium ejus nominis, virum (ut Platina quidem ait) eruditum & strenuum rebus agendis. Qui suscepta, muneris sui cura, concilium convocat, in quo dum præter Romanos Antistites Italiæ & circumjacentium regionum, nec non duodecim è Gallia, quos in gratiam Stephani Carolus submiserat, conveniunt, sancitum est, *ne quis postea ad Pontificatum maximum adspiraret, nisi cœlestibus curis rite consecratus, per sacros ordines ad summum illum honorem adscendisset.* Adhæc omnia Constantini acta rescissa sunt, edicta ejus igne combusta, episcopi cæterique sacerdotum, quos ordinaverat dignitate sua privati, ac pristinos gradus recipere jussi sunt, usque dum certioribus pietatis & doctrinæ experimentis clari, honoribus istis digni judicarentur. Eodem in Concilio, Græcorum sententia erroris damnata est, qua Sanctorum imagines templis summovendas præceperant. Nam & tolerandas sacris in locis & veneratione quapiam colendas esse, Patres censuerunt. mox decreti forma, Cæsari Constantino Copronymo, qui

XIII. res Orientis tum curabat, transmissa est. At CAROLUS subjugata Aquitania in Germaniam proficiscens, Vormatiæ conventum habuit: ubi permotus populi precibus sancivit, *ne Episcopi ac sacerdotes, si quando belli tempestas populum patriis laribus exciret, cogerentur cum cætera multitudine communibus periculis interesse: transigerent potius domi, pacis optatam vicem, gererentque animarum curam, quas necessitas pugnandi penatibus non abstraxisset.* Insequenti tempore Carolomannus repentino quidem, sed (ut videbatur) utili Reip. fato, abripitur: nam postquam auxilia fratri contra Hunoldum denegasset, nunquam plena inter eos gratia redierat, æmulatione ac odio sensim emergente. Adeo difficile est, & unius imperii corpus duobus animis committere, & concordiam retinere; præsertim si Carolomannum spectes, cujus ferociori ingenio abusi proceres, quocunque libuerat, juvenem trahentes, perpetuum

tuum cum fratre diffidium aluerunt. CAROLUS morte ejus audita, confestim in villam Carboniacum pervenit, & ab Episcopis, Sacerdotibus ac Comitibus Carolomanni, colloquio prius habito fraternæ ditionis habenas suscepit, jamque omnis Galliæ Rex salutatus, Vormatiam regreditur. Bertha Carolomanni uxor cum liberis ad Desiderium Regem Langobardorum se contulit, neque post mortem mariti CAROLO confisa, quem unicum viduati thori solatium habere poterat. Interim ille secundum in Vangionibus conventum cogit, & concedit sacerdotibus, *ut imposterum accusati criminis à populo, nisi idonei testes reos convincerent, jurejurando se purgantes, soli Deo innocentiam probarent, ac eodem teste uterentur.* Mox armata XIV.
manu in Saxones movet. Ea gens religione profana, artium rudis, armis strenua, sed ferocissima inter Germanos, Thuringorum tum fines late vastaverat, brevi Franconibus ipsis timenda, nisi in tempore adhuc incursionibus istis obviam iretur. CAROLUS ut & impetus eorum retunderet, simulque insitam animis superstitionem deleret, Saxoniam irrumpit, Eresburgum nobilem munitionibus locum expugnat, præterea igne ac ferro cuncta pervagatus præcipuum gentis Idolum Irminsul ab Arminio forte clarissimo olim Germanici nominis vindice sic appellatum, cum cæteris Saxonum fanis exscindit. Nec abfuit divini Numinis favor tanto studio religionem promoventi. Quippe intentus demolitioni, & per acerrimum solis fervorem, rivis ac fontibus, qui circa erant, cunctis aqua sua destitutis, totum exercitum siti laborantem habuit, qui tanto cruciatu afflictus, vere ludibrium fortunæ, hostisque spectaculo expositus, tantum ferociam ejus ingruentem expectavit: cum subito juxta vicinum castris montem, in cavo exsiccati torrentis tanta vis aquæ profluxit, ut facile maceratis corporibus subvenire, ac reficere languida membra omnes valerent. His ita XV.
compositis CAROLUS in Franciam revertitur, ac paulisper moratus in villa Theodonis Austrasiæ tum civitate, legatum Adriani Pontificis. (qni nuper Stephano

ſucceſſerat) præſto habuit, edoctusque ab eo, quanta perfidia Deſiderius cum Pontifice ageret, vindicare hunc à Langobardi injuriis decrevit. Res ipſa hortari videtur, quoniam hoc bello Longobardorum opes & imperium cecidere, tantæ mutationis cauſas uberius exſequi. Deſiderius morte Aiſtulphi beneficio Pontificis Stephani II. Rex Longobardorum creatus, aſſumto etiam in regni conſortium Adalgiſo filio, dignam aliquandiu regia majeſtate vitam tranſegit. Sed iniquior fortunæ Francorum, creſcentemque veritus CAROLI potentiam, ſimul quod Pontificibus amiciorem eum videret, quos tamen aut penitus ſubmotos, aut ſuarum eſſe partium, magnopere contendebat, inſurgere paulatim, ac Pontificis ditionibus cæteræque Italiæ infeſtus eſſe cœpit. Multa primum occulte ac clandeſtinis inſidiis agebantur, poſtmodum ubi fraus ejus, quam electione Pontificis Conſtantini paraverat, eluſa eſſet, nec non Michael quidam, quem pari audacia & intentione in Sergii Ravennatium Archiepiſcopi locum ſuffici curaverat, dignitate privatus, ſucceſſorem juſtis ſacerdotii comitiis deſignatum,
XVI. Leonem acepiſſet, violentius ſeſe commovit. Arridebat præterea occaſio vel maxime bellum cupienti expetita. in tantum ferocioribus ingeniis ſpecioſi prætextus animos & arma ſubminiſtrant. CAROLUS ante quam iſti motus exarſerunt, matre Bertha procurante Lutbergam Deſiderii filiam in matrimonium legerat; at anno vix elapſo permotus repugnantis animi ſtimulis, ſive quod inhabilem ad generandum crederet, ſive quod turpe ſibi duceret, cum gente externa, cujus ut origo obſcura, ita nomen fere everſionibus regnorum nobile eſſet, ſanguinem miſcere, aut ipſam affinitatem infidam Deſiderii impotentiâ ſuſpicaretur, expulſæ maritali thoro, ac patri remiſſæ, Hildegarden illuſtrem feminam inter Germanos ſuperinduxerat. Ingentem adverſus CAROLUM iram Deſiderius hoc facto concepit, indulgensque furori male preſſam hactenus invidiam pariterque dominationis conſilia tali modo exequi ſtatuit. Ab Hadriano Pontifice Maximo,

mo, quum ei sicut & Antecessoribus simulato fœdere aliquoties illusisset, precibus contendit, ut Carolomanni liberos, quos ipse cum matre Bertha, ceu prædiximus, à fuga in tutelam receperat, Galliæ Reges inungeret: morte parentis & ætatis conditione, quæ maxime opportuna injuriis esset, ab amplissima spe decidisse, ajebat: CAROLUM celerrimæ temeritatis consilio præripuisse terras junioribus, in quas tamen parentum dignitas & natalium jura illos insererent: Simul delinisse procerum animos, ut omnium censensus unius obtegeret audaciam: *Cavendum ne primæ felicitatis impetus ad majores injurias Virum bellandi cupidum incitaret: Italiam sub diversis prætextibus iisdem ausis expositam: succurrendum denique parvulis, quorum exemplo, nisi prospiciatur, regnandi libidini velut fores aperirentur.* Hadrianus quoniam sciret Desiderium non misericordia profugorum ad hæc obtinenda adduci, sed quo res Francica unicum Sedis Romanæ certissimumque distraheretur præsidium, ac reddito vel pernegato pupillis regno, turbaretur, & CAROLUS conjunctissima amicitia hactenus Pontifices complectens alienior fieret; permoveri non potuit. Nec fefellit Desiderium, qui certus negatum iri quod postulaverat, vix exspectato responso Exarchatum ingreditur, Comaclum, Faventiam, & Ferrariam occupat, in Ravennæ obsidione, quæ urbs strenue defensionem paraverat, aliquandiu moratur. Jactatum extemplo inter partes de conditionibus pacis fuerat: ac Longobardus *cuncta Romanæ ditioni restituturum se* promiserat, *modo Hadrianus omissa legatione præsentiam ipse suam tantis rebus commodaret.* At Pontifex perfidi hominis insidias veritus, quum & recuperari posse amissa ægre cerneret, nec vires in propinquo apparerent, legatum in Franciam mittere statuit, qui exposita CAROLO imminenti calamitate, auxilium ejus solicitaret. Terrestre iter, quo per Langobardiam & Alpium juga appropinquatur Allobrogibus, mox penitiori Galliæ, non infestum modo, sed Desiderii copiis omnino interclusum erat: itaque Petrus qui nomine Hadriani Regem salutare debuerat, mari Infero Massi-

Massiliam usque provectus, non segni cursu viam, quæ
XVIII. ad Theodonis villam ducebat, emensus est. CAROLUS ubi primum de insolentia Langobardi cognovit, legationem in Italiam direxit, qua denunciaretur Desiderio, *abstineret à regione non tam Pontifici subjecta, quam ipsi Ecclesiæ consecrata, contentusque propria imperii gloria cederet alienis finibus, neu pacem turbaret Italiæ: nisi consentiret æquissimæ petitioni, Franco Regi tutelam sacræ sedis incumbere.* Ille interim non cessabat, sed præda è finibus Senogalliæ abacta, vastatisque incendio oppidis, jam Æsii, Urbini & Eugubii potitus erat: postquam verò à legatis mentem CAROLI percepit, imminens Spoleto nunciari jussit Hadriano, se voti exsolvendi gratia Romam venturum. facile intellexit Hadrianus vim subesse, cumque audiret ingens agmen eum sequi, ne inordinatam urbem subita irruptione terreret, portas omnes clausit, præsidia ex Romanis, Campanis, Tuscisque contracta, suo quæque loco disposuit, præterea opes & ornamenta templorum quæ extra urbem avaritiæ hostis obnoxia erant, mœnibus inclusit. Tribus deinde Episcopis injungit, *ut profecti ad Desiderium, ulteriori progressu ei interdicerent, nisi audiens esset dicto, carmen quoddam, dirissimis execrationibus refertum in caput ejus effunderent.* Movit hominem, sive loci reverentia, sive horrendi carminis lex, & agro Romano quidem excessit: nondum tamen belli tempestas de-
XIX. tonuit. Etenim Rex Francus comperto legationem irritam fuisse, ac sua lenitate roboratam hostium malitiam, ratus adesse tempus rei gerendæ, subjectas Italiæ oras novo fulmine perstrinxit. Præter *Barònium Sigonius*, accuratæ in hisce circumspectionis vir, author est, CAROLUM antequam auxilia promoveret, conditionem proposuisse Desiderio, *ut acceptis quatuordecim millibus solidorum Hadriano quietem indulgeret, ac restitueret ablata.* nihil magis apud obstinatum hæc valuere: opus erat vi contra eum, qui solis sceleribus flagitia sua defendi posse crediderat. Proinde in Allobrogibus conventu habito, coactoque de Concilii sententia exercitu, quid agendum sit cunctos edocet;

cet: *eundum esse adversus gentem, quæ ab humili & sordida origine eo magnitudinis creverit, ut jam nimia felicitate laboret: postquam armata manu nobilissimam Italiæ partem insedisset, regnandi cupidine stimulatam, de totius dominio vindicando consilia agitare: ipsas Pontificis maximi terras, & primarium Ecclesiæ domicilium huic furori patere: quis non deletam animis eorum religionem censeret, quorum rapacitatem, nec divinæ majestatis reverentia moraretur: aut quis ullam regionem ab istius populi ferocia immunem crederet, cujus injurias nec sacra Deo loca effugerent: Satis enim constare quibus molitionibus Galliæ quoque felicitatem tentaverint; Desiderium Regem infidæ gentis dum Carolomanni liberos in sceptrum adserere, dum Pontificem ab amicitia Francorum divellere laboraverit, non sibi modo ac regni sui fortunæ struxisse insidias, sed inhiavisse Francorum opibus, ac libertatem illam, solo nomine terrarum orbi probatam impetiisse. Quamobrem strenue pergerent in illum hostem, quem celeriter obruisse victoria fuerit, tarde vincere discrimen: spem omnem non in fuga, sed fortibus lacertis ponerent: denique & istud fortunæ munus agnoscerent, quod in aliena terra suus hostis veniat ipsis debellandus.* Excitatis hac ratione militum animis iter pronunciari jubet. Alpes à vadis Sabatiis (hæc Ligustico mari obiacent) exsurgentes per omnem Italiam, qua Galliæ, Vindeliciæ, Norico vicina est, ad Flanaticum usque sinum continuantur: inde varia sortiuntur nomina, prout situ suo oppidum aut celebrem locum contingunt. Ubi à sinistro latere Velaunos & extrema Allobrogum, à dextro Pedemontium & mox ipsam Lombardiam spectant, Cottiæ appellantur, in his mons Cinisius insignis est; quem CAROLUS cum parte copiarum transcendit. Reliquus miles Duce Bernardo montem Jovis propius Septentrioni objacentem penetravit. Dejectis utrinque Desiderii præsidiis, quæ hostium incursioni opposita erant, circa Taurinum agrum sociant exercitus, unita virtute Longobardum excepturi. Ille cunctas regni vires ad Taurinorum & Prætoriam Augustam collegit, ut si forte CAROLUS perruptis Alpium faucibus in campos descendisset, illius impetus haud

XX.

dubie tanta manu coërcere posset. At postquam cædem suorum inaudisset, perculsus subita calamitate, ac trepidans, relictis multa opulentia ditibus castris, Ticinum, urbem munitionibus tutam, confugit; CAROLUS fugientium terga insequutus, multos interfecit, & confestim obsidionem Ticini pariter ac Veronæ, quo filius Desiderii Adalgisus cum Bertha & liberis Carolomanni se receperat, meditatus est. Multos jam illa clades Pontifici reconciliaverat: Spoletani primum nobiles, qui in Francos ire etiam antea recusarunt, mox ad horum exemplum, Anconitani, Auximates, Firmani supplici habitu Romam profecti, veniam ab Hadriano exoravere: quidam seu moderatione Pontificis, seu sanctitate urbis

XXI. (ut videbatur) capti domicilium ibidem fixerunt. Non multo post Veronæ deditio sequuta est. Adalgisus desperatis ac ferme perditis rebus, antequam veniret in potestatem victoris clam fugam præripuit, delatusque celerrima navigatione Constantinopolim, apud Imperatores Græcos in patriciatus, quem vocant, honore consenuit. Bertha se ac adolescentulos advenienti CAROLO dedit, quos levi castigatione verborum receptos in Franciam misit, ac summo deinceps honore coluit. Cæteræ urbes, non tam armis, quam nominis terrore superatæ. Circa Ticinum tota belli moles consedit: sex menses in obsidione jam consumpti erant, nondum certa spe expugnandæ urbis. Propterea, ne omne illud tempus inutili cunctatione tereretur, cupido Regem incessit Romam contendendi, ut debita veneratione divino cultui interesset, (festum enim resurrectionis Domini appropinquabat) simul confirmaret amicitiam cum Ponti-

XXII. fice, ac de universa belli ratione consilia misceret. Hadrianus ubi de adventu CAROLI certior factus est, digna pompa culturus tantum Regem, selectos è nobilitate Romana ad tria millia homines cum patronis Scholarum ac pueris, olearum ramos ferentibus obviam ei misit. Adventantem ad ædes B. Petri excepit, statimque mutua salutatione ac reverentia perfunctus, Regem in templum

plum deduxit: ibi confirmata amicitia, fœdusque tacta Apostolorum ara renovatum est. Quatriduum deinde visendis templis ac veneranda Sanctorum memoria consumpsit. Diem festum, quem à resurgentis Christi triumpho grex sacer celebrat, apud Pontificem egit; sed rebus divinis rite peractis, Pontifex decentissimo apparatu per Oratorem suum *beneficia Regum Francorum in Romanam sedem, meritis laudibus evehi, ac præsenti CAROLO gratias agi curavit. Hinc Martelli ac Pipini pietas, benevolentissimus erga Pontifices affectus, fides ac fortitudo commemorata: CAROLUM ex quo id fastigii adscendisset, unde miseri omnes & egentes auxilii solatium expectarent, pari cum patre avoque gloria certasse. Permotum enim gementis Ecclesiæ precibus, transiisse cum instructo exercitu Alpes, iter quod hostilis ferocia sepserat, ferro sibi patefecisse, compulisse in fugam hostes, oppida sive vi sive voluntaria deditione recuperasse: Restare unicam urbem, magis desperatione quam virtute Longobardi defensam, nec illam tamen diutius felicitatem victoris remoraturam. omni namque spe externa opis submota, & urgente civili dissensione, nihil superesse consilii, nisi ut facta deditione Regis gratiam mature experiatur.* Postridie quum edocuisset CAROLUM Hadrianus, quanta liberalitate olim Pipinus Sedi Romanæ adsignavisset terras, quas ab hostium & præcipuæ Aistulphi infestationibus vindicasset: ille hanc donationem non modo ratam habuit, sed & amplissima parte auxit. Restituta primum, quæ Desiderius surripuerat, tum Exarchia Ravennatium, Ducatus Spoletanus, Beneventum in agro Neapolitano, & haud parvæ Longobardi ditiones adjectæ. Hanc communem Scriptorum opinionem neque probare neque refellere in animo est. Scio etiam quosdam memoriæ prodidisse, *Corsicam*, *Sardiniam*, *Siciliam* pari jure ad Pontificatum devolutas: nunquam verò mihi persuaserim, tantæ modestiæ ac ferme lentitudinis fuisse Pontifices, ut tam opulentas provincias negligerent: præsertim si avaritiam eorum spectes, qui ab omni ævo, unde spes aliqua majoris potentiæ affulsit, avidas manus statim exseruerunt: adhæc probatissi- XXIII.

batissimi Authorum vel in dubio relinquunt stupendum hoc munus, vel plane silentio transmittunt: certe *Platina*, qui ex *Anastasio* sua hausit, tantum Corsicæ meminit. in epistola vero Hadriani ad Constantinum, cujus partem Sigonius transscripsit, nondum reperio, cur per provincias istas, & castra, & civitates, Sicilia cum cæteris insulis sit intelligenda. Cæterum Pontifex beneficiis excultus à CAROLO, quanquam fortuna & majestate ejus nihil fere dignum retribuere posset, statuit nihilominus, qua liceret, occupare gratitudinis officium. Creavit itaque *Patricium Romanorum*, qui tituli honos augusto Imperatorum nomini velut præluderet: & convocato CLIII Episcoporum concilio, confirmavit *ei jus legendi Pontifices, Episcopos, ac cæteros sacrorum ordines, addita lege, ne quis, nisi ab ipso probatus recipiat curam in se aut gradum aliquem sacerdotii.* Id quamvis accerrime impugnet *Baronius*, tamen suæ religionis scriptores certatim adversos habet. *Gratianus* inter Canones Juris Pontificii retulit; *Sigonius* cum *Ganguino* affirmat: imo & *Platina*, dum in vitis Nicolai I. & Hadriani III. refert eas fraudes, quibus declinare ab humeris suis id Pontifices onus laboraverint, fuisse talem Imperatoribus potestatem non diffitetur: neque aut nimia quorundam lenitas Pontificum ambitionem & pervicaciam absolvet, nec Papale fulmen specie religionis gravissimas evomens minas ejus roboris erit, ut justissimam licentiam manibus Principum excutere possit. Vidi denique Codicem Germanico sermone conscriptum *Joannis Königshovii*, (quem Sacerdotis munere apud Argentinenses functum, sub Venceslao Caroli IV. filio Imperatore vixisse, non levis est conjectura, ad hunc enim & Urbanum VI Pontificem historiam pertexuit) convenientem prædictis sententiam foventis: sed & idem addit, *Hadrianum III maxima vi annisum, ut hoc jus eliderет, cujus vigorem tamen non desiisse per centum amplius annos Imperatores integrum conservare.* Nobis non licet tot ambagibus continuum orationis filum interrumpere; redimus nunc ad expeditionem CAROLI, & quid actum sit

XXIV.

ſit obſidione Ticinenſi exequimur. Rex poſtquam octo dies Romæ commoratus eſſet, Ticinum regreditur, quam Bernardus interim ſtrenue oppugnaverat. Obſtructi undique aditus magnam in urbe cum ſumma caritate inopiam fecerant; niſi dederetur, ſpem habuerat CAROLUS ſedendo eam expugnandi: Veneti quoque, jam tum terra marique pollentes, ſponte naves adverſo Pado ſubmiſerant. Spectabant omnia ad Deſiderii exitium: obſeſſi aut fame enecti, aut peſtilentia afflicti, tandem mutua diſſenſione ſemet ipſos lacerabant. Igitur deditione ſequuta CAROLUS Deſiderium in poteſtatem recipit, & increpitum, quod eam tempeſtatem perfidioſa animi pravitate exciviſſet, cum uxore Anſa & liberis Leodium Eburonum relegat, ipſe per Mediolanenſem Archiepiſcopum, *corona ferrea*, (unde mos poſteris Imperatoribus manſit) caput redimitur, & decoratus regni inſignibus externæ dominationi finem imponit. Longobardi ab Alboino Imperii conditore in Deſiderium tres & viginti reges habuere: hi ducentos per annos maximas res in Italia geſſerunt, ut niſi more ingenii humani, quo plura habebant, eo ampliora affectaſſent, vix convelli tanta potentia ſine convellentium inſigni diſcrimine potuiſſet: at quoniam pietatem, fidem, & omnia honeſta poſtpoſuere dominandi conſiliis, & currentis ſeculi fata CAROLUM quaſi ad orbem in nova imperia formandum excitârunt, una ruina omnis illa vis provoluta eſt. XXV.

Ante tempus ſubactæ Langobardiæ Saxones metu levati in agros Haſſorum excurrunt, & populationibus non contenti ædificia proſcindunt, ac templis ignes ſubjiciunt. Quædam manus prope *Fritzlarium* oppidum auſa conſecratum S. Bonifacio fanum incendio perdere, cæleſti vi perterrefacta, domum refugiſſe fertur. Cæteri *Eresburgum* validis conatibus adoriuntur. Primo egregie à Francis defenſum eſt, cum deinde eruptionem tentaſſent, hoſtis ſimulata fuga in inſidias protractos, non parva cæde multavit; ſed pauciores nihil quicquam de virtute remiſerant, donec ſubinde attriti oppugnationis malis, ea lege XXVI.

 caſtrum

castrum Saxonibus permiserunt, ut salvis rebus suis *Sigeburgum* concedere possent. Ibi sociatis viribus, (nam Franci præsidio locum firmaverant) denuo hostium vim experiuntur. Felicius tamen defensio cessit, & Saxones constantia adversariorum, simul longæ obsidionis tædio permoti re infecta abierunt. Interim Rex ancipiti suorum fortuna perculsus confestim ex Italia Duriam venit, ac disposita isthic rerum sacrarum profanarumque serie, Saxoniam aggreditur. Prima congressione hostes pulsi in fugam se coniecerunt, Ostphali pœnitentes in fidem recepti, restitutum Eresburgum, quod Saxones mœnibus nudaverant. Levis tamen clades turbaverat exercitum, quippe milites, quibus cura quærendi pabuli incubuerat, effuse castris exeuntes non tam pabula quam prædas quærebant, utebantur plerique ornatu & sermone Germanico, ac ubi spolia legissent, militari licentia vagabundi castris rursus appropinquabant. jam tenebræ eripuerant lucem, & callidi hostes observata Francorum socordia, cæterum cultu & oratione non absimiles de industria manipulis illorum se immiscuere. Postquam hoc modo in castra delati sunt, ingentem tumultum concitant, & Francos partim sopore graves, partim subitaneo malo attonitos prosternunt, strictoque ferro per tentoria discurrentes, cædibus omnia complent. Non alias magis emicuit, quid necessitas pugnandi valeret: CAROLI milites omni fugiendi spe præcisa armati Saxonibus obviam eunt, & promptissime dimicando eum terrorem incutiunt. ut sensim castris excederent, ac beneficio noctis ad tutiora relaberentur. Quod cum Regi nunciatum fuisset, quanta potuit celeritate fugientes insequutus, haud modica clade multavit: questus etiam militare admissum esse flagitium ab iis, qui stationes servare debuerant, paucos ignominia notavit: cæteros severiori oratione sui muneris admonitos præsentem maculam fortitudine in posterum
XXVIII. expiare jussit. His ita gestis in Franciam revertitur, exercitumque in hyberna distribuit. At vertente anno certior factus de novis quorundam Langobardorum molitionibus

nibus immane novi ac resurrecturi in Italia belli extinxit initium. Siquidem Rotgaudus, quem Rex prostratis Langobardorum viribus, ne odio gentis expeditio suscepta videretur, ut Beneventanis Aragisum, Hildebrandum Spoletanis, sic Forojuliensibus Ducem dederat, præsertim impulsu Adelgisi apud Græcos Imperatores delitescentis, Italiam veteri dominio restituere cogitaverat: & exercitu coacto publice denunciaverat, *qui rem Langobardicam salvam vellent, se sequerentur.* Nihil æque ac celeritas Francis profuit. Fortissimi militum in eas oras præmissi, cum rebellibus acie decreverunt. Rotgaudus inter occisorum cadavera exanimis repertus est, ac spiritum, quem supplicio debuerat, prælio reddidit. Rex felicissimi prælii gaudio refectus, Præfecturam Forojuliensem Henrico strenuo homini commendat, finitimis regionibus Stiria, Carinthiaque additis. Jam perfunctus credebatur frequentium bellorum incommodis, cum perfidia Saxonum aucta sunt. XXIX. Namque vix pedem retulit, & illi iterata vice Eresburgo vim intentavere. multo acrius quam antea processit obsidio, actis cuniculis subruere muros, & unita quasi ferocia, impetum in castellum facere constituerunt. Quum fervidissime oppugnationem urgerent, Præfectus loci eruptione repentina nil tale cogitantes adortus, magna strage affecit, ut solvendam obsidionem censerent. At prostrato Rotgaudo non distulit Rex in Saxoniam iter, statim conventum *Vormatiæ* celebravit, ac ordinatis more recepto sacris & civilibus negotiis, (hæc enim Pipini temporibus consuetudo inoleverat, ut quoties annus rediret, semel ac iterum congressus indiceretur, & cum Rege optimates viderent, *ne quid Respubl. detrimenti caperet*, vigilarentque in Imperii commoda, seu bello seu pace opus esset, inprimis verò Sacrosanctæ religionis & divini cultus curam gererent,) agmen ultra Rhenum promovit. jam terribilis Westphaliæ imminebat, flammaque ac cædibus, qua patebat regio, infestus, ad Luppiæ fluminis fontes hostium copias opperiebatur: cum illi sordida veste, capillo barbaque promissis, & omni supplicantium habitu ad

ad misericordiam commovendam conquisito, CAROLUM deformes adeunt, ac petita delictorum venia, Regem suæ clementiæ admonitum, ita movent, ut extemplo præteriti furoris gratiam faceret: ergo jurisjurandi religione fidem rursus obstringunt; multi quo obsequendi promtitudine CAROLO se insinuarent, cælestis lava-
XXX. cri rore adspersi, cœtui Christianorum adsociantur. Insequenti tempore CAROLUS Paderbornam ad Concilium habendum omnem Saxonum gentem convocat. ibi de præsentium rerum statu & sua in illas regiones cura, quædam præfatus, id sibi maxime cordi esse ajebat, *ut qui uno imperio & cælo protegerentur, unum etiam cœli Dominum agnoscerent, nec agnoscerent tantum, sed & eandem illi fidem animo, easdem ore laudes offerrent. Cognovisse hactenus gentiles, quid Christianorum Deus posset. Hunc ante suos in acie stare, & omnes hostium conatus & machinas eludere: proinde coram Sanctissimo Numine genua flectant, recipiantque signum, quo in terris nullum illustrius Christi socios à reliqua impiorum multitudine secernit.* Saxonibus, etsi diversa sentiebant, non fuit consultum intempestiva pertinacia victorem accendere: quamobrem nihil optatius sibi evenire respondent, ac rursus ne dilatio simulationem proderet, largissimis verbis obedientiam promittunt, simulque plurimi sacra baptismatis unda abluuntur. Vitekindus vero præcedentis belli dux & concitor, cæterum mente & manu strenuus, jam ante quid ageretur conjiciens, ad Sigefridum Danorum
XXXI. Regem profugit, novas patriæ turbas mox exciturus. Sed dum Rex moratur Paderbornæ, Saracenus quidam Ibnalarabas nomine, Cæsaraugustanorum in Hispania regulus, conquestus fortunas suas, & qua violentia à Saracenis patrio regno pulsus, exilioque damnatus sit, his ferme verbis in publico concilio animum exsolvit: *Tua virtute an infelicitate mea factum dicam, Rex potentissime, ut inter sordidas gentes, (quas & barbaros appellatis) famam tanti nominis excipiens, per longinquas terras ac vitæ pericula te convenire auderem? Nam & mihi fortunis omnibus dejecto, homini sine pignore, sine lare, circumspicienda sunt undique auxilia, quibus inimici*

mici suo scelere tumidi, superesse adhuc juris & æqui vindices admoneantur. Virtutem vero Tuam ita suspexi, ut quanquam aris ac ritibus alienus, Tibi præcipue supplicare voluerim, in quo & malis perniciem & miseris perfugium esse certo credidi. Cæterum inter Saracenos Hispaniam incolentes, ego non postremus, agro quem dignatio & fortuna sat amplum concesserant, contentus fui: non invasor alienæ ditionis, sed amicus omnibus, & pacifice populo meo imperitans, otium validius quam curas dilexi: adhac cum nostri interdum Galliæ oras & imperium tentarent, mihi nunquam placuit, ejus libidinis participem existere. Sciebam enim Saracenos hoc nomine totius orbis odium meruisse, quod morem suæ audacia gerentes, injustis imo nullis de causis quietem externorum lacesserent: inde timens, ne collecta aliquando, in Pyrenæis montibus nubes, solicitata procella gravem Hispaniæ imbrem daret, sæpius adhortatus eram, de retinendis potius, quam proferendis finibus cogitarent; omnem molem magnitudine nimia collabi; difficilius esse provincias obtinere, quam facere; viribus parari, retineri jure; majus autem dedecus esse, parta amittere, quam omnino non paravisse: quod si ultra progredi auderent, velut ad commune extinguendum incendium universæ Europæ incolas consurrecturos. quid Gallia possit, quas Italia vires habeat, qua fortitudine Germania celebretur, ostendebam; nec Hispanos suam deserturos causam, quippe tumidas inflatasque cervices nec dum adsuetas servitutis vinculis facile ab imposito resilire jugo: etiam sub exemplo, quanta clade Carolus Martellus hanc ferociam domuerit, quid damni Pipinus inflixerit, quo corporis & animi vigore Tu notus sis, docebam. Sed dum talia mentibus meorum ingero, pro gratia irrisum & contumelias, pro benevolentia odium consequor; & XXXII. *quos optimo affectu servatos cupiebam, illi me sedibus avitis ejiciunt, inopem, extorrem & deformatum ærumnis alienos dominos, quibus tantopere faverem, quærere jubent. Quid facerem, ô heros, aut cujus auxilio protegerer? Peterem cursu Africam, & extrema Oceani litora? at quomodo per medios hostes, interque atrocissimas gentes, vitæ omnibus fortunis chariori consulerem? Effugerem in Europam? quis ex Reip. Christianæ capitibus fidem habebit profugo Saraceno? hic enim ultimus infelicitatis veluti gradus est, quod nondum infelix aut indigens credor aliena opis. Summo scelere*

lere domo exturbatus sum, ideo quia sceleratus esse nolui. Nihilominus multi me hostem, plures proditorem nuncupabunt, lenissimi certe insignis flagitii reum dicent, & ad decipiendos hominum animos circumerrare. Præterea si vel maxime fidem invenirem, cur vobis prius oneri esse, quam usui cogerer, quo signo, quibusve obsidibus caverem de animi gratitudine? Sic denique parum per se tuta innocentia nullibi patrocinio gauderet. Tuum vero candorem, celeberrime Regum, cujus clementia huc me adegit, obsecro ac testor, serva apud Te hominem, & captivum tene, qui per suorum perfidiam Tibi suspectus est. aut si magis è rei commodo ac certitudine erit, vel ipse proficiscere, vel armatam manum in Hispaniam ablega, quæ idoneis viribus meam extorquebit felicitatem, tuæ autem potentiæ cumulum addet: demum videbis indicem verum esse, tuaque commotum justitia, eas terras in auxilii spem petiisse, quas cæteri in belli materiem & latrociniorum spolia exoptarent.

XXXIII. *Age quæso & regionem illam, (pudet dicere, sed veritas adfectum vincit) injustis eripe possessoribus; reprime effrenem licentiam, qua satis hactenus orbi illusum est; contunde impetus quibus florentissima regna cesserunt; siste fluctus, qui amplissimas inundavere provincias. ego ubi placebit, præibo Tuis ad expeditionem iter, pandam omnes aditus, describam opera & situs urbium, explorabo hostium consilia, quorum temeritas ad primum adventus Tui nuncium, velut animalia quædam amisso aculeo, languescet. Jam dexteram illam expavescunt, cui Hunoldus nuper succubuit, Lupus se submisit: jam fracti Desiderii, quem paulo ante potentissimum Langobardorum Regem orbis loquebatur, fama ad eos pervenit: jam etiam, sed sera æstimatione perpendunt, Pyrenæos montes nentiquam remorari, quem Alpium juga, perpetua nive horrida admiserunt. nihil sc. tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Expeditum insuper est ac mobile agmen Tuum, illi præda graves: implicatos ergo spoliis terrarum orbis obtruncabis, eademque res Tuis militibus & causa victoriæ erit & fructus. Nec immensa gentis multitudo Te moveat: cum illic major turba hominum, hic virorum sit. Certe quoties nunc efferam Saracenorum vitam, & Majorum tuorum edita in eos fortitudinis exempla menti meæ subjicio, toties existimo fata sic ordinasse, ut imperium quod ab annis quinquaginta secundo cursu in Hispania obtinuere, magno*

motu

motu adfligeretur: nihil enim potest esse diuturnum, cui non subest ratio; hæc autem maxime deest, cum intra certos limites imperium non continetur. Quamobrem surge fortissime Imperator, quo propior Deorum factis & virtutibus hodie nemo vivit, & subverte molem, suo pondere titubantem. Pipinus parens Tuus dum Cantabros nuper ab insultu Saracenorum defendit, magnam gloriam meruit; & ille quidem amicis succurrendum putavit: tua tempora illustrior laurus cinget, non enim sociis tantum, sed & qui inimici videri poterant auxilium submittis, & hoc beneficio reges ex hostibus amicos tibi comparas. Tu de meo affectu nunquam dubita, domine: porro sic teneto: me quumprimum felici alite Hispaniæ intraveris agros, ad vestras accessurum aras, & sancto honore culturum istud Numen, cujus vis ac virtus in Tuorum operum magnitudine se hactenus exseruit: protrito denique hoste, si ad patrios lares, & civium meorum tutelam petentem remiseris, regionis tantummodo procurationem mihi datam, jus vero & imperium penes Te esse arbitrabor. Hac oratione habita Saracenus concilio excessit. XXXIV. Tum proceres & amici Regis sententiam rogati *bellum maturandum* censent: *quamvis enim de fide Saraceni nondum constet, eum tamen elabi non posse: justam præterea indignationem induere Francis hæc arma: quippe qui aliquoties à barbara gente lacessiti patienter hucusque tulerint insidias: nec dubitandum esse de instructissimo exercitu, promtissime enim Christianos omnes in communi causa, paribusque præmiis atque periculis contra religionis hostem vires suppeditaturos.* CAROLUS exploratis suorum animis in Galliam proficiscitur, numerum militum recognoscit, novos in supplementum legit, & paucos dies externa opperiendo auxilia moratur. Sed perlato belli Saracenici rumore, multi ex Britannia, Galliarum & Germaniæ regionibus, queîs pectora virtutis & gloriæ fervore succensa erant, ad Regem confluxere, primusque Rolandus Caroli ex sorore nepos, juvenis genere nobilis, manu fortis, ardorem animi vultu oculisque præferens, cum Patre Milone, & Comite Oliverio operam obtulit: Galdeboldus Frisiæ, Arastagnus Britanniæ & Gaiferus Burdegalensium Reges celeriter adfuerunt; præterea Engelerus Aquitanorum dux

ac cæteri Principum, Comitumque, Anshelmus Palatii Comes, (quorum originem à Rolando quidam deducunt) Orlandus, Ogerius, Rainaldus, eximia fortitudine & bellicæ rei ſcientia illuſtres, non ſegnius iter emenſi ſunt. Nullum genus auxiliorum repudiatum fuit. Etiam Danicæ juventutis aliquot proceres, ſtudio armorum excitatos eo contendiſſe, interque belli duces receptos, *Paulus*
XXXV. *Æmilius* prodidit. Ergo poſtquam tot ſtrenui homines conveniſſent, adunato agmine ultra Pyrenæos montes in Hiſpaniam deſcenſum eſt, viſumque Pampelonem obſidio tentare. Terror inde Saracenos invaſerat, & ferociſſimi ſpiritus paulo ante Chriſtiano nomini illudentes, audito iſtius irruptionis nuncio, animos dejecerant. Sed celeritate Francorum ſimulque obſidionis anguſtiis comprehenſi, quum præſentius remedium non ſuccurreret, mora frangere hoſtium conatus ſtatuerunt. Turres & machinas, quas Franci ad expugnationem maturandam produxerant, incendio corrumpere, ac variis artibus deſtruere auſi ſunt: paucos tamen dies oppugnationem toleravere, Francis cœptum opus fervidiſſime urgentibus. Tandem unito impetu conſcenſi muri, urbs vi capta eſt. Hinc ingens clamor oritur, ac primum cædibus per omnia compita victores vagati ferrum in obvios ſtringunt, fugere dubitantes & conſternatos trucidant; non querula vox ſurdas aures ferit, non miſericordia aut deprecatio mortis, avidos ſanguinis enſes ſuſtinet, miſcentur ſanguine lacrumæ, & congeſtis cadaveribus viæ teguntur. Dein ubi exſatiata libidine ira paulatim ſedata eſt, CAROLUS prædæ inhiantes revocat, & Saracenos ea conditione in fidem & gratiam recipit, ut abjecta Mahumeticarum fraudium larva, Chriſti doctrinam ſequerentur. Ac ne in poſterum rebellionis materiem haberent, muros urbis funditus exſcindit: quæ vindicta fabulæ locum fecit. ſiquidem CAROLUM per tres menſes obſidionem traxiſſe ſcribit *Turpinus*, frequens in ejuſmodi figmentis; cum nulla deditionis ſpes appareret, precibus commendaſſe ſuam expeditionem Chriſto & Jacobo, quorum hortatu ſuſcepiſſet; ſtatim

ſtatim evidenti miraculo collapſa mœnia, urbemque munitionibus deſtitutam Francos intraviſſe. At poſtquam expugnata Pampelone Regem ultra Iberum veniſſe fama nunciaverat, Cæſarauguſtani exemplo Pampelonenſium territi, ſe ac ſua CAROLO permiſerunt. Ibi reſtituitur Ibnalarabas, finitimi vero Reges Abutaurus & Devisſezus, qui eum domo exegiſſe inſimulabantur, grandem pecuniæ ſummam pendere juſſi ſunt. Interim Aigolandus Rex ulterioris Hiſpaniæ, quantas poteſt è Saracenis copias contrahit ſuccinctus quoque aliarum gentium viribus, Baleares, Arabes, Mauros ac cæteræ Africæ Barbariæque incolas in CAROLUM ducit. Jam ad Galliæ confinia proceſſerat, cum CAROLUS armata manu in eum invehitur, & ſuperatum prælio retrocedere in Navarram coëgit. tum quatuor millia Saracenorum cæſa ſunt; non incruenta tamen Francis victoria fuit. Deinde factis induciis colloquium inter duos Reges habitum eſt: priorque Aigolandus, *quo te*, inquit, *animi aſtus, quo ferocia abducit, Carole, ut populum nullis injuriis Tibi cognitum, nullo pactionis aut belli titulo obnoxium, denique ſuis viventem legibus, contra naturæ jus, contra gentium præcepta in ſervitutem rapere coneris?* CAROLUS, *ſe vero aliorum precibus, neutiquam ſuæ cupiditati obſequutum*, reſpondet: *ſibi præterea eosdem, qui* DEI, *hoſtes fore, Illius maxime gloriam ſpectari: non enim ulterius Sanctiſſimo Numini placere, ut perfidorum turba vi & latrociniis Hiſpaniam premat. cæterum Saracenos antea hoſtiliter Galliarum provinciis inſultaſſe, ſi alia deficerent, ſaltem injurias fuiſſe repellendas.* Poſt hos ultro citroque jactatos ſermones convenit, ut ſequenti die fortiſſimi ex utroque exercitu pares numero, pro Chriſti & Mahumetis gloria congrederentur, & quo ſe inclinaſſet victoria, eorum religio ſincera judicaretur. aliquot vicibus Chriſtiani victores evaſerunt. quibus viſis Aigolandus ad CAROLUM rediit, jam Chriſtianorum ſacra ſe percepturum dictitans. Cibum tunc forte CAROLUS capiebat, & tredecim pauperes, quos de more ſemper in atriis alebat, male veſtiti, debile corpus humi reclinabant. Aigolandus

XXXVI.

XXXVII.

qui essent inquisivit, & accepto responso esse populum & amicos DEI, qui sub numero Christi & Apostolorum pascerentur, resilit à proposito, verum Numinis cultum apud Christianos exulare criminatus, *cum meliori conditione Regis amici fruerentur, quam DEI.* Altero die centum millia Saracenorum in aciem eduxit, CAROLO copias suas contra illum promovente atroci prælio certatum est. Barbari à Francis undique circumfusi, ad internecionem ferme cæsi sunt. Ipse Aigolandus & complures Hispaniæ

XXXVIII. reguli mortem obiere. Tum audito Saracenorum discrimine Gigas quidam Ferracutus in Hispaniam applicuisse fertur, homo immani corporis viriumque mole, truci præterea vultu & opinione fortitudinis cunctis metuendus. Hic viginti Turcarum millia in Francorum Regem armaverat; sed præcipuam in seipso spem habens, neque adfuturos crediderat, qui singulari certamine congredi auderent, & si lacesseretur, jam arma, jam perniciem Christianorum tumide ostentaverat. CAROLUS ad explorandam hostis ferociam selectissimæ virtutis Duces ablegat. at ille, singulos, quo ordine venerant, prorsus quasi non cum fortissimis viris, sed pueris res esset, brachiis exceptos in humerum sustulit, ovansque successu custodiæ mancipavit. cum nullus ad castra rediret, Rolandus supplex Avunculum rogavit, ut sibi facultatem concede-

XXXIX. ret visendi Gigantis, servandique socios. Ægre impetrata licentia est, quod Rex vel maxime saluti ejus metueret. Verum alacer juvenis prospere iter aggreditur, & postquam in conspectum hostis venit, ambo infestis telis concurrunt. Prior deinde Rolandus equum hostilem confodit, quod ne impune esset, Ferracutus equum illius vicissim ferit in capite & lethaliter sauciat. Hinc pedites certamen continuant, gladiisque in vanos ictus aliquoties delapsis, lapidibus demum se invicem excipiunt. Quum neuter ullo armorum genere moveretur, steterunt aliquandiu mutua admiratione defixi, mox habito de religione colloquio pugna recruduit. Dicebat Ferracutus, Eum haud dubie vero Numinis cultu & auxilio gaudere, à cujus

cujus parte victoria ſteterit. Memor ergo Rolandus cauſæ quam defenderet, omni vi in Gigantem convertitur. Conſeruere avidas manus, & coëuntium membrorum nexibus alligati, ad terram ambo devolvuntur: & quoniam ſub premente Ferracuto juvenis ceciderat, adſiduo gemitu DEUM implorans, paulatim ab ejus complexibus ſeſe expedivit: poſtmodum ferro per umbilicum adacto recluſit adhuc mori dubitantis vitalia, lectisque hoſtilibus ſpoliis ſincere victorem ſe prodidit. Equidem plura transſcribo quam credo: nam nec adfirmare ſuſtineo, quæ *Turpinus* tot fabulis interpolare videtur; nec ſubducere, de quibus tam magnifice & effuſe verba facit. Cæterum ſæpius ita cogitavi apud animum meum, tanta heroum geſta etiam ſi ultra veritatem ab antiquis celebrata ſint, nunc quoque reticeri non debere. Quis neſcit, omnia Rolandi facinora fabuloſis Poëtarum carminibus efferri? ſtrenuum tamen Juvenem, nec tam cognatione quam genii ſui magnitudine CAROLO acceptiſſimum fuiſſe, cordatiſſimi Scriptorum teſtantur: par cæterorum conditio eſt. Non itaque inconſulto me facturum ſpero, ſi reliqua è Turpini relatione, quæ utique magis probanda videntur, adjiciam, in tanto præſertim aliorum ſilentio, qui præter Vaſconicam cladem, & pauciſſima geſta, nihil hujus expeditionis meminere. Rolandus gaudio turgens, ſocios, XL.
quos Ferracutus carceri abdidit, liberat. in his Ogerius, Rainaldus, & Oellus fuere: rediensque lætis ſuorum animis excipitur. Sed proſtrato ut prædiximus Aigolando, Ebraim Seviliæ, ſimul Altumajor Cordubæ Reges, fulti præcipuarum Hiſpaniæ urbium auxiliis, (quas inter Granada ac Ubeda erant) decem Saracenorum millia CAROLO oppoſuere. Subito etiam Franci ordinavere aciem, utrumque agmen in tres ordines diviſum fuit. jam pugnæ initium fecerant, cum Saraceni incondito ac truci clamore ſublato, larvis inſuper ac cornibus terribiles, queîs in modum ſpectrorum ſpeciem oris efferaverant, conſternatos Chriſtianorum equos in fugam egere. Sed CAROLUS conſilio hoſtium cognito oculos equitum linteis

linteis velis obtegi, aures lana obturari jussit, ne ubi in prælium redeundum esset, visu & clamore insolito rursus turbarentur. Inde gravi certamine dies protractus est, non Saracenis minus pro dominatione, quam pro gloria Francis certantibus. Vexillum hostium plaustro sublime conspiciebatur, eo stante nullus Saracenorum fugere tentabat. CAROLUS dum obvios quosque fundit, per mediam Barbarorum stragem ad vexillum delatus, perticam quâ sustentabatur, abscidit: ilico hostes effusi fugam adornantes octo millia suorum amiserunt. Rex Seviliæ Ebraim interemptus fuit, Altumajor superstes cladi, postera luce in potestatem CAROLI concessit. Exturbatis hoc modo Saracenis fortissimi ducum quos ad illam expeditionem contendisse supra memoravimus, sedes in Hispania fecerunt. Idipsum *Laonicus Chalcocondylas*, qui res Turcarum in Europa gestas Græcis literis composuit, testatur: dum Orlandum, (*forte Rolandum*) Rhinaldum, Oliverium & alios Duces Palatinos editis plurimæ virtutis speciminibus summotisque Hispania Barbaris, Iberiam, Navarram, & Tarraconem occupasse, ac singulos partem sibi adsignatam habitare prodidit. Venisse tum Carolum Compostellam, & celebrato præsulum conventu templo B. Jacobi, qui illis in locis sepultus fertur, primariam authoritatem inter omnia Hispaniæ templa tribuisse *Turpinus* vulgavit, nos auctori relinquimus.

XLI.

XLII. Victor omnium gentium locorumque quos adierat CAROLUS in Galliam redire properabat, cum subita mali vis atroci & funesto nuncio animum ejus concussit. Quippe Marsirius atque Beligandus Saracenici Reges, à CAROLO per Gannalonem Ducem admoniti erant, *ut quandoquidem res Saracenorum everti viderent, ad Christum converterentur, & recepto more tributum solverent.* Illi in summa feritate versutissimi bene pollicentur, equos auro & argento graves, vina porro exquisitissimi saporis CAROLO transmittunt. Secreto deinde Gannalonem adeunt, propositaque ingenti pecuniæ vi solicitant, ut exercitum Christianorum prodere sibi velit. Is tam pro-

pretioso fulgure concussus animum in diversa abstractum non bene continuit. Tandem labens ac victus accepto munere operam Marsirio locat. Inde qui legatus venerat, proditor regressus, CAROLUM mendaciis adoritur, Marsirium promptissime tributum pependisse ait (simul jumenta pecunia & vino onerata tradit,) velle insuper Christianæ religionis capitibus imbui, & quamprimum Rex in Galliam contenderet, se illi præsto futurum. CAROLUS quod Gannalonem egregie functum officio putaret, exercitum per Pyrenæos montes educit, impulsuque proditoris Rolando & Oliverio præcipit, ut extremos ordines cum viginti millibus in Runcia valle (hanc à lateribus Pyrenæa juga ambiunt) servarent. Rescivit Marsirius quid in castris ageretur, ac sine mora cum immanibus copiis transitus cunctos sepsit. Sic haud modica pars exercitus omnium fortissimi, disciplina, manu, experientia bellorum principis, proditione ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventa est: montibusque & insidiis clausi infelices, cum ne pugnandi quidem egregie occasio in quantum voluerant, data esset, consumpti magis quam victi sunt. *Rolandus* cum promptissimis militum in mediam aciem invectus fuit, nec incertus ultimam diem instare, antequam vita discederet, *Marsirium* sibi immolavit, dein siti & vulneribus confectus, animam inter ardentissimas preces efflavit. Præterea *Anshelmus*, *palatii Comes*, *Eginhardus regiæ mensæ præfectus*, multique clarissimi duces cecidere. *Eginhardus* à Vasconibus; alii *Ibnalaraba* authore tantam cladem factam esse scribunt. in ea incertitudine libentius *Paulum Æmilium* sequor, qui ex antiquis annalibus Hispanos fuisse ostendit, non repugnaverim tamen, si quis Vasconum fraudem intervenisse dicat. CAROLUS cæde suorum comperta, incertissima mente perculsus hæsit, regressusque ad insidiarum locum cadavera tota valle disjecta reperit: sed ubi ad corpus Rolandi venit, summo dolore victus, & indignam illa indole mortem deplorans, tale monumentum bene merito erexit.

XLIII.

XLIV.

Tu patriam repetis, sed in hoc nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo binos super annos,
Ereptus terris justus ad astra redis.

Multi dein volventes cadavera, amicum alii, pars cognatum reperiebant, ita per omnem exercitum luctus atque mœror agitabatur. Ne tamen animi tristitia conficerentur, aut occasionem rei gerendæ otium corrumperet, Rex ira & indignatione plenos hostem aggredi jubet. Equidem complures non vindicatam fuisse istam cladem existimant, quoniam hostes levitate armorum adjuti statim effugerint, abditique præruptis montium convallibus, non quidem quæri potuerint, ut vincerentur. Ego haud difficilis in hanc sententiam concederem, nisi *manuscriptus codex*, quem in tabulario suo *Resp. Argentoratensis* servat, ac mihi videre contigit, me deterreret: ejus Author *Conradus* quidam non longe ab ætate CAROLI, si membranam ac cætera antiquitatis indicia spectes, remotus, carmine Germanico expeditionem Hispanicam descripsit, sane quod formam operis attinet, successu præter seculi genium felici; & eo magis industrium fuisse credo, quo sublimius Rex noster postea Augustus Romanus Imperator se extulit: tantam enim imperii majestatem Germanici etiam sermonis flore & ornatu augeri publici splendoris intererat. Is igitur memoriæ reliquit, post Vasconicam stragem acriter cum Saracenis certatum fuisse, ac CAROLUM sua manu *Beligandum* obtruncasse. Quippe Franci, Bavari, Dani cum contemptu hostis nunquam justo prælio superioris in ferrum ruebant: Contra barbaræ gentes mori quam vinci præoptabant. Multo minori agmine Christiani pugnaverunt; ne tamen illud perrumpi aut disiici posset, confertissime dimicando hostes lanceis transfigunt, & immani cæde grassantur. CAROLUS ante suorum aciem consistens nunc gregarii militis officio fungebatur, nunc Imperatoriæ virtutis memor erat. nec Saraceni segnius contra ibant, aut cadebant inulti, donec prostrato Beligando & multis millib.

tru-

trucidatis effuse fugerunt. Sub hæc proditio *Gannalonis*, seu quia in rebus humanis nihil silentio satis premitur, seu potius justa Numinis vindicta, sensim erupit. Illum comperto scelere vox & sanguis defecerant. quem intuens Rex, *scelestе proditor*, ait, *si ipse fidem servare domino voluisses, nunquam avaritia ad innocentes animas hostium ferociæ vendendas Te instigasset : nunc quoniam insanabile Tuum ingenium est, docebis hodie humanum genus, sanctam credere, quæ à te violata est, fidem. Ut igitur paulo ante animum inter Francorum Saracenicamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis. Exinde distentum quatuor equis in diversum iter concitatis discerpi jussit*. Adserit *idem Scriptor*, Gannalonem odio Rolandi, quem sæpe audiverat à CAROLO Regem debellatæ Hispaniæ datum iri, tantam calamitatem excivisse, ac potius seipsum ætate & meritis potiorem eo fastigio dignum judicasse. Sed CAROLUS in Galliam reversus Rolandum Blavii honorificentissime tumulat, gladium Durendam, cujus mira præstantia Poëtis fabulandi materiem præbuit, tubamque æneam, quæ duo in omni virtutis ostentandæ occasione circumtulerat, defuncto apposita scribit *Turpinus*. Ejus statua hodieque in inferiori Saxonia Bremæ conspicitur, *documentum illustre hominis, cujus virtutem posteri probent, damnentque fortunam*. Cæteri ducum Comitumque ad Burdegalam & Arelate, non sine meritissimo fortitudinis elogio sepulti sunt. Sic tum Hispaniensis expeditio finita est. Interim in Germania novi motus exsurgunt. Quippe *Saxones* malis suis animosiores redditi, per absentiam Francorum, ab oppido Duitia Coloniæ objacente usque ad oram, qua Rhenus Mosellam recipit, ferro & igne omnia vastaverant: non ætatis non sexus discrimine habito, sacris etiam atque profanis neutiquam pepercerant. Rex audito tumultu confestim Francos & Alemannos præmittit, ut hostem licentia prædandi securum forte, opprimerent. Ergo jam fugientem ultra fluvium Adernam consequuti sat magna strage multaverunt, pauci incolumes domum relapsi sunt. Eo tempore *Hildebrandus* Spoletanorum Dux XLVI.

officii præstandi causa cum ingentibus donis Regi adfuit: quo clementer nec sine remuneratione dimisso, CAROLUS acto Duriæ conventu ipse in Saxones tendit, trajectoque Rheno ad Lippiam cum hoste decernit, inde victor Westphalorum fines ingressus, iterum supplices in deditionem accepit. ibidem Ostphali & Angarii solenni juramento fidem obstrinxere. hyems deinceps Wormatiæ transacta est. Sed primo vere *Saxoniam* revisens idola gentis & inter eos Crodonem destruxit: contra, ut religionis Christianæ cultus sensim invalesceret, Paderbornæ, Mindæ, Osnabrugæ templa erexit, & Episcopatuum fundamenta constituit: magna pariter Saxonum multitudo, salutifero baptismatis rore tincta, Christoque initiata est, licet aliqui simulatione tantorum sacrorum divini Numinis iram magis in se irritaverint.

XLVII. Composita pro tempore Saxonia, CAROLUS voti exsolvendi gratia, (ut *Baronius in Annalibus* tradit) Romam profectus est, & postquam gratum tot victoriarum memoria animum DEO probasset, multa cum Pontifice de statu Ecclesiæ collocutus, filios suos *Ludovicum* & *Pipinum*, hunc Italiæ illum Aquitaniæ Reges, inungi curavit. Tum suo & Adriani nomine ad *Tassilonem* Bavariæ regulum, quem jam sub Pipino dubia in Francos mente fuisse prædiximus, legatos mittit, qui adhortarentur hominem de debita obedientia, & ab ulteriori tergiversatione deterrerent. Ille suis rebus conducere non ratus hac vice voluntatem Regis negligere, Vormatiam, qua Roma se transtulerat CAROLUS, venit, ac deposito juramento duodecim obsides in fidei pignus tradidit. Simulata tamen obedientia fuit, velut postea referemus.

XLVIII. Sedatis ubique motibus Rex cum omni exercitu apud Agrippinensem Coloniam Rhenum trajecit, & ad Lippiæ caput, (nobile olim Tiberianis castris flumen) considens negotia regni expediit. Inter cætera *Sigefridi* Regis Danorum legati, quosque *Caganus* & *Jugurrus* Hunnorum Principes pacis causa ad se miserant, auditi sunt. Transacto conventu in Galliam profectus est. At *Vitekindus Saxo* ubi nullis verborum blanditiis extimulare

lare Nortmannos contra CAROLUM posset, audito ejus discessu Saxoniam repetiit, ac vana spe inflatos popularium animos, rursus ut rebellarent, permovit. Interea *Sorabi* Sclavorum natio, terras inter Salam & Albim habitans, bello atque armis inclyta, fines Thuringorum ac Saxoniæ, queîs contermini erant, populantur, urunt agros, vicos exscindunt. quod cum Regi nuntiatum esset, extemplo Geilonem, magistrum equitum, Adalgisum Camerarium, & Volradum palatii comitem obviam Sorabis mittit, datque mandata, ut quamprimum Saxones attigerint, illos quoque in societatem militiæ adlectos communi hosti opponerent. Non multum viæ processerant, cum Saxones quorum præsidium petebatur, duce Vitekindo à fide resiliisse inaudiverunt. Sumpto igitur, quod rei necessitas ac tempus efflagitaverat, consilio, Sorabos omittunt, omnem vim in toties perfidos conversuri. Hostilem terram intrantibus, Theodoricus cognatione CAROLO junctus, copias quas per ipsam Saxoniam dispositas habebat, adducit, ac de belli summa consilium suum aperit. Cognito nimirum ubi Saxones degerent, quidve animi aut virium haberent, unita virtute eos esse excipiendos. Mons est in illa regione, quem Sunthal incolæ nominant: ejus radices ab uno latere amnis præterfluebat, apud alterum castra hostes fixerant: quo comperto, placuit ducibus, Theodoricum in citeriore ripa, Geilonem transmisso fluvio propius montem considere, tum si hostis admoveret copias, neuter sine altero pugnam capesseret. sic enim ubicunque lacesseret, facile circumfusum obteri posse. Nulla res magis quam regimen pluribus commissum ac ambitio exercitum perdit. Geilo quod metueret, ne prostrato hoste omnis victoriæ laus ad Theodoricum regis necessarium devolveretur, statuit inscio illo hostes aggredi. Ergo orta luce suos ad prælium cohortatus, à Saxonibus numero consilioque superioribus obruitur, copiæ ad internecionem cæduntur, ipse & Adelgisus, præterea quatuor Comites, & alii præcipuæ nobilitatis viri viginti admodum cadunt, pauci fuga in castra Theodorici deferun- XLIX.

 tur.

tur. Rex pro magnitudine cædis non mediocriter commotus sine mora in Saxoniam descendit, ac defectionis authores sociosque tradi sibi postulavit. Vitekindus jam ad Nortmannos redierat, semper erectior exilio, è cæteris quatuor mille & quingenti securi percussi, scelerum

L. pœnas exsolvere. At sequenti anno postquam omnimodam Saxonum rebellionem fama vulgaverat, CAROLUS primo vere ingens agmen in eos promovit, nec multo post ad vicum, Thietmellen / quem olim ipsi, (ô mixturam fatorum mirabilem) deleto Varo ac tribus legionibus Romanis insignem fecerant, tam immani clade contundit, ut paucissimi ex innumera multitudine evaserint. Neque hactenus stetit damnum. Paucis interjectis diebus, quum majori multitudine succincti, prælium committerent, in Westphaliæ finibus, ultra fluvium Asam, (à quo Osenbruga nomen accepit) non minori clade repressit. Ad satietatem Franci trucidati sunt, multi captivitatem letho antetulerunt, magnaque præda victoribus cessit. His duobus præliis ita attritos fuisse Saxones *Eginhardus* scriba CAROLI profitetur, ut ulterius neque Regem provocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi auderent. Post tantam victoriam, quæcunque Visurgim & Albim interjacent, Franci populationibus pervaserant, *Carolus junior Regis filius* ad Saxonum motus observandos in Vestphalia relictus, aliquot turmas hostium ceciderat: Sed Rex ipse Eresburgi, quo uxorem & liberos acciverat, omnibus momentis intentus in Orientalem Saxoniam penetrat, aperit limites, vastat agros, urit domos, fundit obvios, maxi-

LI. moque cum terrore hostium ad hyberna regreditur. Insequenti tempore, quod domitam illorum pertinaciam crederet, iterum injunxit ipsis, ut conventui Paderbornæ celebrando præsto essent. Sed homines tot facinorum sibi conscii dubitaverunt accedere, donec obsides à Rege acciperent, quibus saluti suæ caveretur. Ergo publica fide venire jussi, rebellionis pœnam deprecantur, amplexique Christianam religionem sacro baptismatis fonte, & inter

eos

eos *Vitekindus* lustrantur. Cujus memoratu dignam conversionem, non possum quin ex *Fabricio Saxonicarum rerum scriptore.* adjiciam. Dum CAROLUS Paderbornæ sive Attiniaci, (variat enim historia,) statum Sacræ Ecclesiæ disponit, ac pauperum curam agit, accidit, ut Vitekindus Francorum consilia exploraturus, pannosa veste sumpta, ne cultu proderetur, castris hostium se immisceret: festum forte Domino resurgenti sacrum celebrabatur, militesque sacerdotum ministerio communionem corporis & sanguinis Christi percipiebant: ibi Vitekindus vidit, antistitis manu omnibus venustissimum infantem porrigi, qui ad quorundam ora hilari & erecto, ad quorundam vero tristi vultu diverteret: agnitus igitur inter pauperes, & perductus ad CAROLUM, quid viderit refert: edoctusque tam mirandi spectaculi arcana statim salutifera baptismatis unda superstitionum sordibus detersus est. Fides penes authorem sit. In memoriam hujus conversionis Vitekindum Mindæ templum extruxisse, & id à CAROLO multis reditibus auctum, urbemque Episcopatu ornatam fuisse *Baronius* tradit. Pacata in id tempus Saxonia CAROLUS novæ expeditioni animum intendit. Siquidem Britones ab Anglis & Saxonibus Britannia insula olim expulsi eum in Gallia sinum occupavere, qui Septentrionem occidentemque versus Oceano clauditur, ad meridiem Ligeri terminatur, qua vero Orientem spectat, reliquæ Galliæ adhæret: dein à Regibus Gallis domiti perpetuum vectigal in subjectionis pignus solvere coacti sunt. id quum hoc tempore detrectarent, Carolus Ardulfum regiæ mensæ præfectum illuc ablegat, qui perfidæ gentis contumacia celerrime repressa, duodecim obsides Regi Vormatiam adduxit. Tum inquieti *Langobardorum* animi pacem Italiæ rursus turbabant. Quippe *Aragisus* Beneventanorum Dux aliquot Campaniæ oppida Romanæ ditionis invaserat, nec si fortuna faveret, cessaturus ab ista libidine videbatur. Quamobrem CAROLUS collecto exercitu Romam contendit, ac sociatis cum Pontifice Hadriano consiliis Beneventum accessurus erat. Sed Aragisus

LII.

metu

metu repentini adventus trepidans, Rumoldum majorem natu filium non sine amplissimis muneribus Romam ire jubet, ac rogare CAROLUM, *ut parceret Beneventano ducatui, se enim conditiones, quas proponeret, lubentissime accepturum.* Regi minime visum fuit, moram belli Arágiso indulgere: verum retento Rumoldo infestus Capuam progreditur, Beneventanis obsidionem minitans. Langobardus quod urbem defendi posse desperaverat, Salernum maritimam civitatem ac munitionibus validiorem profugiens, secunda legatione animum regis tentat, eumque humilimis precibus obtestatur, *ut alterum etiam filium, cui Grimoaldo nomen erat, obsidem agnosceret, se promptissime imperata facturum; modo conspectum maximi Regis vitare posset, miserum enim hominem cunctis ludibrio fore.* CAROLUS magis utilitatem rei, quam pertinaciam Aragisi spectans annuit ejus precibus, servatoque minore filio Rumoldum patri remittit: mox Beneventani in verba Regis juravere, dederunt obsides, & grandem pecuniam, viginti sc. quinque millia aureorum numûm tributi loco pependerunt.

LIII. Hanc oppressi Aragisi gloriam non CAROLO sed filio ejus Pipino *Paulus Æmilius* vendicat: nam ex quo Rex Italiæ coronatus esset, Mediolani consedisse, & intellecto Campaniæ discrimine hos motus ita sedasse scribit. nos magis consensui Authorum credimus, quippe & *Eginhardus & Annales Francorum* utique vetustissimi præsentem CAROLUM fuisse memorant. Mortuo deinde Aragiso Grimoaldus à Rege Dux substituitur, cujus fides evidenti documento non multo post adprobata est. Quippe Cæsar *Constantinus*, qui Constantinopoli agebat, circa illud tempus Nato suo CAROLI nostri filiam in matrimonium petierat, sed negata affinitate iniquior Francis, instinctu Adelgisi per Theodorum Siciliæ præfectum Beneventanos fines invaserat. ea contagio ne latius serperet, Grimoaldus junctis cum Hildebrando Spoletanorum duce viribus exercitum Græcorum in Calabria obvium sic afflixit, ut turpiter retrocedere cogeretur.

LIV. Dum CAROLUS finito Langobardico tumultu Romæ moratur, paulatim *belli Bojarici*

Bojarici initia processere. Desiderius nuper Italiæ Rex, quamvis corpore Leodii inclusus, tamen ubique adhuc nomine erat. Modo Adelgisus, modo Rotgaudus, jam etiam Aragisus fortunam Langobardorum, velut sub ipso florebat, restituere laborabant: postremum Lutberga filia Desiderii, Tassilonis uxor, perpetuis stimulis ad rumpenda fœdera maritum incitabat; is quidem legatione Romam missa à Pontifice per literas contendit, ut sua, qua valeret authoritate, CAROLUM ad pacem firmandam permoveret: ille nullatenus abnuit, sed unicum id sibi hactenus votum fuisse testatus, differere legatos jussit, queîs conditionibus pacem factam cuperent: quum isti, *sibi vero nihil amplius in mandatis esse* dicerent, *nisi ut hanc sententiam referant domino*; Hadrianus ita commotus, *quandoquidem*, inquit, *Dux vester inutili cunctatione fallere potentissimum Regem constituit, tanquam perduellis erit persequendus: ego quod mei est officii, piorum cœtu tamdiu secludo, donec de fide ejus certo in CAROLUM constet.* Sic Legati dimissi sunt. At CAROLUS *Vormatiam* profectus, cunctos regni proceres cogit, & conquestus Tassilonis perfidiam fraudulentamque legationem, qua Romæ sibi ac Pontifici illusisset, quid factu opus censerent, interrogat: postquam communi sententia bellum decretum esset, Rex Bojariam undique cinxit. Ipse enim cum armata manu Augustam Vindelicorum processit, Pipinus per Vallem Tridentinam suos eduxit, Franci Orientales superato Danubio Bavariæ appropinquârunt. Verum Tassilo in tantis rerum angustiis supplex CAROLUM accessit, & deprecatus contumaciæ pœnam, à Rege, sua natura clementissimo, veniam impetrat: datisque XII. obsidibus & filio Theodone ad Bavaros remittitur. Posteriori anno conventus *Ingelhemi* celebratus est, in quo præter ordinarios regni proceres Tassilo quoque comparuit; sed ubi ad tractanda negotia omnes consederunt, subditi Bojariæ intromissi publice Tassilonem criminis Majestatis incusant, & obtemperantem uxoris Lutbergæ crebris instigationibus, ferocissimam Hunnorum gentem contra Francos excitasse convincunt; dixisse LV.

 præ-

præterea, *se unicum filium Theodonem obsidem dedisse, sed certum datis nullo pignore destiturum à persequendis bello, cum posset, Francis.* non dubitavere multi, quin capitis supplicio tot facinora luere deberet, & Rex justa quidem ira in hominem excandescens, abstrahi ad mortem præcepit: postea tamen misericordia & cognatione permotus, (quippe è vetustissima Bavarorum principum familia originem traxisse CAROLUM *Aventinus* memoriæ prodidit,) levatum ultimæ infamiæ metu, vitæ solitariæ ut & Filium Theodonem mancipavit: ducatum vero Bojariæ Pipino, vel (quod aliis placet) cuidam ex Hildegardis reginæ cognatis regendum tradit. Interea *Hunni* indigne ferentes, Bavaros non expectatis auxiliis suis fidem quam vim Francorum experiri maluisse, illata de finibus controversia, pars in Forojuliensem oram, prope Adriaticum sinum Histriæ annexam, pars in ipsam Bojariam excursiones faciunt: Bavaris verò ductu Francorum occurrentibus, semel in Bojaria, iterum ad Danubium ita excipiuntur, ut multis suorum prælio amissis, pluribus, qui flumen tranare tentaverant, vasto gurgite absorptis, domum refugerint. CA-

LVI. ROLUS antequam de tota belli mole in Pannoniam transferenda consilium iniret, *Velatabos*, sive Vilzos primum domandos censuit. Hi in penitissima Germaniæ parte inter Viadrum Vistulamque fluvios sinum Codanum accolebant, efferi ac rapto vivere adsueti, tum Abotritos fœdere Francis junctos bello vexabant. Eam insolentiam Rex coërciturus, militem per Thuringorum Saxonumque confinia versus Septentrionem duxit, inde Albi ponte strato, castrisque in ulteriore ripa positis Vilzorum agros ferro & igne corrupit. Illi cum tantam vim sustinere non possent, cum omnibus copiis retrocesserunt: sed dedita Francis urbe Dragavinta, regulus quidam nobilitate gentis & authoritate præcipuus victori se permisit, oblatisque obsidibus jurejurando fidem adstrinxit. hujus exemplum cæteri secuti, in potestatem CAROLI concessere, & subeuntes servitutis jugum imperata strenue fecerunt. Circa hæc tempora, *sedem Bremensem*, (quæ postea Ar-

ea Archiepiscopatu inclaruit) suasu Pontificis, liberalitate CAROLI erectam fuisse, *Baronius* author est, decemque parochias, quas vocant, eidem attributas; constitutum præterea, ut præter alios reditus, subditi decimas persolverent, bona verò sacris usibus destinata inviolata manerent, neque ulla ratione aut titulo profanis hominibus acquirerentur. Intra breve deinde spatium *belli Pannonici* exarsit incendium. Id quo facilius exequamur, de situ illius regionis & populis pauca dicenda sunt. Pannonia, sicut jam Augusti ævo describitur, inter Istrum & Dalmatiam, à Norico usque ad Mysiam Europæam porrecta fuit: limitibus ab occasu Cethio monte; qua Septentrionem & ortum spectat, Danubio; versus meridiem linea per Timavi Drinique confluentes ad Unæ fluminis fontes ducta terminatur. Incolæ, *Pannonii* ab antiquissimis temporibus ita vocati sunt, quoniam vestes manicatas è *pannis* more suo concisis atque consutis gestaverint: *Paones* etiam à quibusdam adpellantur. sed qui hoc nomine gaudent, ultra Æmum ad Rhodopen montem & maritimæ Macedoniæ oras habitavere. Genus hominum incultum, fortitudine ac experientia bellorum celebre, sat diu Romani Imperii cursum morabatur. Cæterum terra olim non adeo frugum abundantia felix, hordeum tamen miliumque produxit, queîs incolæ & in cibum usi sunt, & potum ex iis confecere; vini vero aut olei rarus apud eos proventus docuit vitæ durissimam sortem tolerare, hyemisque acerrimum gelu ac æstatem juxta pati. *Dio Cassius*, qui se præfectum Pannoniæ fuisse memorat, ad jurgia & cædes promptissimos agnoscit. Post Romani Imperii inclinationem, cui Tiberius Augusti privignus Pannoniam subjecerat, Gothi è Scandinavia insula progressi eam tenuere: quos Hunni duce inprimis Attila expulerunt. & quamvis hos Longobardi aliquandiu pressissent, nihilominus cum successu temporis Avares istis commiscerentur, Pannoniam ad CAROLI usque tempora sibi vindicaverunt: inde *Hungariæ* nomen non Pannoniam modo sed etiam amplissimas ultra Danubium terras involvit.

LVII.

Verum CAROLUS noster devicta, prout mox referemus, gente, haud modicam Pannoniæ partem, quæ à Bojaria secundo Danubio ad ostium Teiæ fluminis continuatur, *Austria* vocabulo insignivit, quod ab Oriente Bavariam contingeret, ac victoriis late Pannoniam e-

LVIII. mensus est. Nam præparatis quæcunque tanto bello necessaria videbantur; Theodoricum Comitem cum parte exercitus præcedere jubet, ac per ulteriorem Danubii ripam Pannonios petere: ipse Rex citeriorem legit, ac validissimas copias celerrime ad Anisum fluvium Bojariæ Pannoniæque veluti limitem promovet: commeatus quanti sufficerent, propitio flumine subvecti. Ne autem inconsulto inexoratove cœlesti Numine quid ageretur, triduo supplicia ac vota Christianum exercitum tenuere: dein implorato DEI Ter. Opt. Max. auxilio, & sacra communione percepta, bellum omnibus locis fremuit. Caumbergum firmissima arx expugnata, destructa castellorum munimenta, pulsa Hunnorum præsidia, excidio domus, incendio vici ac sylvæ, desolatione agri fœdati sunt. Quum hostes in latebras ac remotiora Pannoniæ fugerent, CAROLUS hac vice satis actum existimans, cum militibus Ratisbonam Bojariæ petiit: pariter Theodoricus Comes Frisios ac Saxones, cum quibus superiorem Pannoniam depopulatus erat, domum reduxit. Sed Regem humana ope invictum tunc fortuna aliquantum concussit. Quippe perniciosa lues equitatum ita corruperat, ut inter tot millia equorum vix decima pars illæsa manserit, cæteros fœda contagio extinxit. Neque Saxones in officio amplius continebantur. Hi Theodorici exercitum in Frisiam contendentem, circumventum insidiis ad internecionem ceciderant, mox quasi puderet datæ antea fidei unanimi defectione res novas moliti erant. Etiam Saraceni immemores superiorum calamitatum, Septimaniam ingressi, non paucos Francorum, præsidio limitum Gallicorum relictos trucidaverant. CAROLUS ubi præsentiora essent mala, ibi fortioribus remediis agendum ratus, Saxoniam intrat, CAROLO etiam filio partem copiarum tradit,

cum

cum quibus ſuperato propter Coloniam Rheno ex alia parte irrumperet. At Saxones, qui Regem expeditione Hunnorum detentum arbitrabantur, poſtquam præter opinionem res ceciderat, victorem ſubmiſſis cervicibus excipiunt, & omnem fidem datis denuo obſidibus pollicentur. Contra Rex non ignarus, quam falſo talia prætenderentur, ſequenti æſtate per hoſtilem agrum infeſtus vagatur, magnumque pondus iræ addidit deſperata Saxonum contumacia: qui Vizinum Abotritorum Regem profecturum ad Francos, quibus fœdere junctus erat, in itinere more latronum jugulaverunt: hinc præter ſqualorem arvorum, quo exciſa ferme regio obſita fuit, præcipuæ nobilitatis viri cis Rhenum in colonias deducti omnibusque fortunis ac dignitate ſpoliati ſunt: libertasque genti adempta, quam vita potiorem duxerant, feroces ſpiritus paulatim mollivit. Dum Franci in Saxonia ultra Albim caſtra habent, Thudun quidam ſpectatæ inter Hunnos authoritatis relicta ſede p[illegible]ria acceſſit, & profeſſus deſiderium Chriſtianæ religionis percipiendæ, tutelam Regis expetiit. Ante biennium quam hæc agerentur, grave vulnus Eccleſia Chriſtiana accepit. Quippe Felix Urgellitanorum in Hiſpania Antiſtes, ab Elipando Toleti Epiſcopo per literas conſultus, *utrum Chriſtus Servator ac Dominus noſter, quatenus humanam naturam excepta peccatorum labe nobiſcum communem habet, verus an adoptivus DEI patris filius eſſet dicendus:* peſſimo exemplo contra Sacri Codicis præcepta, & firmiſſimum antiquitatis conſenſum reſpondit, pro adoptivo habendum eſſe: neque hic error ab animo dubitante profectus eſt, ſed eundem ſcriptis pertinaciſſime defendere tentavit. Igitur in conſpectum Regis, qui Ratisbonæ tum ſedebat, perductus congregato ſacrorum ordinum concilio erroris horrendi convictus eſt. poſtea transmiſſus Romam coram Pontifice & ſacerdotibus aliis publice opinioni ſuæ contradixit, conſtanti poſthac mente religionis Chriſtianæ conſenſum ſe amplexurum promittens. Sed non conſiſtunt ibi mala unde cœperunt, præſertim in graviſſimis fidei controverſiis latius ſerpit con- LIX.

tagio, nec cessat malus ille spiritus, sicut à mundi principio consuevit, humanum genus per varias calamitates exercere, ignaviâque & ambitione illorum, qui animarum curam agere deberent, ad dissidia Reip. Christianæ, & fœcundissimos errores de religione excitandos uti. Elipandus Toleti antistes jam plenis veluti venis istud virus conceperat, ac stolida pravitate ferox, reversum in Hispaniam Felicem eodem veneno rursus implevit: cum verò multos adversos haberet, qui eruditis pariter ac piis dissertationibus refellere hominem aggrederentur, incitatior subinde, ad Regem CAROLUM & quosdam Galliæ Antistites literas dedit, quibus animi sui ferociam satis declararet. Sed illi quidem contrariis argumentis tantam pertinaciam expugnare laboraverant: Rex autem acceptis codicillis sententiam Pontificis Adriani exquisivit, à quo cum damnatum diu execrabilem errorem cognovisset, solenne ac velut Christiani orbis *Concilium Francofurti*, qua Rhenus recepto Mœno turget, indicit. Convenerunt ibi Germaniæ, Britanniæ, Galliarum ac Italici *Antistites*, nomine Pontificis Theophylactus & Stephanus Episcopi, statimque perlectis Elipandi literis sententiam omnes dicere jussi, unanimi consensu pestilentissimum impii hominis commentum damnavere, & opera Paulini, præcellentis in re Theologica Viri, liber confectus est, quo

LX. vana figmenta penitus discussa sunt. Scripta insuper Regis & Concilii nomine ad Elipandum cæterosque Hispaniæ sacerdotes admonitione, serio ipsis injunctum fuit, *ut omissis delinquentis animi somniis, ad Ecclesiæ gremium redirent, paterentur sibi adhiberi medelam, qua vulnus inter Hispanos ac reliquas gentes qui Christo nomen dedere, rursus coiret. scirent Francofurti rite congregatos Ecclesiæ Patres communi consilio istum errorem reprobasse; non hic periclitari privatam cujusquam authoritatem, sed Numinis supremi gloriam, quam & perpetuo suppressam cupiverit humani generis hostis, & hac ambitione in pectoribus mortalium fota jamjam obscuret: quapropter antequam sacris & piorum omni sodalitio probiberentur, sententiam Christianæ fidei convenientem agnoscerent, crederent Servatorem suum etiam*

iam qua hominem, verum Dei Patris filium; ac denique istud pensarent, si quando Saracenica vis eos premeret, non amplius Christianarum provinciarum incolas sanguinem & vitam tanquam pro fratribus profusuros, sed ut putrida & à sano corpore rescissa membra suo exitio relicturos. Damnatis Elipandi erroribus, quæstio de veneratione imaginum ventilata est, decretumque à Patribus, ut Constantinopoli habitum concilium, quod Græci *Septimam & Universalem Synodum* vocabant, omni authoritate caderet, eoque loco æstimaretur, ac si nunquam celebratum fuisset; Sanctorum verò imagines, neque perfringendæ neque adorandæ ad memoriam & ornatum in templis servarentur. Sic tunc rerum sacrarum tractatio processit. LXI. Postquam soluto conventu Francofurto discessum est, CAROLUS *Saxoniam* petiit. At filius Pipinus Italicum ac Bojarium militem in Pannoniam deduxit, & maximam Hunnorum manum, ultra fluvium Tizam (qui Tibiscus olim erat) fugavit, inde munitissima arx, quam patrio sermone *Rhingus* vocabant, extrema ingruente vi præda Langobardorum fuit. Novum munimenti genus in interiore Pannonia Barbari excogitaverant: Crebri stipites truncique abietum, fagorum, quercuum in terram defixi orbem conficiebant, his intervallo vicenum pedum contrarii è regione jungebantur, spatium vero interjectum limo aut salicibus eductum integris cespitibus contegebatur. Ejuscemodi vallum utrinque intus & extra majorum salicum ramis obseri solebat, quibus interjunctæ populi ulmique virentes propagine farciebant locum senescentium. Præterea cum pullularunt & excrevere in altum, occultis nexibus ac veluti laqueis perpetuam sepem sustinent, frondem jucundissimam pecori ministrant, virgas cingendis agris, foco ligna præbent. Tam inexsuperabili loco angusta erat porta. Intra portas, aggeres, vici & villæ, quantum vox humana pertingeret, distabant, extra sepimentum prædia & ædificia ita disposita erant, ut in unoquoque signum datum in altero exaudiretur. Hunni omnium gentium latrones per annos trecentos his arcibus opes orbis abdiderant, ipsi interim intacti

intacti tantarum rerum satietate famem paraverant, ut quo plura haberent, acrius quæ non haberent concupiscerent.
LXII. Sed ubi Langobardi qui in exercitu Pipini merebant, Gallique post vehementissimam obsidionem arce potiti sunt, quicquid auri argentive per tot secula congestum erat, una die militum avaritiæ cessit, privatæ opes singulis pro dignitate distributæ, & fere major præda, quam quanta belli fama erat, fuit revecta. *Bonfinius* haud indiligens Hungaricarum rerum Scriptor hanc expeditionem non tantum auspiciis, verum etiam ductu CAROLI confectam esse, & regiam Hunnorum, quam *Sicambriam* prius, deinceps *Budam veterem* appellabant incolæ, Chabam possedisse memorat, Hic Francorum irruptione audita per legatos bellum primo gessit, & confisus urbis munitioni, facile intactum semet ac tutum fore speravit. At cum Hunni aliquot præliis inferiores, deditionem denique fecissent, anxius ipse ac trepidans, obsidionis fortunam subire coactus est. Et urbs quidem operibus validissime firmata commeatu & defensoribus egebat, neque placebat conditionibus eam victori permittere, quod haud dubie spes ac fortuna Hunnorum simul conciderent. Igitur in illis angustiis expectato prælio, ad usque Solis occasum pro salute urbis certatum, donec inclinatis Hunnorum viribus, scalas sensim admovere Franci, urbemque terrore pariter ac sanguine completam invaserunt.
LXIII. Sed ubi furor paulatim desæviit, & clamor supplicibus verbis planctuque permixtus misericordiam victorum elicuit, oppidanis vita servatur, munitis locis præsidia Francorum adhibentur, ad portas & fora & multa compita stationes disponuntur. Chaba Rex desperata arcis tutela, ne veniret in potestatem hostium vivus, à gladio suo impetravit. tum *Rhingus* solo æquata, &, velut prædiximus, opes direptæ sunt. Postera luce admoniti Hunni, ut aspernati Martem & Herculem, quos cœca gens Numina sibi finxerat, Christum Deum & unicum humani generis servatorem colerent, nihil quicquam de obstinatione animi remiserunt, exceptis paucis, quos inter Thudun

dun fuerat. Hic fidem CAROLO nuper promissam, Pipino præstitit, & sacri fontis beneficio Christiani orbis civibus adscriptus fuit. non diu tamen duravit Barbaro constantia, sed fallaci ingenio fœderis sanctitatem violans, interjecto tempore sceleris pœnas pependit. Subacta Pannonia Pipinus ad patrem revolat, tropæa & ingentem divitiarum apparatum secum ferens. CAROLUS quò mentis gratitudinem Deo testaretur, & auspicia Christianæ religionis apud Hunnos conderet, simul in victoriæ memoriam templum Budæ erectum B. Virgini Mariæ consecravit, idque lapis excisus adhuc indicat. Deinde per Engelbertum Abbatem magnam manubiarum partem Romam transmisit. Namque mortuo tum Adriano Pontifice, cujus obitum tanquam amicissimi hominis acerbe tulit Rex, Leo tertius successor claves S. Petri, (quas vocant) & vexillum Romanæ urbis, in subjectionis & observantiæ pignus CAROLO per legatum offerri curavit, obsecrans Regem, ut ex optimatium numero Romam destinaret, qui populum sacramento in verba ejus obstringeret. Id igitur muneris Engelberto impositum, qui statim cum donis eò contendit. Cæterum tot rerum prospere gestarum fama cunctos late populos in venerationem CAROLI adduxit. LXIV. Hinc *Zatu* Saracenus Regem eo tempore Aquisgrani degentem convenit, & Barcinonem in Hispanico limite sitam, cui ipse hactenus præerat, ejus potestati subjecit. Inde Abdellas Ibimangæ Mauritanorum Reguli filius cum ingentibus donis adfuit. Etiam Aza Oscensium Satrapes claves urbis Oscæ per legatum misit, pollicitans, se quamprimum occasio affulgeret, urbem ipsam Francis traditurum. Inter omnes Adelfonsus Gallæciæ Asturiæque Rex eminuit. Hic enim à Saracenis hactenus pressus, nec modica regni sui parte spoliatus, opem CAROLI solicitavit, ne cogeretur terras toties à barbarorum insultu vindicatas, illorum ferociæ cedere. Et Rex & causa auxilio digna videbatur. Prompte igitur magna Francorum manus submissa est, qua Adelfonsus erectus Saracenos fudit, fugavitque, Ulyssiponem caput Lusi-

Lusitaniæ, Hispaniæ decus recepit, & victor hostium vires valde attrivit. Ludovicus autem CAROLI filius Aquitaniam petiit, Barcinonem à Zate, Oscam ab Aza recepit, simul Abdellam regia magnificentia cultum per Hispaniæ continentem patri remisit. Videres tamen quid inter calamitosam Christianorum innocentiam, & simulata barbarorum fœdera intersit. Adelfonsus ope Francorum Saracenico bello defunctus, è victoriarum manubiis dona per Oratores CAROLO obtulit, actisque pro celeritate subsidiorum immortalibus gratiis, perpetuam deinceps amicitiam cum ipso coluit. Sed postquam Ludovicus Hispaniam reliquerat, repente Saracenorum reguli fidem mutant, & absentia Regis in suæ dominationis incrementa usi, præcipuas urbes, quas Iberus & Pyrenæi montes cingunt, ad defectionem compellunt. *Mauri* quoque Ibimanga authore Baleares insulas deprædantur, nihil hostilis insolentiæ prætermittentes. CAROLUS intellecto facinore populationis injuriam in tempus vltionis distulit, supervacuam pugnam existimans, cum vlcisci hostem sine magno suorum periculo posset. Dein post aliquot annos redintegrata expeditione Osca Francorum imperio rursus subjicitur: Barcinona biennio, (ut *Adelmus Benedictinus* scribit) obsessa expugnatur, Pampelonenses & Navarræi in fidem recipiuntur, Maurisque prædonibus ad Majoricam contusis, signa victoriæ in

LXV. conspectum regis deferuntur. Dum vero Hispanici motus surgunt, grave interea negotium *Saxones* trans Albim habitantes CAROLO facessere. Quippe Viros juris scientes ad componendas per omnem Saxoniam controversias & cum illis Oratores in Daniam Rex ablegaverat, sperans hoc modo lites mortalium animos dirimentes Francica justitia finiri, feritatemque Saxonum novitate incognitæ disciplinæ mitigari, & solita armis discerni, jure terminari posse. Sed illi perfidiæ nati, homines jurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine occupatos sævitiæ suæ immolant, ac prorsus quasi scelere scelus expiaretur, revertentem è Dania Godeschalcum prio-

priorum fato addunt, paucissimis in facinoris mercedem velut servatis. Hinc ferociores, Abodritos Francorum fœdere nobiles denuo lacessunt, quanquam brevi lasciviæ gaudio: interjectis enim diebus Thasco Abodritorum Dux vindex ignominiæ quatuor millia eorum cecidit, parvo quidem, (judicium est *Pauli Æmilii*) dictu numero, sed secundum tot clades anniversarias, cum jam tricesimum annum bellaretur, majori quam eorum res accisæ pati possent. CAROLUS ex altera parte, qua Visurgis Saxoniam interfluit, igne & ferro in terram sæviit, juris gentium ac publici violatores, nec justos amplius hostes omnifaria vi persecutus. Sequenti tempore plerosque obnoxios habuit, & filius Regis patrii nominis heres, tranquillo magis imperio, quam bellorum asperitate demum in officio continuit. Interim alibi res Francorum tristi lætoque successu miscebantur. Siquidem *Geroltus* Reginæ Hildegardis olim frater, quem Rex Bojariæ custodem datum stativa in Pannonia habere jusserat, ab Hunnis rebellantibus occisus est, quum ipse quidem, Imperatoris strenui more, incautius tamen ac sine suorum præsidio obequitando aciem, animos pugnantibus subministraret: & *Henricus* Forojuliensium Dux, post insignes victorias atrocesque inflictas Hunnis clades propter Yarsaticam Liburniæ civitatem oppidanorum fraude interceptus interiit. Contra Vido Britannici limitis præfectus, Rolandi fortissimi ducis successor, penetratis omnibus Britanniæ gentibus, magna vi hominum, urbiumque potitus numero, ad Francos regressus est, arma ducum, qui jugum receperant, inscriptis singulorum nominibus offerens Regi. LXVI.
Incubabat adhuc Saxoniæ CAROLUS, & habiturus conventum Lippiæ castra figebat, cum è meridiana plaga, civilibus discordiis Romam ardere, nuncius attulerat. Nam *Leo Pontifex Maximus*, quod Hadriani, in cujus locum suffectus erat, acta permulta rescinderet, solenni pompa fanum B. Laurentii ingressurus, ab Hadriani amicis, qui liberalitate ejus creverant, per insidias capitur, vulneribusque confectus, ac totam oris speciem cruore oblitus, ut quidam aurium, oculorumque usu privatum es-

ſe ſcribant, in carcerem conjicitur: inde Albini cubicularij pietate noctu elapſus, auxilio Vinigiſi Spoletanorum ducis, qui percepta injuria mox advolaverat, Spoletum deductus, juſſu CAROLI in Germaniam vectus eſt. Rex à veniente & ſupplice omnem crudelitatis ordinem cognoſcit, eique ſtudium ſuum & in inimicos vindictam pollicitus, ſummo honore cultum poſt aliquot dies Epiſcopis quibusdam ac proceribus committit, qui tuto Romam perducerent, gravi edicto, ne quis eum violaret, Romanis propoſito. CAROLUS ſequenti anno, quem à Chriſti Redemptoris nativitate octingenteſimum numerabant, delatus ad Gallicum mare, quod ab adverſo litore Britanniam ſpectat, præſidia ibidem diſponi, & præparari claſſem contra Nortmannos piratas, Oceani oras infeſtantes juſſit. Tum rediens Ludovico filio rerum domeſticarum finitimorumque curam tradit, ac habito Moguntiæ conventu, Comitem itineris Pipinum in Italiam adſumit, opportuno jam tempore Romanorum controverſias dijudicaturus. Dum Venetias obit, authores necis Henrici Forojulienſium ducis, capitali ſupplicio extinxit: inde adita Ancona Pipinum in agros Beneventanorum dimiſit, quod Grimoaldus dux haud diſſimulanter officio deceſſiſſet. Sed ipſe ubi Romam fauſto omine pervenit, à Leone & Senatoribus urbis magnificentiſſime exceptus in templa deducitur, ſacrisque & gratiis Divino Numini habitis per omnia compita populi acclamationibus celebratur: nam ex reliqua Italia, ex continentibus regionibus, propinquis pariter ac remotis, omnis ordinis, ætatis, conditionis homines ad famam venturi Romam CAROLI confluxerant, viſoque eminentiſſimo ſeculi ſui Rege omnes

LXVII. corporis motus in lætitiam effuderant. Poſt ſeptem dies publico gaudio datos, Rex advocato Epiſcoporum concilio, de criminibus Pontifici intentatis cognoſcendum eſſe docet, hunc enim non tolerando ſacræ ſedis contemptu à quibusdam violatum innocentiam ſuam teſtari velle; quamobrem accederent facinoris authores, dignamque

que excuſationem pararent, ut aut juſtos defenſio abſolvat, aut reos meritum tollat ſupplicium. Illico perculſi Leonis inimici, quædam magis in odium Pontificis, quam pro ſe attulerunt, & quoniam idonea probatio deficeret, CAROLUS ad rogandas ſententias deſcendit. Ea res Papalis eminentiæ ſplendorem paulùm obſcurare viſa eſt. proinde Epiſcopi, ambitionem Regiæ majeſtatis authoritati præferentes conſurgunt, nec fas eſſe ajunt, Pontificem à quoquam judicari. Rex ſanctitatis opinione commotus, Leonem ſuggeſtum conſcendere, & niſi conſcia delictorum mens prohiberet, DEO vindicem oculum habenti, integritatem ſuam jurejurando probare jubet: neque ſegnius id fecit Pontifex, quam Rex locutus eſt, ſed verbis ad gravitatem maxime compoſitis *falſam accuſatorum delationem* oſtendit, *ſe nunquam vitæ aut morum infamia tantam calamitatem meruiſſe. Potius accuſatores furenti inſania concitatos, quum exprobratam anteactorum facinorum turpitudinem pati nequiviſſent, illis contumeliis innocentem affeciſſe: ſi aliam, atque nunc exponeret, ob cauſam hoc malum contigiſſet, optare ſibi tam gravem divini Numinis vindictam, quam ſævas adverſariorum manus ſenſiſſet.* In hanc ſententiam oratione habita adeo commovit circumſtantes, ut quamvis ipſe reus ac judex ſua ſententia abſolveretur, omnium ſuffragio innocens eſſet, ſilentio præcipue inimicorum bonitatem cauſæ adprobante. Igitur Campulus & Paſchalis, queîs ducibus inſidiæ proceſſerunt, capitis quidem à Rege damnantur, ſed mox interveniente Pontificis deprecatione exilio multati in Galliam relegantur, motibusque ſedatis Leo dignitati reſtituitur. Eo tempore CAROLUS noſter hactenus Francorum, ac Langobardorum Rex, unanimi Romanorum applauſu *Imperator Auguſtus* nuncupatus, & miniſterio Pontificis corona redimitus eſt. Quoniam verò abſolutæ poſtea bellorum tractationi pacis opera non interrupto ordine ſubjiciemus, haud indignum erit, Cæſarei culminis honore, velut auſpicio ad cætera nobis viam ſucceſſumque firmare, ſimul *Reip. ſtatum, mutati Imperii cauſas, ac derivatum in Germanos auguſtæ poteſtatis apicem* uberius

LXVIII. rius exſequi. Cæterum CAROLUS Imperatorii nominis amplitudine inſignis Roma abſceſſit, ac circumlaturus pacis ſuæ bona, Aquisgranum contendit. Ibi conventu Principum habito, per nova ſacramenta omnes ſibi obſtrinxit, adhæc Oratores qui controverſias dirimerent, jus dicerent, æquum adminiſtrarent, in Imperii ſui provincias ablegavit. Miſſo etiam trans Albim exercitu rebelles Saxonum ſpiritus domuit, cædibusque & populatione agrorum ad obſequium redegit. Interim alibi cuncta novo fulgori cedebant; Siquidem *Grimoaldus* Beneventanorum Dux parum conſiderans, cui potentiam ſuam deberet, ingrata & maleſana mente Italiæ felicitatem tentans aliquot urbes jam in partes ſuas illexerat. Ergo Pipinus, quod cum regno ſalutem & curam ejus ſibi commiſſam probe intelligeret, Samnium inſtructo exercitu petit, cinctumque Beneventum acri obſidione fatigat; quanquam illi defenſione ſtrenue parata, nec minus eruptionibus tardam deditionis ſpem facerent. Feliciori utique eventu circa *Theate* res geſta eſt: hanc nequaquam pari conſtantia Roſellinus clariſſimus Langobardorum tutatus erat. auctis etenim adventu Vinigiſi Spoletanorum ducis Francorum copiis, æmulatione virtutis inter milites, oppugnantium fortitudini urbs ceſſit, quæ direpta atque incendio conſumta iram victorum explevit. Statim Ortona Francorum præſidium ejectis Græcis recepit, cujus exemplum Luceria ſequuta eſt. Id oppidum Vinigiſus cuſtodire juſſus, non multo poſt acri morbo laborare cœpit. Quo audito *Grimoaldus* celeriter advolat, urbem rectore deſtitutam, fervidiore impetu ſimul ac metu, ne Pipini auxilia ſubvenirent, expugnat, Vinigiſum in poteſtatem ſuam redigit. Cui poſtquam nullis verborum lenociniis perſuadere poterat, ut neglecta Francorum amicitia fluentem procumbentemque Langobardorum Remp. reſtituere anniteretur, ipſe quid feciſſet, reputans, non modo captum Vinigiſum libertate donavit, verum etiam ſponte in fidem & clientelam Pipini conceſſit. Magnam veniæ fiduciam Grimoaldo clementia conciliavit, qua captum Vini-

Vinigisum antea affecerat, leniter itaque habitus, & pactione annui tributi domum remissus est. Rosellinus in Austrasiam exulatum ivit. Ut sæpe omina hominum fortunam prænuntiare solent, sic illam quassatæ Italiæ tempestatem evidenti prodigio firmatam crediderim. Nam superiore anno quum Carolus Imperator Spoletum transiret, terra repente magno motu concussa est, Romæ B. Pauli Apostoli ædes graviter adflicta, tectumque ventorum turbine labefactatum cùm trabibus decidit: in cætera Italia montes quosdam vasto sinu subsedisse, novos surrexisse tumulos, oppida quædam profundo hiatu hausta esse, quædam corruisse fama tulit. Ille fragor, per Gallias quoque ac Germaniam auditus, variis mutationibus suspensos postea mortalium animos habuerat. Per idem tempus *Joannes Venetorum Dux*, Christophorum quendam Græcum, in gratiam Nicephori Imperatoris Olivolensibus Antistitem præfecerat. Id quia Venetiarum tribunis displiceret, Joannem Patriarcham Gradensem rogaverunt, ne solemnibus ceremoniis Episcopum illum renunciaret. Igitur Joannes precibus morem gerens non modo jura & insignia Episcopatus homini denegavit, sed piorum insuper communioni interdixit. Quo facto Dux Venetus adeo ira exarsit, ut infesto agmine Gradum contendens, capta urbe Patriarcham è celsissima turre præcipitaret. Inde Altinæ conventus habitus, & Paulino Aquilegiensi Patriarcha præside *Fortunatus* mortuo Joanni successor datus est. Hic accito Obelerio Metamaucensi tribuno consilium in Franciam secedendi cepit, ut CAROLUM adversus Ducem incenderet, rebus Nicephori majore quam par esset studio addictum. Dux excepto consilio rursus classem Gradum promovit, ac Fortunatum & Obelerium inde excedere coëgit. Ii cum se Tarvisium contulissent, Obelerius à Venetis exulibus Dux declaratus est, Fortunatus in Franciam ut constituerat properavit. At posteriore anno accisis per Obelerium Veneti ducis viribus, Fortunatus exilio suo major, & insignibus à CAROLO beneficiis cultus ex Francia domum rediit. Etenim Imperator & suo

ſuo erga res ſacras amore, & in Venetum odio inſtigatus conceſſit Fortunato, *ut ipſe, ſacerdotes, coloni ac ſervi ejus per omnem Langobardiam, Hiſtriam, Romaniolam, nemine turbante, quietam vitam tranſigerent, neque iniquis vectigalibus aut judicibus premerentur.* Obelerius interim fugato Joanne coronam quæque alia Ducatus inſignia ſunt accepit, & conſenſu populi Beatum ac Valentinum fratrem honoris conſortes ſibi adſcivit. Iſta Venetorum ducum mutatio majoribus turbis velut præluſerat, quas, cum & Impera-
LXIX. tori noſtro moleſtæ fuerint, poſtea memorabimus. Tum exciſa Hunnorum nobilitate, & repreſſa ſat idoneis cladibus gentis pertinacia, controverſias de finibus motas, arbitrium Victorum terminavit. Magna Bojorum manus coloniis eam regionem occupavere, quæ *Auſtriæ* nomen ſumpſit. Quidam fuſis Avarum reliquiis ad Daciæ confinia inter Tibiſcum & Savam, ſedes extendere. Hunni variato paulatim ſono, *Hungari* poſteris dicti ſunt; Avarum nomen cum imperio intercidit. ſuſpicatur autem *Cuſpinianus*, eam olim primariam ſedem Avarum fuiſſe, quæ Hungarica lingua *Avar*, Germanis Altenburg hodie vocatur. Cæterum Arnoni Salisburgenſium Archiepiſcopo rerum ſacrarum cura in Pannoniam commendata eſt, ne prolatis imperii finibus gloria Chriſti marceſceret. Procurrente ſic imperii curſu, poſt Hunnos Saxones denique veram & ſine exceptione victoriam Francis conceſſerunt, quanquam omnia prius experti, more anguium, qui obtrito capite ultimam veneni vim cauda exſerunt. Genti libertatis ſtudio indomitæ *Godofredus* Danorum Rex animos augebat, verens, ne Franci nimia felicitate ac recenti dignatione tumentes, Daniam quoque in imperii complementum rapere conarentur. Igitur *Saxonum* rebellione defenſioni ſuæ moram & regno munimentum concedi ratus, eodem metu ſervitutem averſantes complet, hortaturque ut jugum recens excutiant prius, quam langueſcente impetu potentia hoſtium vetuſtate roboraretur. Nulla oratione apud volentes opus fuit. Qui trans Albim incolebant, ſtatim à fide deſciſcunt, & Veſtphalos etiam

ad

ad societatem infelicium armorum perducunt. Cum pœnitentiæ spes non appareret, Imperator novo milite Saxoniam implet, datque filio CAROLO mandata, ut superato prope Noviomagum Rheno auxilia sibi adduceret, Ludovicum insuper ad sociandas vires celerrime Aquitania evocat. Equitatus ex Francis ferme collectus fuit. Peditatus maximam partem Abodriti Francorum socii, Francones & Bavari constituerunt. Ubi signa cecinere, hostes pedite superiores acriter pro vindicta certaverunt, & irruentem Francorum equitatum diu sustinentes, ancipitem fecere victoriam, donec indurata illorum virtute fessi, & à tergo circumfusi, præcipiti fuga castris, quæ loco idoneo muniverant, illapsi sunt. Magno stetit hæc Francis victoria: nec enim pauciores ex ipsis quam ex hostibus ceciderunt. confecto tamen prælio ac dissipatis Saxonum viribus, omnia sedata ac prona reperiebant. *Vestphali* nulla re magis, quam Christiana religione profitenda, expiare iram victorum poterant. igitur sacro fonte abluti pacem impetrarunt. Saxones trans Albim severior pœna coërcuit, toties videlicet rebelles; & nunc ultimæ defectionis concitores in Galliam migrare coacti sunt, ut & feritas populi clementioris cæli aura mitesceret, & exilium inter medios hostes omnem rebellandi materiem tolleret. Decem millia hominum istæ coloniæ patriis sedibus abstraxerunt, neque parva manus Romam traducta est, cui locus propè D. Petri fanum in habitationem concessus, postea *vici Saxonum* nomine inclaruit. Ne verò vasta solitudine Saxonia corrumperetur, *Abodritis* Francorum societate non semel hactenus celebratis, ob navatam strenuè operam vacua possessoribus terra cessit. Sic dispersa gente nemo sperabat amplius in illis oris bellum, & Vestphali nondum penitus repressi erant. Nimia fere Augusti clementia provocati jugum aliquoties excusserant, præsente & intentante arma imperata facere prompti, mox abeunte ac reducente copias ad ingenium suum reversi. Ea pertinacia continuis cladibus quidem fracta, denique prudenti consilio expugnata est. Victis namque & amentiæ veniam LXX.

 oran-

orantibüs Magiſtratus publice dati, qui legum vigore & auctoritate judiciorum negotia publica privataque administrarent, nec ab his provocatio niſi ad Imperatorem ipſum eſſet: adhæc ſanctius arcanumque ſelectiſſimorum hominum concilium inſtitutum eſt, qui ſine provocatione cunctos judicarent. Erant autem viri graves, ſpectatæque integritatis, ſelecti ad hoc officium, ut cæteris omnibus ignaris Veſtphaliæ oppida, vicos, conciliabula circumirent, mores, dicta ac facta hominum obſervarent, & quoscunque latrociniorum, neglectæ fidei, violatæ pacis, deſertæ religionis conviciſſent, ſine mora ſupplicio traderent. Reos nulla dignitas aut interceſſio apud Conſcios, (ita vocabantur judices) abſolvebat, ſummi pariter ac infimi prius ſuſpendio luiſſe delictum videbantur, quam de modo ac magnitudine ejus conſtabat. Id *Jus Veſtphalicum* appellatum eſt, adeoque tanti arcani ſeveritas, & improviſa criminum poſtulatio Veſtphalos terruit, ut ſequentibus temporibus faciliori negotio parérent. *Gothofredus* Danorum Rex, hac Saxonum fortuna perculſus, cum omnibus copiis & claſſe ingenti Cimbricam Cherſoneſum advectus, molitionibus Imperatoris intentus ſedit. Illuc quum oratores, CAROLI perſugas repetitum venirent, facerentque mentionem ineundæ pacis, ipſe Rex Imperatorem colloquii cauſa ſalutare decrevit, ac perfeciſſet etiam, niſi purpurati diverſa ſuaſiſſent, neutiquam tutum eſſe contendentes, ut Rex, unicus nunc emorientis per Germaniam libertatis vindex, alienæ ac tantopere quidem ſuſpectæ fidei ſeſe committeret. CAROLO enim Imperium orbis quærenti nihil inhoneſtum fore, quod utile, atque ſi blandiſſimis verbis ad ſe Regem pellexiſſet, prius cupiditati ſuæ, quam hoſpitii juribus obſequuturum. exemplis omnium ſeculorum doceri, nullam in ejusmodi Principum aulis fidem, niſi quatenus expedit, dictis promiſſisque præſtari: aliis forte rebus pietatem coli poſſe, jus regnandi gratia ſervari non poſſe. Ita domi retento Gothofredo legati Imperatoris conditionum ſummam proponunt, & his legibus pacem cum eo ſan-

ſanciunt, *ut captivi utrinque redderentur, Dani ſuis inſtitutis viverent, & cum Francis eosdem pro amicis inimicisque haberent.* Dum pacatur Saxonia, Danicæque procellæ turbo paulùm ſiſtitur, magni, ut vulgò jactabatur, miraculi fama aures & ora hominum impleverat. Beryti, quæ Phœniciæ urbs eſt, Judæum quendam, in contemptum noſtræ religionis, Chriſti crucifixi imaginem perfodiſſe prodiderunt: unde ubertim ſanguis effluxerit, cujus virtute multi mortales graviſſimis morbis liberati, ardentiſſimæ religionis ſtimulos animis ſenſerint. Sanguinis portio deinde neſcio quo fato Mantuam translata, CAROLUM quoque ad primum rei nuncium in venerationem rapuit, ut confeſtim literis à Leone Pontifice contenderet, ne gravaretur tanti veritatem miraculi ad liquidum perducere, cognitamque ſibi perſcribere. Leo acceptis mandatis Mantuam profectus eſt, & re omni explorata literas ad CAROLUM dedit, quibus ſignificabatur, ſe ubicunque terrarum Imperator eſſet, Dominica Natalitia cum eo velle celebrare. Quod ſimulatque CAROLUS reſcivit, filium cognominem in adventum ejus præmiſit, Rhemisque nobili Franciæ urbe perhumaniter exceptum Cariſiacum primo, ubi feſti ſolennia peracta ſunt, mox Aquisgranum deduxit, ubi paulo ante magnificentiſſime extructam B. Virginis ædem, ſolennibus ceremoniis tum Pontifex inauguravit; qui per octo dies honorifice habitus, magnisque cultus donis per Bojariam domum receſſit, comitibus ab Imperatore ipſi Ravennam usque adjunctis. *Paulus Æmilius* non inventum Mantuæ ſanguinem, ſed aliam & ſecretiorem cauſam ſuaſiſſe hanc profectionem Leoni contendit, quod Vir prudens æmulatione inter duo maxima Imperia Orientis nempe & Occidentis, ſurrecturum aliquando diſſidium velut è ſpecula proſpiciens, ſua intereſſe exiſtimaret, cito ad CAROLUM tranſire, deque imperio imminentibus turbis cum ipſo deliberare. Quod ſanè propius fidem videri poteſt. At illud ſive miraculum ſive commentum ut plus ferme ſuperſtitionis quam veræ religionis in mentibus hominum reliquerat, ita vi-

LXXI.

cissim ex alia orbis parte incrementa Christianæ religionis eluxerunt. Quippe *Caganus* Hunnorum regulus eo tempore exul CAROLUM accessit, ac supplici voce locum sibi inter Carnuntum & Sabariam, (oppida sunt Tejæ fluvio, qui Danubio undas suas committit, vicina,) inhabitandum dari postulavit, quoniam assiduis Sclavorum incursionibus vexatus patrias sedes amplius colere nequisset. Hunc Imperator, quod Christianorum sacra publice professus Theodori nomen recepisset, voti compotem in illas oras dimisit. Cui Theodoro repentina morte terris subducto, alius quidam *Caganus* succedens, easdem ab Imperatore terras in regnum obtinuit, simulque sacro fonte adspersus, divini cultus professionem Abraami nomine inchoavit. Sed cum frequentibus latrociniis omnis illa regio premeretur, *CAROLUS Junior* patris jussu armatam manum in Bohemiam præcipuam Sclavorum sedem perduxit, vastatisque incendio agris ac penetratis limitibus pugnam cum Sclavis diu ancipite Marte subire coactus fuit. Siquidem Beccho eorum Dux, homo militaris & bellorum expeditionibus induratus inter confertissimos dimicans, nec minus militis gregarii munera quam ducis exsequens, ingenti terrore pariter ac cæde Francorum copias turbaverat, donec audacius densissimæ cohorti sese ingerens, ab hostibus undique circumfusis occisus est. Et sublato fortissimo Imperatore confestim Bohemica vis cessit, præliumque diremptum æqua ferme clade, nisi quod ex Francorum auxiliis plures, è Sclavis præcipua nobilitas ac proceres juventutis ceciderunt. Sic uno conflictu bellum discussum, terra Hunnorum infestationibus liberata est. CAROLUS formata in obsequium gente, (quanquam sunt, qui ante finitam expeditionem revocatum esse scribant) triumphans ac plenus gloriæ ad patrem rediit. Quod mea fide non retulissem, id tutius alieni Scriptoris testimonio præsentibus adjici posse spero. Memorat autem *Aventinus*, gigantem quendam è pago Sueviæ oriundum in agmine CAROLI militasse, qui obvios quosque hostium velut fœnum demetens sæpe tanquam

quam aviculas cuspide fixos in humerum sustulerit, cumque domum reversus à popularibus interrogaretur, quomodo res cessissent; indignabundus dixisse fertur, inutilem tantum apparatum fuisse, se enim non raro septem vel octo ranunculas miserrime vociferantes huc illuc vario ludibrio circumgestasse. Sic composito Sclavorum tumul- LXXII.
tu Imperator filios suos Theodonis villam convocat. Eò cum CAROLUS Junior è Boëmania, ab Hispanico limite Ludovicus, ab Italia Pipinus advenisset, de summis & Imperii tutelam concernentibus negotiis disceptatum est, erexitque *ultimæ voluntatis monumentum* Augustus, ne si quando in initia sua resolutus esset, fœdo certamine manus consererent filii, & redditam terris pacem discordia aut regnandi libidine turbarent. Id vero judicium, ceu inter amicos fieri amat, per Eginhardum Leoni Pontifici maximo transmisit, ut sua manu subscriberet, ejus summam postea referemus. Paulo ante Obelerius ac Beatus fratres Veneti duces, cum Paulo Jadertinorum Comite, ac Donato Episcopo Imperatori præsto fuerunt, ingentia dona ferentes: dein impetrato colloquio *nihil magis Francicæ rei profuturum*, docuerunt, *ac si Dalmatia in amicitiam reciperetur, quæ gliscente inter duos Christiani orbis Imperatores invidia, pejori Francorum conditione ad Nicephorum devolveretur. Namque ubi eam occupasset, simul Hadriatici maris dominium pro amisso reputandum esse, videndumque insuper, ne derelicta Venetorum causa socii omnes labascerent, ac Resp. aliquid detrimenti caperet.* Facile CAROLUM & Italici regni possessio omnibus omnino viribus tenenda, & præsens Venetiarum status, antea per Fortunatum Gradi Antistitem satis sibi commendatus, & simultas cum Nicephoro movit, ut Dalmatas in fœdus reciperet, ac Obelerio ferret opem. Per idem tempus *Sclavi & Sorabi* Albis accolæ, assueti sub Ducibus suis vivere, Francorum imperium detrectabant, sed congressi acie & amisso duce Miledoctio leges acceperunt: duo castella prope Salam Albimque ædificata terrorem genti incusserunt, ne his velut claustris septi iterum rebellarent. Et quoniam tunc Caganus decesserat,

Hunnia in formam provinciæ Francorum redacta, leges & Magistratus à CAROLO accepit, & in aliquot annos reges habere desiit. Sed dum ea geruntur, *Saraceni* partim Africa, partim Hispania egredientes, Corsicam insulam & litora Italiæ infesta latrociniis reddiderunt, quæ res extemplo Pipinum excivit, ut consueto more Italici regni tutelam susciperet. Ergo missa in mare Tyrrhenum classe adeo repentino adventu Saracenos terruit, ut ne expectato quidem navali prælio celerrime domum refugerint. Solus *Audomarus* Genuensium Comes, dum fortunam inconsultius sequitur; in insidias deductus navi prætoria intercepta, trucidatus est. Postero anno quum solita audacia adjacentes Italiæ insulas vexarent, Burchardus stabuli Comes maximi nominis dux in illos immissus est. Et Sardi quidem egregie pugnando ac tribus millibus Barbarorum occisis, hostes à semet removerant, qui mox Corsicam repetentes, à Burchardo navali pugna excipiuntur, ubi tanta Francorum virtus fuit, ut conjunctis arctissime navibus nullam Saracenorum paterentur elabi: sed continuo ardore dimicantes in summas angustias hostes perduxere, qui postquam vincendi spes nulla, salutis modica superesset, præcipiti fuga & amissis tredecim navibus salutem quæsiverunt. Hic annus non modo Saracenorum clade, sed & *Aaronis* Persarum Regis è remotissimis oris ad CAROLUM legatione, ac crebra Lunæ solisque defectione insignis fuit. Visæ etiam terribiles in cœlo acies bellorum imminenti-

LXXIII. um Veneti Danicique prænuntiæ fuerunt. Fervente interim tumultu, *Eardulfus* Nordanumbrorum Rex, imperio & patria pulsus ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & exposita adventus sui causa, Romam proficiscitur, ut Leonis quoque misericordiam eliceret, succinctusque benevolentia maximorum in Rep. Christiana capitum, armata manu aut certe vi nolentibus intentata in regnum restitueretur. Præter innatam CAROLO clementiam movit eum & exempli, & communis regum omnium causa, quam negli-

gligere periculosum fuisset, cum in unius regis exitio cæterorum salus vertatur, ac nisi sequatur ultio, subditi aliorum libidine excitati, ubique Principibus suis insidias struere tentent. Quamobrem Roma regressum Eardulfum per legatos domum reduci imperavit, eique negotio honoris gratia, & magis non prohibente CAROLO quam jubente, Leonis orator adjunctus est; quod factum immodicis Pontificiarum partium admiratoribus speciem præbuit, quasi Imperator, seposita Leonis auctoritate non sustinuisset, Eardulfum rursus in regio throno collocare: cum tamen Pontifex neque ab ullo tantam potestatem acceperit, neque sine CAROLI viribus tale quid moliri potuerit. Ante annum quam hæc agerentur, Salisburgi conventus indictus est, cui Arno Salisburgensis Archiepiscopus, cæterique Bojariæ & vicinarum regionum Antistites ac Sacerdotes interfuerunt, qui collatis sententiis decrevere, *ut bona sacris usibus destinata, in quatuor portiones postea dividerentur, quarum una Episcopis; altera sacrificulis cederet, quo diligentius animarum curam gererent; tertia, pauperibus erogaretur, præsertim si vitio corporis aut morbo debilitati, nullo laboris genere mercedem in vitam tolerandam acquirere possent; quarta denique in conservationem templorum aut instaurationem servaretur.* Interjecto deinde tempore Aquisgrani *de S. Spiritus processione* disputatio mota est, quam *Joannes* quidam monachus Hierosolymitanus primum in lucem protulerat: ejus componendæ gratia Bernardus Episcopus Vormatiensis, & Corbeiensis monasterii Abbas Pontificem convenerunt. agitatum in eodem concilio *de statu Reip. Christianæ & conversatione eorum, qui solitaria pietate Deo servire perhibentur*; neque tamen aliquid certi definitum fuit; sive difficultas sive magnitudo rei cœptæ obstabat. Brevi dein LXXIV.
temporis intervallo tempestas *Veneta* erupit. Quippe *Nicephorus* Imperator Græcorum ubi Joannem ac Mauricium Venetiæ duces ab Obelerio in exilium pulsos, Dalmatiamque & Venetias intestinis motibus ardere comperit, Nicetam Patricium cum classe ad oras Adriatici maris able-

ablegavit, ut factionibus sedatis exules ducatui restitueret. Cujus adventu Dalmatæ perculsi non expectata vi, à Francorum fœdere ad Græcos redeunt. Veneti recepto Niceta, Duces, quos ille restituere jussus erat, domum se revocaturos negarunt, ac Beatum Ducem Obelerii fratrem Constantinopolim miserunt, qui consilii sui Nicephoro rationem redderet, simul excusationem, quod non recepissent, afferret. Pipinus his auditis statim pro regiâ dignitate arma paravit, Nicetæ obviam iturus, pactis tamen in annum sequentem induciis quievit magis, quam resiliit à proposito: Nicetas Constantinopolim reversus est. Postquam verò induciæ exiissent, Paulus Cephaleniæ præfectus loco Nicetæ in bellum submissus, maximam classem Hadriatico sinu invexit, & appellens Venetias, mox succedente hyeme Comaclum insulam Venetorum finibus objacentem invasit. Ibi satis constat summo esse prælio decertatum, ab utra vero parte victoria steterit, parum in expedito est, *Venetis scriptoribus* hoc decus ad Paulum, *Francis* ad Pipinum trahentibus. Non improba forte conjectura erit, si quis magna utrinque strage pugnatum credat, detrimento tamen Francorum minore. Græci certe consertis viribus pacem optantes animum quoque Pipini pronum reperissent, nisi Obelerius totum impediisset negotium, qui hinc ab utrisque offensam sibi contraxit. Igitur sequenti anno majoribus animis bellnm repetitur, cujus historia adeo varie à scriptoribus commemoratur, ut neque in causa, neque in eventu consentiant. *Sabellicus & alii* omnem culpam Venetorum fuisse contendunt. Nicephorus enim ex quo Græci imperii habenas suscepisset, legatis ad CAROLUM missis in has ferme conditiones pacem cum eo fecerat: ut ambo Imperatores Augusti, Orientis alter, alter Occidentis dicerentur; circa Italiam istud observaretur, ut hinc à Neapoli, illinc à Siponto, quicquid ulterioris Italiæ in mare procurrit, cum suis è regione insulis, à Græco; reliquum à Franco Imperatore jura peteret. Medius veluti limes & cardo inter duo imperia, Venetiæ utriusque majestatem conservarent.

Neutri

Neutri se addicerent, suis uterentur legibus, Cæsarum essent amici, & sive pax sive bellum ingrueret, neutrius censerentur. Hunc æquissimarum legum tenorem negligentes Veneti, proniores Nicephori partibus fuisse visi sunt, ac tantum non pro hostibus Francos habere. Propterea quum Pipinus Dalmatiam sibi vindicaret, Veneti aperte resistere ausi, à Nicephoro Imperatore naves aliquot in suppetias contra Pipinum impetrârunt, qua insolentia ille exacerbatus vindicare se ab injuriis voluisse traditur. *Adelmus Benedictinus & Franci* causas edisserentes, Pipinum perfidia Venetorum ducum impulsum terra marique Venetias invasisse scribunt, eaque bello subacta, ad vastanda Dalmatiæ litora processisse, verum Paulo Cephaleniæ præfecto classem contra ducente domum re infecta reversum esse. Sin Venetos audimus, Pipinus jussu patris hoc bellum adornavit, ut Obelerium & Valentinum duces reduceret, quos Beatus frater Constantinopoli rediens tanquam Francis amicos urbe ducatuque depulerat. Cæterum ut apparatus belli, sic exitus fuit memorabilis. LXXV. Pipinus præcipuas Venetorum urbes, Brundulum, Palæstinam, Albiolam occupat, & Methamaucum quæ ducum regia erat, ab optimatibus desertam diruit, & quoniam ferro in homines non poterat, in ædificia igne grassatur. Dein ubi belli summam circa Rivoaltum constitisse, & omnes Venetorum copias ad eum locum retinendum coactas inaudivisset, milites suos trajici illuc jussit. Majoribus navigiis quia exercitum advehi non posse, periti regionum edocebant, proximis amnibus lintres Pipinus eduxit, queîs ob paucitatem rates è trabibus compositas addidit, atque in modum propugnaculi viris armisque repletas adversus hostem dimisit. Sed classe in altum provecta, post aliquot dies æstus maris, qui maxime remigium adjuverat, decessit, & rates brevibus stagnis impeditæ neque propelli neque retrahi potuerunt. Sic destitutos Francos Veneti lintribus, queîs abundabant, adorti, omnes aut occidione deleverunt, aut tenuerunt captivos: plures etenim confisos tenui aqua, & pedibus vadum tentantes, quò ad

litus fuga pateret, limus impediit, ut hærentes & gravati corpora, nullam salutis nisi in victorum clementia spem haberent. Pipinus qui Metamauci felicem rei eventum opperiebatur, ubi tantam suorum cladem accepit, mœstus Ravennam repetiit, postea ab omni fortunæ insultu liber: eodem quippe anno Mediolani vitæ hujus miserias cum æterna felicitate commutavit. *Huldricus Mutius* homo Germanus, cujus fidem clarissimi nominis Vir *Theodorus Grasvvinkelius* magni æstimat, in opere de *libertate Veneta* conscripto, paulùm variat in iis, quæ circa hoc bellum acciderunt. Ait nempe, Pipinum vacuos primo habitatoribus agros & oppida Venetorum in potestatem suam redegisse, mox præparata classe urbem ipsam à lateribus undique cinctam, obsidione tentasse, atque ut facilius ea potiretur, mare quod continentem & Venetias interjacet, ponte stravisse. Sed Venetorum subditi derelictis patriis sedibus intra mœnia urbis sese receperant, neque minoribus animis toleraverant obsidionis mala, & quoniam non modo instructam habebant classem, verum etiam nauticæ artis peritissimi erant, Pipinum sat longa mora eluserant: jamque structus à Francis pons urbem fere contigerat, cum illi invento ignis marini totam molem paucis horis corruperunt, quæ media nocte conflagrans, magnam militum manum, stationes forte servantem, simul absumpsit. Inde navali prælio certatum esse, ac Pipinum una atque altera navi amissa retrocedere coactum *Mutius* memorat.

LXXVI. CAROLUS nunciata Pipini morte haud secus quam par erat, motus, omnes deinde cogitationes ad pacem transtulit. Ne tamen indecore aut cum Majestatis detrimento pacisceretur, neve Francici nominis terror, qui omnia longe lateque impleverat, subsideret, oblatam sibi occasionem avide arripuit. Quum enim Francos reparare naves, expectare alios è Germania milites, & maxima quæque moliri Venetis nunciatum esset, ipsi etiam de libertate sua & pace soliciti, Legato Pontificis, qui velut conciliator partium, animos primò eorum tentabat, exponunt: *sibi verò gratissimam pacem fore, modo libertatem inte-*

gram

gram, & qua maxime opes urbis augerentur mercaturam cum Græcis ad Propontidem Pontumque conservarent; suis præterea ducibus, non Reip. hanc moti belli culpam incumbere, quos nefaria in patriam consilia inivisse vel ea fide adstrueretur, quod voluntario exilio seipsos multassent. Sic excusationem ferentibus Venetis, omnemque invidiam in Duces suos rejicientibus Imperator æquior factus, pacis fœdera his conditionibus perscribi jussit: *ut libertate salva uterentur, commercia in Oriente libera haberent, & quod antea quoque observabatur, inter utrumque Imperatorem medii essent.* Hæc CAROLI moderatio ingens Venetis gaudium creavit, statimque & Urbs & Respubl. novam quasi faciem inducere orsa est. Cœperat enim Beatus Dux post Rivoaltensem victoriam ampliores sedes meditari, & quod Metamaucum excisum videret, complures Insulas, ut quæque Rivoalto proximæ erant, pontibus inter se jungere decreverat. sic enim singulas parvas quidem, sed universas magnificentissimæ urbis speciem præbituras, eam ceu hodie est, magnitudinem & dignitatem urbis, animo concipiens, speraverat. In medio operis molimine vita decedens, Angelo Patriciaco successori incepta perficienda reliquit. Ille Olivolam Episcopo, Rivoaltum Duci sedem & publico concilio destinans, connexas inter se insulas uno *Venetiarum* nomine appellavit. Hæc prima amplissimæ Reip. incrementa fuisse feruntur, quæ *Sigonii testimonio* terminis à Grado ad Caput aggeris angustissimis tum continebatur. Interjecta brevissimi temporis mora Nicephori quoque legatis nomine Imperatoris sui flagitantibus pax data est, cumque redeuntibus domum Oratores CAROLI ad firmandam eam profecti sunt; & quia Obelerius in Galliis hactenus exul perfidiæ à suis pariter & Franco accusaretur, spoliatum honore ducis, atque ut Nicephoro, cujus *Spatharius* erat, adduceretur, legatis commissum esse, *Authores aliquot* prodiderunt. A quibus diversam *Grasvvinckelius in libertate Veneta* sententiam fovet, cum verisimile non sit Obelerium à CAROLO MAGNO ob perfidiam male habitum, quem omnes pæne Scriptores patriæ suæ aut saltem Joanni

ni Mauritioque Venetorum pridem ducibus infestum ad CAROLUM confugisse bellique Venetis inferendi acerrimum fuisse impulsorem confitentur, quidam etiam naturalem CAROLI filiam in matrimonio habuisse tradunt. Finem verò vitæ Venetiis Obelerio contigisse *idem Grasvvinckelius* probat. Restitutus etenim quanquam ægre CAROLI authoritate ducatui, à populo cujus maxime odio laborabat, paulo post immaniter interemptus est, atque discerptus, sat claro iterum exemplo, *invisa imperia*
LXXVII. *neminem diu retinere posse.* Dum hoc modo Italia & ad Orientem res disponuntur, non interim quies eadem Septentrionis plagam tenuit. Quis speraret post Saxones aliquod in illis locis bellum? Atqui non leviter *Dania* se concussit, & fuit in *Gothofredo*, quod post Witekindum timeretur. Quippe Rex priscis suæ stirpis authoribus & jam longa successione ferox, Imperium Daniæ in eminens fastigium perduxerat, & militem bellorum exercitiis ad insignem redegerat disciplinam. Gerebatque se ita hactenus adversus Francos, ut neque eos bello lacesseret, & si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Saxonibus & aliis à Francis desciscentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat æmulum, nec non superbiebat eo tutior, quod à tergo invictus, in fronte peninsulam incolebat, ac fines suos quà Francorum incursionibus patebant, fossa, aggere, ac vallo habebat munitos. Denique otium regno suo periculosum ratus augere illud, & pacem superioribus annis factam rumpere statuit. *Quid enim Germania ad CAROLUM, aut cur ejus dominio tantopere inhiaret? Cur non Gallia sua aut Italia curam gerens, relinqueret intactam aliarum gentium libertatem? an quia plerique populorum sub regibus vivunt, pauci verò exosculantur libertatem, illis quoque sua libertas exitio erit? non quidem ideo se talia profari, quod regnorum conditionem deteriorem agnosceret, sibi quoque id fastigium à diis immortalibus tributum, quo quippe inter deos hominesque nihil pulcrius existeret: sed immoderatam CAROLI libidinem animo suo nondum capere, qui solo libertatis Saxonum nomine offensus, eos*

per

per triginta quatuor annos continua bellorum serie fatigaverit, ut multi quidem animam prius quam libertatem amiserint, cæteri verò intolerabilibus malis adflicti triste servitutis onus subire coacti sint: neque sic penitus expugnatam illorum constantiam, potius terram ac cœlum ipsum fata infelicis gentis accelerasse: abstractam enim patriis sedibus inter infestissimos hostes collocatam esse, & velut pecora pastores trajiciunt, ita hinc illinc ad libidinem Francorum translatam: præterea aëre illo qui ad suam naturam ingenia & corpora format, miseros privatos, subjectosque molliori cœlo, qui & animi fortitudinem extingueret, & languidiora redderet corpora. se vindicem libertatis Germanicæ tantam amplius insolentiam pati nequivisse, alias namque sibi expectandum, quod in vicinia modo bellum conflagraverit. sibi justo titulo Germaniæ imperium, sibi coronam deberi, cum & origine Germanum semet, ac dominantibus nuper Saxonibus socium perpetuo professus sit, cogitandum denique CAROLO, ipsum Italiæ ac Romanorum, non Germaniæ Imperatorem fuisse creatum. distribuat igitur Italis suis jura, ac legibus liberæ nationi incognitis turbare Germaniam desinat. Hæc & similia tumide jactans, primo impetu Abodritos aggressus est, atque excitis in societatem militiæ Sclavis sive (ut Franci vocant) Vilzis, maximo terrore omnia complevit. Aliquot Sclavorum castella expugnaverat, & fugato Thrasicone, captoque per insidias Godelaibo præcipuis Abodritorum ducibus, tributariam sibi majorem provinciæ partem fecerat, ac quoniam frequentibus præliis promtissimos militum amisisset, in oppugnatione cujusdam oppidi desiderasset etiam Reginholtum fratris sui filium, regredi paulisper, nondum tamen exsatiata libidine visus erat. Tam hostili insultu postquam premi socios Imperator cognovisset, CAROLUM filium ad Albim, cum valida Francorum Saxonumque manu procedere jussit. Urebat maxime generosum animum, Gothofredi superbia, qui *brevi se Aquisgrani futurum, & ejecto CAROLO cujus vanum in Germanos imperium esset, occupaturum sedem illam simulque fastigium Germanici regni* minabatur. At filius Augusti facto per Albim ponte, Livones primum & Smeldingos invasit, qui ultra Saxo- LXXIIX.

niam longæ lateque habitantes ad Gothofredum defectionem paraverant, vastatisque illorum agris in Saxoniam est regressus. Igitur Gothofredus tam propinquo hoste retrocedens, *Rericum* ad Oceani litora celebrem mercatu nundinarumque frequentia & vectigalium magnitudine urbem funditus destruit, ac translatis inde negotiatoribus cum universa classe portum, quem Liesthor incolæ vocabant, appellit. Ibi per aliquot dies moratus, regnum qua Saxoniam respiciebat, velut prædiximus, munimentis ita vallaverat, ut Oceani latera utrinque pertingerent, retraxeratque emporium multarum gentium conventu nobile. Una omnino porta aditum præstabat, per quam equites & carri rebus advehendis necessarij emitti pariter ac recipi possent. Ne tamen omnis moti belli culpa sive invidia in ipsum redundaret, posteriori anno per negotiatores CAROLO exponi curat, *se immerito apud Eum in odio esse, cum Abodritis bellum fecerit, non proferendorum finium, sed vindicandæ injuriæ gratia; illos primum rupisse fœdus, sibique necessitatem defendendæ salutis fuisse impositam.* Poposcit insuper ut congregato procerum in confinio utriusque regni conventu res gestæ ad liquidum producerentur, & peccata hactenus utiliter emendarentur. Non abnuit Imperator, quod ipsa per se honestas suadebat, & confestim selectissimos suorum ad Albim præmittit, qui adventantes è Dania primores exciperent. Jactatum ibi inter conditiones à Francis fuerat, ut *Gothofredus Abodritis erepta restitueret, redderet obsides, remitteret stipendium, Vilzos pro hostibus ac perfugis reciperet: ne item socios Imperatoris lacesseret amplius, aut dedititios subtraheret Imperio: ita facilè discordiam sanari, & in amicitia Francorum eum esse posse.* Contra Dani, *se verò ad bellum compulsos* respondent, *Aboditros sive Venedos jure belli stipendiarios esse, victores libera uti in victos potestate, decere Principem tutelam suam expetentibus dare, denique fœdera Francorum sibi præsidio & ornamento non detrimento esse debere.* In hanc sententiam ultro citroque jactatis sermonibus, quum neutra pars excidere speratis sustinuisset commodis, re infecta discessum est.

Inter-

Interjecto tempore Thrasico, cujus filium Gothofredus obsidem habebat, ulturus acceptam antea cladem & succinctus auxilio Saxonum, Vilzorum agros populatur, potitusque ingenti præda domum quidem regreditur; sed submissis iterum à Saxonibus copiis erectior, præcipuam Smeldingorum urbem obsidet, qua capta adeo terrorem nominis sui auxit, ut civitates quæ defecerant, ubique victor reciperet. Mox, ut fortuna non diu servat fidem, in oppido Rerico, cui temere se crediderat, ab insidiatoribus per Gothofredum subornatis trucidatus est. Sed Imperator postquam tentata modo pax non successit, fortiori adminiculo reprimendam esse Gothofredi audaciam putavit. Collecta igitur è Galliæ atque Germaniæ oris sat magna hominum manu castrum trans Albim ædificare, & in eo præsidium Francorum disponere statuit. Delectus est huic operi moliendo Egbertus comes, qui armis ac cæteris rebus necessariis instructas copias in Danici regni confinia perduxit, cumque attigisset locum, patrio vocabulo Eitzfeld appellatum, contemplatus urbis situm & naturam, idonea ipsi visa est, quæ munitionibus probe firmata *Danorum* cervicibus imponeretur, & indomitam adhuc gentem quasi freno contineret. statimque operi manus fuit admota. Dani quod in his regionibus parum prospere pugnarent, alibi fortunam tentare, & inhærentem Daniæ Francum extorquere decreverunt. Quamobrem ducentarum navium classis, propitio mari in Frisiam subvecta, securam & nil tale metuentem subita irruptione terruit. Incolæ tribus præliis fusi profligatique imperata facere, ac tributi loco centum argenti libras pendere coacti sunt. Et ut Francis negotium ubique facesseretur, Vilzi hostium infensissimi arcem *Hochburgum* ad Albim extructam, ab Odone Imperatoris legato hactenus defensam, expugnârunt. Imperator ubi Danis quidem auctoribus factam Frisiorum cladem, Gothofredum tamen è Dania non recessisse comperisset, statuit ipse decernere: quippe quæ per duces suos acta erant, non omnia probabat, & quia victoria aliquoties adversis interpolata erat, aliquibus LXXXIX.

bus fortunam, multis curam abfuisse rebatur. Igitur Luppiam versus se conferens, copias quæ nondum convenerant, expectavit: illis autem congregatis ad Alaram quanta potuit celeritate pertendit, vires cum Gothofredo jamjam adventante conserturus. Neque ille minus pro imperii sui gloria certare cupiens, promiscuas loquebatur cædes, & magnam victoriæ spem concipiebat. Sed in medio bellorum apparatu felici nuntio imperatoris castra personuerunt. Siquidem Danus dum se ad iter accinxit, domestico facinore oppressus, satellitis manu cecidit, vir acer belloque strenuus, aliquando fortuna, semper animo magnus, inquies præterea, & regnorum fines non jure sed libidine dominandi metiri solitus. cujus mors multum Imperatori lucrifecit: tanta enim lues invaserat boum armenta, ut quos ad necessarios usus Francici exercitus habebant, ad unum omnes interirent, idque malum per omnes Imperatoris provincias tum grassatum erat, & metus occupaverat hominum animos, ne si expeditio in Daniam continuanda esset, inopia milites urgerentur, & corruptus tetra contagione aër, majori detrimento ipsum agmen multaret. Hyemis deinde asperitas, & rigens gelu tellus inter ambos exercitus inducias promovebat, donec Hemmingus successor Gothofredi prima veris temperie pacem cum Imperatore interventu decem procerum ab utraque parte selectorum fecit, & solemni juramento firmavit.
LXXX. Quo tempore devastati etiam Livones, & castellum *Hochburg* nuper à Vilzis destructum, Francorum opera restauratum est. Et quoniam superioribus annis Oceanum Belgicum per Nortmannos piratas infestum reddi Imperator acceperat, ipse hoc anno omnem eam oram præsens lustravit, præsidiaque & classem, ut quisque desiderabat locus, disposuit, turrim magnifici operis ad Bononiam maritimam urbem restituit, unde nocturnus ignis navium cursus dirigentibus præluceret. Gandavum postea transiens Aquisgranum contendebat, ubi in itinere legatos *Hemmingi* obvios habuit, pacificum Regis sui animum muneribus declarantes. Gratus hic Imperatori affe-

affectus fuit, igitur & arctiorem amicitiam initurus cum Rege videbatur, nisi hunc invida fata terris mox eripuissent. Quo mortuo, ut assiduum inter pares est discordiæ malum, *Sigefridus* Gothofredi nepos, simul *Amilo*, nepos & ipse Herioldi Daniæ olim Regis, ad regnum adspirantes, cum uter regnare deberet, non conveniret, infestis animis concurrunt, tantoque ardore pugnatum est, ut ambos æmulos ferrum absumeret; cecidisse tum decem millia nongentos quadraginta homines prodidere. Tamen *Amilonis* factio adepta victoriam *Harioldo & Ragenfrido* fratribus ejus summam regni committunt. Hi recepto fratre Hemmingo, (qui forsan præcedenti bello à Francis captus fuit,) pacem & amicitiam cum Imperatore pepigerunt, sedecim Danis primoribus illi conciliandæ submissis. Vix anno potentiam exercuerant, & repente Gothofredi filii cum multis Danorum proceribus, qui relicta patria jam dudum apud Sueones exulabant, sat magnas copias contrahunt, & confluentibus ad se velut orientem solem popularium turmis, facili negotio victos prælio *Harioldum & Ragenfridum* fratres regio throno dejiciunt, ipsique imperio potiuntur. Sic Dania ab externis bellis velut in viscera sua arma convertit, neque LXXXI. CAROLO visum fuit, auxilium alterutri ferendo civilibus turbis se immiscere, præsertim quum *Saraceni Maurique* piratæ iterum maris Inferi ac Italiæ tranquillitatem turbarent. Illi Sardiniæ Corsicæque opibus direptis, jam præda turgentes iterum Hispaniam repetierant, cum *Irmingarius*, Comes Emporitanus, dispositis ad Baleares insulas copiis, octo naves eorum intercepit, & quingentos Sardorum servitute oppressos recuperavit. Quam cladem vindicaturi piratæ, nova classe Nicæam Provinciæ ac Centumcellam Italiæ adoriuntur, spoliant, incendunt, nec satiati duarum urbium excidio, Sardiniam rursus cursu petunt, non sacris neque profanis temperaturi. at Sardi hostes aliquoties victos lætis animis aggressi, magna cæde castigant, ut illi conscensis tumultuarie navibus magno dedecore ab insula refugerint. Tum vero bella

ubique ſepulta, pax revocata eſt: nihilque voto conci-pi, nihil felicitate conſummari poterat, quod non CAROLUS Romanorum Imperator Auguſtus, pacatis late provinciis Europæo orbi repræſentavit. Sane imperii Francici gloria per continuos quadraginta quatuor annos in tantum aucta eſt, ut illud pene duplo majus reddiderit CAROLUS, quam à Patre Pipino acceperat. Antea enim ea tantum Galliæ pars, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanumque ac Balearicum mare jacet, & portio Germaniæ inter Saxoniam & Danubium poſita, Rhenoque ac Sala, (hic Thuringos à Sorabis dividit) fluminibus clauſa, præterea Alemanni, Bojariique Francorum regno accenſebantur. Queîs CAROLUS multas & magnas provincias adjecit. In Galliis ſcil. Aquitaniam & Vaſconiam. Hinc Pyrenæi montis jugum & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros usque ad Iberum, qui in extremis Navarrorum profluens, receptis minoribus fluviis turgidior, ſecundo curſu ſub urbis Dertoſæ mœnia in Balearicum mare devehitur. Poſtea Italiam totam, ab Auguſta Prætoria in Calabriam Inferiorem, ubi Græcorum confinia fuere. Tum Saxoniam duplo latiorem, quam erat reliqua Germania Francis olim ſubjecta. Pannoniam ſimiliter utramque & oppoſitam in altera Danubii ripa Hungariam, Iſtriam quoque Liburniam ac Dalmatiam, exceptis maritimis, quæ ex fœdere Conſtantinopolitano Imperatori cedebant. Denique nationes barbaras inter Rhenum ac Viſtulam, Danubiumque & Oceanum poſitas, ut lingua fere ſimiles, ita moribus & habitu diſſonas, quas inter præcipui Velatabi, vel Sclavi, Sorabi, Abotriti atque Bohemi, queîs tributum à Francis imperatum eſt.

LXXXII. Quamobrem in ipſo victoriarum flore, nondum quidem conſummata, ſed matura jam & per terrarum orbem ſe exerente ejus gloria, CÆSARIS ac IMPERATORIS ROMANI nomen & honorem CAROLUS ille meruit. Torpebat oppreſſus Imperatorum ſive ignavia, ſive immoderata dominatione Oriens, jacebatque velut exhauſtus aliarum gentium rapinis: jam Bul-

Bulgari Thracesque partem imperii vellicabant; jam Saraceni & infames regnorum eversionibus Turcæ, subinde pulcerrimi corporis membrum decerpebant. Imperii ipsius habenæ ut plurimum à talibus tractabantur, qui vel neglecto, vel secius culto divino Numine impii, turbis ac dissensionibus domesticis invisi, in ambiendo vel administrando principatu crudeles, aliquando nomine Imperatores, ætate pueri, moribus inculti, artium regnandi rudes, vel socordia tanto fastigio indigni fuerunt, aut qui capaces ejus putarentur, nisi imperassent. Denique ad id ludibrium res devolvebatur, ut consumta mascula prole mulier neque sexu neque prudentia ad Remp. gerendam facta, imperium teneret. Hæc *Irene* nomine, primum quasi cum Constantino parvulo adhuc filio imperaret, omne negotium sola expediebat: dein expletis decem potentiæ annis, ubi Constantinus se eludi, ac matrem pro arbitrio in imperio versari cerneret, opera legionum constanter ipsi adhærentium, quanquam reluctante pro viribus femina, imperium adsequitur: sed & ipse licentia regni mutatus, suspicionibus plus justo indulget, & proceres quosdam velut affectatæ tyrannidis reos oculis multans, maximum odium sibi conflat. inde victus à Bulgaris prælio, etiam in contemtum labitur. Quod perspiciens Irene calliditatis & impotentiæ muliebris grande specimen edidit, & quasi non filio sed sibi deberetur imperium, corruptis auro proceribus, Constantinum insidiis excepit, captumque & privatum luminibus principatu dejecit, eoque fatis concedente secura aliquandiu potestatem exercuit. Itaque Romani à qua- LXXXIII.
dringentis & pluribus annis capite suo destituti, nec jam Romanum, (cui tamen urbi nomen & potentiam omnes debebant,) sed Græcum habentes Imperatorem, cum primus *Constantinus* à rerum successu *Magnus* sedem & splendorem Imperii mutasset, & succedentes ordine Imperatores vel partito inter se honore alius Occidenti, Orienti alius præsideret, vel antiquo Majestatis nomine insuper habito, ubivis *Constantinopolitani Cesares* & *Graci*

vocarentur; rei indignitate commoti, quasi vero Romānæ Majestatis auspicia peregrinis vobabulis essent obscuranda, aut ille Imperator, quem ipsi olim ad urbis Romæ dignitatem, & hoc nomine ad Imperii Romani tutelam, primum regnare passi sunt, & hactenus creaverunt, in alienis ac longe dissitis oris, ubi vix auxilium ejus impetrari posset, habitare deberet; aut denique, quod à primis tantæ potestatis initiis nunquam accidisset, vanissimi ingenii feminæ imperium esset committendum; anno qui à Christi Redemptoris triumpho, felici Reip. omine post octingentesimum primus numerabatur, Carolum Francorum & Longobardorum Regem, in cujus verba jam ante juraverant, ob causam Pontificis cognoscendam Romam ingressum, & tunc forte Numinis sanctissimi aris adstantem, unanimi suffragio applausuque solemni *Romanorum Imperatorem ac Cæsarem* renunciant, simulque Pontificis manu corona & insignibus Imperii decorant. Hinc mos inolevit, ut Imperatores Occidentis ab Romanis Pontificibus acciperent Coronas; & Leo quidem III. coronatum ita Imperatorem Carolum, (verba sunt *Adelmi Benedictini*, illius temporis coævi) *antiquorum more principum adoravit*, memor quantum illi deberet Patrono ac Domino: sed successores ejus vice versa Cæsares ad pedum suorum oscula detraxerunt. Tum verò videres, in quantam lætitiam longe lateq; Christianus orbis effunderetur. Populus Rom. recenti Domino suo his vocibus adplaudebat: CAROLO AUGUSTO, à DEO CORONATO, MAGNO & PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM VITA & VICTORIA. Statuæ ejus ante aram D. Petri collocatæ, ad easq; præeuntes capite nudo genua submittebant. Hic enim Imperatorum imaginibus honor olim deferebatur. Ipse Augustus una cum Pipino filio, abacum argenteam & diversa ex auro purissimo vasa ad usum abaci templo Vaticano obtulit: Lateranensi vero crucem eximiam, ex hyacinthorum gemmis conflatam, quam Leo in supplicationibus præferri, CAROLO obsequutus instituit. Cum deinde

deinde templa circumiret, effusæ in publicum virgines matronæque ac pueri contineri non poterant, quo minus propius adire, salutare, contingere conarentur, certatim ruebat, crescebatque semper turba. Numus procul sparsus in vulgus, & tandem multitudo divisa in areas, ædesque sacras, ubi in conspectum se oculis omnium daturus erat, ac sui adpellandi dextræque contingendæ facturus copiam. Tunc ab omnibus repetita ejus in Ecclesiam & Christianum orbem beneficia, laudata pietas, commendata liberalitas, prædicata fortitudo, potentia, justitia, clementia, & in uno homine virtutum summa celebrata est. Cæterum misere falluntur, qui maximum hoc fastigium potestate Pontificis in CAROLUM translatum arbitrantur. Id primum scimus atque agnoscimus omnes, in solius DEI non Pontificis manibus situm esse, transferre regna. Jam vero certum est, neminem tribuere alii posse, cujus potestatem ipse non habuit. Nisi igitur demonstrent Pontificiæ sedis admiratores an adulatores dicam, jus Rom. Imperii penes Pontificem fuisse, vel certe habuisse illum à DEO aut legitimo magistratu mandatum, nunquam nobis fidem facient, à Pontifice Romano datum esse CAROLO imperium. Et Leonem III. tantam tunc habuisse potestatem quomodo probent? Hoc satis in confesso est, & consentientibus verbis Scriptores loquuntur, ipsum Leonem inimicorum acerbitate pressum, vulneribus & ærumnis deformatum, inopem extorremque confugisse ad CAROLUM, ut aliena ope, dignitati suæ, restitueretur: propterea qui beneficio CAROLI omnes fortunas suas annumeravit, cur major fuit eo, per quem tantam eminentiam recepit? aut cur potestatem largiri potest illis, queîs ipse suam debet. Frustra insuper desudant, quando sacri officii authoritate Pontifici licere regnis atque imperiis spoliare Reges atque Imperatores, eaque ad alios ab aliis transferre contendunt. nam si vel maxime in Christianæ Ecclesiæ membra curam aut potestatem talem habuisset, (qualem LXXXIV.

 nun-

nunquam habuisse neque nobis nunc exequendum est, & segregata DEI immortalis clementia à Pontificiis sordibus Ecclesia purior pridem agnovit,) quis dependere ab illa civile in omnia regimen certis innixus argumentis docebit? Sane Christus unicus ille & verus & summus, & post quem in terris nullus fuit Pontifex hanc doctrinam suo exemplo non approbavit; ille magistratui suo, ille Imperatori obediens, etiam more subditorum vectigal persolvere non dubitavit. Ante Phocam autem exitio Imperii, & Bonifacium III. malo Ecclesiæ natos Tyrannos, quis nescit Antistites sacros Imperatoribus adhuc paruisse, licet vergente in deteriora mundi senectute ista jám elanguerit obedientia. Si exemplis opus esset, facillime ostenderemus, tam arrogantes homines gravissimè suam contumaciam, immissis à DEO pœnis luisse. Monstrum illud & excrementum naturæ Hildebrandus, Henricum IV. Imperio dejecturus, cum audacissima impietate, Rodolphum Sueviæ Ducem ad summam potestatem evehere conaretur, in se pariter ac illum justissimi Numinis vindictam excivit. Ac Rodolphus quidem prælio occisus est, ea manu qua fidem Imperatori juraverat, amissa; Hildebrandus Roma ejectus in exilio diem obiit. Et quid verbis opus est? legant isti papalium aurium adsentatores doctores suos, suæ religionis viros, *Duvalliosque & Barclaios* evolvant, ac deinde quid Pontifici juris in civilibus supersit, severa æstima-

LXXXV. tione pensent. Equidem si Pontificum mentem & arcana in hoc negotio spectemus, deprehendemus scilicet, eos excusso Græcorum Imperatorum jugo libentius Francos Augusteo apice exornatos adspexisse, ut mox quasi beneficium ipsi dedissent, horum quoque effugerent imperium, ac soluto omnis obedientiæ vinculo liberrimo jure uterentur. Neque corona manu Leonis Carolo imposita facit, ut Imperator potestatem suam Pontifici debeat: quippe coronatio non tribuit imperium, sed tributi & adsignati signum est. Adhæc Pontifex non sua authoritate, sed populi Romani jussu atque decreto corona CAROLUM redimi-

redimivit. Ministerio igitur Papæ, consensu Romanorum Imperator declaratus est. Et quod primo loco dicendum fuerat, Romani exemplo à prioribus repetito Imperatorem sibi fecerunt. Videlicet ex quo unius principatus in urbe crevit, ac Cæsares diuturnitate temporis seu fato potius firmarunt potentiam, semper à Senatu populoque Rom. lecti sunt. Quamvis etiam milites, (qui plerunque contemplati frequentiam suam à disciplina desciscunt, & quod cogere se putant posse, rogare non sustinent,) aliquando illud jus ereptum irent Senatui, & è suo corpore, aut certe arbitrio suo Imperatorem designarent; nunquam tamen Pontificis Maximi aliquæ in electione partes fuere. Qua fronte igitur Papa sibi arrogavit eam potestatem, quam Senatus modo usurpavit? Huc accedit, quod CAROLUS Italiam jure belli possidens, justissime titulo Rom. Imperatoris frui posset, ac deberet. Cur enim Constantinopolitani Cæsares nomen Romanorum sibi vindicarent, qui jam pridem Italiæ dominio exciderant. Majestatem autem Imperii noluit obfuscari Deus Ter Opt. Max. quamobrem partæ jam à CAROLO potentiæ hoc velut pondus addidit. Denique consensu Imperatorum Orientis, atque legationibus ultrò citroque missis, satis declaratum est, non vana Pontificis voluntate, sed suffragio Irenes & Nicephori Imperium Romanum sive Occidentis CAROLO firmatum esse, id quod & antea monuimus, & postea exequemur. Licebit hac occasione veritatem prædictionis Danieliticæ admirari, qui stupendi illius Nabuchodonosori oblati somnii arcana evoluturus, prænunciaverat fore, ut pedes illius imaginis, cujus magnitudine ac diversa membrorum natura quatuor summa regna adumbrabanrur, ferro & luto commiscerentur. Illos videlicet pedes, qui Romanorum Imperium denotabant, segnitia Græcorum Principum ac feritate gentium externarum valde hactenus infirmatos & vere luteos fuisse satis constat: postquam autem CAROLUS Imperator Augustus salutatus est, subito Christianæ provinciæ

vinciæ barbarorum insultibus pressæ respiraverunt, & pedes queîs imperium nitebatur, suum recepere vigorem, ut ex luteis ferrei denuo facti sint, & hac vicissitudine divini spiritus Calor in Daniele certius adparuerit. Ab eo igitur tempore Francos Imperio & Roma prorsus potitos *Zonaras* etiam agnoscit. Quo nomine fortunæ mutationes, ac dubios rerum humanarum casus mirari quis satis queat? quis non diversa præsentibus contrariaque expectatis aut speret, aut timeat? Justiniani illius legum & imperii vindicis, temporibus Franci Italiam invaserant, & hostili impetu per istas regiones erant grassati. Postea ubi Leo Isaurus suscepit imperii fasces, Gregorius II. Papa ab Imperatore tanquam impio defecit, pacemque cum Francis pepigit. Tunc Irene & Constantino imperantibus Leo Pontifex Romam quoque Francos admisit, sic ut cum Italia urbem ipsam sibi vindicaret.

LXXXVI. Quis tum fuerit orbis status, qui gentium concursus, quæ vota videndi aut literis compellandi CAROLUM, in illo Romani Imperii novo flore ac magnitudine, legationibus undique imminentibus mox declaratum est. Prima certe Irene, quamvis, ceu videbatur, non tam de amicitia CAROLI quam de Imperio suo solicita, legatos fœderis pangendi gratia ad eum misit. Quibus benigne auditis Jesseum Ambianensem Antistitem & Helmogaudum Comitem Francum adjunxit, ut una Constantinopolim profecti amicitiam confirmarent. Sed commorantibus illic Oratoribus Francicis novo motu urbs & imperium Orientis concrepuit. Nam impotenter hactenus usam principali fastigio Irenen, Nicephorus optimatum quorundam fraude imperio deturbavit, demotamque è gubernaculis in Lesbum insulam relegavit, ubi adpositis custodibus tam arcte habuit miseram, ut mærore contabesceret, actis potentiæ annis XXIII. Causam tantæ mutationis præcipuam fuisse aliqui contendunt, quod Nicephorus inter CAROLUM & Irenen de nuptiis agi, atque uniendis per hocce connubium imperiis consilia misceri comperisset, credens finem suæ potestati futurum,

si

ſi Romanus Imperator ultra Italiam & mare Græcum conjugem affectaret. Quamobrem crebris quoque ſermonibus Græcum verſiculum uſurpabat, *φράγκον φίλον ἔχης, γείτονα οὐκ ἔχης*, quo CAROLUM quidem pro amico, neutiquam pro vicino ſibi placere declarabat. Ne tamen omnem amicitiam reſpuere videretur, poſteriore anno legatos in Germaniam miſit, qui cum CAROLO tunc forte ad Salam amnem caſtra habente fœdus erigerent, idque in has conditiones percuſſum eſt; *ut alter Occidentis alter Orientis Auguſti fratresque eſſent, & adpellarentur*: prout ſupra, cum de bello Veneto ageremus, expoſuimus. Octo dein interpoſitis annis, ſedato nempe belli Veneti turbine pax renovata eſt, Arſaphio Spathario ex parte Nicephori, Hattone Baſileenſi Epiſcopo & Hugone Franco Comite ex parte CAROLI eam conciliantibus. Non multo poſt Nicephorus, damnum à Crunno Bulgarorum rege illatum vindicaturus in tabernaculo ſuo perimitur. Crunnus direptis ſtipendiis à Nicephoro ſubmiſſis exercitui, occupataque Sardica, multa millia hominum occiderat, ſed quum Cæſaris iram vereretur graviorem, nulla ratione aut legibus eum ad pacem flectere valuit. Tunc à precibus ad vim converſus, Imperatorem vaſtationibus agrorum & victoriis aliquot ſecurum, nocturna invaſione proſternit, copias ejus occidione cædit, deprædatur caſtra, & trucidati Imperatoris caput ligno figi, & exponi oſtentui curat. Igitur *Michael Curopalates* Nicephoro, cujus ſororem in matrimonio habebat, ſuffectus Oratores CAROLI honorificentiſſimè ſuſcepit atque dimiſit. Simul cum illis Michaelem Epiſcopum, Arſaphium nec non Theognuſtum Prothoſpatharios, (quos vocant,) ad Auguſtum Francorum contendere juſſit, pacemque à Nicephoro cœptam ſtabilire. Grata Carolo legatio fuit, præcipue cum ſe Michaelis literis *Imperatorem* & Græco vocabulo *βασιλέα* ſalutari cerneret. Neque verò Michael diu Orientem rexit, quin itidem cum Crunno infeliciter confligens, ac fugatus vitam ſolitariam principalibus curis

præposuit, & locum in imperio Leoni, viro prudenti, rebusque gerendis strenuo fecit: qui uno ante CAROLI mortem anno fœdus etiam redintegravit. Et hanc quidem cum Græcis Imperatoribus amicitiam facile ad-
LXXXVII misit CAROLUS, & constantissime retinuit. Cæterum longe remotiores oras gestorum suorum fama impleverat, & ex intimo Orientis recessu *Aaron* Persarum Rex in venerationem adductus est. Quod hac ferme occasione contigit. Ultimo octavi seculi Christiani anno Augustus totius terrarum orbis pacem animo complexus, Zachariam Sacerdotem Hierosolyma ablegavit, ut è Patriarcha, (quem vocant) illius loci Reip. Christianæ statum, & Christianorum illic degentium fortunam cognosceret. Cum eo Lanfredum & Sigismundum nobiles Francos, nec non Isaacum gente religioneque Hebræum, Persicæ linguæ peritum ire jussit, ut speculati prius Africam *Aaronem* Persiæ Regem suo nomine salutarent. Et Zacharias quidem Sacerdos cum monachis aliquot octingentesimo anno redux, tolerabilem Christianorum conditionem visus est declarare, allatis muneribus quibusdam piis magis quam magnificis, clavibus videl. sacrosancti sepulcri ac Calvarii montis vexillo: simul nuntiabat affore mox legatos Persarum Regis, & munera etiam ex Africa. Neque fefellit opinio. Circa ipsum illud tempus, quo Imperator Augustus summi fastigii honore cumulatus est, duo delegati ab Aarone venerunt, alter Persarum nobilissimus, Saracenus alter, limiti Ægypti præfectus; hique studio & officiis Regis sui erga Imperatorem expositis, varia dona, opes ac delitias Persicæ gentis attulerunt, simias, cercopithœcos, nardum, opobalsamum, & odoramenta alia externa: inprimis elephantem qui adhuc in via esset, ac per Isaacum Hebræum adveheretur, nomine Aaronis CAROLO commendarunt: cujus videndi cupidine tactus, ad Liguriam naves fabricari præcepit, queîs Judæus cum stupendo animali reciperetur. Ergo sequenti anno ad Pisanum portum expositus Elephas vix oculos satiare Fran-

Francorum poterat: adeo res incognita & magnitudo feræ, & ſolertia inter brutorum naturam maximè emicans, eos affecerat. E legatis ſolus Iſaacus reverterat, Sigiſmundo Lanfredoque ſive longinqui torridique cœli inſolentia, ſive nunquam fido inter noſtros Hebræoſque collegio, defunctis. Illius Elephanti, cui *Abulabaz* nomen fecerant, ſpectaculo per annos octo fruebatur Carolus, donec eum in Saxonia, forte rigidioris cæli inclementia amiſit. Eodem tempore, velut æmulatione excitatus *Abrahamus* Barbariæ Africanæ Rex oratores ac munera, leonem Marmaricum, urſum Numidicum, Tyrium muricem, peculiares Ægypti Africæque opes, ad Imperatorem deſtinavit. ea legatio, quod ſpeculandi potius quam amicitiæ cauſa veniſſe videretur, quanquam non ſine muneribus & benigno reſponſo, ſtatim dimiſſa eſt. Sexennium deinde à Perſarum ſalutatione abierat, cum Aaron cœptam amicitiam per Abdellam firmavit, & CAROLO pretioſiſſima dona Aquiſgranum adduci juſſit. Erat autem candelabrum ex orichalco, haud modicæ magnitudinis, tentorium byſſinum, pallia ſerica, cum aromatibus ac balſamo: in omnibus eminebat horologium ex orichalco artificioſè ſtructum. Duodecim globuli inerant, quorum ſingulis ad præterlabentis horæ terminum in ſubjectam campanulam excidentibus, temporis ratio ſignabatur. Equites quoque pari numero exornabant opus, qui ad quamque horam ſinguli ex feneſtra prodibant, & in horarium regreſſi finem horæ nunciabant. Omni honore Oratores culti, ac diſcedentibus Aquiſgrano adjuncti ſunt è præcipuis Francorum viri, qui Imperatoris nomine Aaroni munera perferrent. Equi Aſturcani & Hiſpanici multi lento gradu incedentes, item Friſia veſtimenta, albedine ſua nitentia, caneſque venatici, quorum odora vis adeo feris infeſta eſt, ut dentes prius moribundi in corporibus ferarum, quam ipſas relinquant, in donum Perſico Regi legebantur. Quæ ubi ille accepit, delectatus generoſitate equorum, tamque jucundo canum

ſpectaculo, maxime felicem CAROLUM cum Germanis prædicavit, qui hujusmodi venationibus ac exercitiis vires durarent, inque eam corporum atque animi magnitudinem excreſcerent, ut merito terrarum imperium poſſiderent. Igitur quo animum Chriſtianis cupientiſſimum declararet, Palæſtinam ſingularibus olim DEI operibus honoratam regionem, neque tunc ſive antiquæ celebritatis veneratione, ſive Chriſtianæ gentis ſedibus minus illuſtrem, cui tum jura dabat, CAROLI imperio ſubjecit; ſed quia remotior erat, quam ut CAROLUS præſidibus eam ſuis tuto regendam committeret, ipſe quidem præfectum provinciæ dedit, verum omnes reditus, emolumenta, fructus, per Quæſtorem ad Imperatoris uſum tranſmitti voluit. Hinc ſæpius legati ac Monachi ultro citroque commeabant, & incolæ, velut in ipſo Eccleſiæ gremio ſederent, molliter habiti ſunt. Ea res fabulis poſtmodum elata eſt. Quidam enim Scriptores Imperatorem trajeciſſe æquor, & armata manu Palæſtinam recuperaſſe tradunt: certiores nihil tale habent, ſed quicquid Imperatori juris obtigit, Aaronis munificentiæ tribuunt. Id *Eginhardi* teſtimonio conſtat, Aaronem omnes ſui temporis Reges amicitiæ CAROLI poſthabuiſſe, quemadmodum & Adelfonſus Galæciæ Rex, (cui auxilia contra barbaros ſubmiſſa ſuperius expoſuimus) tanto honore eum coluit, ut non aliter quam *proprius* ejus adpellari vellet. Scotorum vero Reges in literis tanquam *dominum* compellabant, ſeque *ſervos* ejus ac *ſubditos* profitebantur. In geſtis Anglorum quæ *incerto Authore* circumferuntur, reperio literas, quis fœdus inter Carolum noſtrum & Offam Angliæ Merciorum Regem confirmatur, ſimulque Anglis religionis gratia proficiſcentibus liber ac immunis à vectigalibus commeatus per omnes Francorum provincias conceditur, cæteris autem negotiatoribus, ut tuto ac nemine prohibente rebus ſuis incumbere, mercaturamque exercere poſ-
LXXXVIII. ſint. Tali modo apud exteros majeſtate propagata, nihil eorum domi, quæcunque ad exornandam imperii maje-

majestatem faciebant, neglexit. Præcipue in publica opera magnos sumtus fecit. Aquisgrani templum magnificentissimum in honorem B. Virginis Mariæ ædificavit, ad cujus structuram, cum aliunde habere non posset, columnas & marmora Roma atque Ravenna advehi præcepit; sic instauratam cancellis ac januis è solido ære fabrefactis illustravit, auroque argento & luminaribus ornatissimam reddidit. Hanc Leo Pontifex, dum erat in Germania, consuetis ceremoniis inauguravit. Budæ etiam, quod ante indicavimus, ad memoriam devictæ gentis Hunnorum ædem sacram erexit. Prope Moguntiam ubi Rhenus quingentos passus latus est, flumen ligneo ponte stravit, cui extruendo decem anni cesserunt: neque tamen aliquod tanti laboris emolumentum consecutus est, quum uno, qui obitum ejus præcedebat, anno subito igne totus conflagraverit: quanquam pro ligneo ponte lapideum substituere cogitabat, nisi mors consilia interrupisset. Molitus est etiam duo regalis magnificentiæ palatia, unum Ingelhemi, unde originem suam traxit, alterum Noviomagi, qua Vahalis præterlabitur: sed ea penitus perfecta non sunt. Præcipue tamen ædes sacras, ubicunque vetustate collapsas comperit, per Episcopos & Abbates, ad quorum curam pertinebant, restaurari jussit, usus legatorum opera, qui rem strenue urgerent. Bello Pannonico maximæ molis opus aggressus est. Persuasus enim à quibusdam est, *hominum labore effici posse, ut à Danubio in Rhenum navigaretur*, si inter Rhedonessum & Alemannum fluvios Nariscorum fossa duceretur; terram uligine palustri madentem facile daturam aquas, quæ utrique flumini committerentur. Nam Rhedonessus Bambergæ Mœno, & hic Rheno Moguntiaci miscetur: Alemannus autem in Danubium devolvitur. Igitur CAROLI jussu maximus Francorum, Bojorum, Suevorumque numerus cogitur, qui fossam trecentos pedes latam, duo millia passuum longam pararent. Totum autumni tempus tam præclaro conatu absumptum est, sed fortuna non favit labori, cœlumque

ipsum prodigiis iram naturæ ostendit. Immensi frumentorum acervi, memorante *Aventino*, & omnis generis granorum reperti in campis, quæ si pecus gustasset, protinus concidebat, si homines usui suo præparare vellent, farina sub manibus evanescebat. Noctibus auditæ sunt voces mugientium & lascivientium, confusi circa superiorem fossam strepitus. Accedebant imbres, in loco per se palustri; ideo quicquid terræ interdiu egerebatur, noctu humo relabente subsidebat. Sic vana fuit omnis industria, prorsus quasi DEUS testatum cuperet, fines quos ipse terris ac fluminibus posuisset, nullis mortalium viribus transferri aut mutari posse. Italiam majestatis Imperatoriæ sedem maxime excoluit, ejusque amplitudinem Pipino filio dum viveret, commendavit. Cujus rei illustre exemplum Florentiæ dedit. Hanc celeberrimam olim Etruriæ urbem, iniquitate temporum desertam ac civibus orbatam, cum postremò Italiam invisit, restituit, & variis modis ad majora incrementa

LXXXIX produxit. Tam splendidum imperii corpus, ne velut soluta compage diffluerct, firmissimo legum vinculo continere statuit. Ante omnia quæ religionem & res sacras concernebant, egregie disposuit. Sacra volumina h. e. universum Veteris ac Novi Testamenti codicem, librariorum inscitia, segnitie lectorum, imperitia interpretum, incuria seculorum depravatos ad amussim & veritatis fontem correxit. Extare decretum ejus publicum *Goldastus* ex *Aventino* meminit: neque permisit in divinis lectionibus, durante sacro ministerio, inconditos solœcismos & barbarismos obstrepere. id opus Albino mandatum est, atque editionis hujus exemplar *Baronius* ad manus se habuisse testatur. Ad sectanda divini Spiritus oracula, Christique Servatoris unici placita, universos sine discrimine coëgit. Memoriam Sanctorum, qui pro incorrupto DEI honore exquisitos cruciatus sustinuerunt, & à crudelissimis Christianæ fidei persecutoribus extincti sunt, summa industria colligi, & ex antiquis Eccle-

Ecclesiæ Patribus recenseri jussit, quò in publicis cultus divini festivitatibus prælegerentur. Legendi canendique ut peritissimus erat, sic carmina & cantiones sacras, queîs DEUM placari nobis credimus, opera *Pauli Warnefridi* edidit: quod institutum hodieque in templis viget. Bello Beneventano, quum Romæ inter Gallos & Romanos disceptatio oborta esset, utri accuratiore sono cantilenas sacras modularentur, ipse Romanis palmam tribuit, ac peritissimos artis secum in Galliam avexit. Festos solennesque dies, sive Christi nativitas, sive resurgentis triumphus, sive cœlestis ad Patrem reditus, sive Sanctissimi Spiritus in Legatis suis divino igne repletis efficacia celebraretur, summa reverentia coluit: neque minus Joannis Christi præcursoris, Divorumque Petri ac Pauli, & quos olim Christiano cœtui colligendo DEUS viros sanctos destinavit, memoriam veneratus est. Exoptanti aliquando duodecim *Augustinos* atque *Hieronymos*, præceptor *Alcoinus* respondit: Tu vero, Rex, una vice tot habere desideras, quorum tamen Divina Majestas centum annis vix duobus usa est. Sacerdotibus serio injunxit, ut diligenter literis operam darent, pure ac emendate scriberent, & publice in templo munere erudiendi plebem fungerentur; itemque avaritiam, gulam, cauponas, negotia profana, mulierum commercia vitarent, aut neglectis hisce, sacerdotio cederent, tribuve moverentur. Controversias ab Episcopis semel dijudicatas non permisit retractari. De cætero novas leges parcissime tulit. CLXVIII. capita sive regulas ad formandam in justum ordinem disciplinam sacram, è conciliis Patrum jussit adornari, admonuitque Episcopos, ut ne latum unguem à decretis istis recederent, sed quantum in viribus esset, studiosè illa conservarent. Mandavit etiam per literas Pipino filio Italiæ Regi, sacerdotes ab oneribus variis, queîs sub Longobardorum regno premebantur, immunes præstaret; earum exemplum *Sigonius lib. quarto historiarum* recitat. Plures ducatus, præfecturas, sacerdotia nulli commisit, etiam

etiam alios sibi beneficiis devinciendos esse dictitans. In Episcoporum Senatum haud temere quempiam adscivit, nisi prius probitatem ac eruditionem ejus explorasset. Incognitos aut quos antea non probatos haberet, ad tantum munus non extulit, luxuriæ, avaritiæ, ambitioni deditos removit, neque voti sui compotes fecit. Hildegardi Reginæ pro sacrificulo suo intercedenti, idoneo, respondit, etsi pauperi destinavi: Imperatorem mentiri, aut fallere neutiquam decet: nec immortali DEO obtrudendus est talis Episcopus, cujus vitam, mores, & tantone oneri par sit, ignoramus. Episcopum Moguntinum, quod crucem auream, distinctam gemmis gestaret, severissima oratione coërcuit: eidem avaritiam & superbiam pro concione exprobravit, indignabundus & clamitans, En, ait, pastores nostros crucem Christi professos, qui spreta cura, & pascendarum ovium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem opulentissimum lacessant. Quendam pridie feriarum D. Martini designatum Episcopum, quod is auctus tanta dignitate amicis cœnam exhibuisset, ac, uti fit, mero se nimium onerans, somno deinde oppressus, noctu divinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio movit: negligentem & intolerabilem fore ratus, qui vel primo die Numinis iram effugere non posset. Alium itidem accepta dignitate gestientem, & ab humo in equum sine suppedaneo, uno impetu insilientem revocavit, vales, inquiens, ut video, viribus, & eques es haud contemnendus: tuam operam in bellis, ubi virtus enitescat, præstabis, proinde ignobili & corpore minus valido gregem Christi pascendum relinque. Patrum conventus de corrigendo Ecclesiæ statu quinque locis instituit, Rhemis, Moguntiaci, Cabiloni, Arelate, Turoni. His cætera oppida contributa, & unum quodque juris potiundi gratia finitimum sibi conventum petere jussum est. Ita solutos sacerdotum mores ad frugem antiquitatisque æmulationem reduci posse speraverat.
XC. Sancivit porro, ut in primaria cujusque regionis urbe, quam *Metropolim* Græ-

Græca voce dicunt, pontifex, & prætor ter quotannis, Aprili nimirum, Octobri, ac Januario jus dicerent, responsa redderent, & primum pauperes, viduas, pupillos, dato his prudentissimo patrono, diligentissime audirent, reconciliarent inimicos. Lites in diem ne differrent vetuit, neve calumniis locum facerent. Opulentos quidem ac locupletes, Antistites, Præfectos, si forte animos concordia jungere nollent, ad se delegarent. Huic judicum labori certos sumtus definivit, quotidie Pontifici quadraginta panes, gallinas tres, porcellum unum, ova quindecim, in potum modios tres, equis totidem avenarum modios: Prætori panes triginta, modios duos, cætera tantundem statuit. Vetustissimæ Francorum *legi Salicæ* capita quædam addidit, alia correxit. *Lex* autem *Salica*, *prædia salica, Clientes salici*, dicebantur, quæ ad aulam spectabant. hinc *Salicus codex*, qui nobis hodieque *Salbuch* est, emanavit, ubi regiæ impensæ, vectigalia, & prædiorum reditus describebantur. Igitur de monetis, mensura, ponderibus, ut per omnes Romani Imperii oras ad æqualitatem redigerentur, sanxit, easque constitutiones legi Salicæ addidit. Nationum omnium quas imperio suo regebat, jura quæ lucem nondum viderant perscribi ac literis mandari, curavit. Barbara & antiquissima carmina, queîs priorum Regum res gestæ celebrabantur, jussu suo in unum conducta, memoria comprehendit. Disciplinam militarem severius exercuit. Militibus, qui strenue rem gesserant præmia constituit, negligentes notavit ignominia, ut & laborem debito honore pensaret, & ostenderet, se non minus quam hostem metui debere. Fremente Saxonico bello, cum duo gregarii milites, facta testudine munitissimæ urbis aggeres perrupissent, ac confregissent portas, pro concione ambos laudavit, ac præfecturam ipsis inter Rhenum Alpesque concessit. In eadem expeditione tyrones duos, licet vulgo conceptos, fortiter in medios hostes invectos, cubiculariorum suorum numero adscivit. Duorum regulorum filii adolescentes, jussi stationes noctu servare, quod vino largius æquo indulse-
 rant,

rant, somno gravi opprimuntur: CAROLUS ut consuetudo ejus ferebat, evigilat, ac media nocte, cum paucis circuit castra, exploraturus num omnia decenti ordine gerantur. Ubi somno sepultos offendit, præterit quidem, & ad tabernaculum redit. Postridie tamen advocato concilio sciscitatur, quidnam illi commeruissent, qui Principem & caput Francorum manibus hostium exposuissent. Isti, cum primum sententiam rogati essent, immemores hesternæ culpæ suomet voto sese condemnant, ac hominem capitali pœna afficiendum censent. Ergo Imperator graviter increpitos ignominiaque notatos exauthorat, cæterum incolumes dimittit. Milites datis nominibus sacramento adacti in ejus verba juraverunt, se illi secundum DEUM devotissimos fore, neque pro ejus ac Reip. salute mortem recusaturos. Facientibus iter nihil præter ligna, herbam, aquam licuit auferre, nemini pullum aut ovem aut tale quid rapere tutum fuit, tanta modestia transire agros coëgit, ut non modo manus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse deprehenderetur. Ebrietatem audaciæ ac securitatis præcipue ministram summo studio prohibuit; si quem vino superatum offendisset, postea per omne tempus aquam potare compulit. In eos, qui absque missione signa atque militiam deseruissent, capitali pœna animadvertit. Munia bellica detrectantes prædiis, villis, agris, donisque militaribus privavit, & ad alios illa transtulit. Qui verò morbo aut senectute à malitia liberabantur, certam æris summam penderunt; hunc enim censum accuratissime exegit, quem Germanicis vocabulis Heerschuld / & Heerbann ab exercitu, vulgus Raißgeld ab expeditione nuncupavit. Censum (Künigensteur & Fahnlehen vocant) quinque denariis constantem modius frumenti quotannis exæquabat. Et ut salubrem magis quàm ambitiosum Principem scires, ne templis quidem onera atque æs militare, cum his veluti nervis Resp. servetur, condonavit. Descriptas autem omnium imperii, præfectorum, præsidum, populorum, familiarum, & in censum relatas habebat opes; is verò

agros,

agros, prata, villas, molas, vectigalia, reditus similes, item jumenta, pecudes, mancipia, supellectilem continebat, hinc quantum singulæ urbes numero militum quantum pecunia valerent, clare elucebat, neque viritim, sed pro habitu pecuniarum cuique arma, ferramenta, æs imperabatur, sic ut onera fere à pauperibus ad dites reclinarentur. Quo facto Servium Tullium æquasse mihi videtur, qui primus, tam salutaris exempli auctor, maximum emolumentum generi humano præstitit, ut pro patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque discrimine, quisque tributum in bonum publicum conferret.
XCI. Sanxit & alia quæ ornamento pacis, splendori ac ordini per imperium inservirent. Mendicis vagantibus quicquam tribui vetuit, alendos esse unicuique regioni inopes suos dictitans: sanos quidem ac validos labore victum quærere, ac desiderio sufficere manus jussit: Porro opes sacris usibus destinatas in locupletioribus templis in tres partes distinxit, duas egenis, tertiam sacerdotibus permisit. In ædibus tenuioribus donaria æqua lance inter pauperes ac sacerdotes partitus est. Nundinas diebus festis ademit, ne quos veneranda antiquitas honori divino destinasset, pessima immutatione hominum commercio cederent. Ebrietatem & detestandum illum morem, quo dum aliorum salutem bibendo colere putamus, nostram perdimus, ut militibus, ita cujuscunque ordinis, conditionis, sexus hominibus severissime interdixit, vitiorum matrem penitus extirpare adlaborans. Fures, homicidas & hujusmodi crimina committentes, si ad asylum, templumve fuga delapsi forent, repeti aut vi extorqueri voluit. Quod si quis Sacerdotum, Antistitum, sive Præfectorum reddere illos recusabant, de satisdatione damni caveret, ac juramento confirmaret, si quispiam aufugisset, id sua opera factum non esse. Edixit insuper nescio pietate an prudentia majore, ut quando fames, pestilentia, clades sævirent in homines, aut inclemens fœdoque torpore corruptus aër premeret terras, non expectatis decretis suis subditi statim ad clementissimi Numinis auxilium confugerent,

rent, ejusque misericordiam supplicibus elicerent votis. Præsertim si victus inopia & fame urgerentur, quisque pro virili alimoniam suis procuraret, ac diligenter caveretur, ne intolerando pretio annona veniret, aut extra imperii limites distraheretur. Ipse jus summo studio dixit, sæpius mane dum indueretur; tanti apud eum temporis jactura erat: simul ministris aulæ, quicquid eo die expediendum foret, injunxit. Uno per omnes septimanas die præsens causas dijudicavit; non tamen promiscuè eas cognoscebat, neque aliàs ad ipsum provocabatur, nisi cum populus injusta judicum ordinariorum sententia se gravatum putaret, aut res judicio eorum major existeret: prout declaratur constitutione illa, quam *Lipsius* in librum secundum præceptorum civilium retulit. Devictis Langobardis non defuerunt, qui CAROLO suaderent, ut omne nomen Langobardorum in Italia extirparet, fecissetque fortassis ultrò, ad subtrahendam novorum motuum materiem, nisi invidiam Italorum veritus fuisset. Erant namque Italicæ genti longa consuetudine adeo innexi, ut indiscrete propemodum viverent, præsertim in his urbibus, quæ sub ipsius gentis imperio per annos 200. & amplius fuerant. Igitur administrandarum rerum facultate adempta, nihil acerbius in eos statuit, ac tantum leges novas ad edicta Langobardorum, quas præsens usus desiderare videbatur, adjunxit. Menses totius anni & ventorum plerosque patriis, h. e. Germanicis vocabulis insignivit, cum antea non amplius quam quatuor ventorum nomina Germanico sono frequentarentur. Et Januarium quidem Wintermonat / Martium Lentzmonat / Aprilem Ostermonat / Novembrem Herbstmonat / Decembrem Heiligmonat / vocavit: cætera apud *Eginhardum* reperies, nec operæ pretium fuerit, singula huc transferre. Tentavit etiam Grammaticam artem patrio sermone introducere, nec
XCII. tamen perfecit. Quoniam qualis in imperio ac regnis, regendaque per orbem terrarum pace belloque Rep. fuerit CAROLUS, exposui: nunc familiarem ejus vitam, qui-

quibusque moribus atque fortuna domi & inter ſuos egerit, paucis perſtringam. *Matrem* Bertham, quam filii pietate ac reverentia ſemper coluit, poſt memorabilem Saxonum cædem ad Aſam flumen, amiſit, ac regio more ad S. Dionyſii propter Pariſios, mariti ejus tumulo inferendam miſit. *Sororem* quoque Giſlam ſummo honore proſecutus eſt: hæc à primis juventæ annis vita ſolitaria DEO ſervire deſideravit, & in eo vitæ genere mortem obiit. *Fratris* Carolomanni fata ſuperius executi ſumus. Duxiſſe primam *uxorem*, Gallienam Gallaſtriæ Toletani Regis filiam *Cuſpinianus* ſcribit, *cæteri* de Luitberga Langobarda pronuntiant. Hanc Deſiderii Regis filiam non diu in matrimonio habuit, ſed anno vertente, velut prædiximus, repudiatam patri remiſit, permittente magis quam approbante matre Bertha, quæ præcipua connubii conciliatrix ægre diſrumpi adfinitatem videbat. *Baronius* celebris occaſionum captator, Imperatorem tum temporis à Pontifice Stephano deterritum fuiſſe ſub interdictione ſacrorum ſcribit, ne cum tam fœda gente ſanguinem miſceret: id cum, quod ſciam, nullus ſcriptorum moneat, nos homini ſua relinquimus. Mox Hildegardem è gente Suevorum nobiliſſimam feminam & omnibus muliebris ſexus dotibus præcellentem in matrimonium accepit. hæc ſex liberorum parentem fecit: è quibus Carolus & Pipinus hic Italiæ, ille Germaniæ & citerioris Galliæ Reges, in flore ætatis, vivente patre abſumpti ſunt; Ludovicus Aquitaniæ Rex regnorum & imperii hæres extitit; filiæ tres, Rotdrudis, Bertha, Giſla innuptæ vitam tranſegerunt, quanquam illam majorem natu Conſtantino Græcorum Imperatori deſponſatam fuiſſe ferant, ſive mater Irene, ſive mors Rotdrudis mox inſecuta connubium diſtraxerit. Defuncta Hildegardi paulo ante obitum Berthæ matris, Fraſtradam Rodolphi Comitis Francorum filiam uxorem habuit, è qua duas ſuſcepit filias Thedradam & Hildrudim: ſed ea quoque fatis concedente, Luitgardim Alemanam ſibi ſociavit, cujus tamen matrimonii poſſeſſio ſte-

 rilis

rilis fuit. Cum Leonem Papam reduci Romam imperaret, rursum conjuge orbatus fuit, & paulò post decoratus imperii insignibus Irenes Orientis Imperatricis nuptias per legatos expetivit, sperans utriusque imperii opes connubio copulari isto posse. Irene satis ad id propensa fuit, sed Aëtius spado tanti negotium momenti dissipavit, & Nicephorus ad gubernacula productus, Irenen cito potentia dejecit, velut supra narravimus. *Concubinas* deinde legitimo matrimonio superinduxit, quarum una Rothaidem filiam, Mathalgardis Rothildim, Gersvinda Saxonici generis, Adelrudim, Regina Drogonem & Hugonem filios, Adelvinda Theodoricum, Himmeltrudis Pipinum gibbo deformem ipsi procreaverunt. In hisce Carolus, quod & *Baronius* recte judicat, minor seipso inventus est, quod matrimonii castitatem fœdo concubinarum amplexu maculaverit. *Nepotes* è Pipino Italorum Rege vidit, quos inter filius Bernhardus Patrem in Regno excepit, cæteræ neptes cum filiabus CAROLI pari honore & cura educatæ sunt. *Filios* quumprimum ætas idonea sufficeret, liberalibus studiis admoveri, dein more Francorum equis, armis, venationibus exerceri: *filias* lanificio adsuescere, colo & fuso, ne per otium torperent, operam impendere, & ad omnem honestatem erudiri voluit. *Liberorum* tantam in educatione curam habuit, ut cum domi requiesceret, nunquam absentibus illis cœnaret, nunquam sine illis iter faceret. Adequitabant ipsi filii, filiæ verò pone sequebantur, quarum extremum agmen è satellitum numero delecti claudebant. Illud summopere mirandum fuit, quod cum venustissimæ formæ natas haberet, & paterno amore eas prosequeretur, nullam unquam marito elocaverit, & contubernio earum carere se non posse constanter adfirmaverit. Quamobrem domesticis infortuniis maculatus altò

XCIII. silentio pressit dolorem, ac si nulla probri suspicio unquam extitisset. Duabus maximè *conjurationibus* impetitus, feliciter ultus authores, evasit. Una Germanorum fuit, qui Hatrado Comite præcipuo seductore in caput ejus scelesta consilia agitaverant, sed detectis insidiis compre-

prehensi, partim oculis privati, omnes in exilium missi sunt, neque quisquam illorum capite pœnas dedit, exceptis tribus, qui ne comprehenderentur, strictis gladiis se defensuri, ab immissis trucidati sunt. Altera majore periculo constitit. Dimisso enim à Pannonicis tumultibus milite, & soluto Ratisbonæ conventu, qui refellendis Elipandi erroribus institutus est, CAROLUS cum paucis regni negotia expediebat, magis mulierculæ implebant aulam, Frastradæ reginæ officia præstantes. Id animadvertens Pipinus quem nothum CAROLI ex Himmeltrudi diximus, de patre tollendo, immutandaque regni forma cum Francis quibusdam artes & consilia communicat. Igitur nocte, quæ meditatum facinus proximè antecedebat, in templo conveniunt conjurati, specie pietatis ac religionis nefaria consilia agitantes. Forte fortuna sacerdos Langobardus delitescens in templo omnia excepit, nec moratus diu, intempesta nocte ad CAROLUM venit, omnemque conjurationis seriem aperuit. Statim conscii sceleris conduntur in carceres, Pipinus in cœnobium detruditur. Dum judicium exercetur, & quæstiones habentur de conjuratis, CAROLUS ad Pipinum nostrum delegavit, qui exquirerent ab eo, quanam pœna conjurantes dignos censeret. Tunc Pipinus hortum, steriles herbas evellens, repurgabat, & intellecta adventus legatorum causa, *si Rex*, inquit, *hoc institutum meum sectatus fuisset, non ego miser ulterius ingrata lucis hujus usura fruerer.* Cum legati verborum summam non percipientes, ulteriori interrogatione eum fatigarent, nil verbis opus esse respondit, irent modo & Regi hæc renunciarent. Reversi conqueruntur de Pipini superbia, quasi contemneret Regis imperium, vix tria verba respondisse, quæ quidem animi sensa non explicuissent. Intellexit CAROLUS responsi vim, & conjuratos partim capite multavit, partim in crucem egit: unum in altissimo monte arcem unde longe lateque prospici posset habentem, in cacumine ejus montis suspendi jussit. Causa conjurationum Frastradæ reginæ crudelitas fere-

ferebatur, quæ virum sua natura clementem ad aspeña aliquando impelleret. Illam crudelitatem non esse ferendam conscii facinorum tumida jactatione inter se mussabant, & ob unius feminæ impotentiam virum seculo suo majorem tollere decreverunt. Index ad ampliorem dignitatem promotus præmia fidei suæ accepit.

XCIV. His atque aliis rerum humanarum miseriis jactatus CAROLUS magis atque magis oculos suos ad beatissimam illam æternitatem sustulit, ac subinde suprema fata præmeditans disponere res suas, & regnorum curam inter filios distribuere decrevit. Octavo ante, quam decederet, anno ultimæ voluntatis *testamentum* fecit, hoc ordine ut Galliæ pars cum Hispania, Vasconia & Narbonensis provincia, Tarantasia & Cottiæ Alpes Ludovico obvenirent; Pipino Langobardia, Italia cum adjacentibus à septentrione Germanicis regionibus atque Bojaria cederent; cæteram Germaniam, Galliam Lugdunensem, Celticam, itemque Saxones, Suevos, Belgas, CAROLUS major natu possideret. Dati tamen cuique fratrum in alterius ditione agri & urbes, quo facilius alius alii auxilio esse posset, ac si quem mors, nullis relictis liberis rapuisset, fratres majori concordia hæreditatem adirent. Hoc consilio, ut si forte Pipinus terris eriperetur, quicquid Lycum Padumque interjacet, simul læva Italiæ, Hadriaticus sinus ac ducatus Spoletanus CAROLI fierent, quæ verò supra Lycum Pipini fuissent, nec non dextram Italiæ ac Insulas Tyrrhenas Ludovicus obtineret. Si Carolus decederet Ludovicus Galliam Celticam, Pipinus Germanias acciperet. Si Ludovicus diem obiret, Pipinus Galliam Narbonensem, Hispaniam usque ad Iberum, (nam ibi Francorum imperium finiebatur,) Carolus Aquitaniam & Vasconiam sibi vindicaret. Si contingeret, ut fratrum alicui mortuo liberi superessent, illi cum patruorum consensu patri in regno succederent. Hortatus est adhæc filios suos, ut suo exemplo moniti Ecclesiæ patrocinium pro viribus susciperent, foverent ejus alumnos, removerent hostes: Sorores nubere cupientes

tes pro dignitate generis viro illustri collocarent, solitariam vero amplectentibus vitam necessaria laute subministrarent. Ipse denique quamdiu vitam protraheret, summam in omnia regna potestatem sibi reservavit. De cætero figmentum est in cerebro *Baronii* natum, quum propugnare audet, Imperatorem de rebus Imperii Rom. nihil sanxisse, quod eam quidem successionem potestati Pontificis reservatam vellet. Ineptum esset multis talia exsequi, quandoquidem & *Theganus* cujus verbis testamentum CAROLI recitat *Baronius*, alto silentio ea involvit, & verò *Eginhardus* cum cæteris certatim reclamat, prout mox Ludovici exemplo monebimus. Illud forte non omiserim affirmare, prudentissimum Imperatorem gravissimis inductum rationibus, ut inter fratrum tres illo adhuc tempore neminem ad Imperium extolleret. Omnem thesaurum & res quæ moveri possent, per unam & viginti metropoles quas vocant, dividi voluit. Eæ fuerunt Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Salisburgum, Rothomagus, Treviri, Vesontium, Lugdunum, Rhemi, Senones, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges; quod legatum solennibus literis confirmatum, statimque à Ludovico post mortem patris præstitum est. Aurеam præterea mensam, & tres argenteas, quarum una Romam, altera Constantinopolim, tertia orbem terrarum pulcerrimo artificio cælatum habebat, vendi ac pecuniam pauperibus erogari jussit, ut quem vivum clementissimum patrem experti essent, ejusdem beneficia post obitum quoque agnoscerent. XCV. Septem deinde interpositis annis, quum Carolum & Pipinum filios præmatura morte sibi præreptos, & se parum integra ætate, nec rebus agendis amplius idonea esse, cerneret, Ludovicum filium, spectantibus atque consentientibus regni proceribus, consortem imperii laborumque socium ac Comitem renunciavit, jamque intuens illum, *accede*, inquit, *Ludovice fili, & coronam capiti Tuo, non tam dignitatis ornamento, quam regnorum ac Reip. Christianæ*

 præ-

præsidio latus impone, ac mecum una Imperium auspicatis posthac consiliis moderare. Deum illum omnipotentem metue, dilige, præceptis ejus obsequere; tutare Ecclesiam & ab impiis erroribus immunem præsta; sorores & necessarios omni amicitia & officiorum genere cole; Doctores sacros & animarum curatores summa animi observantia venerare; cum subditis Tuis veluti liberis age; quorum consiliis uteris, fac pios illos fideles, prudentes, & avaritiæ inimicos habeas; temere verò aut inconsulte neminem ministrorum exauthora, aut abs te remove. Sic dimisso in Aquitaniam Ludovico acquiescebat paulatim CAROLUS, satisque jam domi, satis foris sibi videbatur fortunatus, nisi quod exhaustum immensa laborum, negotiorum, onerum mole corpus, cœlestem requiem & amplexus Creatoris sui desideraret. Cujus quidem voti compos, satiatus terrena gloria, nec minus adversis probatus, anno post communicatum filio Augustæ dignitatis apicem factus est. Versabatur tum Aquisgrani, sæpe venationibus, quas valetudini suæ accommodatissimas ducebat, indulgens, cum media hyeme valida febris torpentem primo adflixit. Id morbi genus sentiens, ut in febribus solebat, ab omni cibo abstinuit, ratus hoc remedio vim ejus depelli aut certe minui posse. Verum accedente lateris dolore, quam *pleuresin* Græci vocant, illoque inediam adhuc retinente, nec aliter quam rarissimo potu sustentante corpus, septimo postquam decubuisset die, quum annum ætatis LXXII. attigisset, regnaret XLVI. Romani Imperium orbis administraret XIII. percepta prius sacra communione, in sua resolutus initia, animam cœlo, terræ corpus reddidit. Mors ejus evidentissimis ostentis præcognita est. Nam pons, quem ad Moguntiam Rheno commiserat, tribus horis, velut prædiximus, conflagravit; & cum aliquando in via esset, fax ignea medio aëre volitans tanto impetu latus ejus strinxit, ut cingulum ab ense dissolveret. Palatium Aquense vexatum terræmotu fuit. Templum etiam augustissimum, quod Aquisgrani perfecerat, fulmine quassatum, & nominis inscriptio, qua PRINCEPS CAROLUS denotabatur, sic adusta est, ut literæ, queis PRIN-

XCVI.

PRINCEPS referebatur, penitus delerentur. Solis tandem & Lunæ fulgor, ſex ante mortem ejus diebus atro colore immutatus fertur. Defunctus igitur eſt Princeps animo maximus, corporis vigore acerrimus, ſecundis non elatus, nec adverſis fractus, prorſus utrique fortunæ par, laborum patientiſſimus, inprimis bellicæ militiæ, non otio caſtrorum adſuetus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas vel natura mortalis recipit, vel induſtria perficit. Religionem Chriſtianam, qua ab infantia imbutus erat, ardentiſſima pietate excoluit, eo uſque per adſiduam ejus meditationem evectus, ut ipſe præceptor Albinus, & alii ſanctiſſimæ diſciplinæ doctores in graviſſimis fidei momentis conſilium atque judicium ejus expetiverint. id quod vel ex literis, quas *Baronius* Annalibus inſeruit, ad CAROLUM ab Albino, à CAROLO ad Albinum miſſis, evidenter apparet. Verbi divini dulcedinem & efficaciam, ſolatia impigre ſectabatur, mane & veſperi ſæpe nocturnis horis templum ingrediens, curabatque ut cuncta, qua par erat honeſtate gererentur, æditubs creberrime commonens, ne quid indecens aut ſordidum inferri ſacris ædibus, ſive in illis ſervari permitterent. Sacrorum vaſorum ex auro & argento, & veſtimentorum ſacerdotalium ingentem ſuppeditavit copiam. Eruditione in liberalibus ſtudiis prout ipſe pollebat inſigni, ſic doctores artium & diſciplinarum ſummo honore affecit; Scholas etiam, Academias, Collegia ubique excitavit. Ferunt illo tempore viros duos cum Britannicis mercatoribus ex Hibernia in Galliam delatos, quum alii ſuas merces proponerent, magna voce exclamaſſe, *ſe ſapientiam venalem habere:* Verba à multis excepta paſſim ludibrio aut admiratione hominum circumferebantur. Tandem perlato in regiam rumore CAROLUS accerſitos eos de venali merce adpellat, rurſumque profeſſos ſapientiam, qua mercede venditam vellent, interrogat, & poſtquam victu & veſtitu docentium vendi illam expoſitum eſſet, CAROLUS unum Pariſios, alterum Papiam collocavit,

 cura

cura negotii Albino commissa, qui incrementa harum Scholarum debita opera promoveret. Devictis Saxonibus Osnabrugæ Collegium instituit, speciatim edicens,
XCVII. ut in eo Græci Latinique Scriptores explicarentur. Neque verò industria ejus ibi substitit, unde cœpit, sed institutas semel Academias omni studio fovit: cujus rei memorabile & dignum magno Principe exemplum habemus. Accidit enim aliquando, ut facturus periculum de puerorum profectibus, quos Parisiis Clementi Scoto commiserat, orationes, carmina, panegyricos, scripta alia exhiberi sibi juberet. Ubi tenuiores præter spem profecisse, Nobiles verò gaudiis corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendit, illis ad dexteram segregatis, *vos quidem macti virtute*, inquit, *estote, filii pientissimi, qui nostro Imperio gnaviter defuncti estis; vestra erunt sacerdotia locupletissima, & Pontificatus maximi. Ego vos in Aulam adscisco, ex vobis Senatores cooptabo, vos in Curiam Patrum, & album Prætorum adlegam.* Deinde ad Nobilium liberos versus, quos à læva collocârat, vultu præferens iram animi, *vos*, ait, *comatuli ac delicatuli, freti opibus & splendore parentum, nostram Majestatem sprevistis, vitia, otium, luxuriam & inertiam literis virtutibusque prætulistis. Jubeo & DEUM Immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussa adspernati estis, expectabitis. Faxo ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis, & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam expiaveritis futura diligentia.* Illustravit illam ætatem rarus quidem, tamen aliquis doctorum virorum proventus. *Paulinus Patriarcha Aquilegiensis* in re sacra celeberrimus, Concilio Francofurtensi præcipue clarescebat. *Alcoinus* item *præceptor* CAROLI nostri inter prima eruditionis sidera numerabatur. *Paulus* autem *Diaconus* in percensendis superiorum seculorum gestis occupatus fuit. Hunc everso Langobardorum Principatu in Galliam avectum CAROLUS multo amore prosecutus, libertate etiam donavit. Sed deinceps intentum novis molitionibus, atque de Regis Desiderii fuga consilia agitantem in

Dio-

Diomedeas insulas seposuit. ibi Paulus exilium aliquot annos tolerans, postea rogatu Adalpergæ Beneventanæ, (hæc Desiderii filia fuit) Eutropii historiæ aliquot libros adjecit, ac Cæsarum Romanorum vitas à Juliano ad Justiniani tempora pertexuit. Reconciliatum extremo senectutis spatio Imperatori fuisse, carmina ultro citroque missa satis ostendunt. Inter Gallos *Isnardus* quidam ad imitationem Eusebii Sanctorum acta brevi stylo consignasse traditur. Talis circa religionem & præcipuum ejus fulcrum eruditionem conservandam CAROLUS fuerat, cui proposito cæteri mores, & vita omni virtutum experimento clara egregie respondebat. Homines peregrinos ut arcta amicitia, principali liberalitate, & numero fere gravi aulæ suæ fovebat, sic ipse vestitu patrio h. e. Francico utebatur. Lineis primo indumentis totum corpus tegebat: deinde tibialibus ac tunica involutus, quæ limbo serico ambiebatur, fasciolis crura, & pedes calciamentis constringebat, & ex pellibus murinis confecto thorace humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus & gladio semper accinctus erat, cujus capulus ac baltheus vel auro fulgebat, vel nitebat argento; habebat & ensem gemmis distinctum, quo tamen non nisi in præcipuis solennitatibus, vel si quando exterarum gentium oratores adessent, conspiciendus erat. Peregrina verò vestimenta neque unquam sibi adplicabat, & acerrime oderat, semel tantum Romæ, petente id Adriano Pontifice, & iterum Leone successore ejus supplicante, longam tunicam & chlamydem sumebat, atque calceis Romano more formatis incedebat. In solennibus ac festis diebus, vestem auro textam, & calciamenta gemmata, & sagum fibula aurea adstrictum gestabat, diademate quoque ex auro & gemmis conflato ornabatur: cæteris autem diebus habitu non multum à privato abhorrente dignoscebatur. Cum Germani Francique Gallorum saga virgata imitarentur, & in eo habitu coram CAROLO comparerent, indignabundus, *hem*, inquit, *Germani mei, Francique Gentium domitores, mali ominis res*

XCVIII.

est, quod in habitum illorum, qui imperio vestro subjecti sunt, transeatis. Vos Gallorum vestes, illi animum vestrum vobis auferent. Quid laceri isti panni, ne medium quidem corpus tegentes, non æstum, non frigus arcentes, vos juvant? statimque edicto, ne posthac Germaniæ importarentur inhibuit. Dotibus etiam, quæ vulgus inprimis ad majestatis venerationem inducunt, nequaquam caruit. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet, nam septem pedum suorum mensuram explevisse, ex *Eginhardo* constat. Apice capitis rotundo, oculis grandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canicie pulcra, facie læta ac hilari spectabatur; unde authoritatem stanti ac sedenti maximam formæ amplitudo conciliabat. Quanquam cervix obesa & venter projectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas; incessus firmus, totaque corporis habitudo virilis erat. Voce quidem clara utebatur, sed quæ minus corporis formæ conveniret, valetudine prospera, præter, quod antequam decederet, quatuor annis crebro febribus maceraretur, ad extremum uno etiam pede claudicaret, & tunc quidem plura suo arbitratu, quam medicorum consilio faciebat, quorum operam pene exosam habuerat, cum assas carnes, queîs adsuetus erat, ipsi interdixissent, & elixis vesci suasissent. Cibo nunquam diu abstinere poterat, sæpius adversa valetudini suæ jejunia querens. Gonvivabatur rarissime, nec nisi solennibus ac feriatis diebus, simulque adsidente magno hominum numero. Cœnam quotidianam quaternis ferculis præbebat, præter carnes ferinas, quas venatores verubus admotas tostasque mensæ inferebant: hoc enim esculento mirum quantum delectabatur. Vini quoque natura parcissimus erat, nec amplius ter bibere super cœnam solebat. somnum, (nihil enim omiserim) noctu sæpe interrupit; cum membra sopori dedisset, è cxx. satellitibus semper quadrageni in vicem succedentes, corpus ejus custodiebant. Æstate tribus aut quatuor horis pomeridianis dormivit. Noctu, quoties

ties aliquid occurrebat, in pugillares ſub lectulo poſitos conjecit, ut memoriæ conſuleret. Pauperes atque egenos, maxima cura, opibus, liberalitate adjuvit. Nec tantum in patriis regnis aut imperio penuriam illorum ſublevabat, ſed ubicunque per Syriam, Ægyptum, Africam, Hieroſolymas, Alexandriam, Carthaginem, Chriſtianos emendicata ſtipe vitam tolerare audiverat, liberaliſſima manu pecuniam ſubmiſit. Ob hanc maximè cauſam Regum exterorum amicitiam expetens, quò Chriſtiani ſub imperiis illic mitius tractarentur. Igitur domi ſuis exoptatus, foris amandus, exteris metuendus, cunctis venerandus vivebat, denique illum fortunæ adſcendit gradum, ut præter ſplendidiſſimorum natalium decus, excellentiſſimasque victorias, & Auguſtæ dignitatis culmen, extentumque vitæ ſpatium, cognomen MAGNI conſenſu gentium reportaret. Quo ſicut à primis retro ſeculis eminentiſſimos quoſque viros notatos fuiſſe ſcimus, ita CAROLUM geſtorum ſuorum magnitudine iſtos omnes æquaſſe liquido deprehendimus. Mortis autem ejus fides quum primum gentibus facta eſt, velut unanimi mœrore ac planctibus omnes provinciæ perſonabant. Subditi & inopes Imperatorem & patrem patriæ benigniſſimum, devicti juſtiſſimum victorem, cæteri fortiſſimum virum, totus orbis virtutum exemplar luxit. Sed quoniam recepta cœlo anima, atque in terris vigente magni nominis umbra, ſolæ corporis reliquiæ juſtis honoribus demerendæ ſupereſſent, illæ in templo magnificentiſſimo, quod ipſe Aquiſgrani ſuis auſpiciis extruxerat, ſua præſentia toties illuſtraverat, ac devota pietate ſanctius atque auguſtius fecerat, ſolennibus ceremoniis conditæ ſunt. Corpus exquiſitis odoribus perlitum, accinctum enſe aureo, & erecto capite in ſedem reclinatum eſt, ſceptro quoque ac ſcuto & cæteris fortunæ inſignibus adjectis. Super tumulum arcus erectus, quem auro undique induxerant, cum imagine CAROLI, & hac inſcriptione: XCIX.

SUB HOC CONDITORIO SITUM EST COR-

CORPUS CAROLI MAGNI ATQUE ORTHODOXI IMPERATORIS, QUI REGNUM FRANCORUM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FELICITER REXIT. Epitaphium ab *Aigobardo* quodam consarcinatum, satis rude & sola Authoris sui voluntate laudandum, ne vel minima quis desideraret, quæ CAROLI nostri gloriam propagare videntur, ex Baronio adscribere libuit.

Aurea cœlorum postquam de virgine prolis
Sumpsere apta Tibi mundi pro crimine membra,
Jam decimus quartus post centies octo volabat,
Annus multivagi, meruit quo fervida secli,
AEtherei Carolus, Francorum gloria gentis,
AEquora transire, & placidum comprendere portum.
Qui deciesque quater per sex feliciter annos
Sceptra tenens regni, & regnorum rex regna rejungens;
Febru *migravit quinto* arij *ex orbe Calendas.*
Septuaginta senex vita qui terminat annos,
Quapropter flagito precibus si flecteris ullis,
Quique hujus relegis versus, epigrammata, lector,
Astriferam Caroli teneat dic spiritus arcem.

In numerum Sanctorum à Paschali Papa relatus est, superstitione cum seculo subinde aucta: cæterum honor ejus ac memoria, tum alias, tum quoties Romano-Germanici Imperii initia recordamur, sancte celebratur.

Notæ quædam in CAROLI MAGNI historiam.

Fuerat animus plura, quæ vel in contextu historiæ explicatione non potuerunt proponi, vel aliqua declaratione videntur indigere, in has *notas* conjicere: sed brevitate temporis & festinatione Typographi impeditus, præter pauca hæc nihil subjeci.

Ad caput I.] Inter majores CAROLI, ut primus ferè CAROLUS MARTELLUS gestorum magnitudine illustravit familiam: ita plerique Scriptores non altius

altius illustrissimæ stirpis initia, quam ab ipso repetunt. *Aventinus* è vetustissimis Bavariæ principibus originem CAROLI nostri deducit, hac serie, ut ab *Utilone*, [qui frater Theodonis, magni Bojorum reguli, & à rege Francorum Theodorico, interioris Germaniæ præfectus contra Danorum incursiones constitutus fuerat,] *Hugobertum* genitum pronuntiet, cujus porro filium *Asopertum*, ex Pluthylda filia Lotharii regis Francorum *Arnulphum* procreasse, hinc *Angisum*, ac deinde *Pipinum*, ab hoc *Carolum Martellum* descendisse contendit, nihil tamen certi affirmare sustinet. *Andreas Ratisponensis*, ab *Arnulpho*, (quem abdicata rerum civilium cura Metensium Episcopum fuisse scribit) *Carolinam stirpem* demum orditur, & successionis tabulam hoc ordine comprehendit.

Arnulphus Metensium Episcopus.

|

Angisus.

|

Pipinus dictus Grossus, Major domus apud Francos.

|

CAROLUS MARTELLUS major domus.

|

Carolomannus	PIPINUS major domus, & mox Rex Franciæ.	Gripho.

|


CAROLUS MAGNUS, primum REX FRANCIÆ, postea ROM. IMPERATOR.	Carolomannus.

Ad Caput XLV. de ROLANDO.] Hic est ille Rolandus, Caroli ex sorore nepos, cui hodierni Comites Palatini originem suam transscribunt. Ejus ut ensis Durenda, ac tuba, ita corpus quoque ac magnitudo, miris Poëtarum carminibus incluta fuit. Et colossi quidem illi, non Bremæ tantum, sed Brandeburgi quoque ac in celebrioribus Saxoniæ urbibus aliis, (vid. *Camer. cent.*

Hh 1.6.

1. c. 82. *horar. subcisiv.*) erecti immensam magnitudinem præferunt, quæ an tanta in *Rolando* fuerit merito dubitatur. Vide *Hubertum Thomam Leodium* lib. 1. Annal. Frideric. II.

Ad caput LI.] Vitekindi stemma *ex Alberto Stadensi* tale est.



De Regibus Galliæ à familia Vitekindi descendentibus ita *Abbas Stadensis* ad annum DCCC LXXXVI. scribit. *Utho*, (aliis Otho) *vir militaris ac strenuus, à principibus Galliæ Rex creatur in palatio Compendii. Hic patrem habuit, ex equestri ordine Robertum, avum verò Vitekindum*, (hic nepos Vitekindi nostri fuit) *ex Germania profugum*. Hæc Abbas. Cætera

tera vide in *appendice genealogico Reineccii*, qui ſpectata industria hæc omnia evolvit.

Ad caput LXXX. de Caſtello Hochburg] *Hamburgum* denominari, jactaque tum initia Epiſcopatus & urbis declarat *Albertus Stadenſis* ad annum DCCCX. vid. & M. Adami Hiſt. Eccleſ.

Cap. XC. *Legi Salicæ capita quædam addidit.*] Pauca ſunt & partim obſcura, quæ Scriptores de emendatione legis Salicæ per Carolum inſtituta habent. Nobis in tanta brevitate non eſt conſultum plura vel evolvere, vel addere. Tantum de nomine legis Salicæ, ejus authore, & quo tempore primum lata ſit, aliqua ex *Camer. hor. ſubciſiv. part. 3. c. 64.* ſubjiciemus. *Salicæ legis nomen*, inquit, *non deduco à Sala nobili quidem flumine, ſcaturiente de monte Pinifero Voitlandiæ, interſecante Thuringiam, quod tandem ab Albi abſorbetur, ſicut multorum opinio eſt: ſed de Sala Francica, qui fluvius oritur prope Haſpergicam Sylvam, non ita pridem ob latrocinia infamem, ad confinia comitatus Hennebergici, longoque tractu, verſus partem Septentrionalem Franconiæ illam, quæ à ſexto & poſtremo circulo vel cantone Nobilitatis Francicæ, Rœna & Werda vocatur, curſum ſuum abſolvit, & prope oppidum Gemundam Rheno commiſcetur. Hoc ἔτυμον verius eſſe multis rationibus comprobari poſſet: inter quas non poſtremæ ſunt, quod Conradus II. Imperator Salicus cognomen hoc ab his Saliis Francis traxit; retulit n. originem ad Francos veteres: tum quod loca, ubi domicilia authores hujus legis habuerunt, vetera ſua nomina pleraque retineant, & in hodiernum diem ibi arces nobilium ſunt. Ex quibus præ cæteris celebres ſunt, arx condominorum Saliburgum, ubi regiam ſuam Faramundus I. Rex Francorum habuiſſe, & Francoberga anterior, vel ſuperior, ubi ſepultus eſſe dicitur, &c.* Et mox. *Natales* Salicæ legis *fluxere juſſu Faramundi I. Regis Francorum, ope, induſtria, & conſilio quatuor regni procerum, Wiſogaſti, Loſogaſti, & Huſogaſti, & Soiogaſti. Qui Gaſti Germanico nomine à ſapientia & ſcientia rerum atque ingenii perſpicientia dicti fuere, quaſi Catones, excellentis ſpiritus viri, ſingulis forte ordinibus ab ipſo Faramundo delecti, ut in commune toti Francorum*

corum Reip. salubriter consulerent, &c. Iterum: *Ad tempus quod attinet, Leges hæ Salicæ latæ sunt, postquam Faramundus primus Rex constituisset regiam quandam gubernationem apud Francos, circa annum Christi* CCCCXXI. *qui incidet in tempora Imperatoris Theodosii Junioris, licet aliqui in Honorii tempus gubernationis illius initium referant, & Bonifacii I. hujus nominis Pontificis Romani.* Hactenus Camerarius.

Cap. XCII. *Mox Hildegarden in matrimonium accepit.*] Sunt mira & fabulæ omnino simillima, quæ de Hildegardis hujus fortuna, exilio, & resarcito cum Carolo conjugii fœdere, *antiquorum monasteriorum annales* referunt. Tradunt nimirum, fuisse Carolo è concubina Pipini fratrem Talandum, cui Rex in bellum contra Saxones abiens Hildegardin conjugem commendavit, ut interim curam illius & simul regni ageret. Ille vero correptus libidinis æstu illicitum reginæ concubitum expetiit; quæ ab insaniente homine non semel interpellata, dolo circumventum carceri inclusit quidem, sed sub adventum Caroli regis rursum emisit. Qui scelus scelere cumulaturus, Hildegardin apud maritum graviter defert, quasi ipsa neglectis pudicitiæ finibus sui corporis copiam desiderasset. Carolus ira ardentissime correptus, ne audita quidem conjuge oculos ipsi erui jubet. Sed Hildegardis divina ope servata Romam profugit, & concessam sibi à DEO medicam artem strenue exercuit. Fit interim ut Talandus justo Numinis judicio visu privatus, cum nulla medicorum industria restituere oculos valeret, Romam denique cum fratre contenderet. Ibi quum felicitatem Hildegardis in medendo cognovisset, ab incognita tum sibi auxilium petit. Illa remedium offert, sed hac lege, ut prius Talandus omnia, quæ unquam patrasset, scelera sacerdoti confiteretur. Ille exonerato animo visum recipit: at regina per sacerdotem de sua innocentia Carolum interim certiorem facit, & causa cognita summo cum honore priori conjugio restituitur; Talandus in exilium pellitur. Cæterum inter Authores nullus est, qui verbo hujus rei meminerit, & si unquam tale

tale quid contigit, id potius ad Lutbergam priorem Caroli conjugem, quam aliqui Hermegardim vocant, referendum esset, quæ repudiata quidem à Carolo, nunquam tamen in matrimonium recepta fuit.

Eodem cap. *Quamobrem domesticis infortuniis maculatus alto silentio pressit dolorem, ac si nullius probri suspicio unquam extitisset.*) Nescio an Eginhardus, (nam ex eo hæc transscripsimus) respiciat ad furtivum amorem suum, cum filia Caroli, de quo multa quoque hinc inde leguntur, & ne quid desit, nos quoque paucissimis perstringemus. Eginhardus scriba Caroli, Immæ filiæ ejus amore flagrasse perhibetur. Igitur quum aliquando confecta cœna diutius in gynæceo moraretur, & vesanum amorem colloquendo atque amplexibus fallere conaretur, accidit, ut interim altæ nives aream, per quam ipsi cubiculum repetendum erat, contegerent. Hærebant amantes suspensi, & ne vestigia Eginhardi mane deprehenderentur, filia Imperatoris excogitata fraude amatorem suum tergo exceptum in anteriores ædes deponit, ac deinde per eadem vestigia gynæceum repetit. Ea nocte, ut sæpe solebat, Imperator de thoro surgit, & applicitus fenestræ, omnem rei gestæ seriem deprehendit. Igitur postero die consiliarios vocat, & exposito facto, nulla tamen personarum mentione habita, quid meriti essent ejusmodi homines, rogat. Illi delinquentes hoc modo, morte dignos censent. Sed Carolus filia & Eginhardo adscitis, & commonefactis hesterni delicti, primum sententiæ rigorem denunciat, deinde increpitos, quod tanto facinore Majestatem suam læserint, ita se pænam pariter ac veniam temperaturum docet, ut neque Imperatoriam severitatem prorsus negligat, neque paternam masuetudinem exuat: quibus dictis, ambos matrimonii fœdere junxit, prædiaque ac vicos aliquot in dotem ac vitæ sustentationem genero concessit. Hanc donationem Ludovicus Pius Imp. postea auxisse, & ab Eginhardo hodieque Comites Erbacenses originem suam trahere communiter traditur. Utcumque sit, nihil sane

certi commemorare licet, nec pauci doctiorum inveniuntur, qui fabularum loco hæc omnia æstimant.

Cap. XCIX. Aurea cœlorum.) *Cluverus* Epitomator recitat aliud ex Chronico quodam Belgico.

O spes adflictis, timor hostibus, hostia victis,
Regula virtutis, juris via, forma salutis,
Carole servorum pia suscipe vota tuorum.



VI.
RUDOLPHUS I.
IMPERATOR
GERMANIÆ INSTAURATOR.

PRÆFATIO PRÆSIDIS.

PAuca verba hæc, ut à me huic libello accederent, non opus erat, nisi æquitas ipsa jussisset rem in Academia nostra ita geri, ne quicquam de laboris sui gloria Nobilissimus & Elegantissimus auctor perderet. Qui post egregia ingenii & doctrinæ documenta pridem edita, suopte auspicio & marte in meditationem hujus argumenti cum incidisset, non bonæ tantum electionis, sed scriptionis quoque non infacundæ nomine feliciter profecisse visus est: ita ut præter testimonium eorum, quibus studia sua approbavit, nihil desiderari posset. Quamquam ne hac quidem opus fuisset hedera vino per se vendibili, nisi & consuetudo nostra & notitia Academiæ publica,

blica, candoris hoc officium jam olim nobis commendatum fecisset. Neque enim intervenire calamus noster solet alienis curis, sed præclarorum ingeniorum indelibatos potius fructus Reipublicæ gratulari. Faxit DEUS, ut Gambsiorum antiquæ & nunc florentes gloriæ, novis deinceps incrementis cumulentur semper ac amplificentur; & Joh. Sebastianus noster gentilia & domestica decora, non invidente sed applaudente Dn. Parente, perpetuet superetque. Vale Lector Benivole, & in eadem mecum vota conspira. Scrib. Argent. 1672.

DUbito, num operæ pretium facturus sim, si Rudolphi, Principis ante quatuor annorum sæcula celeberrimi, res pace belloque feliciter gestas perscribam. Quamvis enim optimè mereatur ipsa rerum magnitudo & copia, præterea illustres fortissimi Imperatoris virtutes, ut ad memoriam posteritatis referantur; quia tamen multi ea jam perfecerunt, de quibus pauca memorare in animo fuit; cum veterem tum vulgatam rem repetere, non magni pretii aut utilitatis fore arbitrabar. Cum insuper quorundam scriptorum vanitate historiæ hujus veritatem corruptam, & optimi Imperatoris inclytæ generis famæ, laudi atque æternæ gloriæ non parum derogatum videri possit. Perarduum vero erit aliquid certius adferre, quam quod hucusque per longissimam annorum seriem, in tanta scriptorum turba obtinuit vel prævaluit. Utcunque sit, licebit tamen Rudolphi vitam atque res gestas ex vastis Eruditorum virorum operibus eruere, & in hac qualicunque dissertatione breviter exhibere. Auctores vero, unde excerpsimus, hic singillatim enumerare, nihil attinet. Nisi quod ultro intelligitur, ex *Scriptoribus Historiæ Germanicæ*, quos eruditi in certa quasi corpora redegerunt, non præteritos esse annos, qui huc congruebant, ipsosque scriptores videri fide nimi-

nimirum toties digniores, quoties ad ſua tempora & proxime ad illorum vitam, quorum res geſtas perſequuntur, accedunt. Sunt alii, qui continentibus ſuis operibus tam inſignem temporis periodum inſeruere, ut *Sigonius*, *Nauclerus*, *Lebmannus*, & MSC. quædam Chronica. Tum, qui *Imperatores* memoraverunt; aut *Auſtriaca* tradiderunt, ut *Gerbardus de Roo*, *Cuſpinianus*, *Lazius*, & præſertim *Speculum Honoris Auſtriaci Fuggerianum*, gravi auctoris judicio, utinam & ſtylo ſeu dialecto, editum. Hos ubi conſentiunt adhibuimus, ubi in diverſa abeunt comparavimus, pro virili veritatem & rerum geſtarum fidem indagantes. Pauca hæc præfari duximus neceſſarium: nunc pergamus,
I. ſi benevoli lectoris veniam ſperare poſſumus. De Auguſtiſſima Gentis Hapſpurgicæ origine diverſas apud ſcriptores deprehendi ſententias, quando novam partim & nobilem, partim antiquam & minus claram eam faciunt. Multi enim ad Noam uſque humani generis reſtauratorem, initium ejus per ſeriem quandam certiſſimam referre, ut putant, conantur. Quidam à Julio Cæſare & Nerone Imperatoribus, quidam etiam è Scipionum Gente, vel Perleonum, eam repetendam tradunt. Plerique tamen à Francorum Regibus hanc Domum ortam propagatamque eſſe ſibi perſuadent. Sed hæc nimia audacia, aut inepta adulatione eveniſſe, in promptu eſt. An igitur ex Suevorum aut Helvetiorum progenie, cui pauciſſimi favent, deduci debeat, in medio relinquo, benè confidens, me extra reprehenſionem fore, ſi notabili ſcriptorum varietate de univerſi Generis elogiis tantùm propoſita, Fami-
II. liam breviſſimis attigero. Quis primus Comitis Hapſpurgenſis cognomen, cur, aut unde traxerit, in ambiguo eſt. De Wernero Pio dicitur, eum primum hoc nomen in publicis nobilitaſſe monumentis, licet ignarus, credo, quantam nominis majeſtatem aſſumpſerit, quantum immortalitatis decus ſibi comparaverit. Sunt qui ab arce à Rabotho, Werneri tamen fratris ſumptu, extructa, & Habſpurgum, ſive ab accipitre, ſive habendo dicta, nomen accepiſſe aſſerunt. Nonnulli putant, Avensburgum,
avendi

avendi quasi oppidum, quod postea Abesburgum dictum, proprio nomine signatum fuisse. Cæterum Familiam illustrarunt, Alberti, Rudolphi, Ottones, Werneri, pietate, prudentia, fortitudine, rerumque gestarum magnitudine perpetuo memorabiles. Albertus, Rudolphi Cæ- III.
saris Genitor, quod consiliis pollebat prudentissimis, nomen sapientis tulit, adeo belli studiis clarus, ut superiorem tum temporis neminem, paucos æquales haberet. Ab Episcopo & Argentoratensibus præfectus electus adversus Comites Pfurtenses, magnum fortitudinis exemplum reliquit, hostibus duobus prœliis victis, civitati omnes sumptus restituit. Postea sub auspiciis Friderici Cæsaris in Syriam profectus, diem obiit supremum. Maximum Comitem habuissem Albertum qui fidem in pactis, ardorem in religione, amorem erga patriam, fortitudinem in prœliis ostentabat, nisi majorem generasset. Rudolphus IV.
enim Habspurgicæ gloriæ Atlas tam animo quam virtutibus tantum parentem honestissima contentione superare nitebatur, imò superavit. Natus autem est Limburgi, calendis Maji anno supra millesimum ducentesimo decimo octavo, quo tempore Otto Imperator, hoc nomine quartus, in fugam elapsus, & Berchtoldus Zaringensium ultimus Ducum è vita subreptus est. Gaudebat hoc ipso puero magnus Genitor, quem Divina Providentia ad alta fastigia destinavit. E fonte lustrico à Friderico Cæsare susceptus, dulcissimum Rudolphi, id est Rathulffi nomen accepit, non sine omine, futurum hunc aliquando esse Eum, qui consilio & prudentiâ rem Germaniæ afflictam esset restituturus. Infantiam imprimis pueritiamque ha- V.
buit laudabilem, quippe Alberto parenti præcipua in cunabulis de Filio custodia erat, cui virtutum fundamenta, Numinisque venerationem adeo insinuavit, ut ignoraret, natura an præceptis hæc consecutus sit. Sed hæc pueritiæ erant rudimenta, quam quidem in aliorum educatione maternæ plerumque corrumpunt blanditiæ, quod in hoc Principe secus evenit. Accessit enim Genetricis quoque generosus spiritus, quo non fœminas modo, sed

etiam Viros, anteibat. Igitur innatus vigor, animique magnitudo in flore juventutis jam talem pollicebantur, quem postea exhibuerunt, cujus præclaræ indolis argu-
VI. menta ætatem longè prævenerant. Jamque exactis primæ pueritiæ annis in aulam Friderici Imperatoris, arcta propinquitate conjuncti, missus, gravitatem authoritatemque ita tutatus est, ut inter æquales ingenii præstantia, morum dexteritate, honorum moderatione, omnes excelleret. Cumque vix arma ferre posset per ætatem, quoties Cæsarem conveniebat, toties reliqui Proceres in regia considentes, surgebant, nescio qua reverentia moti, eum honorificè excipientes. Versabatur eodem tempore in aula Imperatoris quidam superstitiosis divinationibus præditus; præ aliis hic erga Rudolphum benè adfectus, ejus favorem ac gratiam magno studio emerebatur. Cæsari ergo percontanti, cur huic neque aliis in aula ministris tantum exhiberet honorem, dixisse fertur, se cognitum habere, Rudolphum post Cæsarem imperaturum. Multiplici hinc doloris vel indignationis causa commotus Fridericus, & quid potissimum timeret, incertus, sermo, inquit, tuus nescio quod ingens malum præ se fert, sed cave, si quid Tui tibi Cæsaris reverentiæ est, num quod & scire expeto, & quærere decet, futurus est Imperator Rudolphus? Ille vera divinasse indicat, brevi nimirum fore, ut extincta Cæsaris posteritate, in Imperio rerum sit potiturus. Hic certe qualiscunque fuerit, non ex incertis Astrologorum hariolationibus, sed, quod nobilius vaticinandi genus est, ex ipsa virtutis natura, & singulari erga hunc principem reverentia augurabatur. At Rudolphus cognita Cæsaris ira, haud secus quam par erat motus, statuit ab aula recedere: rediisse tamen eum in aulam constat, cum Fridericus Imperator literas, quas immunitatis vocant, postea daret; in his enim Rudolphus inter Comites primus nomen subscripsit, titulum nobilis Comitis de Habspurg
VII. sibi attribuens. Cæterum, non poterat quiescere in hoc Principe generosus animus, & ingens gloriæ cupido: Ad

Ad rem ergo militarem, quo naturâ propensus ferebatur, animum adjecit, annos omnino sedecim habens. Igitur sub Friderico hoc Imperatore, cui non minus quam parenti se debere confitebatur, prima militiæ deposuit rudimenta, in Sicilia, mox in Italia imminente bello: quo perfecto nuptiis ejus cum Isabella, & conventui ad Moguntiam indicto interfuit. Profectus deinde cum eo Marpurgum, ubi gloriosum Elisabethæ, Andreæ Regis Hungariæ Filiæ, corpus in numerum Sanctorum relatum est. Præterea in bello contra Fridericum Austriæ Ducem suscepto, insigne fortitudinis specimen eum dedisse constat. Postea vero cùm Lombardiam aggrederetur Imperator, & magno cum exercitu Italiam invaderet, num secum sumpserit Comitem, dum nullum apud scriptores extat vestigium, nec affirmare nec inficias ire audeo. Militaverat hactenus sub Imperatoriis auspiciis: VIII. postmodum suo ductu cum gereret bellum, quantam rei militaris haberet peritiam, in bello quod contra Hugonem Tieffensteinium ex vicinia Baronem gerendum erat, apparuit. Lacessitus fuerat ab eo injuria verborum acerba, quam ulcisci ingenii magnitudini conveniebat. Prius igitur arcem satis munitam, obsidione cingere, deinde oppugnare voluit; verum Tieffensteinius sua militumque fortitudine fretus, arcem summa ope defendere nitebatur. Quare Rudolphus viribus addens consilium, pecunia hostes solicitavit, ut deserta arce quasi congressuri in campum descenderent: quo impetrato, arcem à suis destitutam intrat, Tieffensteinio valde reluctante, obtruncato. Non contentus hac victoria Rudolphus, dum arma fervent, Rudolpho patruo Lauffenbergæ Domino, quod tutoris officium non rite expleret, sed regiones partim venderet, partim alienaret, bellum inferre decrevit. Populabundi prius magis quàm justi more belli villas ei complures devastavit: inde cum atrox exardesceret bellum, maluit Lauffenbergius animum nepotis placare, quam martis discrimen experiri, & locis quibusdam Rudolpho concessis,

IX. cum eo in gratiam rediit. Felici rerum successu invitatus Rudolphus, hortante loci propinquitate, Hartmannum Comitem Küburgensem consanguineum armis provocavit. Contendebant de hæreditate materna Rudolphus & Hartmannus, illi data certa pecuniæ summa, qua tamen non contentus, ingentem insuper regionis partem postulavit, missis, qui denunciarent, ni detur regio, bellum adesse. Quod cum recusaret Hartmannus, Rudolphus ira accensus, statim in Comitatum Aquensem movit, quo subacto, Vitodurum, Küburgum & Marburgum petit. Hartmannus quamvis ultima pati, antequam regionem dederet, sibi proposuisset, sententia mox mutatâ, melius pacem facere, quam victoris arbitrium subire autumavit. Post damna itaque utrinque data & accepta, ita paciscuntur consanguinei, ut Hartmannus pecuniam solveret, & regiones Rudolpho permitteret.

X. Cum vero tam conservandæ quam augendæ laudis atque gloriæ occasionem, ubicunque locorum esset, perscrutatus, nullum sua virtute dignum in Germania reperiret bellum, ab Ottocaro in Curiæ præfectum receptus, aulicis cunctis præfertur. Erat scilicet Bohemiæ Regis Aula, virtutis theatrum & seminarium fortissimorum Ducum, à quibus num honore magis an amore cultus sit, ambigitur. Ea tempestate nunciatur Ottocaro defectio Prussorum, qua comperta, copias contra hostes educit; bellum exorsis atrox intercedit dimicatio, nec incruenta de Prussis victoria. Fusi enim fugatique obsides dare, Urbem condere, se suaque omnia Regi permittere cogebantur. Rudolphum summam rei tenuisse in hoc bello accepimus: Ottocarus quippe incertus, quem toti præficeret equitatui, solo Rudolphi nomine hostium vires frangi & reprimi posse, ratus, illi supremum militiæ officium defert. Nec vana erat de virtute hujus nobilissimi ducis opinio, qui unico prœlio hostium iniquitatem ultus est. Compositis in Prussia rebus, Bela Hungariæ Rex contra pacta Stiriam invadit; Ottocarus extemplo contractis copiis Belæ

Belæ de possessione Stiriæ contendenti supervenit, injustis conatibus resistit, hostium magno numero cæso, deletoque. Rudolphum eidem bello simili felicitate interfuisse testantur scriptores, quo finito ab Ottocaro dignitatem equestris ordinis accepit, & donum magnificentissimum. Dum hæc ita geruntur apud Bohemiæ Regem, Imperator Richardus è vita excessit. Imperium itaque absque capite esse perpendens Rudolphus, urgente necessitate ab aula summa gloria, majori tamen omnium desiderio revertitur in Germaniam. Facile crediderim, tanti Ducis discessum incredibili dolore affecisse Ottocarum, quem nunquam dimisisset, si virtus præmiis compensari aut muneribus adæquari posset; qui nunquam recessisset, nisi charitate patriæ ductus, opem ferre properasset. Perventum erat in interiorem Alsatiæ regionem, omnium rerum copia fertilissimam, in qua bellum conflatur inter Argentoratenses & Præsulem diœceseos Waltherum à Geroldsegg. Causa illius hæc traditur, quod Argentoratensibus jura quædam subducere, leges violare, privilegia infringere, illosque tributis gravare agitaverit. Argentoratenses cum motuum horum compositio traheretur, facta ex Urbe eruptione, montem Haldenbergam depopulantur, & fossam circumjectam terra aliaque materia explent, ne Episcopus haberet, unde ex insidiis Argentinæ damnum inferre posset. Ille graviter hac re perculsus, sub omnium bonorum jactura Ecclesiasticos gravissima execratione obstrictos jussit omnes urbe egredi, ut sacris incolæ privarentur. Interim contractis militibus, Argentoratum quam potuit celerrime obsidere cogitat. In auxilio ejus erant Episcopus Trevirensis, Abbas Sangallensis, Comes Thiersteinius & Rudolphus Habspurgicus. Sed Argentinenses cum Conrado Friburgico, Henrico Neoburgico, & aliis sociis, non castris positis, non exspectato hostium exercitu, raptam ex agris vicisque prædam portantes, in urbem redierunt. Ecclesiastici vero majori clade quam commodo bellum geri animadverten- XI.

XII. tes, motus hos, pactis inter Præsulem & Argentinenses induciis, componere tentarunt. Ast Præsul collecto intra hoc tempus milite, agnatisque qui antea ei opem præstiterant, conjunctis, totis viribus, bellum finitis induciis repetit. Diu cum parte exercitus circa urbis mœnia hærens, neque frumentum, neque vinum, quorum copia alia loca abundabant, invehi permisit. Non minor Argentoratensium etiam belli adparatus erat, qui & accersitis auxiliis, & Duce indigentes, Rudolphum à Præsule offensum, constituunt. Ad hanc clarissimi ducis præsentiam, effusa magna multitudo obviam procedit; in hunc quasi de cœlo demissum universa Civitas oculos convertit, non aliter quam si ipsam victoriam intuerentur. Igitur sub resonantium campanarum strepitu, & gratulantium Civium applausu in urbem remeant, & in area ad ædem Beatæ Virginis Deiparæ. (quæ nostris der Fronhoff audit) jurejurando fidem mutuam socii confirmant. Rudolphus hostem ad pugnam provocaturus, cum delectis terras, agros, vicosque Episcopi invadit, depopulatur, ac igne consumit, ablata hominum pecudumque opima præda. Quo irritatus Præsul, Argentoratensium quoque, quas extra urbem habebant, res captas direptasque militibus distribuit, loca quædam arte ademit, inde

XIII. Molsheimium profectus. Per hoc tempus ex certamine factionum, quæ pluribus populis magis exitio quam bella externa, vel ultima mala fuerunt, eruntque, in oppido Colmaria orto, acerrima animorum durabat disjunctio, cujus altera pars Episcopi suscepit patrocinium, altera ei reluctante. Hujus caput dicitur fuisse Röfellmannus, loci cujusdam præfectus; Is expulsus ab Episcopi adjutoribus, Rudolphum adit, exponens quam facilis fieret hujus urbis occupatio, absque ulla vi, solo adhibito consilio. Rudolphus data occasione mirifice lætus Röfellmanni callido consilio approbato, qui se suosque vacuo includens dolio, noctu in civitatem reclusis portis à consciis intromittitur. Igitur ut constitutum erat, accenso stramine per totam urbem dato signo, Rudolphus propius cum exercitu

citu venit, & occupatis munimentis, oppressit factiosorum capita, oppidoque satis valido imposito præsidio, Mülhusium, deinde Keysersbergam contendit, oppida ut in ea regione & tum temporis clara, quæ ditioni ejus omnia permittebant, firmataque fide reversus est. Appropinquabat autem amœnissimum veris tempus, quo copia pugnandi utrimque facta, Præsulem tertio equo vehentem, quippe duo vulneribus confossi erant, memorabili ad Hausbergam vicit prœlio, & pavidum in fugam elapsum insecutus, consequi non potuit. Sunt quidam authores, sexaginta nobili stemmate natos, cum Comité Tieffensteinio & Hermanno Gerolseggio Præsulis fratre, fortissimisque Ducibus egregia morte defunctos, peditum equitumque innumeram turbam cæsam, septuaginta insuper sex nobilium in urbem restibus, quibus Argentoratenses comprehendere volebant, deductos esse, non plus uno Cives amisisse. Sive tanta sive minor victoria fuit, ingens tamen & nescio an major ab iis res gesta habeatur; quippe pro sua & omnium posterorum libertate pugnarunt, quæ clarissima victoria in perpetuum eos nobilitabit. Episcopus turpi fuga mortis periculo evitato, sera pœnitentia ductus, non multo post ex animi ægritudine è vita excessit. Adeo destinata, fortuna omni ferocia potentior, salubriter discussit, dum Imperium quod mente complexus erat, non obtinuit, sed & quod habuit, amisit. Num huic prœlio Rudolphus quoque interfuerit, aut præfuerit, auctores multum discrepant: Nolo tamen hæc ad fortissimi comitis insignis famæ non modicum incrementum aptissima, refellere aut affirmare. Inter hæc Tigurini ducem spectatæ virtutis & disciplinæ militaris peritum, quo ingruente bello uterentur, postularunt: oblatum ab iis honorificum munus Udalricus Regensbergicus, Dynasta potens & fastuosus, temere aspernatus, dixit, non quidem indigere civibus, eorum tamen defensionem suscepturum, si dominium ejus agnoscere vellent, sin conditio minus placeret, scirent, ut pisces nassis includantur, ita Tigurinos à se captum iri. Illis superba responsione vehementer

XIV. XV.

ter offensis, perniciosæ hujus arrogantiæ vindicandæ matura obvenit occasio. Rudolphus enim tanquam illustre sidus componendis tantis fluctibus tempestivus adfulsit, quem militiæ præfectum denominant. Periclitatur ille rursus virtutem, fortunamque nunquam indulgendo sibi fatigatam, tanto majori animo, quod ad oppugnandum Regensbergicum, hostem hactenus infensissimum, justam haberet causam. Is nuntio de electo novo Duce percepto, ita terrefactus est, ut Nidovios, Toggenburgicos, Homburgicos, Ringensbergicos & alios plures non modo agnatos, sed amicos adjungeret. Tigurini licet viribus longe inferiores, nihilominus instructa acie elato hosti occurrunt. Commisso prœlio, Rudolphus magnam de hoste reportavit victoriam, qui necessitate adactus, arcem Regensbergam, aliaque suæ ditionis loca vendidit, pretiumque ex iis militi stipendio numeravit. Laudare eam, lætarique Tigurini, omnia subigenda tam ob patriam quam ob justam iram infestis signis pervenere eo, unde assiduas incursiones in agrum suum hostis moliebatur. Rudolphus obsessa arce Utlenberga, præalta & munita, sed expugnandi pariter, ac cogendi ad deditionem spe amissa, in locis propter propinquitatem notis, sedatis armis, consilio dimicavit. Regensbergius ex hac solebat indies equitare cum duodecim equis albis, secum habens albos quoque canes, ipse & servi æquè albati. Hoste pro more egresso, Rudolphus eodem equitum & canum, albo itidem colore, trepidè ad arcem pervenit, persequentibus acerrime Tigurinis: Custodes, suos redire credentes, portam aperiunt, sed una etiam irruerunt persecutores. Tum victa oppidanorum vis, dejectisque propugnatoribus, occupantur muri: Arx etiam quæ inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est & eversa. Inde Glazenbergam simili astu captam direptamque, profectus, reliquis castellis brevi post aut vi aut deditione in potestatem redactis. Regensbergicus hoc modo omni jam ditione privatus, ab omnibus jam desertus, ad hostem magno fortunæ ludibrio confugere, annuamque pensionem à clementissimo victore implorare necesse

necesse habuit. Adeo maxima quæque in lubrico sunt, & audacissimas hominum spes, quilibet ex improviso casus eludere potest. Rudolphus vero haud dubie omni bellica laude dignus, virtutis tale documentum Tigurinis probavit, ut gloriarentur nunquam optata exitum deseruisse, quamdiu Rudolphi opera utebantur. Dum XVI.
hæc geruntur apud Tigurinos nova belli semina sparguntur, quæ magna animi constantia superanda prius erant, quam amplum honoris templum conscenderet. Episcopus enim Henricus Basileensis, Neoburgo & Brisaco hostili impetu occupato, Stelliferisque ex urbe ejectis, Hartenbergam arcem paulo ante extructam, Blodelshemium oppidum, Otmarsenam, Rhinfeldam & Klingenam, loca ditioni Habspurgicæ subjecta, non expressa belli causa adortus, crudeliter in ea grassatus est. Accedit, quod imperiosa Basileensis plebs, credo furoris insania magis quam injuriarum ultione, selectissimos equites, tam propinqua cognatione stirpi Habspurgicæ adnexos, quam Rudolpho in paucis charissimos, finito certamine equestri, erga uxores civium nimio amore incensos, obtruncaverit, trucidaverit, & quod dictu horrendum, humi postratos, pedibus tamdiu conculcaverit, donec miserabili morte defungerentur. Instigabat ad vindictam Rudolphum, perpetrati sceleris magnitudo & atrocium injuriarum multitudo: Sed in ipso belli apparatu districto Berchtoldus Abbas Sangallensis moram injecit. Itaque dilata in proximum facinoris ultione, cum Abbate ad Hugonem Wirtenbergicum profectus, ei contra Montfortios opem tulit; inde cum rediisset, cogitatum bellum ab utraque parte strenuè paratur. Episcopus cum Udalrico Ferretano fœdere in decennium percusso, ab Argentoratensium Præsule auxilia accersit. Rudolphus interim monasterium Grandisvallis exurit, arce Tieffensteina destructa, relicto Neoburgo, Basileæ suburbium incendio vastavit, Episcopo in Secconium tantum sæviente. Comes XVII.
ex hibernis exercitum movens, urbem ipsam aditurus,

Kk per-

percepit Abbatem, antea amicum nunc hoſtem, magno copiarum numero ſuas laceſſere regiones. Quare conſilia agitari cœpta, utrumne ultra ſuſcipiendum eſſet bellum, an deſerendum, ſi pax certa & honeſta, victoria ſperata longè tutior meliorque, haberi poſſet. Ipſe Rudolphus non aliud tempus magis poſtulaſſe pacem cenſebat, vires enim diſtrahere, inconſultum eſſe, neque facile præſtare vel conducere cum duobus habere diſſidium, niſi cum altero quis in gratiam redeat: Plura etiam ſe merita ab Abbate accepiſſe, illum à ſe pauca, confitebatur. Et ſi hoc non eſſet, ſcire omnes, belli eventum incertum eſſe, & ſæpius animoſius ſumi quam geri. Facile ratio tam ſalubris conſilii accepta eſt. Itaque paciſcitur cum Abbate, ſed exemplo inter pauca magnanimitatis ſpecimina memorando: Modico quippe præſidio hoſtem præſentem adit, alloquitur, mitigat, tantâ prudentia, ut operam copiaſque ipſi ſponte polliceretur.

XVIII. Quibus auctus de novo in agrum Baſileenſem arma intulit. Aderant ibi & Tigurinorum auxilia valida & opportune miſſa. Quo autem felicius, quandocunque vellet, Rhenum tranſire poſſet, perſpicaci ingenio ſingularem prorſus modum navium fabricandarum excogitavit: ſolutiles illæ erant, modo plicari, explicari rurſus, ac curru vehi accommodatæ; his ex improviſo hoſte frequenter oppreſſo, igne ferroque agrum illius perdidit, ut ſolitudinem faceret: quicquid uſui inſerviebat corrupit, ſterile ac nudum ſolum relicturus. Cæterum non ipſe modo obibat urbem, jugum adhuc recuſantem, ſed milites quoque ipſius pleraque invaſerant. Aliquando obequitantem conſpexit Hugo Mariſcalcus urbis conſul: itaque ad inſequendum eum parva manu venit, ignorans, qua inſidiarum fraude circumiretur. Siquidem Rudolphus ſuis mandavit, ut ruentibus in ſe ſupervenirent, ac magna clade proſternerent. Mariſcalcus cupidine captus, hoſtem invadere ſatagens, ab inſidiatoribus comprehenſus, & occiſus eſt. Rudolphus ne quid inexpertum omitteret, cum diffi-

difficilis hujus urbis occupatio videretur, donis Episcopi amicos corrupit, ut facta defectione ad eum transfugerent. Episcopus quod omnia indies arctiora fierent, territus, inducias ab eo in quatuordecim annos petit & obtinuit. Dum vero sic Rudolphus obsessos urget, Cæsaris ac Imperatoris nomen sortitus est. Hic vero XIX. interrumpendæ sunt res Rudolphi; & quomodo hoc factum sit, ut dignitas hæc Comiti non Regi deferretur, qui status rerum, quæ consilia Principum, Civitatum vires, Nobilium potentia, quique animorum motus tum fuerint, breviter exponendum. Res vero ipsa postulat, ut à malorum in Imperio maximorum authoribus, Gregorio, Honorio, Innocentio, Hadriano, egregiis Pontificibus auspicemur. Hi enim astutissimi, ad minuendam Imperii Romano-Germanici Majestatem intenti, fraudulentas artes, nefanda scelera adhibuerunt, per quæ dissidiis & internecivis odiis inter Imperatores ac Principes concitatis, eò penetrarunt, ut octodecim tandem per annos vastum Imperium absque capite fuerit. Fridericus quippe, cum injusto anathematis fulmine excommunicatus, ab amicis desertus, fortunaque destitutus corruente Imperii Majestate decessisset: Conradus ejus filius in hoc perturbato statu superstes, imperii cura feliciter suscepta feliciorem quidem ominabatur progressum. Sed vicit mox Pontificum astutia, authoritate religionis fulta atque armata, Conradusque insidiis Manfredi circumventus, periit. Misera erat ista tempestate rerum facies, quod contra Leges & Imperii jura exteris Regibus summum fastigium deferretur. Henricus enim Thuringus, Wilhelmus Hollandus, Richardus vero & Alphonsus exteri, artibus Pontificum electi, legitimo non tantum nomine, sed justo quoque titulo carebant. Cum itaque magis arma, quam leges eo tempore dominarentur, Principes jura Imperatoris ad se pertrahebant: Civitates inito primum communi fœdere Principum consilia reprimere libertatemque obtinere quærebant, postea tamen pariter & Principes in societatem adducentes. Nobilium impri-

primis etiam magna libido fuit, qui ex arbitrio cuncta composuerunt, invaserunt, ac diripuerunt. Sed nullus erat, qui afflictam Rempublicam sublevare, concussam stabilire, neglectam, imo fere amissam respicere modo cogitabat.

XX. Hac igitur miseranda tempestate, quæ nunquam satis deplorari, nunquam satis curari potuit, acerrimi hactenus hostes ipsi Pontifices commoti, crescentibus indies malis remedium adhibere intendebant. Nam Gregorius decimus Electoribus Francofurti comitia celebrantibus, denuntiavit, ut Imperatorem eligerent, non tam qui Ecclesiæ provideret, quam qui collapsam ferè Rempublicam restitueret; si minus, se de consensu Cardinalium Romani Imperii ultimo exitio præventurum. Electores habitis Comitiis nuntium de repentina Richardi morte accipiunt; Itaque Comes Tirolensis Meinhardus, Princeps famæ celebritate conspicuus, tres totius Germaniæ Athletas, Bernhardum Carinthiæ Ducem; Albertum Gorithiæ Comitem; & Rudolphum Habspurgicum Principibus imperii honorificè commendavit. Cæterum ambitioso conatu Ottocarus Bohemus, empto Ottonis Brandenburgici suffragio, & nonnullis aliis quoque inter Ordines pecunia corruptis, imperium affectabat. Ad discordiam ergo re denuò inclinante, vicit Rudolphi fatum, cujus virtutis experimenta, morumque documenta, gravi sermone Wernerus Moguntinus deprædicaverat. Omnium itaque consensu potestas denominandi quem vellet Imperatorem, Ludovico Palatino traditur: Ille diu multumque reluctatus, ad ultimum Electorum fretus unanimi conspiratione, Rudolphum ad Cæsaream dignitatem provexit. Crederes hujus futuræ Majestatis tot victoriarum gloriam quasi prænuntiam fuisse, adeo, ut nihil ei deesse imperatorium, quam imperium videretur. Subito hinc Henricus Pappenheimius Imperii Ensifer castra Rudolphi ad Basileam posita intrat, & Imperatorem eum salutat. Altera die Burggravius Noribergensis gratulabundus eandem augustissimam dignitatem, Princi-

pum

pum diplomate ac decreto electionis confirmatam, annuntiat. Somnio similis res Rudolpho videbatur, vixque initio fidem habens, mox divinam inde providentiam conjectans, & gratias agere, & Electorum voluntatem approbare voluit. Fama, ut solet, non castris tantum, sed tota quoque urbe discurrit, aliorum studio, aliorum eminente indignatione. Itaque à præsenti multitudine inter faustas acclamationes Imperator consalutatus, extemplo cum Præsule pacem initurus, captivos pristinæ restituit libertati, missis qui nuntiarent, se Cæsarem, injurias oblivisci illatas, & cuncta, si supplex venerit, ignoscere. Præsul hac re attonitus, erectis in cœlum manibus, exclamavit: O æterne Christe firma Solium Tuum, ne hic TE Comes deturbet; certissime enim credo, fortunam, quoties de cœlo delabitur, toties hunc Comitem superfundere. Cumque bellum inferre non posset, ad gratulandum Rudolpho, etiam reconciliandum legati, his pacis conditionibus revertuntur: ut Henricus Præsul oppido Neoburgo derelicto, nongentarum argenti librarum, vulgo marcas vocant, summam solveret, in carcere detentos dimitteret, ejectosque ex urbe reduceret. Præsul subita mutatione quam maximè perturbatus, eousque doluit, ut ex mœrore vitæ periculum contraheret. Inter hæc Legati undique Basileam confluxerant, precantes, ut felix ille, felices omnes sub Imperio ejus viverent. Miserat Argentina quoque statim ab initio Legatos, qui Civitatem Rudolpho honorificentissime commendarunt. Cæsar legationem benignè acceptam non solum dimisit, sed ipsam Urbem confestim petiit. Offerebantur ei Argentinæ dona, vinum generosissimum, frumentum, & jugera, & pretiosissimæ gemmæ: Nec ipse tantummodo, sed Conjux quoque splendidis onusta muneribus, magno numero navium Rhenum transiit, ut una cum Cæsare coronaretur. Iter hinc Moguntiam pronuntiavit: eò cum perventum esset, regalibus ornatur, quæ tot prædecessores ingenti pecunia obtinere nequiverunt. Francofurtum vero cum Conjuge, liberisque, inde Aquisgranum conten-

XXI. (margin, beside "annuntiat")

XXII. (margin, beside "doluit")

dentem comitantur Principes, Nobiles, multique Argentinensium, in quorum omnium illustri conventu Rudolpho & Annæ uxori Diadema imperii solenni ritu imponitur. Cumque jusjurandum à Principibus exigeret, nonnulli absentiam reliquorum, alii sceptri defectum causati, recusarunt. Ille arrepto Crucis Signo, *hoc*, inquit, *inimicos, hoc Imperii Majestatem violaturos, pedibus meis subjiciam.* Adeo hæc verba animos Principum penetrarunt, ut crucem exosculati, sub Sacramenti religione auxilia contra rebelles hostiumque vires pollicerentur. Nocte autem, diem inaugurationis subsecuta, ferè simile in cœlo apparuisse crucis signum fertur, primùm candidæ, postea in ruborem sanguinis transformatæ, tanto ignis fulgore, ut omnes qui intuerentur, vel in admirationem ducti, vel tacita religione territi fuerint; unde cœlum ipsum, quæ hic acta fuerunt, confirmare videbatur. Rudolphus Aquisgrani ita moratus, Principibus convivio adhibitis, arctissimum fœdus per matrimonia Filiarum sanxit, memorabili fato, quo tot potentissimorum Principum vires una dies conjunxit. Cum jam Aquisgrano discederet, percepit Gregorium decimum Pontificem Lausannam pervenisse, quo iter instituens, confirmatur à Pontifice ea lege, ut intra anni spatium Romam ad insignia Imperii accipienda adiret. Promisit insuper ducenta aureorum nummûm millia expeditionem in Palæstinam suscepturo.

XXIII. Rudolphus ad restaurandam Rempublicam intendens, contundere superbos, coërcere latrocinia, subigere rebelles, auctoritatem suam firmare, imperioque splendorem reducere in animum induxit. Nil tamen sine consilio Principum facere volebat: Quippe Noribergam indictis comitiis omnes eo vocavit, & convenerunt, præter Ottocarum Regem Bohemiæ & Henricum Ducem Bavariæ, qui postea Herbipolim citati sunt. Principes constituta die rursus congregati, exspectarunt eorum adventum, cumque iterum comparere refragarentur, Cæsar in aliud tempus rejecta inobedientiæ pœna, Friderici Zollerensis consanguinei, Burggravii Noribergensis, titulo adjecit digni-

dignitatem hæreditariam. Aliis deinde Augustæ Vindelicorum celebratis Comitiis, ex Austria, vicinisque locis legati de sævitia & crudelitate Bohemiæ Regis questum venere, qui sacris profanisque violatis, domi etiam fœminarum virginumque corporibus vim inferret. Jamque toties vocati Ottocarus & Henricus, ad perferenda mandata legatos miserunt. Erat inter illos Bernhardus Seccoviensis Præsul, omnium astutissimus, & ad fallendum egregie compositus: alter vero Henricus Oettingensis, melioris notæ habebatur. Cum admissi essent, in illustri Principum corona Bohemus nihil aliud egit, quam ut Cæsaris electionem omnibus modis improbaret: Bavarus verò ut inobedientiæ causam non minori facundia quam prudentia exponeret. Igitur Seccoviensis Præsul è vestigio in Bohemiam reversus, indicat Regi, Germanorum Principum iram ex habita oratione gravissimam. Ottocarus irridens hæc, immodicus æstimator sui, Imperatoris, Principumque Germaniæ potentiam ludibrio habere cœpit. Has ob causas Cæsar, Electores, Principes, durante Comitiorum tempore, legant ad eum Burggravium Noribergensem & Henricum Basileensem antistitem, hac denuntiatione, ut Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, omnesque ditiones malis artibus occupatas, sub fide imperio redderet. Legati Ottocaro mandata exposuerunt; ille ferox, temere viribus suis fretus, in hunc modum respondet. *Rudolphus antea famulus, meoque imperio obnoxius, nunc, ut dicitis, Imperator, indignus, cui tot Reges obsequantur, à Rege Bohemiæ etiam obsequium petere non abhorruit: Sed video quod severus maximè & superbus fiat, ex humili vilique evectus, cum tamen nihil tam instabile, tam fluxum sit, quam potentia non sua vi nixa. Nunquam igitur Ottocarum Regem, Rudolpho obediturum significetis; sin hoc responso lædi se judicaverit, belli fortunam experiri posse, se tamen, ut pacem præferat, ei consulere.* Legati nondum soluto conventu Cæsari referunt, quàm Bohemus infestum adhuc animum habeat, quæ contumeliosa verba emittat. Hac re Principes concitati bellum Ottocaro inferendum decernunt, & Bavaro, XXIV.

quem

XXV. quem in suas partes attraxit. Sed Germania prius pacanda erat, quam bellum in exteras regiones proferendum, ne dum hostem procul quæreret, domi majore jactura aleret. Wirtenbergicus enim Comes Eberhardus senior, homo sublati admodum supercilii, qui se solius DEI amicum, totius vero mundi hostem profitebatur, Marchione Badense, compluribus Sueviæ Comitibus adjunctis, per Alsatiam, Sueviam, Franconiam Orientalem imperii ditiones, multa suæ potestati subjecit. Cæsar itaque à Genero Ludovico Palatino adjutus, pace domitis data, Ergovia, Brisgovia, Turgovia quoque recepta, Bavarum Bohemicis subsidiis nixum, aggreditur, ac primo prœlio quosdam fudit, quosdam cepit, cæteris fuga elapsis. Henricus exigua quidem clade adfectus, cum fratre tamen in gratiam redire, & veniam à Rudolpho petere coactus est. Sed novissima hæc victoria instrumentum sequentis erat.

XXVI. Quippe Ottocarus Rex Bohemiæ, cujus frequens supra mentio occurrit, per annos jam viginti duos Austria potitus, imperium Rudolphi non solum detrectavit, sed & contra omnium Gentium jura Legatos violavit, quibusdam ad portam suspensis. Hac indigna suorum nece commotus Cæsar bellum in Austriam transjecit. Communitur tum suis tum Germanorum copiis robore & numero validissimis, secum habens Moguntinum & Coloniensem Archi-Episcopos, Ratisponensem, Herbipolensem, Pataviensem Episcopos, Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Henricum, Ottonem Bavaros, & multos Nobiles de Rheno, Franconia & Suevia. Miserat quoque XXM. Equitum levis armaturæ Ladislaus Hungariæ Rex, ob erepta à Bohemo loca sibi subjecta. Ottocarus convocatis Austriæ ac Stiriæ Nobilibus novum ab illis jusjurandum exegit, filios obsides petiit. Cumque nil minus quam multitudo militum ipsi deesset, quos è Bohemia, Saxonia, Silesia, Pomerania, Polonia, Thuringia, Moravia, bellicosissimarum gentium genetricibus, coegerat, Hercyniam Sylvam, qua in interiora Bohemiæ iter patet, firmo præsidio occupari jussit. Cæsar perscrutatus hostium con-

consilia, Danubium transit, ibique Belsum oppidum, Lynciumque recepit. Inde Viennam belli caput urgebat obsidio; Spe enim brevi capiendæ Urbis inductus, ipsis portis inhæret. Tenebant autem Urbem numerosa Bohemorum præsidia, quæ hactenus deditionem morabantur. Nam prævalentibus his, cives, quamvis Rudolpho optime cuperent, nihil ausi sunt: interim pugnæ locus & prœlii dies exspectabatur, cum hostis exercitum in conspectum dare non conaretur, incolis urbis ni dederent se; omnia populaturum, minatur. Illi satis attoniti, urbem quidem defendere proposuerunt, sed penuriâ commeatuum aliquot dierum inducias pacti, ut nisi intra eos auxilium Ottocarus mitteret, sese Cæsari permitterent; postquam nihil inde præsidii mittebatur, ad præstitutam diem, cum per quinque septimanas obsessi essent, in fidem se urbemque dediderunt. Exemplum hoc aliæ quoque urbes imitantur. Hactenus Danubius duo immensa agmina separabat, sed utrimque deficiente commeatu, metu futuræ seditionis pacis auctores inveniuntur, dicentes satius esse, pacem facere quam sanguine suo campos implere. Itaque Bruno Episcopus Olomucensis, ab Ottocaro ad Rudolphum ut tentaret, quod suaserat, missus, his conditionibus eam impetravit; si Austria, Stiria, Carinthia, Carniola & quæ ad imperium spectant, relictis, Moraviam, Bohemiamque in feudum accepturus esset: si præterea Imperatori jurisjurandi vinculo sese astringere, Ladislao sua restituere, & captivos dimittere vellet. Annuens Rex, unum rogavit, ut secretò intra tentorium paucis coram arbitris debito erga Cæsarem defungeretur officio. Sed, ut opinor, dignus erat, cujus superbia eluderetur. Itaque eo ad genua Imperatoris provoluto, pensile tentorium in quatuor partes dissolutum, decidit. Ottocarus hoc modo retibus irretitus, dissimulata, quam ceperat, indignatione, scenæ inserviens, duarum maximarum Gentium ludibrio atque contemptui exponitur. At quanto atrocius superinducta mulier Künegundis redeuntem excepit? *Te*, ait perditissima, *qui Bohemiam Regnorum Regnum*, XXVII.

qui pulcherrimas ditissimasque provincias, neque Domino, neque victori, sed servo, imo hosti, nulla vi, nullaque necessitate coactus, subjecisti, oculis ne intuear? Quorsum Moravi, Silesii, Saxones, populares suis exciti sedibus, scilicet, ut Te, antea Regem, jam servum ante Rudolphi pedes procumbentem, in egregio triumpho conspicerent. Me quidem felicem prædicabam tanto Regi nuptam, nisi me ex Regina servam, ex Imperatrice captivam fecisses. Certe quicunque velit, patiatur hanc injuriam, ego haudquaquam pati possum. Crede ergo si armorum strepitus amplius audire non cogitas, conjugem per socordiam Viri amissa bello repetituram. Ille ad ultimum pœnitentia victus, cum saniora amicorum consilia admittere nollet, muliebre consilium plerumque deterius, & assentationem cæterorum amicorum perniciosam, perpetuum regni malum, comprobavit, non sine nominis dedecore fracta pace; turpius datam fidem fallere, fœdusque rumpere, & bellum restaurare conatur.

XXVIII. Collectis ergo ex Pomerania, Saxonia, Moravia, Bavaria fortissimis undique copiis in Marchiæ campo castra metatur. Cæsar Viennæ tum erat, cùm ei nuntiaretur Ottocari defectio, quam adeo ægrè tulit, ut diceret, *scio Divinum Numen rupti fœderis & Sacramenti perfidiam ultione persecuturum, quare non moriar, antequam DEI hominumque deceptorem victoriæ præmium faciam.* Igitur castris ad Laam oppidum in campo Nidersburgico positis, quo majore animo capesserent bellum, universas vires in conspectum dedit. Erat quidem ingens multitudo, majorem tamen quam pro numero speciem gerens: Quippe Ladislaus Hungariæ Rex à Cæsare in filium adoptatus, viginti millia Chumanorum armaverat, gentem bello acerrimam. Stiriorum mille & centum aderant. Ex Germania multa millia, robur virorum missa. Jamque acies ab eo prudentissimè ordinabatur, signa distribuebantur, promptissimi quique in fronte collocabantur: Nondum vero ad manus pervenerat, cum pauci Hungarorum ad Ottocari castra progressi, pro more ex hostibus comprehensis secum ducerent. Cæsar quoque ut majorem victoriæ spem suis faceret, quam plurimis militari dignitate insignitis, egregia oratione milites adloquebatur. *Habetis, Commilitones, materiam*

teriam virtutis gloriaque vestra maximam, hostem, qui perjurio suo & homines maligne decepit, & Divinum Numen sibi iratum reddidit. Hinc pœna & clades certissima, quod nunquam talia scelera inulta fuerunt. Hic dies Germaniam dulcissimum patria solum, finitimasque regiones de sævissima Ottocari tyrannide aut liberabit, aut Tyrannum omnium spectaculo in triumphum deducet. Vobis enim & universo terrarum orbi non ignota est hæc perfidia, ambitio, &, quod fateri necessum est, scelestum facinus. Ergo justissima causa subest publicam defendentibus tranquillitatem, securitatem & sanguinis germanici gloriam. Nomina modo gentium non extimescatis, cum neque ad belli discrimen, neque victoria pramium pertineat, qui Moravi, quive Bohemi adpellentur. Plures hic dimicare, illic plures conspici, & imbelles esse omnes, à fœmina missos, credite. Vos contra intueamini cujus ductu auspiciisque tot terras, ingentia spei incitamenta, post tergum reliquistis. Dimicandum est fortiter, sub signo Regis Romani, contra Regem Bohemia paucitatem nostram contemnentem: Sape enim contemptus hostis cruentum edidit certamen. Experiamur itaque magna animorum constantia, quicquid deinde sors tulerit: consequemur tamen honesta morte omnibus optanda egregiam victoriam aut pugnam. Quid multis? mea vestrorumque omnium, aut vincere, aut mori, unica hodie fortuna erit. Ottocarus vero breviter in hunc modum suos adhortatus est. *Magnitudinem belli, quod, suscepimus, dum intuemini milites, non dubito, quin existimetis difficilem fore hanc victoriam: & videri talis posset, si magnum belli nomen vos terreret. Sed vestram virtutem fortunamque diu satis expertus, animum quem hactenus habuistis, eundem mox in vincendis hostibus prodituros vos confido. Inferimus enim bellum, eoque fortius pugnamus, quo major spes nostra, quàm arcentis est. Omnium autem animos accendit dolor, injuria, indignitas, ante biennium nobis illata, quam hodie fortitudo vestra & ulcisci & punire debet. Me quaso imitemini, sive ignavia sive fortitudinis exemplum dedero. Videtis ipsi paucorum tantum hominum arma esse, hic vobis vincendum aut moriendum est. Opulenta laborum pramia erunt regiones ditissima, quas superbissimus Rex suas omnes suique arbitrii fecit. Hac fortibus viris dico, ideo quocunque confero oculos, generosissimarum gentium robora, tum ob*

XXIX.

ob patriam, tum ob justam iram pugnatura, aspicio. Cæterum sive anxio de instanti prœlio, sive terrefacto de præterita vita male transacta, in somno observata Ottocaro species, quæ visa est repræsentare multa cornua suo capiti imposita, uno vero ictu rursus evulsa; aliis alia per quietem videntibus. Forsitan erant minæ vel iræ cælestes, quibus eum divinatio animi præsagientis dehortari voluit.

XXX. Jamque pugnæ initium factum erat, cum fortiter Austriaci, Stiriique in cornu hostium, quod ipse Rex tuebatur, invehebantur. Diu anceps stetit prœlium, cum nulli neque ignavo, neque timido cessare liceret: donec Pfannenbergicus lethali vulnere accepto aciem desereret. Tum demum Stirii pavore perculsi, languidius pugnabant. Cæsar ignorans quidem causam remissæ pugnæ, DEI opem imploravit, mutua deinde adhortatione firmati acrius in hostes erumpunt. Bohemi metu hinc dissipati, impetum sustinere non poterant; Henricus quoque Marchio territis timorem incussit, mandans, ut se exclamante hostes fugere, omnes altissima qua possent voce clamorem ederent, *fugiunt.* Milota ulturus Regem, quod fratrem injuste carceri inclusum necasset, primus turbaverat fuga ordines. Jam vero non sensim cedere, sed qua cuique ad fugam via, erumpere. Ottocarum duo fratres, regiæ necis avidissimi, Merenbergeri adpellantur, tertium enim suspendi curaverat, fortiter pugnantem adorti, equo dejiciunt, Regemque à se prostratum vociferantur. Tum vero multum sanguinis fusum est: quippe amisso Rege nec volebant salvi esse, nec poterant, aliis ignotos saltus, aliis diversos calles petentibus. Ferunt, Hungarorum ferociam tantam fuisse, ut fugientes tamdiu persequerentur, donec omnes vel interfecti vel capti sunt. Tanta strages eo die facta, ut quatuordecim millia hostium interficerentur, præter vulneratos, aut captos. In exercitu Rudolphi non quidem multi sed fortissimi cæsi sunt: Centum enim Tigurini, omnes sicut pugnantes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis, egregia mor-

morte defungebantur. Acre certamen nobilitavit quoque ab altera parte Cæsaris vitæ periculum, dum Herbotus Fullensteinius ingentis staturæ Polonus, è Regis Bohemiæ pecunia ditatus, magno audacique aliquo facinore in castra penetraret, Cæsarem occisurus; ejus celeritate præoccupatus, prius gladio interimitur. Ab altera vero Ottocari mors, qua Rudolpho nuntiata, corpus demortui, octodecim vulneribus confossum, regio insuper ornatu spoliatum, & quod in illo fastigio indignum, prope à calonibus nudatum, ad Bohemos patrio regioque more sepeliendum Cæsar misit; posthæc regicidis tantum à conspectu ejus recedentibus, quantum se ab ejus ira putabant abfuturos. Dies hic, quo Ottocarus cecidit, inter infausta regni habita, ob mortem Johannis Bohemiæ Regis in prœlio Britannico eodem die interfecti. Rudolphus tam memorabili victoria lætus, qua Ottocarus temerè illati belli pœnas luit, Ladislaum, habita ei gratulatione, cum copiis à se dimisit. Ipsi trajecto Teya in Moraviam progresso nuntius adfertur de Ottone Brandenburgico, defuncti Regis Bohemiæ avunculo, quomodo regni gazam occupaverit, & bellum refecerit. Quæ etsi falsa nuntiata fuissent, apud victorem tamen pro veris habebantur. Ideo Præsul Olomucensis Cæsarem adiens, satis superque Bohemos funere amisisse, Brandenburgicum pacatum esse, & Wenceslaum parente orbatum pacem petere exposuit. Cæsar confirmavit eam, ut quemadmodum se vincere, ita victoria uti scire testaretur, Guthâ eximiæ pulchritudinis filia Wenceslao in matrimonium, & Rudolpho Filio, Agnete Wenceslai Sorore mutuo datis. Eligitur & Brandenburgicus, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. Compositis in Bohemia rebus, ut à tergo tuta relinqueret, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæque datis præfectis, Viennam redit. Per triduum in hac urbe, ut moris victoribus erat, constitit Cæsar, donec ordinatis quæ ad victoriæ gloriam & pacis necessitatem videbantur, adversus Henricum Bavarum, in militia Ottocari socium, XXXI.

 bel-

bellum transferret, qui cum Cæsaris adventum opperiri nollet, obviam eundo simul & deprecando, cum eo reconciliatus est. Interjecto tempore Heduorum quoque Princeps, quem Admiraldum adpellant, suo imperio Burgundiam subacturus Imperatori rebellavit. Itaque ad opprimendum eum copias educit, strenueque facto itinere improvisus hosti supervenit; cujus cognito adventu Admiraldus adunatum exercitum opposuit, mox commisso prœlio, suisque amissis, ipse supplex ad Cæsarem sua natura clementissimum fugiens, veniam quam petiit, impetravit. Paucos deinde post dies seditiosorum in Alsatia conjuratio indicio militis, ei defertur, ad quam componendam impigre processit, interfectis motuum auctoribus, reliquos in fidem accepit. Rudolphus

XXXII. ad Principum Comitia Noribergam atque Francofurtum profectus, solutis iis, Richensteinam, Schoneggium, aliasque prædonum arces expugnat, victis gravissima quæque supplicia sentientibus. Facta inter Constantienses & Proceres statim concordia, Tiguros, Schaffhusiosque altercantes sedavit. Ingressus deinde Brisgoviam, Eggonis Friburgensis defectioni data impunitate, Argentoratum pervenit. Oppenheimium hinc iter faciens, diutius ibi subsistere ut res componeret, legatosque dimitteret, coactus est. Post discessum ab Alsatia Cæsaris, Eberhardus Wirtenbergicus defecit: quare Rudolphus motus, habito quantum poterat delectu, omnibus rebellem spoliavit, quæ auferri non poterant, incendit. Eberhardus tantæ multitudini longe impar, Stutgardiam se recepit, urbem situ & munitione tutam, quæ ipsa hostem ferocem fecit. Cæsar enim ad mœnia cum exercitu accedens, admotis arietibus, dum felicius defendi quàm oppugnari sentit, diversa agitabat, & tàm discedere irritum, quam morari pudebat. Igitur pluribus adpositis machinis, excidio urbem, ni fieret deditio, ad terrorem cæteris incutiendum, dare constituit. Medio tempore Moguntinus magna Eberhardi audacia, majoreque pernicie bellum trahi expendens, Cæsarem

sarem adiit, exposita temeritatis & pertinaciæ illius causa, Eberhardum victum se fateri indicat. Cæsar quàm lenta urbium expugnatio esset, ponderans, pace nullo pretio facta, ut sibi eo firmius obstringeret, dissidium inter eum & Eslingenses composuit. Verum mox oblitus clementiæ Rudolphi, Comitem de Achelen, Comitemque de Teck, Sueviæ Civitatum propugnatores hostiliter aggrediebatur, neque viribus diffisus, neque iram Cæsaris veritus. Illi igitur agros, villas, prædia urenti supervenit Cæsar, castrisque positis, postera die in aciem progressurus, precibus quorundam Procerum motus, deprecantibus pacem ita dedit, si jurejurando Eberhardus confirmaret, ne quæ ex anteactis dissensio oriretur, belli oblivionem fore. His XXXIII. peractis in interiora Germaniæ iter pronuntiari jussit, ibique multa prædonum latibula recepit, quibus brevi temporis spatio octoginta solo æquatis, alios ultimo supplicio, alios ex prædonibus mitiori pœna affecit. Destructis his restitutaque toti Germaniæ securitate, ad inferiora Rheni loca secessit. Morantem ibi rumor per totam fere Alemanniam de Friderici Imperatoris novissimo adventu dispersus, revocavit in Sueviam. Multi quippe non mortuum sed amissum fuisse existimarunt, nec adeo mirum, cum & statura & lineamentorum qualitas, & membrorum junctura Friderico ac huic, Tilocelup ei nomen erat, peræque similis, vox quoque pariter gracilis affabilisque, non Principum animos tantum, sed nobiles quoque urbes ad se pellexit; sive revera hoc crediderint, sive novandis rebus occasionem arripuerint. Hic ad conventum Novesii habitum Cæsarem venire jussit, ut ditionum suarum jus ab eo acciperet. Quo offensus maxime Rudolphus ad opprimendum audacissimum æmulum iter instituens, Wezlariam pervenit, inde fugientem sectatus, Nussiæque captum, cognita fraude, nec non magicarum artium convictum igne cremavit. Rudolphus Colmariam repetens, obsessos propter defectionem in potestatem redegit, & IV. M. librarum argenti mulctavit, Walthero urbis Sculteto tumultus authore ab officio remoto. Reversus in Sueviam,

Comi-

Comitem Burgundiæ, quem semel vicerat, jam iterum rebellem subegit, triumphavitque de eo, arce Pruntrutо Præsuli Basileensi data, quinque Waldeccris arcibus funditus excidio datis, Moretum etiam ac Paternacum expugnavit.

XXXIV. Hactenus urbs Berna imperium Rudolphi aspernata erat, eò iter emensus, non ipse se solum ea expeditione impedivit, sed militum quoque ingentem numerum amisit; donec ejus Filius Rudolphus cum parte exercitus in urbem facta irruptione, Bernenses ad pacem commoveret. Tanta in Cæsare virtus fuit, ut non tot victoriis fatigatus, non tot periculis victus, ætate gravis ad postremum in Burgundiam contendens, inceptum pridem bellum conficeret. Phiretrarum enim Princeps Theobaldus cum Petro Basileensi Præsule acie congressus, Basileenses insigni clade affecit, qui auxilium Rudolphi implorantes opem acceperunt non ob hoc solum, sed quod Reginaldus & Otto Burgundiæ Comites, ambo fratres, Comitatus jura à Gallorum Rege, non Romanorum Imperatore agnoscerent. Igitur præter ingentem peditum numerum, sex equitum millia sibi comparaverat, primo die Montisbelgardi castello oppidoque capto, toti Burgundiæ imminens, ad Vesontionem castra metatur, vicino monte, unde hostes conspici poterant, occupato. Rupertus vero Burgundiæ Dux cum Theobaldo Ferretano prope amnem Adualbim exercitum collocavit. Celebris ille erat, cujus fons è summo montis cacumine Läber excurrens, à meridie versus septentrionem vergit, circumflexus mox mediam interfluit Vesontionem, & apud Dolam faciem insulæ præbet, inde diffusus, aliarumque aquarum copia auctus, tandem in Ararim amnem, cui vulgo Saone nomen est, cadit.

XXXV. Rudolphus eodem loco aliquot dies militi quietem dederat, cum Philippus Pulcher Galliæ Rex Legatos mitteret, qui nisi discederet, cum exercitu venturum, minabatur. Cui Cæsar nuntiari jussit, *opperiturum se ejus adventum, ut videat non commode saltandi neque restis ducendæ causa se huc pervenisse, sed plura requiri, si velit, tot gentium victori leges præscribere.* Ne vero otium serendis rumo-

rumoribus natum aleret, è castris exercitum ducit, belli discrimen aditurus. Nondum vero ad arma res pervenerat, cum Helvetiorum mille quingenti itineribus nocturnis castra Ferretani irruerent, caperent, & præda locupletati, ad suos reverterentur. Magna hinc trepidatio animos tam militum quam Ducis occupaverat, qui auxiliis indigens, & loco, ubi pugnaret, insperato consilio bellum delevit. Chalonius enim Comes, trepidante universa Burgundia, ad pacem à Cæsare petendam missus, obtinuit, si captivis Basileensium omnibus absque prælio redditis, imperata facerent, suoque beneficio ditiones reciperent. Ita dum publicam & privatam ex bellis cladem Cæsar præcogitaverat, absque populationibus, absque stupris cædibusque toti Burgundiæ pace restaurata, omnia ad illius obsequium reducuntur. Hac igitur & Thuringia, aliisque locis pacatis, ætate jamjam confectus, successorem denominare sibi proposuit; ideo Francofurtum, deinde Argentoratum profectus: sed talia meditantem, mors prævenit. De qua priusquam dicam, cum juventutis annos, & in iis honores, dignitates, posteà initia, successus, eventusque bellorum exposuerim, quibus perpetuus victor, *victoriosi* nomen ubique meruerat: nunc ea quæ ad civilia ejus studia, virtutes, moresque pertinent, non alienum erit pertractare. Rudolphus bello clarissimus, pacis tamen semper amantior, illud nunquam nisi necessarium suscepit, hanc vero candide imo religiose servavit, ut nunquam ipsi magis defuerit ars, qua imperium regeret, quàm qua hostes superaret. XXXVI. Comitia enim conventusque tum omnium Ordinum, tum quorundam Procerum frequentes habuit, in quibus vel de rebus ante actis propositum, vel de præsentibus deliberatum, vel de futuris consultatum fuit. Noribergæ primo regni anno instituta Curia universali, decrevit, ut omnia mandata, edicta, privilegia, pacta dotalia, contractus & hujus generis varia scripta, in theutonica lingua, non, ut antea, in Romana conciperentur. Institutum hoc laudabile, quantopere Reipublicæ inservierit commodo facile æstimare est, dum multi linguæ

latinæ rudes egregiè ſuperioribus temporibus decepti erant. Ab initio quidem magnæ difficultatis & laboris etiam doctiſſimis Viris, donec in verborum copiam elegantiamque penetrarent, hanc rem fuiſſe, deinceps vero ea induſtria excultam ferunt, ut peregrinam vocem contextui ſcriptionis immiſcere ſummo dedecori haberetur. Ad hæc Würtzburgenſia, Auguſtana, Francofortenſia celebravit Comitia, neque in longum tempus protracta, neque intempeſtiva, ſed nunquam non univerſo Imperio ſalutaria. Splendidiſſima omnium fuerunt Auguſtana decimo ſexto imperii anno habita, propterea quod Albertum & Rudolphum, excellentis ingenii filios, illum Auſtriæ, hunc Sueviæ Ducem proclamaverit. Wormatiæ deinde alia, Herbipoli alia, alia Erfordiæ indixit, ut partim homagium reciperet, partim pontificis poſtulata componeret, partim de ſuſpectis prædonum arcibus dejiciendis agitaret. Ad ultimum Francofurtum Principes convocavit, electurus Succeſſorem Filium Albertum, Principem raræ prudentiæ & magnæ fortitudinis. Denegabant vero Auguſtam dignitatem Alberto Principes, præ ſe ferentes, tantas non ſuppeditare Imperio opes, quantas duo Cæſares ad tuendum ſummum hoc faſtigium poſtularent, cum ob res afflictas vix unius dignitatem Reſpublica ſuſtentare poſſit.

XXXVII. Italiæ Regnum nunquam inviſit, partim quod Germaniæ rebus formandis perpetuo retraheretur, partim quod cruenta & lubrica Cæſarum deceſſorum veſtigia ei ob oculos verſarentur. Sciſcitantibus enim cur Romam proficiſci recuſaret, elegantem retuliſſe apologum, dicunt: Leonem ſcilicet animantium Regem omnes aliquando feras ad certam diem accerſiſſe, cumque præſto eſſent, regiam Leonis ingredientes vulpes callida comitari noluit, animadvertens, neminem redire; veſtigia, dixit, me terrent, ne ſi ingrederer, nunquam reverti poſſem. Non tamen Rempublicam in Italia neglexit; dicere enim ſolebat, multos Alemannorum Reges Italiam conſumſiſſe, ſe Romam nullatenus proficiſci, *Imperatorem Regemque ſe eſſe, nec minus pro utilitate Reipublicæ facturum ſe confidere, quam ſi Romæ fuiſſet* coro-

coronatus. Misit itaque Vicarium in Italiam, ad retinendas in officio Civitates, Rudolphum Hoheneckium, Præsulis Salisburgensis Cancellarium, qui summa prudentia, clementiam Cæsaris deprædicans, illas ita sibi adstrinxit, ut in fide manentibus, jura quædam libertatemque concesserit. quo in Germaniam reverso, à Pontifice Honorio Pinzivalla Fliscus Genuensis eligitur Vicarius, quem Cæsar, ne novis molitionibus ansam præberet, licet hoc jus minime ei competeret, confirmavit. Pinzivalla administratis severe & imperiose admodum rebus, elusus, ad Cæsarem venit, bellique necessaria, pecuniam, commeatus, arma petiit. Accessit etiam eodem tempore Tusculanus Præsul, indicans loca à Gallis & Hispanis erepta vindicanda, & ab Ecclesiasticis quartam bonorum partem Pontifici ad bellum Turcicum præstandam esse. Verum Cæsar & omnes Principes renuere, adeò ut Præsul perpetuus obloqutor in magnum vitæ periculum inciderit. Jactavit quidem Bzovius aliique, libertatem Italiæ partim venditam, partim donatam à Rudolpho Imperatore; Sed nec probari hactenus potuit, in quantum illi præsumunt; & si quid tempori datum esset, in terminis tamen nequaquam abdicati juris Imperialis, non debet atrocibus censuris vexari, sed potius eo modulo taxari, quem ostendit *Conringius de Finibus Imperii cap.* 20. *& seqq.* Cæterum in Ger- XXXVIII.
maniæ salutem multa ab eo prudenter & salubriter inventa sunt, dum leges quasdam retractavit, quasdam ex integro sanxit; privilegiis Urbium antiquis confirmatis nova addidit. Argentoratensibus enim privilegium fori dedit, omniaque decessorum confirmavit. Eslingam, Reutlingam, Heilbronnam ad Nicrum pagos mœnibus cingi permisit, & Civitatibus Imperii, ne injuriis perpetuo opportunæ essent, annumeravit. Pessimos emendavit mores, jus sæpius ipse magna diligentia lenitateque dixit, confitentibus demum facinus pœnas irrogavit. Equestria indies habuit exercitia tanta frequentia, ut undique huc confluerent Nobiles, & exercitatissimi continuo armorum usu redderentur. Virtutis præcipuè gloria insignis, quæ XXXIX.
cum ab aliis superari non posset, quasi omnium virtutum

Gentis suæ hereditatem relicturus, nullam omisit. Enimvero ne quis liberalitatis suæ expers esset, omnibus vel de se, vel de bono publico bene meritis, frequenter eam exhibuit; sed in amicos liberalissimus, quibus honores & dignitates amplissimas contulit. Erat illi Henricus Confessarius, Ordinis Franciscani, Vir religiosus, sed tenuioris sortis, à pistore natus; hunc in Præsulem Basileensem evectum, mox ad Archi-Episcopatum Moguntinensem promovit. Accidit aliquando Argentorati, ut Mercatorem varietate fortunæ ad magnam redactum egestatem inviseret, quæreretque ex eo, num se socium mercaturæ habere vellet, annuente eo, dixit, centum tibi solvam argenti marcas, ut centum addas: dimidiam vero pecuniæ partem Argentinæ in halecibus, alteram in emendo Coloniæ vino colloca, illis in hanc, hoc in illam urbem deducto. Cumque brevi temporis intercapedine haleces Coloniæ, Argentinæ vinum deficeret, iis venalibus expositis, magnum exinde quæstum fecit. Qui cum pari munificentia in alios esset, non hunc modo mercatorem, sed immensa locorum spatia sua liberalitate implevit, variis casibus intercessit, fortunæ occursavit. Omnium itaque amorem fidemque sibi conciliavit, quia in o-

XL. mnes liberalis erat. De cætero justitiæ observantissimus, injuriarum amicis illatarum strenuus ultor, prædonumque subactor erat. Militaris disciplinæ supplicia ita mitigare assuetus, ut neque multum militibus remitteret, nec ipsi de amore illorum multum decederet. Justam necessarii juris remedii causam in bellis inferendis semper exspectavit, cujus auspicio qui non ducuntur, latrocinia potius quam bella gerunt. Dicenti quandoque cuidam, se in spem pretii Ottocarum Bohemiæ Regem necaturum, *etsi ille noster hostis est*, inquit, *nunquam tamen justitiæ terminos*

XLI. *transgressurus sum*. Inde factum ut rigidus justitiæ custos per totam Germaniam audiret. Pietas tamen inter omnia eminebat, vix etiam illis imitabilis, quorum cura ad sacra tantum ordinata est. Eam sane à Parentibus quasi innatam ita continuavit, ut ipse religiosissimus & filios tales relinqueret. Quotidie definitis horis æternum Numen preci-

precibus invocavit, nec prætermisit, etiamsi ardua negotia intervenirent. In acie effigiem Christi Salvatoris cruci adfixam præferri jussit, & quoties integrum ipsi fuit cum hoste decertare, toties Veneris diem, sanctissimæ crucis cultui dicatam, exspectavit. Semper ante prœlium DEO preces, semper post victoriam grates reddidit, altaribus, templis, monasteriis vel de novo conditis, vel restauratis. Sacerdoti cuidam panem orbicularem ægroto, ut hodie adhuc moris est apud Romano-Catholicos, deferenti occurrens, equo desiliit, me, inquiens, vehi, & te Salvatorem meum portantem pedibus incedere indecorum vel impium esset: Nudato igitur capite Cæsar insidentem equo Sacerdotem subsequitur, remeantique eum dono dedit. Sed & clementiæ civilitatisque, *virtutum Austriacis Principibus propriarum*, multa & magna extant monumenta. Supplicibus enim parcere, hostes servare, cunctis ignoscere gloriosum duxerat. Atque etiam ab amicis admonitus, quod nimis in clementiam propenderet, memorabilem illam meritoque laudato Principe dignam vocem edidit: *Immitem me fuisse pœnitet, mitem & placabilem nunquam.* A sagittario quodam artis imperito sauciatus, dextram illi amputandam suadentibus non auscultavit, sed incolumem dimisit, præfatus, provide agere debuit, priusquam me læsisset, sed quid nunc exinde consequar emolumenti? Ne enumerem quos & quot diversarum partium incolumitate vel venia donatos, pristinam dignitatem recipere passus est: Neque cæde quidem alicujus unquam lætatus, sed justis etiam suppliciis ingemuit. Procerum uxores, filias virginesque plures ad convivia vocatas, præsentibus Viris & Parentibus comiter ac amanter habuit, ita, ut nemini cuiquam ulla tamen suspicandi causa superesset. Verum cum nulla re Principes propius ad DEUM accedant, quam clementia, ideo virtutum ornamentis excellens, hac præcipue omnes vicit. Cæterum prudentia, solertia, dexteritas & fortitudo, quanta in eo fuerit, Germania satis testabatur, quæ solo ejus ductu consiliisque ab ultimo interitu liberata est. Hinc amicorum

XLII. (beside "dono dedit. Sed & clementiæ civilitatisque")

XLIII. (beside "namentis excellens")

rum prudentiumque consilia facile audivit & admisit, contra, assentationes gravius contempsit. Quare adulatores lupis comparavit, qui ut blanditiis suis asinos vorant, ita illi verborum lenociniis Principes in perniciem trahunt. Prudentiam optimi Cæsaris inde conjicies, quod cum mercator quidam Noribergæ hospiti ducentas argenti libras, ut sibi restitueret, daret, quas deinde se accepisse pernegabat; Mercator de injuria conquestus apud Cæsarem, interrogatur ab eo, num ipsi constet de loco, in quo argenti summam custodierit hospes, dixit, eum conjecisse in loculum, formam etiam describens. Contigit vero, ut gratulantibus pro more Imperatori hospes quoque interesset, quem benigne allocutus, *pileum*, inquit, *politum habes, si placet, permutemus*. Arrisit hospes, eumque magno gaudio lubensque dedit. Cæsar adhæc quasi publicis negotiis occupatus, secedit, misso ad hospitis mulierem fidissimo cum mitra amico, qui mariti nomine loculum peteret; mulier conspecto pileo, quo tanquam tessera ille utebatur, dedit, quod voluit. Loculo jam exhibito, Cæsar ex mercatore quæsivit, num hic esset, affirmanti hospitem adhibebat: Hic, refert, de te queritur, tuamque perfidiam accusat: respondet hospes, nunquam sibi cum eo rem fuisse: sed audacissime cuncta neganti Cæsar loculum ante oculos ponit, ad cujus aspectum animus & lingua defecerat. Cæsar igitur data mercatori pecunia, hospitem infamem graviter mulctavit. Præterea sæpe profitebatur, imperare melius esse, quam imperium ampliare: unde sibi symbolum etiam elegit: REGNI PRUDENTIA
XLIV. CUSTOS. Sicut autem Austriaci Nominis hic conditor fuit, ita humanitatis Majestatisque ejus auctorem quilibet recte vocaverit. Namque præter Principes Christianæ fidei addictos, Persæ, Mosci, Turcæ amicitiam fœdusque ab eo expetiverunt, quorum Legati in vultu Cæsaris sæpe defixerant oculos, credo, quia magnitudinem corporis animique æstimantes, singulare auctoritatis specimen observabant. Gravitati huic perpetuo tamen adjunxit humanitatem; quippe pariter charus ac veneran-
dus

dus esse, imo in omnium amorem sese quasi insinuare cogitabat. Posset hoc videri Regum arcanum, hominem se, non semper Regem ostendere. Igitur domi forisque etiam tenuissimos non fastidire, miscere colloquia, audire vel respondere omnibus, incorrupto Cæsaris honore. Et, cum frequens aliquando ad aulam concursus esset, satellites, ut facere solent, humiliores quosdam submovere; quo conspecto Cæsar exclamavit, *concedite homines ad me venire, non enim Imperator sum, ut arca quadam includar.* Hinc populares tanto Cæsari subesse gloriosum & jucundum ducebant. Abstinentia vero & frugalitate aut æquavit omnium gloriam aut excessit. Quippe in bello Bohemico cum magnum humoris desiderium esset, ita reprimebat sitim, ut offerentibus aquam hydria reddita, responsum daret, nec solus bibere sustineo, nec tam exiguum omnibus dividere possum; *ego non mihi sed toti exercitui sitio.* Simile fere exemplum dedit in bello Burgundico, ubi deficientibus ad vitam necessariis, evulsa ex agris rapa comedit, idem imitantibus cunctis militibus. Erat itaque ad res serias consiliaque strenuus, sed dictis quoque jocisque, quando animum remittebat, perfacetus. XLV. Oratores duo, alter quidem barba cana & capillis nigris, alter vero capillis canis & barba nigra conspicuus, ad eum missi erant. Horum dissimilem formam contemplatus ille, negotium, dixit, absolvam, audita à vobis diversitatis causa. Postridie admissi, primus exposuit, quod ori satisfaciens, caput neglexerit, alter quod barba nondum eam ætatem quam capilli sortita esset, vicesimo quarto anno juveni sibi enata. Cæsar subridens, legationem re confecta, dimisit. Nasum autem cum haberet aquilinum, dicaculum quendam hominem in declivi semita de via non cedentem, interrogavit, cur non discederet, præterire, inquit, non possum, nam Cæsaris nasus viam implet: Nasum ergo torquebo meum, amice, abi, ne te impediat. Absolvimus ea, quæ de ordinanda Republica pacis tempore excogitavit, gessitque: Nunc interiorem quoque ac familiarem ejus vitam breviter perspiciamus. Habuit autem duas XLVI. uxores,

uxores, Annam ſcilicet de Hohenberg in Suevia, electæ formæ, ſummæ pudicitiæ, & magnæ prudentiæ fœminam, ex qua filios ſuſcepit Albertum, Rudolphum, Hartmånnum Rheno ſubmerſum, Fridericum & Rudolphum II. Tulnæ in Auſtria ſepultos, & Carolum in pueritia mortuum. Septem ei fuerunt filiæ, Euphemia Tulnæ virgo veſtalis, Gutha Wenceslao Bohemo, Mechtildis Ludovico Palatino, Agnes Alberto Saxonico, Hedwigis Ottoni Brandenburgico, Anna Ottoni Bavaro & Clementia Carolo Siciliæ Hungariæque Regi in matrimonium collocatæ, multos nobilesque Principes progenerarunt. Tantæ ſobolis magna Genitrix gravi morbo Viennæ implicita, ibidem fato deceſſit. Cumque vivæ omnia officia præſtitiſſet, defunctæ quoque honores maximos tribuit. Corpus enim Baſileæ deportatum illuſtri hoc monumento conditur.

D. O. M. S.

ANNÆ AUGUSTÆ.
BUCHARDI COMITIS HOHENBERGENSIS
FILIÆ.
RUDOLPHI I. IMPER. AUG. COM. HABSP.
CONJUGI.
ET FOECUNDISSIMÆ PARENTI AUSTR.
PRINCIP. SERENISS.
ALBERTI I. IMPERATORIS MATRI.
UNA CUM CAROLO FILIO
ANNO DOMINI M CC LXXX.
XIX. MARTII HIC SEPULTÆ
S. P. Q. B.
QUUM SANCTAM HANC ÆDEM NITORI
SUO PRISTINO RESTITUENDAM
CURARET, HONORIS
ERGO.
CIRCITER CCC. XV. D. POST EXEQUIAS.
H. M. L. P.

Poſt

Post hanc Agnetem in matrimonium accepit, Ottonis Burgundiæ Comitis Filiam, vix dum nubilem, quæ cum flore ætatis & venustate formæ inter reliqua insignis, thalamo infœcunda esset, post obitum Cæsaris in Burgundiam rediit. Filios autem Filiasque omnes tam moribus quam literis informari curavit: Præcipuè tamen de Alberto magnam curam habuisse legitur, adjunctis illi spectatæ fidei, & probitatis & prudentiæ Viris, qui cæream ætatem flecterent ac ceu regulæ moderarentur. Ingenia enim artesque vel maxime fovit & magnis præmiis donavit. Sed & castitatis continentiæque amans fuit. Cum Agnetem uxorem ejus aliquo tempore Fridericus Comes Leiningius Spirensis Antistes, honoris & reverentiæ ergo è curru regio levaret, eximia illius venustate captus, osculo eam excepit: quod illa indigne ferens, Cæsari conqueritur, qui sine mora Præsuli perferri jussit, ut alio ad osculandum electo pacali, hoc sibi relinqueret. Cæterum præter egregias ingenii dotes, animique artes, corporis quoque decora species eum adornavit: statura quippe eminenti & excelsa fuit, colore per omnes ætatis gradus magis pulchro quam venusto; corpus habuit amplum, membra robusta, capite præditus parvo: Capillis traditur modicis & rufis, hinc rufus dictus, supercilia lata, nasum & à summo eminentiorem & ab imo deductiorem accepit. Cultu vero corporis haud multum à privato abhorrens, in virtute potius quam vestium magnificentia Principis majestatem sitam esse regerebat. Ottocarum enim veste auro, purpura, gemmisque distincta indutum, suaque castra intrantem, toga ipse vestitus grisea derisit, quod Germanorum Cæsarisque gloria non in vestium ornatu, sed in experientia rei militaris consisteret. Exspatiatus orto sole, cum subito horrore corpus rigere cœpisset, carbonibus in pistoris domo ardentibus accessit. Varia ibi confabulantem (tanquam unus ex Rudolphi mercenariis tam vulgari cultu contentus erat) uxor pistoris indignata verbis, vase aqua pleno infuso prunis turpissime maculavit. Unde fumo, carbone, & vapore perfusus domo excessit. Comes adhuc, in castris

XLVII.

vestes reparavit, ut exemplum quod imitarentur militibus relinqueret. His itaque vitæ morumque institutis effecit, ut non in acie solum clarissimus Dux, sed in pace quoque laudatissimus Princeps haberetur. Alias quantum constat, periculosas & diuturnas valetudines aliquot tantum expertus est, dum immoderatis voluptatibus contemptis, cibo potuque parce utebatur.
XLVIII. Præcipue Argentorati gravi morbo conflictatus, cum etiam ad salutis recuperandæ desperationem redactus esset, testamentum conscripsit, sepultura Spiræ sibi destinata. Ingens solicitudo & pene jam luctus in urbe erat, quare omnes unâ per diem & noctem in sacris ædibus DEUM pro incolumi Cæsaris vita ardentissimis adorabant precibus, adeo ut intra mensis spatium animus & corpus vigorem recuperaverint: Postea omnibus fanis magnificis muneribus expletis, secessit. Jamque imminentis fati vim sentiens, omnium virtutum splendore clarus, sed ex febrili horrore fatigatis partim, partim senio confectis membris deficientibus, Argentoratum concessit. Ibique Senatui Civibusque quasi nunquam rediturus, valedixit, habitis gratiis quod in obsequio constantes, in officiis prompti devotique fuissent. Memoria enim proditum est, pecuniâ indigenti Argentoratenses subvenisse, Rudolphum etiam eorum promptam voluntatem agnovisse & deprædicasse, cum aliquoties inclyto Reipublicæ Senatui interesset.
XLIX. Per octiduum in hac urbe moratus, Spiram festinanter profectus, manantibus lachrymis ut diutius subsisteret enixè ab Argentoratensibus rogatur, sed Spiram ad Reges majoresque visendos contendens, pro se suaque incolumitate eos precari jussit. Tanta autem mox morbi vis erat, ut in oppido Germersheimio peractis sacris vita decederet, anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, decimo octavo Calend. Maji, ætatis septuagesimo tertio, imperiique decimo octavo. Corpus Spiram delatum, imperialibus conditoriis honestissime sepultum est. Quocunque autem nuntius de ejus morte penetraverat, omnia ploratu, lamentisque & planctibus personabant. Quippe optimum ac fortissimum

mum pariter & justissimum ac mitissimum victorem luctu ac mœrore communi prosequebantur. Illum certe honorem nulla delebit ætas, quod Argentoratenses supremum officium in magna Principum, Comitum, Nobilium frequentia, regio prorsus more, ac si Argentinæ defunctus esset, persolverint. Ad hæc, quoniam eo tempore consensu amplissimi Ordinis Senatorii actum decretumque fuit, ut Regibus tàm Urbi, quàm adjectis locis beneficia exhibentibus, ad æternam memoriam Imago cum equo triumphali in Summo Templo, *quod ultimum miraculum mundi adpellant*, construeretur: Rudolphus Habspurgicus, ut videre licet, ibidem equo insidens lapideo, aurea corona capiti imposita, & sceptro maxime conspicuus est; supra, arcus hæret, cui aureis Literis inscriptum; RUDOLPHUS DE HABSPURG REX ROM. Neque silentio præteriri debet Epitaphium Spiræ in silice quodam superposito sculptum, satis rude quidem, sed temporis vetustati condonandum: L.

ANNO DOMINI M CC XCI. pridie Cal.
Oct. obiit RUDOLPHUS de HABSP.
ROMANORUM REX.

Sed vivit, qui *cecidit*, in sua Augusta posteritate sobolèque celeberrimus. Floruit usque adhuc Germania & Romanum Imperium sub Cæsaribus ex stirpe Ejus in miraculum gentium prodeuntibus. DEUS conservet AUGUSTAM DOMUM AUSRIACAM ad immortalitatis gloriam, & venturi Sæculi felicitatem, qui à primis Ejus initiis in hunc usque diem mirifice Regna, quotquot sub umbra Aquilæ Austriacæ temperarentur, clementissime protexit.

VII.

LEGISLATOR GERMANICUS.

PRudentiæ civilis magnum est nomen, & ingens apud eos omnes gloria, quibus cura Rerumpublicarum est commissa: quippe cum sola doceat, quid fugiendum

quidve appetendum publice sit, quomodo Respublica non tam primo constitui, quam constituta administrari & conservari possit ac debeat. Cum vero Respublica sit ordo imperantium atque parentium, qui per leges in civitatem introducitur, omnis ratio constituendi & conservandi eam posita erit, cum in proba & conveniente ingenio populi legum latione, tum accurata secundum eas administratione. Hinc enim illæ veterum sententiæ: *Animam civitatis esse leges: salutem civitatis in legibus sitam esse. Mens*, inquit Cicero, *& animus & consilium & sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus ut nervis, ac sanguine & membris uti non potest.* Illæ vero cum ex prudentia Nomothetica, quæ pars prudentiæ civilis est, profluant, facile patet, quo loco ea sit habenda, & quantum intersit Reipubl. eam partem quæ circa *νομοθεσίας* versatur, rite esse constitutam.

Aristot. 3. Pol. 1. & 6.

Pro A. Cluentio.

Aristoteles certe non dubitavit eam Architectonicam appellare, quod scilicet ad modum Architecti, Nomothetice, quid in civitate faciendum præcipere soleat. Dum enim omnes suorum civium actiones habet ante oculos, easque ad regulam justi vel injusti examinat, quo per jura legesque justitia in civitatem introducatur, in quo propria ejus natura consistit, instar mentis toti corpori præest, singulasque ejus partes ad propositum finem dirigit.

6. Ethic. 8.

Sed cum ratio ferendarum LL. adeoque ipsius Legislatoris pro diversitate Rerumpubl. alia atque alia sit, neque nobis per instituti rationem liceat in naturam Nomothetices inquirere, quatenus vel in genere docet quid justum & quomodo illud Reipubl. inferendum, vel seorsum, qualia jura legesq; huic aut illi civitati ferendæ, age consideremus hac vice *Legislatorem Germanicum*, quantum ætas ingeniique vires permittent, quo constet (1) penes quem potestas LL. ferendarum in Germania sit. (2) quidnam voce LL. ferendarum veniat intelligendum. (3) quænam sint discrimina sive diversa genera LL. Germanicarum (4) quo modo & qua formula LL. fiant, denique (5) in quo virtus & prudentia Legislatoris Germanici potis-

potissimum consistat. Hisce enim probe expositis, quæcunque de Nomothesia Imp. Rom. German. dici queunt, ad ea commode referri posse putamus.

CAPUT I.

Penes quem sit in Germania Legum ferendarum potestas.

QUamvis ad singula hujus quæstionis momenta intelligenda forte non inutile esset, repetere ab antiquissimis temporibus, quis modus ferendi LL. in Germania obtinuerit, quomodo tractu temporis immutatus, tandem in eum in quo nunc est statum pervenerit; attamen cum isthæc tractatio non sit propria hujus loci, extetque ea de re eximius labor *Nobiliss. Conringii, olim Præceptoris & Fautoris plurimum honorandi, de Origine juris German.* satius erit cupidum lectorem eo remittere. Nulla ergo mentio hic fiet Legislatorum antiquorum Germaniæ, cum constet veteres secundum receptos mores potius & consuetudines, quam scriptas LL. vixisse, nec ante Sec. à nato Christo quintum ab istis recessisse. Quanquam ne tum quidem ab omnibus ejusmodi quid est factum, sed ab iis, qui cultissimas Imperii Romani provincias victores incoluere, assumptis hostium quos devicerant moribus, cum victo populo in unum quasi corpus coalescentes. Conring. cit. lib. C, 2.

Neque magis nobis propositum est, ad ea tempora LL. in Germania ferendarum, qualis hodie est rationem exigere, ex quo primum Imperatoria dignitas in Francorum Regibus confirmari cœpit. Sicuti enim cæteræ res humanæ, ita quoque magna imperia nil adeo certi habent, quod non crebris mutationum casibus obnoxium sit, ut ex ea quæ ante aliquot secula rerum facies fuit, ad nostra tempora concludere velle, prorsus sit statum vitæ humanæ ignorare. Quin quo clariora mutatæ alicujus rei in Republ. argumenta adsunt, eo minor antiquitatis debet esse autoritas. Cui prorsus simile quid in hoc casu occur-

rit. Cum enim Caroli M. regia olim in Imperio fuerit potestas, secundum ea quæ *Magnific. Dn. Præses, Præceptor & Hospes plurimum venerandus* habet *in Comment. Cæsar. Germanic.* non dubium est, quin major quoque fuerit circa LL. ferendas ac hodiernorum Imperatorum est, qui non summum & absolutum sed multis modis limitatum habent Imperium, uti infra probabitur.

Multo minus consilium est à Principibus Romanis Legislatoris Germanici jura repetere. Merito enim repudiandus illorum error, qui sicuti omnia Imperii Germanici jura, ita quoque hanc LL. ferendi facultatem, fluere ex sæculo Justinianeo statuunt, quasi illud unica norma esse debeat, ad quam publicæ Imperii res veniant exigendæ. Dubium enim nullum est, quin non tantum hac ratione diversæ Rerumpublicarum formæ confundantur, sed & periculosæ sint eorum sententiæ, qui eandem quam veteres Romanorum Imperatores potestatem habuere, hodiernis adscribunt, aut justum esse dicunt, ut ad Romanas illas antiquas LL. nostra Respubl. conformetur. Neque enim ullus Ordinum possit esse eo loco quo nunc est, si eadem hodie conditione in Imperio esse deberent, qua olim sub Constantino vel Justiniano Romani fuere. quod profecto motibus excitandis nimium quantum valeret. Sicut sentit nobiscum *Dn. Conring. præfat. ad Tacit. de Mor. Germ.*

p. 18. & seqq.

Sed inde potius placet ordiri *Legislatoris Germanici* considerationem, ex quo Leges Imper. Germanici latæ in comitiis & formulis perscriptæ, non in nube aut per hariolationes interpretum, sed in illustri positæ monumento ab omnibus inspici ac cognosci potuere. Quod ut fiat sic progredimur.

Constat inter omnes arduam juxta ac periculosam esse quæstionem; *Qualis Imperii nostri sit status, an simplex, hoc est Monarchicus vel Aristocraticus, an vero mixtus ex utroque?* de qua tam diversæ extant Dd. sententiæ, ut fere nescias cui adhærendum. Alii enim pro pure monarchico contendunt, omniaque Imperatori attribuunt, Proceribus nihil præter

Arnis. Relect. Polit. C. 6. S. 5. n. 2.

præter obſequendi gloriam relinquendo ; alii vero dum priores refutare conantur, plane in contraria currunt, atque Principibus omnia adjudicant; tertii demum aliquam mixtionem admittunt. Nobis, relictis aliorum opinionibus, (quid enim veri vel falſi habeant forte infra patebit,) eo diligentius erit perpendenda hæc quæſtio, cum alias non poſſit decidi, penes quem ſit LL. ferendarum in Imperio noſtro facultas, niſi cognito, quæ forma Reipubl. in eo obtineat.

Fundamentale & indubium hic eſt axioma politicum: *Formam Imperii accidentalem, æſtimandam ex ſubjecto exiſtentia Majeſtatis, ſeu ſumma poteſtatis; hunc in modum: Ubicunque ſumma poteſtas vel Majeſtas cum ſuis partibus ſive juribus eſt penes unum, ibi eſt Monarchia.* Et vice verſa: *ubi ſumma poteſtas & jura Imperii non ſunt penes unum, ibi non eſt Monarchia.* Iterum: *Ubi jura Majeſtatis partim ſunt penes unum, partim penes plures, ibi eſt mixtus ſtatus, ac mixtus ex Monarchia & Ariſtocratia.* Atqui vero in Imperio noſtro Germanico, jura Majeſtatis ita ſe habent. indubie ergo mixtus erit ejus ſtatus. Dum enim Electores mox inaugurando Imperatori in Capitulatione præſcribunt, quibus conditionibus in eum transferant imperium, quas Majeſtatis partes ei attribuant pleno jure, quas vero ſibi Statibusque reſervatas velint, in Statuum pariter & Cæſaris moderamine relictas, clare patet, quantum poteſtatis per hanc conventionem Imperatori decedit, tantum Statibus accedere, eosque de iis rebus, *quarum moderatio in ſolum Cæſarem non tranſivit, conjunctim cum Cæſare ſtatuere, & ſic diviſam Majeſtatem adeptos, una cum Cæſare Ariſtocratice dominari.* verba ſunt *Dn. Lampadii* magni olim viri, *Tr. de Repub.. Rom. Germ.* p. 3. C. 2. §. 11. 12.

Quare quæcunque in capitulatione omnibus Ordinibus tribuuntur, de illis Imperator ſolus nihil, ſed adhibito demum conſenſu Statuum, decernere poteſt: uti de bello & pace, de fœderibus, de exilio & morte civium, de contributionibus, deque LL. Imperii rogandis vel abrogandis. *Carpzov. de L. Regia. Tob. Paurmeiſter, de Jurud. Imp. Rom.* quod poſtremum, utpote de quo hic nobis agere con- C. 13. S. 8. §. 10. 11. &c. L. 2. C. 2. §. 74.

constitutum, ex sequentibus, ut spero, fiet clarissimum, ubi primum admonuero, cum LL. aliæ sint *universales*, quarum vis & obligatio ad omnes Reipubl. partes sese extendit; aliæ vero *particulares*, quæ non nisi partem aliquam Reipubl. obligant, cujusmodi sunt quælibet provinciales & statuta municipalia; aliæ denique *singulares*, quæ certas tantum personas respiciunt, privilegiaque dicuntur; forte rectius & melioris doctrinæ ergo nos facturos, si secundum hæc tria LL. genera, rationem eas ferendi consideremus. Atque sic ferendarum LL. in Germania potestas erit (1) penes Imperatorem & Ordines simul, quantum ad universales Imperii Leges (2) penes Cæsarem solum, quantum ad privilegia & LL. singulares (3) penes Ordines singulos, ratione LL. provincialium in illorum ditionibus.

Dn. Cellar. Polit. l. 2. c. 8. §. 21. 24. 40.

Ergo quod prius membrum attinet: *Imperatorem non nisi consensu Electorum, Principum ac reliquorum Ordinum Imperii Leges ferre universales*; id *primo* satis evincitur ex LL. Imperii & Recessuum formulis. Sic enim legitur in fine præfationis Aureæ Caroli IV. Bullæ sive de electione Romani Imperatoris latæ constitutionis, quæ inter alias publicas Imperii LL. tempore non minus quam dignitate facile prima est: *Assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium ac Civitatum multitudine numerosa.* Quæ verba arguunt non sola Cæsaris autoritate, sed Ordinum Imperii quoque consensu eam fuisse latam, quos in unum omnes conventuros fuisse vero non est simile, si absque eorum voluntate & præsentia ejusmodi lex cui salus Imperii innititur feliciter expediri potuisset.

Apertius illud adhuc colligitur ex Imperii Recessibus, uti: In Handhabung des Landfriedens zu Worms/ Anno 1495. auffgerichtet/ in pr. legitur, darumb mit zeitigem Rath und Willen/ der Ehrwürdigen/ Hochgebornen &c. Ständen des H. Reichs/ & in fin. und wir bekennen/ daß solche obgeschriebene Ordnung &c. mit unserm

sern Rath und Verwilligung fürgenommen / auffgerichtet und gemachet worden ist. In der R. Königl. May. und des H. R. Stände Ordnung des Regiments zu Augspurg Anno 1500. auffgerichtet / in pr. hæc habentur, mit einmütigem / zeitigem Rath und Willen auch zugeben und annemen der Ehrwürdigen ꝛc. In der Erklärung des Landfriedens zu Augspurg Anno 1500. auffgerichtet in pr. mit derselbigen zeitigen Rath und hoher Vorbetrachtung / Verwilligung und annemen. Item in der Ordnung des Regiments zu Wormbs Anno 1521. So haben wir mit einmütigem Rath und Willen / auch zugeben und annemen der Stände allhie versamlet / beschlossen &c. in pr. & fine. In Constitut. Norimberg. de anno 1524. dicit Carolus V. Status Imperii non tantum cum suo Vicario Ferdinando Archiduce consedisse & deliberasse, sed & conclusisse; in fin. præfat. *Instrum. Pac. Germ. Suedica artic. IIX. vers. Gaudeant.* hæc habentur. *Gaudeant.* (Status Imperii) *sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi LL. ferendæ vel interpretandæ, &c.* & paulo post; *Nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu &c.* Qualia plura occurrunt in aliis Imperii constitutionibus etiam novissimis de anno 1613. 1641. & 1654. quæ hic cumulare non est necesse.

Deinde hunc Ordinum consensum manifestò probant omnes Imperatorum Capitulationes. Videtur quidem non omnino idem nobiscum statuere *Joh. Sleidanus*, tantum Electorum consensum requirens, nulla reliquorum Imperii Procerum mentione facta, in enumeratione articulorum Capitulat. Caroli V. At contrarium probant expressa verba *Capitulat. Caroli V. §. 2.* verb. Und wo noth. quæ hic adduxisse sufficiat, nam in reliquis eadem reperiuntur: Und wo noth dieselben (nempe LL. Imperii) mit Rath unser und deß H. R. Churfürsten / Fürsten und andern Ständen bessern &c. & §. antepen. verb. deß R. Ordnung so künfftig durch uns / mit ihrer der Churfürsten

l. 1. Comment. de statu Relig.

sten auch anderer Stände deß H. R. Rath möchten auffgerichtet werden. Quamvis vero in laudata *Caroli V. Capitulat.* quædam enumerentur Imperii negotia, quæ solo Electorum adhibito consensu Imperator expedire queat, in recentioribus tamen & inprimis novissima Potentiss. nostri Cæsaris Leopoldi Capitulat. quædam aliquibus articulis addita reperiuntur, unde quæ in vetustioribus simpliciter de Electorum consensu dicuntur, quodammodo ad reliquos Imperii Principes extendi debere non obscure colligitur. Sic in *Capitul. Caroli V. art.* 7. dicitur, Cæsarem cum exteris inire fœdera non posse nisi de consensu Electorum, nulla reliquorum Statuum facta mentione. In *Capitul.* verò *Cæsar. Leopoldi art.* 10. ad hoc requiritur der Churfürsten / Fürsten und Stände bewilligung/ Electorum solo consensu tum tantum sufficiente, da publica salus & utilitas eine mehrere beschleunigung erfoderte &c. Eandem interpretationem recipiunt, quæ de bello exteris inferendo in *Caroli V. Capit. art. XI.* & novissima *Leopoldi art.* XIII. habentur. In vectigalibus concedendis *art. IV. Carolinæ Capitulat.* solus requiritur Electorum consensus; in novissimæ vero *art.* 21. eorum insuper assensu opus esse dicitur, quorum aliqua ratione id fieri vel non fieri interest. In alienatione bonorum Imperii, pro exigente rerum necessitate ab Imperatore facienda, Electoralis Collegii videtur assensus sufficere, secundum *Carol. Capitulat. art.* 9. cum tamen longe aliud proximorum temporum praxis ostenderit, dum, ut quoad omnes effectus juris valida esset, translatio ditionum Imperii, nupero Instrumento Pacis in Gallum facta, necessum fuit, ut *de consensu, consilio & voluntate Electorum, Principum & Statuum Imperii fuerit facta*, sicuti habent verba Instrumenti Pacis German. Gall. §. *quo magis.* Et præter Cæsaris & Statuum Imperii ratihabitionem, cavit sibi Gallus, ut in proximis quoque Comitiis ex abundanti ratæ sint supradictarum ditionum juriumque abalienationes. ibid. §. *Conventum est insuper.*

Ex quo & illud aliquo modo elucere potest, quod licet Electores hoc jure præ cæteris Principibus gaudeant, ut

ut ſingulares pro ſalute & incolumitate Imperii poſſint celebrare conventus, ibique προβουλίαν quandam de rebus Imperii inſtituere, ſicut iis conceſſum in A. B. & in omnibus confirmatum Capitulationibus legitur: non tamen permiſſum ut in illis decidant, quæ proprie ad comitia pertinent, neque illorum juris ſunt. *Non* enim *alia*, inquit *Carpzovius*, *ipſis conceſſa videtur poteſtas, quam quæ cum Reipubl. commodo & ſalute Imperii conjuncta eſt*: quippe Reipubl. quam maxime intereſt, ut Ordinibus jura & immunitates ſalvæ ſint. Unde nec crebri Electorum conventus adeo utiles eſſe Imperio noſtro forte nonnemini videri poſſent, cum inde fieret, ut vel nulla vel rariora comitia publica indicerentur.

C. 12.

De L. Regia. C. 1. S. 16. §. 15.

Tertio noſtra ſententia confirmatur ratione & ſtatu ipſius Reipublicæ, quem cum ſupra mixtum ex Monarchia & Ariſtocratia dixerimus, mixta vero Reſpublica ſit, ubi partim penes unum, partim penes plures ſunt jura Majeſtatis, fieri aliter nequit, quin LL. Imperii univerſalium ferendarum facultas, tanquam inter jura Majeſtatis præcipuum, in Germania ſit penes Cæſarem & Ordines Imperii ſimul. Scilicet mixtio hæc ita comparata eſt, *ut in quibus ſupereſt ſolius Cæſaris poteſtas, ibi regale Imperii genus, ubi vero commune Statuum cum Cæſare Imperium, Ariſtocratiam liceat agnoſcere*, prout rectiſſime judicat *Dn. Lampad. tr. de Republ. Rom. Germ.* quodque eundo per omnia jura Majeſtatis facile poſſit oſtendi, ſi id eſſet hujus loci, neque jam tum præſtitiſſet quem modo laudavi *Dn. Lampadius.*

par. 1. ſub fin.

d. tr. p. 3. C. 12. & ſeqq.

Neque huic, quod diviſa inter Cæſarem & Status Imperii ſint jura Majeſtatis, eſt obſtaculo, quod à nonnullis ſolet afferri: Majeſtatem eſſe indiviſibilem, adeoque nec jura Majeſtatis dividi poſſe. *Hoc* enim *verum eſt*, inquit *Lampadius*, *in ſubjecto adæquato eſſentiæ nempe Republica, non ſubjecto exiſtentiæ communi*, ita ſcilicet ut licet tota Reſpublica nullum à ſe Majeſtatis jus abdicare queat, abſque ſummæ poteſtatis imminutione, nihil tamen obſit ut in una eademque Republ. majeſtas eſſe

d. tr. p. 3. C. 14. §. ult.

possit in disparatis subjectis, & vel penes unum vel plures, pro partibus tam divisis, quam indivisis, integra nihilominus Majestate toti Reipubl. ut subjecto adæquato inhærente. *vid. Lampad. d. tr.* Apposite ad hanc rem
p. 1. §. 60.
l. 1. C. 3. §. 17. loquitur *Grotius de I. B. & Pac. Summum Imperium, quanquam unum quoddam sit ac per se indivisum, fieri tamen potest, ut aut per partes subjectivas aut potentiales dividatur;* tum nimirum, *si aut expresse instituatur partitio, aut si quid populus Regi imperet per modum manentis præcepti, aut si quid sit additum, quo intelligatur regem cogi aut puniri posse.*

Ultimum denique assertionis nostræ argumentum petimus ab autoritate cum Actorum publicorum, tum præstantissimorum Scriptorum juris publici. Acta publica plena sunt talium: quorsum enim tot querelæ cum aliorum tum inprimis Evangelicorum Principum, tam multa esse facta citra illorum consensum? Sane ipsum nomen Protestantium inde est ortum, quod Saxon. & Brandenburg. Electores, una cum Luneburg. Ducibus, aliisque orthodoxæ religioni addictis Statibus, decreto Spirensi, anni 1529. se opposuissent, utpote quod iis nolentibus & contra placita superioris conventus Spiræ anno 1526. habiti, à Ferdinando Rege Romanorum & Pontificiis factum erat. *Sleidan. Comm. de Statu Relig.*
l. 6. Mauritius Saxo inter gravamina Imperii Cæsareis Legatis in Passaviensi conventu anno 1552. exhibita hoc ut præcipuum ponit: *Principum Electorum* (imo & reliquorum Imperii Statuum) *autoritatem imminui, multaque fieri non consultis ipsis, eorumque in Comitiis sententias fere postponi.* Et paulo post; *à paucis quibusdam fuisse conscriptas LL. quæ evulgata sint, non sine multorum dispendio; rem igitur ipsam postulare, ut LL. illæ proximo in conventu recognoscantur. Sleidanus d. l.* Quod quoque impetratum & insertum *Pacificat. Passaviensi*, teste eodem *Sleidano*: donec tandem in comitiis Augustanis an. 1555. diu ab omnibus flagitata pax religionis feliciter confecta est, qua simul irrita facta omnia edicta, decreta & constitutiones, quæ in favorem Catholicorum & Protestantium

tium injuriam à Cæsare antea publicata, quatenus isti conventioni contraria videri possent. Verba deß R. A. zu Augspurg de ann. 1555. sic habent. §. Und soll alles das in hievorigen Reichs-Abschieden / oder sonst begriffen und versehen / so diesem Friedstand in allem seinem Begriff / Articulen und Puncten zu wider seyn oder verstanden werden möchte / demselbigen nichts benehmen / derogiren noch abbrechen / auch dagegen keine declaration, oder etwas anders / so denselbigen verhindern oder verändern möcht / nicht gegeben / erlangt noch angenommen / oder ob es schon gegeben / erlanget oder angenommen würde / dannoch von Unwürden und Unkräfften seyn / und darauß weder in noch ausser Rechtens nicht gehandelt / oder gesprochen werden. Et ne quis similibus exemplis nostrum seculum carere putet, inter gravamina Evangelicorum Cæsari in Comitiis Ratisbonens. Anno 1613. exhibita & hoc inveniet, daß man der Evangelischen Stände vota nicht mit in die relation bringen / noch sonsten etwas gelten lassen wolte &c. addita in seq. §. comminatione, daß sie diß unleidliche procediren länger nicht gedulden können / auch jetzt nochmals einmal für alles dawider zum kräfftigsten protestiret / und dagegen sich alle Nothdurfft vorbehalten haben wollen. Reichshandlung *Goldasti in gravamin. Evangelic.* §. imgleichen. Et Elector Saxon. cum Cæsar Ferdinand. II. anno 1629. in favorem Pontificiæ religionis publicaret edictum restitutionis bonorum Ecclesiasticorum, quæ post transactionem Passaviensem Status Evangelici sibi acquisiverant, prudenter Imperatori, una cum Electore Brandenburg. ante oculos posuit, *referendam tantam rem esse ad generalia Imperii comitia. Et quoniam de Pace Religionis controversia esset, eam aliter quam ex omnium Ordinum consensu definiri aut explicari non posse.*

p. 1046

Brachel. Hist. nost. temp. l. 3. p. 200. edit. Amster.

Confirmant modo dicta, quod propter defectum consensus aut absentiam Ordinum sæpe non potuerit fieri Lex Imperii. Ita enim legimus R. zu Regenspurg de anno 1546. §. Dieweil verb. daß wir (nemlich die Kayserliche Majestät) aus Mangel der abwesenden Chur-

Fürsten und Ständen in obberührten unsern und deß Reichs obliegen und Sachen (welche zu beständiger ihrer Vergleichung persönliche Gegenwart der R. Stände erfordert.) mit Nutz und Frucht ferner nicht fortfahren und handlen haben mögen. Reichs-Abschied zu Augsp. de anno 1555. §. wiewohl auch die Nothdurfft erfordert / daß nunmehr die Müntz-Ordnung in würckliche Vollziehung gebracht werde / so haben wir doch sonderlich / daß etlicher fürnehmer Glieder deß H. R. Räthe und Bottschafften mit gnugsamer instruction nicht gefaßt gewesen / dißmal darzu nicht kommen können. Reichs Abschied zu Speir de anno 1600. §. Ob nun wol verb. so hat man doch von deßwegen zu keiner endlichen Erledigung und Verabschiedung damals kommen können / daß etliche Abgesandte mit Schwachheit behafft / theils verstorben / und also das Werck nicht beharret werden mögen. Reichs Abschied zu Augspurg anni 1532. §. als auch ferner. verb. welches doch in Betrachtung daß etliche Churfürsten / Fürsten darwider protestiret / verblieben; & paulo post: Nach dem nun auff diesem Reichstag/ etliche Churfürsten / Fürsten und Stände wider gemeldte constitution öffentlich protestiret / wollen wir mit den protestirenden Ständen handelen / dieselben in gute Vergleichung stellen/ und die constitution im Reich publiciren. Scilicet quod iis non consentientibus promulgatam constitutionem omni vi & efficacia carituram prudentissimus Imperator minime ignoraret.

Neque ab hisce abeunt Doctores I. publici. Sic enim *Paurmeister*: *de Jurisdict. Imp. Rom.* l. 2. C. 2. §. 52. Certum est causam efficientem decretorum comitialium, non unicam & absolutam esse Cæsaris voluntatem, sed ejusdem & Ordinum in idem placitum consensum. *Arnisæus l. 2. Relect. Polit.* C. 6. S. 5. §. 79. Legem Imperator non condit sine consensu & consilio Statuum Imperii. *Limnæus in opere Juris publici*: l. 1. c. 10. §. 32. Leges Imperii universales non ab Imperatore solo, sed ab omnibus Imperii Statibus feruntur. *Lampadius tr. de Rep. Rom. Germ.* l. 3. c. 14. §. 6. Privilegiorum concessio à Cæsarea solum Majestate dependet

pendet. Universalium vero LL. dispar est ratio. *Carpzovius de L. Regia.* In Imperio Romano legem universalem condit Imperator cum assensu & consilio Statuum. *Bertramus de Comitiis Imperii.* Generatim verum esse puto quod Imperator in Comitiis absque scitu statuum absoluta autoritate regulariter nihil sanciat. Qualia loca plura apud melioris sententiæ fautores passim occurrunt. C.3. S. 2. §.3. & 6. Memb. ult. §. fin.

Quæ profecto omnia evidentissime probant necessitatem consensus Ordinum Imperii, in ferenda lege aliqua universali, neque eum esse nudum consilium, quale dat amicus amico, aut consiliarius domino, quod sequi vel insuper habere licet; verum tale consilium, quod certo respectu necessitatem inducit. *Limn. ad Capitul. Caroli V.* Nec enim Imperator noster illud dictum Persarum Regis, citatum *Grotio de I. B. & P.* imitari posset: *Ne viderer tantummodo meo usus consilio, vos contraxi. Cæterum mementote, parendum vobis magis esse quam suadendum.* Nihilominus tamen inveniuntur, qui Ordines Imperii, in LL. ferendis haud alio loco esse volunt, quam quo apud alios Reges in publicis consultationibus sunt consiliarii. Quam inique vero ac indigne talia de iis pronuncientur, præclare ostendit *Magnif. Dn. Præses dissert. de Voto Imperator.* cujus verba hic adduxisse operæ erit pretium. *Quando Rex*, inquit, *aut quocunque nomine est, qui summam ferendarum LL. potestatem habet, consiliarios de ferenda lege consulit, aut consilium eorum, sive suasoriam hujus aut illius legis audit accipitque & in legislatione sequitur: id primo facit libere, nulla necessitate ut ita faciat adstrictus; deinde non ut socios ferendæ legis adsciscit (neque enim cum de jure suo loquitur, dicet, se cum consiliariis suis ita edicere, jubere, vetare,) sed actu prævio, judicium suum de ferenda lege, ipsorum quoque prudentia informat: tum deinde demum, cessante jam opera consultoris, ipse alio ac novo actu legem fert. Quæ adeo diversa sunt & esse debent, ut tum quoque confundi nisi ab indoctis nequeant, quando legislator ipsa verba consultoris & formulam, in ferenda lege retinuit. At quando in Imperio leges sunt ferendæ, Imperator Ordinum non consilium tantum adhi-*

Margin notes: p. 136. (beside "pitul. Caroli V."); l.1. C.3. §.16. (beside "sarum Regis"); p. 11. (beside "um. Quando Rex")

adhibet libere, sed consensu eorum & sociata ope ita indiget, ut Imperator & Ordines unius causæ efficientis rationem & vim habeant, qua efficientia nullis consiliariis cum Regibus suis communis æst aut esse potest. Sine consiliariis ergo Legislator μοναρχικὸς LL. ferre potest, sine Ordinibus Imperator legem ferre non potest.

Quibus ita expositis puto satis esse stabilitam nostram assertionem, Legum Imperii universalium ferendarum potestatem esse penes Cæsarem & Ordines simul: neque esse obscurum, quid respondendum sit iis, qui contrariam fovent sententiam. Primo enim nimis audacter illos sentire credimus, qui nescio qua rerum externarum specie decepti, pure Monarchicum statum in Imperio obtinere statuunt, omnemque adeo hodierno Imperatori Majestatem & potestatem summam in Imperio transcribunt. Sicut enim Cæsari, qua nostri Imperii augustissimum caput est, denegare Majestatem sine sacrilegio nemo potest, utpote cujus fastigium longe sit supra reliquorum in orbe principum & Regum dignitatem, *Carpzov. de L. Regia*,
C. 13, S. 6. indeque *ante mortalium omnes primus, à solo Deo secundus dici non sine ratione possit*; ita non minus labi eos graviter certum est, qui summam & absolutam potestatem Cæsari deferentes, nullam prorsus Imperii & Majestatis communionem Celsissimi Imperii Principibus ac Statibus concedunt. A quibus diversum statuere, docent nos LL. Imperii nostri fundamentales & inprimis Cæsareæ Capitulationis tenor, de qua *Magnif. Dn. Præses*
p. 10. pronunciat *in dissert. de Voto Imp. quod major aut certior lex de potestate Imperatoris & forma Imperii esse non possit, quam illa qua cujusque Imperatoris jurejurando sacretur.* Illa quippe multis modis summam & absolutam limitat Imperato-
C. 13. & passim. rum potestatem. *Carpzov. de L. Regia. Limn. prolegom. ad*
Sect. 8, §. 4. *Capitulat. Cæsar.* Ad cujus observationem, Imperii candidatus antequam per coronationem ad Imperium promoveatur, prævio juramento se obstringere tenetur, juxta clausulam singulis Capitulationibus annexam, **inmassen wir dann mit einem leiblichen Eyde zu GOTT und**

und dem heiligen Evangelio geschworen &c. *Carpzov. de L. Regia.* C.1.S.9.&10.

Neque hic mihi quis objiciat, jurare in certa capita & alios Reges Principesque, antequam capiant regni habenas, quos nihilominus regiam & absolutam in suos potestatem habere constet, quale Regis Gallorum juramentum refert *Bodinus*: *Juro ego per Deum immortalem, ac promitto me juste regnaturum, judicium, aequitatem ac misericordiam facturum.* Cujusmodi plura videri possunt apud *Carpzov. de L. Regia.* At vero pro responsione notari debet; non ita crasse judicandum de promissis & juramentis Regum; ut posito juramento, statim etiam imminutio summae potestatis inferatur, sed omnino hic inspiciendam formulam & objectum talis promissionis, quae si sit de iis, ad quae Reges omnes etiamsi nihil promiserint, divino & naturali jure tenentur, qualia continet allatum Regis Gallorum jusjurandum, non desinit summum esse imperium. *Grotius de I. B. & P.* Sin vero talia Rex subditis suis promittat, quae ad facultatem aliquam imperandi pertinent, quemadmodum faciunt, qui per modum manentis praecepti per Leges fundamentales formam gubernandi & certos suae potestati limites praescribi patiuntur; hi sane summam potestatem seu integram habere Majestatem dici non possunt. Eorum quippe actus LL. judicio subsunt. summa autem & absoluta potestas illa demum est, *cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanae arbitrio irriti possint reddi*, teste *Grotio de I. B. & P.* Quanto minus vero ille summam & integram habere potestatem, poterit dici, qui praeterquam quod certis conditionibus in se delatum acceperit imperium, nunquam jura Majestatis solus habuit, sed cum pluribus ex Lege fundamentali ea communia habere tenetur? Nam jura Majestatis, summae potestatis sunt partes essentiales, quarum una decedente totum manere amplius integrum nequit. *Vid. Dn. Cellar. Polit.*

L. 1. de Rep. C. 8.

C. 1. S. 10. S. 7. & C. 14. S. 1.

l. 1. C. 3. S. 16.

l. 1. C. 3. S. 7.

Frustra sunt, qui absolutam hanc potestatem asserere

Imperatori satagunt, vi *Legis Regiæ* nunquam revocatæ
l. 2. c. 7. §. 31. aut revocabilis. *Expediant enim mihi* (respondit *Magnificus*
p. 9. *Dn. Præses laudata differt. de Vot. Imp.*) *sine pudore & flagitio rogo, qui tam horribiliter sapiunt, qua auctoritate instructi, homines privati L. Regiam in eam Rempublicam inducunt, ubi prima & summa Lex dicat, nullum esse Legi Regiæ locum.* Unde recte eam nunquam in Germania usu fuisse receptam
S. 8. §. 7. affirmat *Limnæus Prolegom. ad Capitul. Cæs.* Si tamen quis inde sumere argumentum velit, quod Capitulatio Cæsarea etiam vocetur Lex Regia, is quantum erret facile deprehendet, collatis inter se Lege Regia Romanorum, & Cæsarea capitulatione. Illa enim absolutam Principi & liberam dabat potestatem, omneque removebat juris vel facti impedimentum, quo Imperatoris actus possent in irritum cadere, sicuti tum ex *Ulpiani* verbis, tum ex
l. 1. f. de constit. Princ. *Dione Cassio* & fragmentis ab *Onuphrio Comment. in fast. temp. Vesp.* relatis, clarum est. Capitulatio vero Cæsarum Germanicorum prorsus cum absoluta potestate pugnat, & simul cum ea stare nequit, per ea, quæ jam supra sunt dicta, omnesque actus nulli sunt, quibus
S. 10. §. 5. capitulationis limites transgreditur Cæsar. *Limn. prole-*
l. 1. Cl. 2. *gom. ad Capitul. Cæsar.* imo si audimus *Reinking. de Regim.*
§. 189. *Secul. Roman. Imper.* solio deponi potest, *si fundamentales Imperii Leges violet, & datam fidem negligat.* Quæ profecto cum veteri Romanorum Regia Lege plane non conveniunt.

Non magis illos hoc juvabit, *quod omnes & singuli Imperii Ordines Imperatori fidelitatis & subjectionis juramentum præstare, suarumque actionum rationem reddere teneantur.* Principio enim de omnibus Imperii Proceribus collective sumtis hoc simpliciter verum est, de singulis autem concedimus, quatenus ex conventione & Lege publica mu-
l. 1. c. 10. §. 49. tuo obligati id facere astringuntur. *Limn. l. P.* Deinde hoc de iis est accipiendum, quæ debentur Imperatori, non proprio, sed totius Imperii nomine, quatenus scilicet Imperium aliqua suo nomine per Imperatorem expediri vult; secundum formulam homagii, **dem Römischen**

schen Keyser und dem Reich treu / hold und gehorsam zu seyn. *Carpzov. de Lege Regia. Reinking. de Regim. Secul. Rom. Imp.* Unde quoque Status Imperii passim dicuntur, Unsere und deß Reichs Unterthanen. R. A. anno 1521. in princ. & paulo post, darauff befehlen wir &c. bey den Eiden und Pflichten / die ihr uns von deß Reichs wegen insonderheit gethan. *Limn. & Reinking. cit. loc.* C. 13. S. 6. §. 42. l. 1. Cl. 2. C. 2. §. 89.

Neque majoris momenti illud est, *quod Imperator nullius teneatur imperio, adeoq; absoluto fruatur imperio.* Ambigue enim dicitur, *Imperatorem nullius imperio teneri,* cum quoad illas majestatis partes quidem, quæ per LL. fundamentales pleno jure in illum transierunt, independenti prorsus potestate sit, iisq; ut absolutæ potestatis Princeps fruatur. *Lamp. de Republ. Rom. Germ.* Quantum vero ad reliqua majestatis jura, quæ cum pluribus ei sunt communia, simpliciter summus dici nequit, ex constantissima veteris ac junioris Philosophiæ veritate: *Nullum enim majestatis jus in alios transferri potest, majestate penes transferentem interim integra manente. Dn. Cellar. in Polit.* Præterea si ab Imperatore ad Imperium potest appellari, ut prolixe probat *Limnæus in I. P.* si rationem tenetur reddere coram Comite Palatino Rheni; si LL. Imperii fundamentalibus, omnibus imperii Recessibus tenetur, (*Capitulat. Leopoldi* ;) qua ratione absolutus dici poterit? p. 1. §. 62. & p. 3. C. 2. §. 11. l. 2. c. 7. §. 31. l. 2. c. 9. §. 107. A. B. C. 5. Art. 38.

Sed inquiunt, quid ergo sibi vult formula illa, quod ex *plenitudine potestatis* Cæsar quædam in comitiis decernere dicatur phrasi illa pervulgari, von Römischer Kayserlicher Macht und Vollkommenheit. Non paucos, fateor, hujus formulæ sinistra explicatio induxit, ut aliter ac debebant de Legislatoria in Imperio nostro potestate sentirent; & imprimis multum sibi ea placent, qui Cæsarum potestatem, eam quæ hodie est, ex formula Justinianea definire volunt. Verum enimvero, quod per eam plenitudinem potestatis, hic non possit intelligi summa & plena potestas seu Majestas, inde clarum est, quod in rebus comitialibus ea non apud solum Cæsarem sit, sed conjunctim penes Cæsarem & Limn. proleg. ad Capit. Cæs. S. 8. §. 5.

 Sta-

Status, ſicuti jam ſæpius dictum. Quapropter quando clauſula, de plenitudine poteſtatis LL. Imperii ſubjecta eſt, idem erit ac ſi dixiſſet Cæſar de poteſtate ſua, nec ejus vis porrigenda erit ultra partem poteſtatis, quam in rebus ad comitia pertinentibus Cæſar habet. Et ideo potius adjecta exiſtimari debet, ut ejus magis atque magis declaretur voluntas, & animi deliberatio, eodem prorſus effectu, ac ſi dixiſſet, ſe id facere ex certa ſcientia. vid. *Lampad. dict. tr. Limnæus cit. loc.* At-
p.3,c.11, §.18.
que hanc hujus vocabuli veram eſſe interpretationem, ex hoc quoque probatur, quod ſi forte olim Imperatores hac formula voluerint abuti, nunquam non à Statibus graviter ſit contradictum, ut R. Abſch. zu Speyer anno 1544. in fin. **Und wir Churfürſten &c. bekennen mit dieſem Abſchied / daß alle obgeſchriebene Puncten (auſſerhalb ſo die Kayſerliche Majeſtät aus Kayſerlicher Macht und Vollkommenheit geſetzt) mit unſerm wiſſen** &c. R. A. zu Wormbs anno 1545. in fin. ibi, **die auſſerhalb berührtes Articuls vom** Colloquio **meldent / ſo Röm. Kayſerliche Majeſtät unſer allergnädigſter Herr / für ſich ſelbſt geordnet / und wir die Stände der alten Religion verwandt / nicht darin willigen** : quod vero additur, **und doch Ihrer Majeſtät darinn nicht Maß noch Ordnung geben können** / utut placendi ſtudio ab iis prolatum poſſit dici, nec ullam verba ejuſmodi curialia obligationem inducant, nobis hic ſufficere debet, quod aperte teſtentur, ſe ea quæ pro ſe Imperator conſtituit, partem decreti vel receſſus non agnoſcere; quo ſimul omnis vis obligationis illi detracta eſt, ut quocunque modo ille articulus violetur, nullus pœnæ aut executionis ſit locus.
Paurmeiſt. de jurisdict. Rom. Imp. l.2. C.2. §.84.

Inane quoque eſt illorum effugium, qui ut omnis Reipublicæ mixtæ fundamenta evertant, inter ipſum ſtatum ſeu formam Reipublicæ & modum adminiſtrandi diſtinguunt, & illum quidem monarchicum eſſe poſſe, quamvis adminiſtratio ſit mixta contendunt, exempli gratia, quando dicimus Imperatorem jura quædam maje-

majeſtatis cum Ordinibus communia habere, id ad Statum ipſum Reipublicæ negant pertinere, ſed ad modum adminiſtrandi reſtringunt. Verum optima & Ariſtotelica diſtinctione nimium abutuntur, neque vim vocum perſpectam habent. *Jura Majeſtatis omnia, ad ſtatum Imperii pertinere, minime autem ad modum adminiſtrandi, in confeſſo eſt. Neque modus adminiſtrandi facere poteſt, aut facit mixtum ſtatum; unde nec mixtura accurate loquendo in modo adminiſtrandi quærenda. Deinde ubicunque ad ferendam legem, & alia ſummi imperii jura exercenda, unus aliquis neceſſitate finis, ſine exceptione & in eandem vim agendi, in eodem actionis ordine integrandam, ſociare ſibi alios, ſive aliis ſociari, tenetur, ibi talis actio non ex modo gubernandi ſtatum, ſed ex ſtatu ipſo profluit, atque adeo, ex tali actione de forma ſive ſtatu Reipublicæ judicandum eſt, non autem de modo gubernandi, cui neque neceſſitas talis, neque talis efficientia tribui poteſt*; utor iterum verbis *Magnifici Dn. Præſidis differt. de Voto Imper.*

Illi vero quid aliud volunt quam falli, qui ſub titulo conſuetudinis & praxeos, unum alterumve factum exoſculantur, ex quo abſolutam Cæſaris poteſtatem deduci poſſe ſibi perſuadent? interrogandi ejusmodi homines, an & quando & quomodo praxis aliquid à formula fundamentalium Legum diverſum introduxerit? cumque νομοθεσίαν allegare non poſſint priori contrariam & adverſam, præſcriptionem ex ſilentio probent neceſſe eſt. Id quod eſt τῶν ἀδυνάτων; adeo quavis occaſione iis, quæ contra formulam ſtatus cœperunt fieri, cordate, diſerte, nonnunquam etiam vehementer contradictum eſt.

Verum, qui Imperatori non abſolutam, ſed certis modis in Capitulatione limitatam tribuunt poteſtatem, non tamen eo ipſo omnem illi denegant Majeſtatem, ut cum Bodino meram Ariſtocratiam in Germania obtinere ſtatuant: quippe cum illa demum Reſpublica mere Ariſtocratica ſit, ubi jura majeſtatis omnia penes Optimates ſunt indiviſim. Quod in Imperio noſtro non conſpicitur. *Ex quo Bodinum aut ignoraſſe miſcendæ Reipublicæ* l. 2. de Rep. c. 6.

blica rationem, aut Imperii nostri Statum calumniose traduxisse perspectum est, inquit *Lampad. tr. de Republ. Rom. Germ.* p.3.c.8.§.14. Certe non loquuntur isti homines ea qua par reverentia de nostro Imperatore, ipsique imperio, quod merito sacrosanctum esse debet, haud levem inferunt injuriam. c.13.§.9. *Carpzov. de L. Regia.* Sed forte nimis multa de hisce, dicenda tamen quædam fuere, ne nobis obstare possent.

Hactenus ergo de primo membro, quatenus potestas Legum universalium Imperii ferendarum Cæsari & Statibus est Communis. Sequitur *alterum*, scilicet *quodnam solius Cæsaris circa Leges ferendas jus sit*, & ubinam in nostra Republica, Monarchicum regimen liceat observare. Quod autem supra diximus, ea jura Majestatis, in quorum communionem Electores & Status Imperii per Capitulationem, & LL. fundamentales non concesserunt, pleno jure in Cæsarem transiisse, propriaque illius facta esse, id denuo hic ut fundamentum repetimus. Et cum probatum sit, in Legibus universalibus Imperii condendis solius Cæsaris potestatem haud agnosci, sed Ordinum quoque consensum ad id requiri, facile patet, quantum quantum in ferendis Legibus solius Cæsaris est arbitrium, id omne in juribus singularibus, sive privilegiis subsistere. Dicuntur ea in actis Imperii Kayserliche Hoheit und reservaten / .R. A. zu Regenspurg an. 1576. §. Dadurch dann. R. Absch. zu Speir an. 1570. §. Alsdann auch.

Sunt autem ejusmodi privilegia in genere, quæ vel causæ & rei certæ, vel certæ tantum personæ conceduntur. Etenim in omni Republica nonnulla ita constituuntur, ut omnes subditos semper obligent; & illa proprie Leges appellantur: Nonnulla vero ita, ut favoris gratia unum & item alterum, à communi Jure excludant, & sic à Lege excipiant; quod proprie privilegium est. Quamvis vero in omni bene constituta Republica, regulariter ita se res habere soleat, ut penes quem ferendarum & abrogandarum Legum est potestas, pe-

penes illum quoque sit privilegiorum concedendorum & exceptionum à Lege jus, tamen per Germaniam fere semper obtinuit, ut penes Cæsarem & Ordines Legum universalium ferendarum, penes solum vero Imperatorem dandorum privilegiorum fuerit facultas.

Considerari ea solet prout vel ad personas vel ad res pertinet. Ad personas præcipue spectat.(1) Jus constituendi quid circa dignitates personarum, seu conferendi dignitates graduales, quod soli Cæsari tribuit *Limn. in I. P. & Lampadius* sæpe laudato tractatu, cujus l.2.c.9. §.17. verba sunt: *Regis, Archiducis, Ducis, Marchionis, Landgra-* p.3. c.13. §.5. *fii, Comitis, Baronis, Nobilium, Doctorum, Comitum Pala-* & 6. *tinorum, Magistrorum, Tabellionum & id genus similium, hæ inquam dignitates ad unum à solo Cæsare oriuntur. Nec cuiquam in Imperio, ne comitiis quidem de dignitatibus ejusmodi, jure majestatis, seu superioritatis statuendi Jus.* Vid. *Aruma. de I. P.* Vol.5. disf. Non tamen hæc ita simpliciter sunt accipienda, ut, in quoscunque velit, dignitates, præsertim curs. 2. p.119. majores, possit conferre Imperator, sed omnino intelli- & seqq. gendum, si ratio & utilitas Imperii id permittat. Ita Electorum numerum augere, aut in numerum Ordinum recipere quem velit, Legibus fundamentalibus Imperii præpeditus, nequit, sed in hisce Statuum consensum tenetur adhibere, sicuti constat ex Rec. Imp. novissimo an. 1654. §. fin. Unde rectissime questus est Mauritus Saxon. Elector. in conventu Passaviensi, *admisceri publicis in comitiis nomine provinciarum Cæsaris quosdam in Principum Ordinumque cœtum, & occultis hoc agi consiliis, ut adaucto numero illi vincant*, notante *Sleidano comment. de Statu relig.* l. 24. Eodem modo nullum ex Ordinibus poterit Cæsar absolutum reddere, quippe quem eo ipso jurisdictioni Imperii subducere necesse foret, cum tamen juramento Cæsareo contineatur, ne diminuat Imperium, ejusque dignitatem. Unde recte *Lampadius* de Regibus & d. tr. p.3.c.13. cæteris dicta, non de potestate Regia absolute imperan- §. 7. di, sed dignitate externa esse intelligenda ait. Quos enim ab antiquis Imperatoribus creatos unquam Reges legi-

legimus, ita Regio nomine usos fuisse apparet, ut simul Imperatoris, & Imperii in se jura agnoscerent, sicuti de primis Daniæ & Bohemiæ Regibus testatur *Dn. Conring. de finib. Imp. Germ.* c. 14. & 29.

(2) Jus legitimandi liberos naturales, cujus illustre exemplum est apud *Goldast. tom. 3. Constitut. Imper.* p. 398. (3) Jus famæ restituendæ & honorum; circa quod tamen monet *Arnisæ.* l. 2. releɥ. Pol. c. 6. S. 5. n. 84. consensum Statuum requiri, argumento R. A. zu Speir an. 1525. §. und ist derhalben. & R. A. zu Speir an. 1526. §. und wiewol. quando Imperator Ferdinandus seditiosos rusticos honori & famæ restituit. (4) Jus dandi veniam ætatis, cujus elegantia exempla adducit *Limn. in I. P.* l. 2. c. 9. §. 184. (5) Jus de sessione Statuum cognoscendi. *Carpzov. de L. Reg.* C. 13. S. 9. §. 12. *Lampad. de Rep. Roman. Germ.* p. 3. c. 13. §. 6. quæ Statibus ut plurimum, excepta Electorali Saxonica, Brandenburgica & Palatina domo, ut & Ducum Brunsvic. & Luneburg. familia, in comitiis est altercationum materia. Verum & hic quoque non omnino Statuum arbitrium excludi debere, forte posset colligi ex Rec. Imp. zu Augspurg an. 1500. tit. wie die Irrung der Session. verb. und alsdann solche Schrifft und Antwort unsern Churfürsten zuschicken/ ihren Rath darüber hören &c. Et fere hodie istæ controversiæ, ad comitia ipsa sunt tractæ, cumque ipsi Principes, aliique Ordines de jure sessionis contendentes, præjudicium aliquod pro se facile possint allegare, hinc adeo nulli ferme sententiis Cæsareis hoc definientibus, solent parere. (6) Jus investituræ & collationis Feudorum Principalium & illorum quæ Fahnlehen appellantur. A. B. tit. 5. Constit. Caroli V. vom Regiment zu Wormbs anno 1621. §. und behalten uns.

Jura vero singularia quæ ad res spectant præcipua fere sunt hæc: Jus nundinarum solennium seu privilegiatarum; Jus stapulæ; Jus dandi civitatem; fundandi Academias, dandique Academicis facultatem creandi Doctores, & Magistros, (quod tamen proprie ad personas pertinet) *Limn. de I. P.* l. 2. c. 9. §. 128. *Lampad. tr. de Rep. Rom. Germ.*

Jus

Jus indulgendi moratorias inducias, vulgo Anstands-Brieffe / quas cum singulis debitoribus, tum collegiis & urbibus integris concedere potest Imperator. R. Absch. zu Augspurg an. 1548. tit. von verdorbenen Kauffleuten. Quales inducias, Principes quoque Imperii dare queunt, quæ tamen non ulterius vim suam extendunt, quam in suis territoriis, & debitoribus tantum contra eos creditores securitatem præbent, qui iisdem principibus subsunt. *Limn. de I. P.* Cæterum non nisi exigente summa Reipublicæ necessitate tales inducias debitoribus concedendas esse, data fides & promissorum religio suadet. Etenim nisi fides servetur, societatis Civilis perire vinculum, & universam corruere Rempublicam necesse est. Quare pro rei magnitudine optime Imperio nostro consultum videtur, quod non unius arbitrio, sed in publicis comitiis communi Ordinum consensu lex de solutione debitorum lata sit. R. A. zu Regenspurg an. 1654. §. nachdem auch in dem Friedenschluß. p. 3. c. 13. §. 8. & c. 14. §. 2. l. 4. c. 5. §. 120.

Huc amplius pertinet jus concedendi exteris Principibus licentiam, militem in Imperio conscribendi; *Carpzov. de L. Reg.* Jus dandi immunitatem à vectigalibus; *Lampad. d. tr.* quod tamen ita per Capitulationem restrictum, ne Electorum vectigalia deteriora fiant. Ex quo vero non sequitur liberam esse Cæsari facultatem derogandi reliquorum Principum vectigalibus, quippe cum etiam illis per Capitulationem cautum sit universali illa promissione de Principum aliorumque juribus non imminuendis. vergeret enim in summum Principum detrimentum. Olim quidem, cum vectigalia potissima adhuc in patrimonio Imperii essent, potuit hoc fieri, non vero hodie postquam in privatam possessionem Ordinum Imperii concesserunt. Et hæc fere sunt in quibus potissimum Legislatoria solius Cæsaris potestas eminet; quamvis caute hic versandum, ne potestatem Cæsari in hisce competentem nimium extendamus. Nam si absolute in talibus velit aliquid statuere, poterit utique & Legibus publicis Imperii omniumque Ordinum juribus derogare. Unde c. 13. S. 9. §. 12. p. 3. c. 14. §. 3.

forte haud incommodè quis distingueret inter privilegia, quod alia nihil derogent juribus Principum & Imperii, alia vero permultum. Quæ prioris ordinis, illa in arbitrio Cæsaris esse nullum est dubium; quæ vero sunt posterioris, non absque limitatione accipienda. Nam uti jam monitum, capitulatione cavetur, Cæsarem jura Ordinum universique Imperii illibata conservaturum, consequens ergo est, non esse in arbitrio Imperatoris quicquam juribus Ordinum & universi Imperii detrahere, *Capitul. Invictiß. Cæs. Leopoldi §. 3.* Cum quibus conveniunt quæ modo sunt dicta, quod in nonnullis Cæsarum
l.1, c.10, §.35. potestas jam tum sit limitata, & quod *Limn. in I. P.* exemplis declarat, Cæsarem singulares Leges indistinctè non posse ferre & dare privilegia, aut si dederit, confirmatione alia nonnunquam opus esse.

Non adjicimus reliqua quæ hoc loco tractari solent, cum apud *Limn. Arumæ.* aliosque fuse legi possint: sed pergimus ad *tertium* primi capitis membrum, scilicet *quænam sit singulorum Ordinum potestas circa Leges ferendas in suis ditionibus.* Magnam autem esse potentiam, libertatem, & ampla jura Ordinum Germanici Imperii in confesso est, considerarique possunt, quatenus respiciunt vel administrationem totius Imperii, vel personas & res propriarum ditionum. Posteriora hæc veniunt hodie nomine superioritatis, aut juris territorii: vulgo der Landesfürst-
c.1. S.12. n.4. l.4. c.2. n.182. lichen / oder Landes Obrigkeit / *Carpzov. de L. Reg. Limn. I. P.* Quo vero tempore Principes istud jus territorii in se transtulerint, & qua ratione, an privilegiis Imperatorum, aut usu longævo obtentum, an vero territorio annexum beneficiario jure habeant, aut quia immediate subsint Imperio, penitius inquirere non est nostrum; uti nec quousque illud extendatur, aut extendi debeat, an regium sit vel ei simile. Interim tamen fatendum est, si asserere velimus Principes in suis territoriis exercere quosdam actus, ex quibus summa quædam & Regia po-
P. 3. c. 3. §. 9. 16. & 20. testas colligi possit, eam vel cum Dn. *Lampadio tr. de Rep. Rom. Germ.* derivandam esse ex libera suffragandi in

in comitiis publicis auctoritate, ita ut earum rerum quæ in comitiis peraguntur ſupremam atque adeo majeſtaticam habeant in his ditionibus juriſdictionem; vel cum *Carpzov. de L. Reg.* deducendam ex iis juribus quæ domi c.1. S.13.n.11. quiſque habet, principibusque ſunt conceſſa ab Imperio & Imperatore, ita ut in eorum exercitio à Cæſare impediri nequeant; qualia ſunt quæ ad condenda ſtatuta, collectas imponendas, fœdera, conſtitutionem magiſtratuum & ſimilia pertinent. Atque hoc modo vulgatum illud axioma: *Principem tantum poſſe in ſuo territorio, quantum Cæſar in univerſo Imperio*, commode poteſt reſtringi vel ad ea quæ principibus conceſſa ſunt; vel quatenus principes comitiorum participes ea quæ in comitiis quoad totum Imperium ſtatuuntur in ſuis ditionibus independenti poteſtate adminiſtrant. Nam quæ ſolius ſunt Cæſaris, in univerſo Imperio ac proinde in ſingulis ditionibus, in iis Principes à Cæſarea majeſtate dependent. Vid. *Lampad. d. l.*

Apprime vero hic cavendum, ne externo nominis ſono der Landesfürſtlichen Obrigkeit decepti civitatibus Imperialibus eandem competere ſuperioritatem negemus, eo quod hæc appellatio poteſtati & juri civitatum haud convenire videatur. Licet enim hoc forte verum eſſe poſſit, ex ſententia eorum, qui diſtinguunt inter Landesfürſtliche Obrigkeit / und hohe Obrigkeit / *Webner. pract. obſ.* verb. Landesfürſtliche Obrigkeit / tamen quare hanc ſuperioritatem illis denegemus, cum de reliquis Imperii juribus non minus participent atque reliqui Status immediate ſubjecti Imperio? Vid. *Lampad. d. tr. Carpzov.* p.3.c.14 §.25. *de L. Reg.* Quamvis non omnes civitates Imperiales æ- c.1.S.12.§.24. que participent illam ſuperioritatem, ſed aliæ magis aliæ minus, ita ut vix liceat in univerſum idem de omnibus pronunciare. *Andreæ Knichii* tamen opinionem in *Velitatione Apologetica* non moramur, qui territorialem hanc poteſtatem civitatibus ſubtrahere voluit. Vid. *Limn. I. P.* l.7.c.1. §.50. ubi jura hæc civitatum ſatis propugnat.

Cum vero plurima ſint, quæ jure ſuperioritatis

Principes & Status in suis ditionibus exercere possunt, uti videre est apud *Reinking. de regim. Sec. Imp. Rom.* ad nostram tractationem maxime spectat Juris statuendi & Legum ferendarum potestas: quæ comode potest considerari prout vel circa sacra vel circa profana versatur. Constitutio juris in profanis jure sublimis territorii Ordinibus Imperii competens, maximè eminet, in condendis statutis, & consuetudine introducenda, quo referri etiam potest facultas edicta publicandi, German. Offentliche mandata und edicta anschlagen und abgehen lassen. Statuta hæc & consuetudines in iis provinciis in quibus conditæ sunt tanta pollent auctoritate, ut etiam contra jus commune valeant. *Dn. Habn. observ. theor. pract. ad parat. Wesenb. de LL. num. 3. ad verba decreta*, & secundum eas in decisione causarum, inter subditos ejusdem provinciæ, Camera Imperialis pronunciare debeat, sicut probat juramentum quod Assessores Cameræ Imperialis, antequam in hunc ordinem recipiantur, præstare tenentur, nach redlichen/ erbaren/ und Ländischen Ordnungen/ statuten und Gewonheiten/ der Fürstenthumen/ Herrschafften/ und Gericht/ die vor sie bracht werden gleich zu richten/ und keine Sache sich dargegen bewegen lassen. *O. C. p. 1. tit. 57. Gailius pract. obs.* quod tamen intelligendum omnino est de ejusmodi statutis, quæ non sunt de reservatis Imperii, aut de illis quæ per clausulam irritatoriam, jam ante improbata, Kayserl. constitution zu Speir an. 1529. §. Darmit auch. *Dn. Habn. d. l. Limn. I. P.* Idem sentiendum est de consuetudinibus, quod careant omnibus effectibus, quando vel expressa Lege sunt abrogatæ, uti videre est in Reformation guter Policey anno 1548. tit. von Handwercks Söhnen/ verb. wollen wir solche beschwerliche Gebräuche oder Gewonheiten hiermit auffgehebet/ oder vernichtet haben. vel adjectam habent clausulam, non obstante quacunque consuetudine, ut in *clement. statutum de Elect.* & R. Absch. zu Augspurg §. und nachdem etwan/ ubi consuetudines Ordinationi Politicæ contrariæ simpliciter omnes declarantur nullæ.

l. 1, cl. 5. c. 4. & c. 6. n. 9. & seqq.

l. 1. obs. 36. n. 14.

l. 4. c. 2. §. 253.

An vero talia ſtatuta etiam ſine Imperatoris confirmatione valeant, non una omnium eſt ſententia. *Betſius de pact. illuſtr. fam.* affirmat, eam, utut forte neceſſaria non ſit, utilem tamen eſſe, & propterea addendam, quando ait: *Status vero atque Ordines Imperii cum proprio jure & hereditario ab Imperio ſibi conceſſo juriſdictionem exercere cœperint, & ideo ipſorum Leges, ſi juſtæ ſint & rationi convenientes, ſua vi ſubſiſtant, neque neceſſario confirmatione Cæſarea indigeant, tamen* (vitandi ergo diſputationes & dubitationes quæ de iis moveri ſolent) *eam ad firmitatem & corroborationem eorum, & indubitabilem in ſuperioribus & extraneis tribunalibus autoritatem multum operari exiſtimo, atque ideo minime negligenda.* Hac tamen poteſtate condendi jura provincialia ita plerumque utuntur principes, ut in conventibus provincialibus den Landtägen adhibitis in conſilium ſtatibus den Landſtänden conficiantur. Vid. *Limn. I. P.* c. 2. p. 38. l. 4. c. 8. ſ. 255.

Quod ſi vero de conſuetudine introducenda ſermo ſit, Principis expreſſo & poſitivo conſenſu non eſt opus, ex natura ipſius conſuetudinis, quippe quæ ex rebus factisque nata, ſenſim hominibus innoteſcit, cunctis illius principium ignorantibus: adeoque ſufficit ſi Princeps eam toleret & non impediat, quo ipſo conſenſus ejus elicitur non modo permiſſivus ſed & approbativus: *Dn. Hahn. obſ. theor. pract. ad parat. Weſemb. tit. de LL. n. 9. verb. non contradicat.* Huic vero Legum lationi cum annexa ſit juſtitiæ ſecundum Leges adminiſtratio, competet quoque Statibus facultas dicaſteria provincialia, Hoffgerichte/ atque Scabinatus, Schöpffenſtüle/ erigendi; Magiſtratus, Judices, Scabinos conſtituendi, edictaque varia prout ratio provinciæ poſtulat promulgandi, quibus ſi non pareatur, poſſunt delinquentibus imponere mulctas & pœnas, de quibus late diſſerit *Reinking. de reg. ſec. Imp. Rom.* l. 1. cl. 5. c. 4. n. 97.

Porro ad Legiſlatoriam Principum in profanis poteſtatem referri poſſunt conſuetudines illæ & pacta illuſtrium familiarum, quæ circa matrimonia, ſucceſſiones

& hæreditates, crebro in Imperio nostro occurrere solent. Recte enim ejusmodi publicæ conventiones vim
c. 3. p. 52. Legis obtinere dicuntur *à Bets. d. tr.* Quas inter maximi præ aliis sunt momenti quæ [illegible] futura successione in ditiones Principum disponunt. Uti sunt (1) Jus primogenituræ ex Jure Francorum descendens, & contra jus Longobardicum à quibusdam familiis introductum, ut nimirum primogenitus in feudo solus succedat, & reliquis omnibus ejusdem familiæ exclusis, annexo dignitatis titulo solus fruatur. Quale jus in familia Austriaca obtinet, item in Celsiss. Ducum Brunsvic. & Luneb. Dominorum meorum clementiss. familia, aliisque adductis à
l. 4. c. 8. n. 113. *Limn. in I. P.* In domo Hasso-Cassellana & Darmstadiensi illud est confirmatum per *instrum. pac. Germ. Sued. §. 17. v. firmum quoque.* Vid. latius de hoc jure *Bets. de pact.*
c. 9. §. 500. *illustr. fam.* (2) Confraternitates Principum de futura successione, quarum effectus est, ut altera stirpe extincta, ad alteram hæreditario quasi jure devolvatur Princi-
c. 6. S. 7. §. 1. patus. *Carpz. de L. Reg.* Germanis dicuntur Erbverbrüderungen aut Erbvereinigungen / quorum posterius tamen latius patet, nec solum denotat pacta successoria, sed quaslibet alias pactiones, quæ hæredem sequuntur, &
l. 4. c. 8. §. 126. perpetuo nexu inter familias sunt contractæ. *Limn. I. P.* Inter confraternitates istas hodie est illustris, quæ est inter domum Saxonicam & Hassiæ Langravios, de qua pro-
n. 160. & seqq. lixe *Limn. cit. loco.*

An autem ejusmodi conventiones licite à Principibus ineantur, quæsitum novimus, cum, sicuti notum est, ditiones suas in feudum ab Imperatore & Imperio accipiant; at in feudis quoad successionem nulla Vasalli Ordi-
1. F. 8. §. 1. natio locum habet. Plura hic quidem pro responsione
l. 4. c. 8. §. 134. solent afferri, ut videre licet apud *Limn. in I. P. & Carpz.*
c. 6. S. 7. n. 21. *de L. Reg.* Tutius alii putant dicere, ut hæ Principum confraternitates & pacta successoria subsistant, ab Imperatore confirmari debere. Sicuti etiam in der Erbverbrüderung der Häusser Hessen und Sachsen anno 1373. facta, Caroli IV. accessisse confirmationem videmus, cujus

jus formulam refert *Limn. cit. loc.* Imo cum hodie de feudis Imperii apertis libera disponendi potestas Imperatori non competat, *art. 30. cap. Cæs. Leopoldi*, recte facient Principes de futura successione invicem paciscentes, si præter confirmationem Cæsaris, etiam reliquorum Imperii Statuum approbationem requirant, quam cautionem affert *Carpz. de L. Reg.* Atque hactenus de Legislatione Statuum Imperii circa profana. §. 164. c. 6. S. 7. §. fin.

Constitutio juris circa sacra jure superioritatis territorialis competens, Principibus & Statibus Imperii acquisita est, postquam suspenso, per Pacificationem religiosam, & quod eam confirmat nuperum pacis instrumentum, jurisdictionis Ecclesiasticæ exercitio, institutio divini cultus & omnis in universum sacrorum curatio in Ordinum potestatem concessit. R. A. zu Augsp. an. 1555. §. Darmit auch verb. So soll die Geistliche jurisdiction wider der Augspurgischen confession religion, Glauben / bestellung der ministerien / Kirchengebräuch / Ordnung und ceremonien / so sie auffgerichtet oder auffrichten mögen / biß zu endlicher vergleichung der religion nicht exerciret / gebrauchet und geübet werden / sondern derselben religion, Glauben / Kirchengebräuch / Ordnung und cerimonien / und bestellung der ministerien ihr gang gelassen &c. *Instrum. pac. Germ. Sued. art. 5. §. quantum deinde & §. Jus diœcesanum.* ubi notanter additur *Statibus immediatis*, comprehensa immediata Nobilitate Imperii, & Civitatibus liberis. ibid. §. x. & xi.

Cæterum quamvis jam ex eo tempore quo in pacem religiosam Cæsar & Status convenerunt, liberum instituendi cultus divini arbitrium permissum fuerit Imperii Statibus, tamen in initio & per ipsam illam pacificationem id restrictum fuit ad solam religionis Pontificiæ doctrinam & formulam Augustanæ confessionis. R. A. zu Augspurg an. 1555. §. doch sollen alle andere so obgemelten beeden Religionen nicht anhängig in diesem Frieden nicht gemeinet / sondern gäntzlich ausgeschlossen seyn. Quæ res movit controversiam iis qui reformatam quam appellant

lant religionem amplexantur, hisce quidem contendentibus sese pertinere ad eos qui Augustanam confessionem profitentur, pontificiis vero & multis aliis confessioni Augustanæ addictis id ipsum negantibus, donec tandem instrumento nupero pacis hæc lis decisa, & recepta inter partes religiosas est & illa quæ reformatum cultum sequitur. art. 7. Ubi inter alia bene notandum, quomodo jus reformandi se habere debeat inter Protestantes & Reformatos, si princeps vel alius territorii Dominus ad alterius partis sacra transiret.

Quousque vero se extendat hæc Principum in sacris aliquid constituendi potestas, totis est doctorum Virorum voluminibus disputatum & perquisitum. Ac Pontificii quidem Doctores omnia summis potestatibus, ut notum est, ademta volunt, nisi quod Gallia cordatius in hoc negotio sentire, & affectatam Pontificibus licentiam non parum in multis detrectare visa est. Ubi & ipse Clerus non sine lucta in his disputationibus versatur & anxietate, sicut colligere licet ex doctissimi Viri, si liceret recta via incedere, *Petri de Marca* commentario *de concordia sacerdotii & imperii.* Apud Reformatos itidem cordatius agere instituerat *Nicolaus Vedelius*, edito libello *de Episcopatu Constantini M.* ubi quæstiones proposuit de jure Majestatis circa sacra. Oppugnavit autem eum jussu publico *Guilielmus Apollonius* libro cui index est: *Jus Majestatis circa sacra.* Imparis doctrinæ & ingenii adversarium non fuisset forte difficile refutare, si supervixisset Vedelius. At nostræ religioni addicti verentur de iis quicquam adimere potestati civili, quæ divinæ literæ concedunt. Summam diligenter collegit magnus ille *Gerhardus* in loco *de Magistratu Politico* & alibi. Poterunt ergo Principes & Status Imperii, quæ ad externos ceremoniarum ritus pertinent ordinare, de personis & bonis sacris Leges ferre, Consistoria & scholas instituere, synodos congregare, & in universum de omnibus disponere, de quibus nihil quidem divina & naturali Lege præceptum, aliquid tamen constitui, necessitas Reipublicæ & decori ratio exigit.

CAPUT

CAPUT II.

Quid nomine Legum ferendarum in Germania veniat.

SUperiori capite probatum est, potestatem legum universalium ferendarum in Imperio nostro Germanico penes Cæsarem & Status esse simul. Ex quo firmiter inferri potest, non modo novæ alicujus Legis ferendæ jus, sed in universum omnia illa ad Cæsarem & conjunctos Status pertinere, quæ nomothetica facultate continentur, & in quibus officium Legislatoris & potestas alias debet locum habere.

Exerit autem suum officium Legislator: *primo in nova lege ferenda*; qua de re dictum supra. *Secundo*: *Quando lata legi aliquid est addendum.* Cum enim illa sit Legum natura & conditio, ut non possint ita scribi, quo omnes casus qui quandoque incidere possunt comprehendantur, interdum tamen nova quædam in Republica emergens necessitas suadet, ut de aliqua re in hac vel illa Lege expressis verbis sit cautum; munus Legislatoris postulat, ut addendo quod deerat conditæ à se Legi, subveniat Reipubl. hoc forsitan Legis defectu graviter laboranti. Et hoc est, quod in capitulatione quivis Imperator vi juramenti promittit, er wolle deß H. Reichs Ordnung und Gesetze mit Rath und consens deß Röm. Reichs Chur-Fürsten und anderer Stände / wie das deß Reichs Gelegenheit zu jeder Zeit erfordern wird / bessern. *art. 2. capitul. Cæs. Leopoldi.* Quod ipsum hisce casibus semper fuisse observatum praxis comitiorum & formulæ Recessuum Imperii clarè probant. Kayserl. Cammergerichts Ordnung zu Augspurg anno 1555. in proœm. verb. Auch was solcher Ordnung deßmals gemangelt hinzu zu setzen 2c. R. A. zu Augspurg anno 1566. §. Alsdenn im fernern verb. und nechst im 48. Jahrs gehaltenen Reichstag erkläret / gemehret / und gebessert.

R. Absch. zu Regenspurg de anno 1594. §. Was und so viel man/ 2c.

Tertio conspicuum est officium Legislatoris in *Lege renovanda*. Etenim est Legibus quoque, ut *Gellius* inquit, suum senium, & solent sensim à primo robore primaq; sua costitutione abscedere, ad quam nisi revocentur, senio eas exspirare necesse est. Unde ne in desuetudinem abeuntibus bonis LL. ingens aliquod damnum Respubl. patiatur, novis sanctionibus à Legislatore muniri & in
16. A.17. usum revocari debent. *Forstn. in not. ad Tacit.* Hujus tamen, utpote quod non minus ac novam Legem ferre ad Reipubl. summam pertinet, ne quid absque scitu Imperii Statuum fiat, itidem est in Cæsarea Capitulatione cautum. *Capitul. Cæs. Leopoldi art.* 2. verb. erneuern. Idem renovatarum passim constitutionum Imperii exempla clare docent. ut Kayserliche Cammergerichts Ordnung zu Augspurg anno 1555. in procem. verb. und folgends auff etlichen Reichstägen dieselbe Ordnung verneuert. it. verb. daß diese Ordnung wiederum von neuem also zu publiciren/ wir uns mit ihnen / und sie sich hinwiederum mit uns vereiniget und verglichen. Add. R. Absch. zu Speyr anno 1570. §. damit dann. Erklärung deß Landsfriedens zu Augspurg anno 1528. §. Als weiland verb. mit Rath der &c. wiederumb erneuret &c. Et ne ad antiqua magis tempora quam nostra in probandis Statuum imperii juribus respicere videamur, ecce novissimum Imperii recessum in comitiis Ratisbonensibus anno 1654. factum, in quo summa cura repetitum renovatumque Instrumentum pacis Osnabrugense; non ita multo quidem ante conditum ut illius potuerit oblivio obrepere, sed ne in posterum tamen quicquam ejus vigori & sinceritati decedat. *d. Rec.* I. §. Setzen demnach &c.

Est *quarto* Legislatoris, *Legem à se conditam explicare*, &, si forte verba illius obsuriora fuerint, quam ut sensus qui menti Legislatoris videatur conveniens, facile inde erui possit, sua decisione declarare. Nemo enim de sententia Legis rectius quam qui eam condidit judicare potest.

Vid.

Vid. Dn. Cellar. polit. Quo ſenſu Imperator Juſtinianus ait *L. ſ. C. de LL. Si Leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & Leges interpretari ſolo dignum eſſe imperio oportet*; rationem paulo poſt ſubjiciens. *Quis Legum ænigmata ſolvere & omnibus aperire idoneus eſſe videbitur niſi is cui ſoli Legiſlatorem eſſe conceſſum eſt?* Ubi tamen apprime notandum, nos minime hic de doctrinali illa, quam vocant, legum interpretatione, quæ in applicatione ſcripti juris ad ſingulares caſus qui incidunt conſiſtit, & ICti propria eſt, ſed de authentica Legum interpretatione quæ ſolius Majeſtatis eſt, loqui; quæ, ſi lex forte obſcura & ambigua eſt, ita eam explicat, ut declaratio illa novæ legis vim obtineat. *Habn. obſ. theor. pract. ad parat. Weſemb. de LL. n.* 8. verb. *vel jurisdictione magiſtratus.* Et hanc demum Legum explicationem in noſtro Imperio dicimus Statibus una cum Cæſare competere. Quod ipſum voluit Sereniſſ. Saxoniæ Elector, quando Cæſari Ferdinando II. reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum, poſt tranſactionem Paſſavienſem à Proteſtantibus in ſuarum Eccleſiarum uſum converſorum, per edictum flagitanti reſpondit; *quoniam de pace religionis controverſia eſſet, eam aliter quam ex omnium Ordinum conſenſu definiri aut explicari non poſſe.* Unde quoque ſupra in inſtrumento pacis, cautum Germaniæ Proceribus Statibusque, ut gaudeant jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, præſertim ubi Leges ferendæ aut *interpretandæ. art. 8. §. gaudeant.* Cujus aſſertionis quam plurima etiam in antiquioribus Receſſibus Imperii documenta occurrunt: uti in der Ordnung deß Landfriedens zu Wormbs an. 1521. tit. Ob jemand deß Friedbrechers &c. verb. derſelbe Artickel auff gehaltenen Reichstage zu Freyburg weiter declariret und geteutſchet. R. Abſch. zu Speyr / anno 1557. §. Ferner/ qui locus huc totus pertinet. Lectu digna quoque ſunt quæ in gravaminibus Evangelicorum, anno 1613. in comitiis Ratisbonenſ. Imperatori exhibitis, apud *Goldaſtum* in den Politiſchen Reichshändeln / habentur, verb. zu geſchweigen wie die Reichs-Conſtitutiones mit gantz nach-

l. 2. c. 8. §. 17.

Brachel. loco ſupra cit.

p. 1051.

theiligen præjudiciis declariret / welches doch niemand als der Kayserl. Majestät und den sämtlichen Ständen deß Reichs zustehet/und gebühren thut.

Denique locus est officio & potestati Legislatoris *in tollenda seu abroganda lege.* Ejusdem enim est tollere Legem cujus est ponendi potestas. Et quantumvis Legislator hoc semper habeat votum in lege aliqua ferenda, ut in perpetuum valeat ac servetur, imò maximè expediat Reipublicæ ut leges sint immotæ ac semper eædem, nihilo tamen minus contingere potest, ut autoritas alicujus legis stare amplius in Republ. nequeat & omnino sit abroganda, dum illam forte *aut usus coarguit, aut status aliquis Reipublicæ inutilem fecit*, ut ait Lucius Valerius, ap. *Livium.* (l. 34. c. 6.) In nostra Republica facultas universalem legem abrogandi, ut omnis in universum legislatoria potestas, est penes Imperatorem & Status. Ex quo etiam fundamento plurimi Ordinum contradixerunt decreto comitiorum Spirensium Anno 1529. quod nimirum expresse factum sit, contra superiorum comitiorum placita & decretum; *quod sicuti de communi omnium Ordinum voluntate factum sit, ita quoque pariter nisi assentiantur omnes, rescindi non posset nec irritum fieri. Sleidan. comment. de stat. relig.* (lib. 6.) De cujus sententiæ veritate potest nobis testimonium perhibere sæpe jam allegatum procemium *Ord. Cam.* in fin. verb. Dargegen sollen &c. quo omnes abrogantur leges & Ordinationes quæ isti constitutioni contrariæ videri queant, idque omnino cum Statuum Imperii voluntate, quorum consensu hæc constitutio facta erat. (P. 139.) *Vid. annotat. Limn. ad Capitul. Caroli V. art.* 2. verb. bessern.

Sicuti autem Autorem alicujus legis totam posse legem tollere diximus, ita etiam circa personam aut factum singulare recte vinculum ejus tollit, manente de cetero lege. Potest enim fieri, ut ratio legis particulariter cesset, in facto de quo agitur, & tum quoad illud lex poterit solvi, stante interim ratione legis universali, quæ ad sustinendam legis efficaciam & autoritatem sufficit. *Grot. de I. B. & P.* (l. 2. c. 20. § 24. & 26.) Atque hæc proprie est quam

hodie

hodie dispensationem vocant, sive exceptionem à lege, specialiter alicui personæ indultam, de qua cum jam supra in materia de privilegiis aliquo modo actum fuerit, plura hic addere non est opus. Et tantum quoque de secundo capite, ubi quod conjunctis Statibus sub nomine legum ferendarum circa universales Imperii leges competere juris diximus, singulis quoque Statibus in suis territoriis, quoad statuta & leges provinciales recte attribui posse putamus.

CAPUT III.

De Discrimine Legum Germanicarum.

HIc statim in initio sese nobis offert nobilis illa legum distinctio, quod aliæ sint *fundamentales*, aliæ *non fundamentales*. Dicitur autem accurate loquendo lex fundamentalis quæ ad status descriptionem pertinet, sive qua status alicujus Reipubl. definitur. *Dn. Cellarius* l. 2. c. 8. §. 21. in *Polit.* legem fundamentalem describit, *quæ modum imperandi Imperantibus definit sive determinat.* Cum quo videantur convenire quidam Scriptores I. publici, leges fundamentales nostri Imperii eo æstimantes, quod Principem in gubernatione Reipubl. constringant, & arctas illi gubernandi leges ponant. *Carpzov. de L. Regia.* c. 1. S. 3. n. 2.

Aliter enim vix occurri potest Principibus, si forsan metuendum, ne ea quam habent potestate abutantur. Hinc enim factum ut, sicut plerique populi ad conservationem suorum regnorum certas posuerunt leges fundamentales, ita etiam Proceres Germaniæ leges scripserint, quarum utilitas, secundum *Limnæum*, in eo conspicua est, *quod iis Imperium nostrum ceu fundamentis innitatur, per eas consistat, floreat, vigeat.* I. P. l. 1. c. 11. n. 1.

Inter has vero leges fundamentales facile primas sibi vendicat Aurea Bulla Caroli IV. utpote *sub qua Imperium constitutum, & super qua ut firmissima petra etiamnum*

majestas & pax Romani Imperii tuto quiescit, juxta *Carpzov. de*
C.3.S.2. §.11. & S.3. n.3. *L. Regia.* Magnum enim in Republ. momentum est, & ad ejus conservationem plurimum facit, si recte se habeat Principis electio, & probis legibus prudenter fuerit circumscripta; quippe neglecta maximis turbis & intestinis civium dissidiis occasionem præbeat necesse est. Cujus rei nullibi evidentius exemplum quam domi in nostra Republ. reperiemus, modo ad vetustiora secula recurrere velimus. Ex illo enim tempore, quo in Germania cessante hæreditaria successione, quæ in Imperatorum familiis olim obtinebat, Principes Imperii per liberam electionem Imperatorem sibi constituere cœperunt, uti ætate Henrici IV. primum factum ex historiis illius ævi videmus, nunquam fere à civilibus bellis &
Th. 20. motibus Germania potuit esse immunis. *Dn. Conring. disput. de Elector.* Factum enim in feroci & bellicosa gente, ut dum nulla publica lege restricta esset liberrima illa, quem sibi quisque Regem vellet, eligendi potestas, nunquam inter se suffragia convenirent, quin semper factionibus res agitaretur, interdum etiam ut quisque opibus & potentia præ aliis valebat, ita sibi ipsi hoc fastigium arrogaret. Et sic electi sæpe sunt eodem tempore plures, qui inter se commissi totam Germaniam tantum non pessum dederunt. Cui incommodo quanquam aliquod fuerit remedium allatum, quando non amplius omnes Principes sed eorum nomine Septem-viri cœperunt eligere Imperatorem, non tamen impediri potuit, quin & hi ambitione & mutuis inter se simultatibus acti in eligendo Imperatore non tam Imperii salutem quam privatos affectus sequerentur. Ideoque
Prooem. A. B. Carolus IV. Imperator *ut futuris divisionum & dissensionum periculis inter Electores occurreret*, anno 1356. Norinbergæ in comitiis constitutionem de electione Regis, Procerum Imperii & Ordinum consensu fecit, qua singulis Electoribus in electione Regis officia distribuit, certumque electioni modum, tempus & locum præscripsit. Auream au-
l. 1. c. 11. §. 4. tem Bullam quare dici voluerit, *vid. Limn. l. P.*

Ut

Ut vero hujus constitutionis, quæ multum facit ad salutem & tranquillitatem Imperii, semper maneat vigor & inviolata auctoritas, Imperatores fide jurata ad ejus observantiam per Capitulationem adstringuntur. *Capitul. Invictiss. Cæs. Leopoldi art. 2.* Et licet temere haud aliquid eorum quæ hac lege præcipiuntur mutandum sit, attamen si forte aliud Reipubl. utilitas postulet, mutari quidem poterit, ita tamen ut Ordinum Imperii consensus accedat. Ut enim eorum voluntate pro salute Imperii facta est hæc lex, ita poterit eorundem consensu dissolvi, si id suadeat Reipubl. salus, quæ suprema lex est. *Vid. Limn. I. P.* Videmus tamen in multis capi- l.1,c.11.n.120. tibus tacito saltem Electorum & Ordinum Imperii consensu per contrariam observantiam & consuetudinem à sanctione A. B. hactenus fuisse recessum, bene an secus, dijudicare non est nostrum. Exempla ejus rei congessit *Carpzov. de L. Regia.* c.3. S.3. §.8. & seqq.

Secundo loco inter fundamentales Imperii nostri leges refertur Capitulatio Cæsarea; quam proprie fundamentalem appellat *Carpzov. de L. Regia.* Et recte quidem; c.1. S.4. §.9. Pertinet enim omnino ad descriptionem status, *nec major aut certior lex de potestate Imperatoris & forma Imperii esse potest, quam illa quæ cujusque Imperatoris juramento sacratur.* uti de illa pronunciare *Magnif. Dn. Præsid. dissert. de vot. Imp.* supra diximus. Est vero Capitulatio formula administrandi Imperii ab Electoribus eligendo Cæsari totius Imperii nomine præscripta, quam vi juris jurandi servare tenetur. *Vid. Limn. proleg. ad Capitul.* S.1. §.35.

De origine ejus varii varie sentiunt. optima illorum sententia videtur, qui ad illa tempora ejus initium referunt, quo Electitium factum est Imperium nostrum Germanicum, & per liberam Procerum electionem creari Imperatores cœperunt. *Carpzov. de L. Regia.* c.1. S.8. §.40. *Arumæ. tom. 4. discurs. I. P. disc.* 4. Quam electionem statim extincta Carolina stirpe temporibus Conradi I. invaluisse quidam sentiunt, quod tamen simpliciter non est verum, cum semper aliqua manserit in Imperio hæreditariæ successionis ima-

imago, ita ut si idoneus Imperii hæres parente mortuo superfuerit, illum in electione Imperatoris præterire nefas habitum sit, usque ad tempora Henrici IV. quibus mixta hæc quasi ex hereditaria successione & libera electione constituendi Regem ratio prorsus sublata, & libera electio cœpit locum habere. Unde *Otto Frising.* electionem
l. 2. c. 1. Friderici I. describens in vita ejus ait. *Apicem fuisse Romani Imperii Imperatores non per sanguinis propaginem descendere,*
Th. 18. & ult. *sed Procerum voluntatem creari. vid. Dn. Conring. disput. de Elector.* Etiamsi vero antea quam ita libere eligi Reges cœperunt, fuisse illos quibusdam astrictos legibus ex antiquorum temporum monumentis probari possit, *Carpzov. & Arumæ. dd. ll.* verumtamen tum temporis maxime cœpisse Imperatoriam potestatem circumscribi & constringi, quando nullum illis amplius ad dignitatem Imperatoriam jus fuit, quam quod Procerum suffragiis illis tri-
l. 4. c. 10. butum est, nemo forsitan poterit negare. Quo etiam videtur inclinare *Lehman. in Chron. Spir.* de hac re ita loquens. Bey Auffrichtung Teutschen freyen Reichs ist die Verordnung eingeführet und in beständige stetige Ubung von einer Zeit zur andern behalten/ daß ein jeder erwehlter König der Teutschen zu Anfang seiner Regierung leiblich geschworen/ einem jeden Stande seine gebührende Ehre/ Recht und Freyheit hand zu haben/ nach welchem Exempel in folgenden Zeiten die capitulationes und Verträg der Käyser mit den Chur-Fürsten deß R. auffgerichtet seyn. Unde patet illum ante Electorum constitutionem Capitulationis initium non collocare.

Illud quidem caret omni controversia, jus Imperatori præscribendi Capitulationem semper penes illos fuisse, penes quos ipsa Regum electio fuit; Unde sequitur, cum olim in Germania penes omnes Principes imo etiam
l. 5. c. 17. civitates, sicut probat *Lehman. Chron. Spir.* fuerit jus eligendi Imperatorem, etiam ab omnibus Leges illi fuisse præscriptas, ad quarum normam acceptum Imperium administrare deberet. Postea vero translato in paucos & tandem in Septem Viros jure eligendi Imperatorem, primo post

post tempora quidem Friderici II. consuetudine, dein publica Lege per A. B. Caroli IV. Vid. *Conring. disputat. de Ducibus*: simul etiam hi soli prorsus exclusis reliquis Principibus cœperunt Cæsari Leges præscribere, quasi appendicem juris eligendi hoc sibi vindicantes. *Limn. proleg. ad capitul.* Fuisse initio pauciores capitulatione Cæsarea comprehensos articulos, non absurde credunt. quanquam in formulam redactæ Capitulationes ap. veteres non reperiuntur. Verum tractu temporis magis magisque eorum numerus est adauctus; quod potissimum factum suspicatur *Arumaeus*, durante interregno quod per electionem discordem Alphonsi Regis Hispaniæ & Richardi Regis Angliæ in Germania natum, & summo Reipubl. malo per plures annos duravit. *Tum enim*, inquit, *Electores captata occasione nonnullas potestatis Regiæ particulas, ut & successu temporis plures in quibus se abusu nimiæ dominationis prægravari existimarunt, Reipubl. à qua potestas Regia fluxerat, reddiderunt.* Demum post tempora Maximiliani I. cœperunt in majus crescere capitulationes Cæsareæ, Electoribus dominationis excessum, quem metuebant, strictiori formula coercere volentibus: quam deliberationem statim in ipsa electione Caroli V. ab ipsis habitam fuisse probat *Arumaeus d. l.*

Th. 40.

S. 4. §. 4.

Tom. 4. discurs. 1. P. disc. 4.

Atque hujus rei veritatem evidenter ostendit, non tantum satis magnus articulorum numerus, quem Caroli V. capitulatio nobis exhibet, sed etiam sequentium Imperatorum. Ut plurimum enim electo novo Imperatore, aliis atque aliis articulis adjectis augmentum recepit, donec in illam, qua hodie est, magnitudinem excrevit. Verum enim vero, cum multa Cæsareæ capitulationi inseri viderentur, à quibus non omnino reliquorum Statuum arbitrium excludi oporteret, aliqui etiam libertati & juribus Statuum timerent, si capitulatio Cæsarea, utpote prima & fundamentalis Imperii lex, quæ formam ipsam regiminis, adeoque omnium Statuum utilitatem spectat, iis inconsultis conficeretur, quos de summa Reipubl. participare formula nostri Status jubet:

Ideo conventum est in nupero Instrument. pac. Germ. Sued. ut in proximis comitiis de certa constantique Cæsarea capitulatione concipienda communi Statuum consensu ageretur. *artic.* 8. *§. gaudeant.* verb. *habeantur.* Cum vero in comitiis an. 1652. Ratisbonæ habitis ea res ob temporis brevitatem & negotiorum multitudinem expediri non potuerit, expresse tamen cautum in proximis de eo actum iri. R. Absch. zu Regenspurg an. 1654. §. Wann aber bey erstgemeldter.

Tertio Legibus fundamentalibus annumerandum censemus, quod communi Cæsaris & Ordinum consensu an. 1648. Monasterii & Osnabrugæ factum est pacis publicæ instrumentum; idque eo libentius, quod *artic. ejus* 17. *§. pro majori.* dicatur, illud ut perpetuam legem & pragmaticam Imperii sanctionem, instar aliarum Legum & constitutionum fundamentalium valiturum. Et quod secundum tenorem dicti Instrum. pac. insertum sit novissimo Recessui Imper. Ratisbon. anno 1654. eo fine, Daß alle das jenige was darinn / und in allen denen Puncten und Articuln enthalten &c. vor ein gegebenes fundamental Gesätz deß H. Reichs und immerwährenden Richtschnur und ewige norma judicandi stät fest und unverbrüchlich gehalten &c. §. Setzen demnach.

Si ergo quæratur, an Legis fundamentalis appellatio huic pacis constitutioni proprie conveniat, utique illud affirmandum erit. Præterquam enim, quod supra illam unice fundata sit pax Imperii publica, religiosa & profana, magna hujus sanctionis pars in eo est occupata, ut Statibus Imperii Aristocratica jura, quæ supra explicavimus, sarta tecta sint; quod nisi fiat, statum Reip. confundi, & fundamentis eversis, quibus Civium libertas nititur, universam Rempubl. corruere necesse foret. Unde non sine causa inter alias Imperii Leges, ad quas servandas per capitulationem astringitur Cæsar, peculiaris mentio fit hujus constitutionis, *Capitul. Imperat. Leopoldi artic.* 7. verb. sonderlich aber obgemeldten Münster- und Oßnabruggischen Friedenschluß.

Inter Leges fundamentales numerat quoque *Limn. in* I. 1. c. II. n. 3. *I. P.* pacem religiosam Augustæ an. 1555. inter Cæsarem & Ordines initam, uti & alteram illam pacis constitutionem quam profanam vocant, den profan und Land-frieden / à Maximiliano I. an. 1495. Wormatiæ Procerum & Ordinum Imperii consensu constitutam, & à sequentibus Imperatoribus sæpius confirmatam.

Porro ad cognoscendas diversas legum Germanicarum species facit illa legum distinctio, cujus jam supra facta est mentio, qua dividuntur in universales, particulares & singulares. Universales sunt in nostra Republ. præter Leges fundamentales jam recensitas, omnes Imperii Recessus & pragmaticæ sanctiones. Particulares, quælibet Leges provinciales & Statuta municipalia, Lands/ Gerichts / Stätte Ordnung / reformation, Stattrecht/ Lehenrecht / & similia. Singulares denique sunt privilegia; de quibus omnibus cum separatim in superioribus fuerit actum, plura hic de iis addere non est opus.

Adjiciamus nonnulla adhuc de consuetudine seu jure non scripto. Est vero illud quod ex usu & moribus resultat. *arg. L. 32. & 33. ff. de LL. & t. t. C. quæ sit long. consuet.* Quemadmodum autem omnis Respubl. habet aliquod jus moribus & consuetudine introductum, ita quoque Germania nostra peculiares quasdam habet consuetudines, quæ non minus ac scriptæ Leges in judiciis observantur. Ubi tamen maximopere notanda frequens illa consuetudinis distinctio in universalem & particularem, sine qua nihil certi de Germaniæ consuetudinibus dici potest. Quod enim de Legibus Germaniæ supra dictum est, eas eodem modo distingui, idem de consuetudinibus tenendum. Universales in vernacula nostra vocamus eine allgemeine durchgehende gewohnheit / allgemeine Gebrauch und Herkommen; quales plurimæ in usu judicii Cameralis occurrunt, ex. gr. promissionem factam bey Fürstlichen Ehren und Treuen juramento æquipollere, notissima Germaniæ consuetudine receptum testatur *Minsing.* cent. 1. obs. 7. Idem ait, ex communi Germaniæ consue-

tudine in civilibus negotiis triginta dies pro mense computari. Sic uniones prolium ubique in Germania receptas & in Camera confirmatas dicit *Gailius*: & talia passim à laudatis Autoribus annotantur. Vid. imprimis *Gailius*. Particulares vero sive locales consuetudines sunt, quas dicimus Ländische oder localische Gewonheit / de quibus aliquid notatum est, ubi de Nomothesia singulorum Statuum in suis provinciis egimus.

cent 6. obs. 40. l. 2. obs. 125. n. 1. & 2. l. 1. obs. 36.

Utriusque sane generis, magna per Germaniam autoritas est. Unde & *Gailius* inquit, consuetudines & Statuta rationi atque naturali juri plane non repugnantia in judiciis accurate attendenda & observanda esse, adeo ut judex contra consuetudinem vel Statuta judicans litem suam, perinde faciat ac si contra jus commune pronunciasset. Hoc tamen discrimine observato, ut secundum generalem Germaniæ consuetudinem, omnibus & ex æquo jus sit reddendum; particulares vero non habeant locum nisi inter eos, qui ejusdem sunt provinciæ. Ut autem secundum loci alicujus consuetudinem, judex sententiam ferre possit, omnino erit probanda; quæ, utpote per actus qui facti sunt inducta, facti esse judicatur, *capit. 1. de constitut. in sexto*. Facta enim non præsumuntur, sed allegari & probari debent. *Dn. Hahn. obs. theor. pract. ad parat. Wesemb. de LL. n. 9. verb. probari convenit.* Exceptio tamen est in generali & notoria consuetudine forte totius Germaniæ aut Ducatus, quam allegasse sufficit.

cit. l.

Magis ad propositam materiam facit quæstio, cujus in Germania, circa consuetudinem vel introducendam vel abrogandam sit summa potestas. Facilis expeditu hæc res videtur, siquidem eam ad naturam & officium Legislatoris examinare velimus. Et primo quidem quantum attinet ad consuetudinem Imperii universalem, cum illa propter suam generalitatem recte dicatur jus commune non scriptum, talem sane nec expressa confirmatione in Rempublicam quisquam introducere, nec introductam repudiare, nisi Legislator potest, cui alias universalem

Legem

Legem in Republ. ferendi aut tollendi è Republ. jus est. Cum vero supra probatum sit, illa quæ pertinent ad legislatoriam facultatem, una cum Cæsare Ordinibus Imperii esse communia, nihil obstat quin omnem quoque his conjunctis attribuamus potestatem, quæ in consuetudinem Legislatori esse potest. At cum ex regula civilis prudentiæ, generalis & inveteratæ consuetudinis magna in Republ. auctoritas esse debeat, ita ut ipse *Aristot.* 3. Polit. 16. majorem illi vim quam scriptis Legibus tribuat, & licet non statim illius ratio appareat, tolerandam tamen dicat *Nicol. Betſ. de pact. illustr. famil.* ideo quoque hujus- c. 8. p. 347. modi generalis consuetudinis abrogatæ, rariora in nostro Imperio exempla forte invenias. Particulares vero sive locales cum merito cedant communi Reipub. commodo, & minori turbarum ac periculorum metu tolli è Republ. possint, publica Lege Ordinum Imperii consensu sæpius abrogatæ inveniuntur. O. C. zu Augspurg de anno 1500. tit. die Succession der Töchter und Enckelen/ juncto Rec. Imp. Aug. ejusdem an. in fin. §. Und wir Churfürsten. In reformation guter Policey an. 1548. tit. Von Handwercks Söhnen. Quæ breviter de consuetudinibus, deque Germanicarum Legum discrimine dicta sufficiant.

CAPUT IV.

De modo ferendarum LL. Imperii.

SEquitur in Legislatore nostro Germanico quartum caput, modus scilicet Legum Imperii ferendarum. Cum autem ex supradictis manifestum sit, in mixto Reipubl. nostræ Statu Legislatoriam potestatem esse penes Cæsarem & Ordines simul; de iis vero in quibus commune Statibus cum Cæsare est Imperium, omnino Ordinum communi voluntate, id est in comitiis, quæ omnes Ordines repræsentant, statui debeat; sequitur Legem Imperii universalem aliter quam in comitiis ferri non

posse. Quod ipsum clare exprimit clausula pacificationis Pragensis an. 1635. inter Ferdinandum II. & Electorem Sax. initæ, verb. Daß ausser einem gemeinen Reichs- oder zum wenigsten deputations-Tags dergleichen das gantze Reich betreffende hohe Schule nicht zumachen. Comitia describit *Paurmeist. Principum & Optimatum Imperii conventum Reipubl. causa.* Germanis dicuntur Reichstäge/ Versammlungtäge deß Reichs. add. *Limn. I. P.* Sunt autem vel universalia vel particularia.

de Jurisd. R. Imp. l. 2. c. 2. § 2. l. 9. c. 1. § .12.

Universalia convocat Cæsar adhibito necessario Electorum consensu (interdum enim etiam omnium Ordinum R. A. zu Augsp. in Erklärung deß Landfriedens in princ. verb. mit Verwilligung der Stände / so daselbst bey uns versamlet waren &c. einen andern gemeinen Reichstag fürgenommen und bestimmet) literis ad singulos Ordines missis, definito, suo pene arbitratu, die & loco non tamen extra fines Imperii. *Lampad. de Rep. R. Germ.* Convocati hoc modo Imperii Status aut ipsi aut per legatos comparent. Legati postquam convenerunt, sua nomina apud Electorem Moguntinum profitentur, editis mandatis & literis fidei, quas vulgo credentiales vocant. Dein stato die Cæsarem solenni pompa in curiam comitantur, ubi ultro citroque gratiis actis Cæsar per Secretarium tractationis materiam proponit. Quo facto, & communicata propositione, Ordines & Legati reducto Cæsare, in sua quisque diversoria deliberatum discedunt: sicuti hæc breviter *Lampadius d. tr. dictoq; l.* copiose vero tradunt alii Scriptores I. P. Vid. *Limn. l. P. Paurmeist. de Jurisd. Imp. Rom.* Omnia vero accurate congessit *Arumæus* integro tractatu *de Comitiis.*

art 17. capitul. Cæs. Leopoldi. Limn. l. P. l. 9. c. 1. § . 17. p. 3. c. 8. § . 2. l. 1. c. 1. à pr. usq; ad § 130. l. 2. c. 2. § . 31.

Sic facta propositione, postea ad consultandum certa die præstituta, ad mandatum Cancellariæ Electoris Mogunt. à Vice-Mareschallo Pappenheimio vocati Ordines ad suffragia ferenda conveniunt, divisi in tres classes Electorum, Principum, & Civitatum Imperialium. Electores, qui primam classem sive Senatum constituunt, vulgo der Churfürsten Rath/ postquam de ordine in consul-

ſultatione obſervando, & quis ex articulis propoſitis in ea prior eſſe debeat, primo inter ſe, & dein cum reliquis Statibus convenerunt, (nam interdum diſcedi ab illo ordine uſu venit, quo ſingula negotia in propoſitione Cæſar collocaverat. *Limn. d. l. n. 152. Arumæ. d. tr. c. 7. §. 61.*) ad ipſam deliberationem hoc modo procedunt; Moguntinus Elector per Cancellarium rem deliberandam proponit, & vota ſuorum Coëlectorum ſecundum Ordinem in A. B. præſcriptum exquirit, ſingulis viritim ſuffragia ferentibus, eo pro concluſo valente, quo major pars inclinavit. *Vid. Arumæ d. tr. c. 7. §. 78. Bertram. de Comit. membr. ult. §. 69. Limn. I. P.* tit. 4. l. 9. c. 1. n. 181.

Secundam Ordinum claſſem ſeu collegium conſtituunt Principes, der Fürſten Rath: qui in duo ſcamna diviſi, vel Eccleſiaſtici ſunt vel ſeculares, illi primum die Geiſtliche Banck/hi vero alterum die Weltliche Banck/occupant, præter Auſtriacos & Burgundiæ Duces, quibus honoris gratia in ſcamno Eccleſiaſtico eſt locus conceſſus, ſeſſione inter utrumque una cum directorio hujus collegii per vices alternante. Vota in hoc Senatu Vice-Mareſchallus Pappenheimius colligit; quæ non ſunt uniusmodi: Principes enim Eccleſiaſtici & Politici viritim ſuffragia ferunt. At Prælati omnes duo tantum vota habent, unum Suevici, alterum Rhenani. Comites item & Barones conjuncti non niſi duobus ſuffragiis gaudent, unum Suevorum dicitur, alterum Wetteravicorum. Omnino vero hic, ut in Electorum Senatu, majoribus votis erit ſtandum. *Bertram. de Comit.* membr. ult. §. 73. exceptis cauſis religionem & fidem Chriſtianam ſpectantibus: cui addunt cauſas contributionum & collectarum, nonnullaſque alias. *Limn. I. P.* l. 9. c. 1. n. 181. & 182. Huc pertinent proteſtationes Evangelicorum Statuum, quæ habentur inter gravamina an. 1613. in comitiis Ratisbon. Cæſari oblata ap. *Goldaſt.* in Reichshandlungen. p. 1045. De Senatu Principum plura legi poſſunt apud *Arumæ. de Comit.* c. 7. §. 87. *Bertram. de. Comit.* membr. 3. §. 38. & 39. & membr. ult. §. 70. *Limn. I. P. l. 9. cap. 1. §. 141.*

Tertia Statuum claſſis eſt Civitatum Imperialium

der Frey- und Reichstätte Rath; quarum unaquæque in sua curia sententiam dicit, & pariter ut Comites in duo latera Rhenanum & Suevicum, vulgo die Rheinische und
p.3. c.8. §. 11. Schwäbische Banck / dividuntur. *Lampad. de Rep. R. Germ.* Directorium hoc in Senatu competit civitati in qua habentur comitia; prævalente hic quoque, ut in reliquis collegiis, votorum pluralitate. Quomodo colligantur,
l. 7. c. 124. vid. apud *Lehman. Chron. Spir. Arumæ. d. t. §. 125. Limn. d. l. §. 145.*

Postquam igitur singulæ classes in aliquo negotio concluserunt, tota res ad tria curiata suffragia jam deducta, relatione & correlatione inter easdem tres hasce curias incipit agitari. Et primo quidem Electores statim ac in certam aliquam sententiam inter se invicem descenderunt, solent eandem per Cancellarium Moguntinum secundæ curiæ Ordinibus, Directoribus Senatus Principum in commune Buleuterium ad se vocatis, aperire. Quibus si instituta suffragiorum correlatione, curiatorum scilicet, idem placere deprehendatur, confecta inter illos quidem res est; Sin minus, in conclave suum se recipiunt de tota re ulterius consultaturi. Habita deliberatione iterum convenitur in curia, & Principes quod denuo per majora inter illos est conclusum, per Directorem Electorali collegio referunt. Qui duo Senatus sive inter se suffragiis conveniant sive discrepent, neutra parte à lata sententia discedere cupiente, *moris est,*
d. tr. c. 7. §. 151. inquit *Arumæus, per Secretarium Moguntini civitatum missos ad utrumque Senatum vocari*, quibus indicat Cancellarius Moguntini, Electores & Principes in unam vel diversas sententias super hoc vel illo negotio concessisse, quæ publice recitari debeant; audire se nunc paratos, quæ in ipsorum curia de hac re fuerit lata sententia. Cui morem gerentes, per Directorii Syndicum quid sibi videatur aperiunt, & vel Electoribus, vel Principibus accedunt, vel ab utrisque in aliam abeunt sententiam. Hæc omnia formulis comprehensa leguntur apud *Arumæ. de Comit. Limn.*
c. 7. §. 151. de I. P. l. 9. c. 1. n. 166. Bertram. de Comit. membr. ult. §. 72.

Ubi

Ubi communiter quæri solet, quantum autoritatis, vel convenientibus inter se vel dissentientibus superioribus binis collegiis, liberarum Civitatum Imperii suffragio sit tribuendum? qua de re non verentur quidam judicio parum æquo Civitates prægravare. inter quos ita *Arumæus d. tr. Ex quibus videre est, Civitatum relationem hodie non suffragii sed consilii loco haberi: non enim prius ad Electorum & Principum Senatum, re- & correlationem vocantur, quam si ab ipsis conclusum sit; qui si in votis conveniant, civitatum unicum votum duplex Electorum & Principum convellere non potest; at si inter Electorum collegium & Principum Senatum discrepantia sit, hanc suffragio suo civitatum missi tollere, & accessione sua ad hanc vel istam partem, votorum pluralitatem constituere non possunt, sed utriusque Senatus votum discordans Cæsari referri moris est;* quæ etiam *Paurmeisteri de Jurisd. R. Imp.* sententia est. Verum utrumque nimis esse liberis Imperii Civitatibus iniquum, patet ex iis quæ disputat *Lampad. d. tr. Quæro,* inquit, *si destituuntur jure dicendæ sententiæ, quare vocantur ad comitia? num ut tantum in medium consulant? atqui hæc consilia aut obstringunt Ordines necessitate sequendi, aut non obstringunt. Utique decernendi potestate pollent, quia in rebus Imperii seu jurisdictionis consilii nulla est obligatio. Si non obstringunt, cur civitates decretis Imperii, quibus nihil ab ipsis roboris accessit, subscribunt, quasi sua auctoritate quoque constitutis.*

c. 7. §. 18.

l. 2. c. 2. §. 49.

p. 3. c. 5. §. 11.

Agitata est ea disputatio etiam superiori seculo, ubi jus Civitatum Imperialium egregia deductione declaratum est, *à Ludovico Grempio & Hieronymo* zum Lamb / JCtis, Argentoratensi, & Francofurtensi Consiliariis: repetita hoc seculo editione. Videndus etiam *Cothmannus respons. 29. vol. 3. n. 523. & seqq. Besoldus de statu Reip. subaltern. c. 5. n. 9.* Lindenspur *de success. & mutat. Imper. cap. 30.* Firmatum autem imprimis est *votum decisivum*. Civitatum jure novissimo, *Instrumento pacis art. 8. §. tam in universalibus*, & confirmatione Instrumenti pacis, in novissimis Comitiis & Capitulatione Cæsarea. In dictis quidem Comitiis etiam ad singularia descensum est, & petita à civitatibus admissio ad simultaneam re- & correlationem; ut votum

istud Instrum. Pacis firmatum, non verbo & charta, sed vere & effective decisivum esset. Ubi duo superiora Collegia Electorum & Principum testabantur, se Imperialium Civitatum voto decisivo, Instrum. Pacis firmato, nihil derogatum cupere, quin per omnia Cæsareæ propositionis capita, & aliunde emergentes materias id requirerent, atque si id cum Electorum Principum & Statuum votis consentiret, nomine trium Imperii curiarum, conceptum decretum ad Cæsar. Majest. referrent; Si vero discordaret, eaque disparitas sententiarum per ulteriorem cum Civitatibus susceptam tractationem ad concordiam redigi non posset, nihilo tamen minus illa omnia, quæ ab uno alterove collegio allata sunt in re- & correlationibus, infecto decreto, communi scriptura Cæsareæ Majest. exhiberent, ut ipsa, quid apud unum alterumve Statum componi ac effici queat, experiatur. Qua occasione præsertim etiam quæsitum est, de modo cum Civitatibus super hac materia disceptandi: & quod non conveniat cæterorum in hac re Statuum sententiam ipsis pro decreto obtrudere. Illud certe apud omnes dubio caruit, quin optimo jure voti decisivi pleno effectu Civitates gaudere deberent; quanquam de modo rei non una omnium sententia fuit. In cujus rei causas inquirere, non est privatæ solertiæ.

Sed, ut in viam redeamus, Cæsar, rogatu Statuum anniti solet, ut ad concordiam dissona suffragia redigantur; eligens nonnunquam omnium Ordinum paucos, qui concilient de quibus conveniri non potuit, Statibus vel eligendi personas, vel nonnunquam totius negotii decernendi potestatem Cæsari permittentibus. R. A. zu Augsp. anno
p. 3. c. 8. §. 12. 1548. §. Auff solche unsere &c. *Add. Lampad. de Rep. R. Germ.* Et siquidem ita in unam sententiam conveniant omnia tria collegia, id quod inter eos decretum est, tanquam Ordinum commune consultum Cæsari per deputatos den Ausschuß refertur; cui si idem quoque placeat, confecta res est, sin minus, tamdiu replicando, duplicando &c. inter se, adductis hinc inde pro opinione sua argumentis idoneis, à Cæsare

Cæsare & Ordinibus disceptatur, donec vel hi in illius, vel ille in horum sententiam sponte concedat. Ac quod ita in commune placuerit, decreti comitialis & universalis Legis in Imperio vigorem habet: uti hæc fere tradit *Paurmeister. de Jurisd. R. Imp.* Quod ipsum quo modo postea concipiatur, signetur, à Statibus subscribatur, & tandem publicetur, prolixe exponit *Arumæ. de Com. & Lehman. in Chron. Spir. l. 7. c. 124.* von Beschlüssen und Abschieden eines Reichs-Tages. l. 2. c. 2. §. 10. c. 8. §. 95.

Quod si vero, pergit *Paurmeisterus, inter Cæsarem & Ordines vel majorem eorum partem res coire non potest, nihil actum judicatur, sed res in libera ac spontanea conventione posita est, ita ut nec Imperator ex plenitudine potestatis nec Ordines invito illo quicquam statuere possint.* Quam sententiam ut verissimam suo calculo confirmat *Lampad. de Rep. R. Germanica.* Namque ut comitiale decretum fiat, eorum consensus accedat oportet, inter quos ius comitiorum divisum est. *Paurmeister. de jurisd. R. Imp.* Atque hoc est quod Cæsarem & Status hinc inde conveniendo inter se de rebus comitialibus statuere debere vult *Lampad. d. tr.* vel ut clarius *Bertram de Comit. Imp. membr. ult. §. f.* Generaliter verum esse puto, quod Imperator in comitiis absque scitu Statuum absoluta auctoritate regulariter nihil sanciat, *sed si quid statuatur, id non nisi in vim contractus, inter Imperatorem & Ordines initi, valere,* quod etiam probat clausula Recessibus Imperii apponi solita, haben wir uns nachfolgender Ordnung vereiniget/ verglichen/ und deßhalben mit und gegen einander in contracts-weise verpflichtet und verschrieben. R. A. zu Augspurg Anno 1500. circa fin. Unde quod in comitiis decernitur, non vocatur des Kaysers Abschied / verum des Reichs-Abschied/ vel des Kaysers und gemeiner Stände Abscheid. R. A. zu Wormbs An. 1564. §. demnach wir. *Add. Carpzov. de L. Reg. Limn. l. P.* p. 3. c. 8. §. 7. l. 2. c. 2. §. 20. p. 3. c. 27. p. 3. c. 8. §. 13. & c. 11. §. 16. C. 10. S. 2. §. 23 l. 1. c. 10. §. 23. & l. 9. c. 1. §. 174.

Probato igitur hoc, non aliam in constitutionibus Imperii faciendis esse Imperatoris potestatem, quam quale in conventionibus alterutrius contrahentium arbitrium est; id vero ita sit temperatum, ut alter alternum invitum,

tum, obligare non possit, sed utriusque requiratur consensus; simul apparet quid iis tribuendum sit constitutionibus, si quæ vel omnibus Ordinibus vel maxima earum parte contradicente promulgarentur. Itaque pacificationi Pragensi Anno 1635. initæ hæc apposita est clausula. Und wann dieser Frieden-Schluß von den andern Geistlichen und Weltlichen Chur-Fürsten und Ständen / oder doch dem mehrentheile gleichfals beliebet / und bekräfftiget / soll er als eine gemeine Reichsbewilligung gelten &c. quæ ipsa tamen pactio ideo, quod plerorumque Statuum consensu destituta permansit, pro publica Imperii Lege à nemine unquam fuit agnita, & expresse in nupera pacis constitutione infirmata, *art. 17. §. contra hanc. Vid. Lamp. d. tr. Paurmeister. de Jurisd. Imp. R.* Hæc de generalibus comitiis.

p. 3. c. 8. §. 14. l. 2. c. 2. §. 20.

De Comitiis Particularibus Deputatorum, Visitatorum Cameræ, Electorum, Circulorum, non est cur aliis dicta repetamus, nisi quod hic unum id forte adiiciendum fuerit: omne quod à Deputatis unanimi consensu sic constituitur & transigitur, eundem cum communibus totius Imperii decretis valorem obtinere. R. A. zu Regenspurg an. 1594. §. Was und noch so viel aber diesem verb. und an statt allgemeiner Stände deß Reichs beschließlich zu erörtern &c. *Bertram. de Comit.* §. 12.

CAPUT V.

Virtus & Prudentia Legislatoris Germanici.

FRIDERICUS I. optimus quondam Germanorum Imperator, sic aliquando Roncaliis in Comitiis Principes Imperii est allocutus: *Si jus nostrum sive vestrum in scriptum redigatur, in ejus constitutione considerandum est, ut sit honestum, justum, possibile, necessarium, utile, loco temporique conveniens. Ideoque tam nobis quam vobis, dum jus condimus, cautius prævidendum est. Quia cum Leges institutæ fuerint, non* iter

ap. Radevic. in vit. Frider. l. 1. 2. c. 3.

erit liberum judicare de iis, sed oportebit judicare secundum ipsas. Quo an quisquam hisce temporibus melius instruere ad prudentiam & virtutem queat Legislatorem Germanicum, merito possit dubitari. Quid enim legibus in aliqua Republ. deesse putes, si pietatem & justitiam conservent, honesta jubeant, sint utiles Reipubl. civibus apud exteros honori, pacis æque ac belli temporibus prospicientes? Neque frustra Legislatori nostro Germanico hæc dici videntur, si penitius paulo ipsas Germanicarum legum formulas inspicere velimus.

Pietas utique Legislatoris Germanici conspicua est in iis, quæ plurimis Recessibus Imperii de religione constituta imprimis vero de conciliis pie aliquoties decreta sunt: R. A. zu Nürnberg/ an. 1524. §. Als auch viel. R. A. zu Speir an. 1529. §. Und anfänglich. R. A. zu Regenspurg an. 1541. §. Als wir nun/ & passim. Quæ tamen quod minus feliciter perfecta sint, nemo, ut nunc sunt mores, mirari debet. Pontificiis enim Hildelbrandina illa doctrina de vicariatu Papæ hactenus ita est impressa, ut nec putent sibi licere citra consensum Pontificis nobiscum unum in cœtum coire, nec sibi fas esse quicquam ab eo quod Romanus Pontifex jam decrevit, vel adhuc decreturus est, desciscere. Possent fortasse Conciliorum loco haberi colloquia, quorum aliqua superiori seculo Cæsaris & Statuum consensu instituta sunt, R. A. zu Regenspurg an. 1541. §. Dieweil aber. R. A. zu Regenspurg. an. 1557. §. So haben auf solches alles/ verum & hic etiam contrarius expectationi eventus respondit.

Et quæ tandem lex clarius de eximia nostri Legislatoris pietate testimonium nobis perhibere potest, quam pacis illa constitutio quam religiosam vocant, facta in comitiis August. an. 1555. Per illam enim non tantum Evangelicæ & Orthodoxæ religionis exercitium in Germania permissum, verum etiam Reipubl. non minus quam animarum quieti est consultum, ne illa animarum carnificina, quam Sancti Patres Inquisitores alibi in miseros homines cum maximo æternæ salutis dispendio exercent,

introduci posset. Omnino enim à religione coactio abesse debet, & nihil est absurdius quam fidem in anima quæ Spiritus est cogere velle. *Et quis mihi imponat necessitatem,* inquit, *Lactant. divin. institut.* *vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi. Nihil tam voluntarium quam religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est.* Quantum vero ad Reip. salutem pax hæc religionis faciat, verbis Philip. Camerarii exprimit *Carpz. de L. Reg.* *Hujus salutaris,* inquiens, *sanctionis beneficio videmus conjuges in religione quidem dissentire, parentes & liberos diversa sacra sequi, fratres & sorores in una interdum domo in plurimis doctrinæ cælestis capitibus discrepantes fovere sententias; in Politicis tamen & domesticis rebus concordes vivere.* Taceo quod assidua bella & contentiones, quæ antea sub religionis prætextu impune movebantur, hac optima lege magnam partem sopita sint.

l. 5. c. 19.

c. 3 S. 5. S. 58.

Sicut vero magnum pietatis indicium esse diximus, quod hæc lex sit lata, ita non minus pia dicenda erit illa cura qua eam confirmatam & renovatam videmus. Quod quidem in omnibus sequentium temporum Capitulationibus, plurimis Imperii recessibus, ut R. A. zu Regenspurg an. 1613. §. Und darmit solches alles. & nominatim quoque nupero pacis instrumento egregie factum apparet. Quo ipso etiam facile concidunt illorum nugæ, qui ideo pacificationem hanc irritam esse contenderunt, quod Imperatori & Statibus Pontificiæ religioni addictis per vim sit extorta. Quo jure enim obtentu coactionis, tot vicibus tantaque verborum religione decretam infringent? *Carpzov. de L. Reg.*

Capit. Cæs. Leopoldi art. 2.

C. 3. S 5. seqq.

Pax Imperii profana, qua maxime continetur civium concordia, adeoque Reipubl. salus, licet non parum confirmetur per pacificationem religiosam, nihilo tamen minus peculiari Lege hanc quoque juvare, ad suam curam pertinere noster Legislator duxit. Cum enim in bellicosa natione, qualis est Germanica, frequentissimæ olim lites essent, quas non jure sed armis finire moris erat, unde crebra certamina, duella, & ex privatis contentionibus non raro civilia bella oriebantur; adde quod latrociniis

niis quæ in laude etiam veteres Germani posuerunt, omnia infesta reddebantur; Maximilianus I. Imperator non aliud, quo paci Reipubl. consuleret, inveniens remedium, legem de publica pace an. 1495. in comitiis Wormatiens. consensu Procerum Imperii tulit, proscriptionis & banni Imperialis in illum pœna constituta, qui armata manu eam violaret. Vid. Der Königl. Land-Friede zu Wormbs an. 1495. Quæ constitutio in diversis postea comitiis & imperii conventibus sub incudem est revocata, sicut videre est apud *Carpzov. de L. Reg.* c. 1. S. 4. §. 8.

Omnium vero harum de publica pace constitutionum vere dici meretur auctarium nuperrima illa pacis constitutio an. 1648. Monasterii & Osnabrugæ inter Cæsarem & Ordines inita, qua demum collapsa penitus per tricennale illud & fatale Germaniæ bellum pax restituta est Imperio, & ne quid posthac turbarum enascatur, quam optime cautum. *Instr. pac. Germ. Sued.* art. 17. §. Qui vero huic.

Ut propterea merito patriæ nostræ gratulemur, quod per hanc pacem sublata ex Procerum animis diffidentia, quam antea religionis dissidium alebat, concordia tam inter Caput & Membra, quam Membra Imperii inter se sit restabilita. Utinam modo sinceram illam & perpetuam, internecinum illud Germaniæ dissidium Religionis posthac esse permittat, nec in singulorum animis hostile in contrariæ religionis partes odium, sed cura integri Reip. corporis regnet, cujus partes non nisi uno vinculo unoque spiritu possunt esse salvæ. Conring. præf. ad Polit. Arist.

Cum vero omnis bene constituta Respubl. non ad pacis solum sed ad belli quoque tempora debeat esse accommodata, prudentis etiam Legislatoris est in pace de bello cogitare, quæque ad illud recte administrandum faciunt, bonis Legibus describere. Cui officio non defuisse Germanicum Legislatorem cum insertæ sparsim aliis Imperii Recessibus, tum de re militari peculiariter latæ leges ostendunt, quibus quæ ad mores, disciplinam & stipendia militum pertinent, optime definiuntur Vid. Der Röm. Käyserl. Majest. und des H. Reichs Reuter-Bestallung. it.

Von Bestallung des Feldes / erneuret Reuter-Recht/und der Teutschen Knechte articul &c. post Rec. I. Spirensem an. 1570. Quas leges in usum hodie revocari maxime esset ex usu Reipubl. utpote in qua propter civilium bellorum tumultus, corruptissima disciplina militaris, imo nulla potius est. Huc quoque pertinent generosa consilia in variis comitiis superioris ævi contra Turcam, perpetuum Christiani nominis hostem, à Cæsare & Statibus capta: modo semper sincere res ista fuisset tractata, nec in alios usus contra Turcam destinati sumptus, conversi.

Perspicitur amplius virtus nostri Legislatoris in iis legibus, quibus decorum & honestatem morum in animos suorum civium introducere conatur. Cujusmodi sunt omnes illæ constitutiones, quæ sub nomine Der Policey-Ordnung / Reformation guter Policey/ Erklärung und Bestättigung der Policey-Ordnung in corpore Recessuum Imperii occurrunt.

Esse quoque justitiam ex iis, quam suis legibus intendit Germanicus Legislator, nemini ambigere licet. Quid enim aliud sibi volunt Ordinationes Cameræ Imperialis toties explicatæ, emendatæ ac suppletæ, quam ut justitia ubique in Imperio vigeat, & singulis ex æquo administretur? Cui ut nihil prorsus deesset, nec quisquam jus sibi negatum merito conqueri posset, de certo Assessorum numero in judicio Cameræ Imperialis ab utriusque religionis Statibus nominando, in instrumento pacis denuo est conventum. *art. 5. §. 20. & seqq.* iis quæ circa punctum justitiæ tum expediri non potuerunt ad proxima comitia rejectis, ex quibus postea in Conventu Ratisbonensi an. 1654. aliqua decisa fuerunt. d. Rec. I. §. Alsdann nechst diesem.

In omnibus vero quæ in salutem Reipubl. agit Germanicus Legislator, honorem nationis & Reipubl. ipsius sibi maxime propositum esse, variis in laudem Germanorum, de illorum virtute, libertate, sinceritate, & potentia legibus suis interjectis sententiis aperte testatur. Uti in der Ordnung des Land-Friedens zu Wormbs an. 1521. sic

sit mentio Der alten Teutschen Erbarkeit / und löblicher ehrlicher Gebräuche. In Rec. J. Spirens. an. 1570. §. Wann nun/legitur, wie die Freyheit deß Teutschen Kriegs-Volcks auf unser löblicher Vorfahren alte Teutsche Ritterliche Tapffer- und Redlichkeit zu richten seyn möchte. Quo etiam pertinet, quod Præsidem Judicii Cameræ non alium præter Germanum constituturum se publica Imperii lege Cæsar promittat, R. A. zu Augspurg an. 1548. §. Und nach dem uns; & in judicium aulicum ex honestioribus familiis Germanos legere vi capitulationis teneatur. *Vid. Capitul. Caroli V. art. 13. Capitul. Cæs. Leopoldi art.* 41.

Denique omnium maxime prudentiam nostri Legislatoris & virtutem commendat, quod libertati & statui Reipubl. convenientes ferat Leges. Quæ cura in eo potissimum consistit, ut nihil de iis quæ ad universum Imperium spectant absque scitu & consensu Procerum Imperii statuatur, nec quicquam sub publicæ Legis speciosa jussione, avitis Satuum juribus & superioritati decedat. Idque esse præcipuum Legislatoris nostri studium, ex parte in superioribus tradita ostendunt, & in omnibus Imperii constitutionibus tam præclare eminet, eluceteque, ut vel hinc optime discatur Status Imperii & regula prudentiæ in Republ. nostra regenda, à qua non minus hi qui præsunt illi, oculos deflectere nunquam debent, quam qui scribere aliquid de nostra Republ. aut judicare satagunt. Quamvis optandum esset, exquisitius & enarratius comitiorum historiam scriptam extare, unde occasiones, causæ & rationes totius Germanicæ legislationis melius perspici, & plurimum lucis cognitioni nostræ Reipubl. accedere posset.

Longe autem optabilius votum & ad Germaniæ salutem unice necessarium habendum est, si quæ olim recte constituta in usum revocentur, & præsertim ea quæ Statum Imperii propius tangunt perpetua observantia custodiantur. Qua cura magnam sui officii partem noster expediet Legislator, consuletque Germanici Imperii paci, incolumitati atque saluti. Quod ut ratum Deus esse ve-

 lit,

lit, devota submissione eum venerantes, huic quoque dissertationi finem imponimus; freti ea spe, quæ in difficili materia à nobis sunt errata, ætati & ingenio condonatum iri.



VIII.
DISQUISITIO HISTORICO-PHILOLOGICA
DE LINGUA CELTICA
SIVE
GERMANICA.

Benevolo Lectori
JOH. HENRICUS BOECLERUS
S. P. D.

QUi has paginas è cathedra solenni Academica, Commilitonibus examinandas proponit, rarissimæ indolis felicitate inde à tenera pueritia eluxit. Annos enim natus non amplius septem sanctæ linguæ notitiam, Præceptore usus Reverendo & doctissimo Sene, Avo suo, eo usque sibi comparaverat, ut textus Biblicos interpretari, & rationes vocum Grammaticas reddere potuerit. In quo studii genere tam strenuos postea fecit progressus, ut præcipuos quosque nostræ civitatis viros, in admirationem & amorem sui pertraxerit. Notamus adhuc quotidie ea virtutis & industriæ documenta, quæ ad eruditionis maturæ fructum, præmatu-

maturo licet tempore, magna contentione festinare videntur. Huc referenda etiam est dissertatio ista, de vernacula nostra: cujus amorem non ineleganti carmine subinde hactenus professus est. Argumentum hoc si quis velit ingredi, ætate, litteris, judicioque opus habet. Sed non carpi tamen debet adolescentiæ studium, mature sibi nobilem materiam eligentis, ad quam subinde respiciat, maturiorisque profectus in posterum referat complementum. Eapropter non mutavi, quæ scripsit ornatissimus adolescens, proprioque, quod ajunt, Marte elaboravit. Quamvis enim in quibusdam aliter sentiam, nonnulla autem aliter tractari debuisse non diffitear, in historia insuper linguæ nec partite omnia, nec ad textum rei temporumque accommodate aut plene posita esse ultro monendum arbitrer: Satius tamen visum est, ab interpolando manum abstinere, & ætati non veniam modo, sed laudem tribuere: Cujus tam pulcri flores, non nisi præclaros mox nobis pollicentur fructus. Præclara ingenia aluntur imitatione & perfectione sui operis: multoque fortior est ad audendum stimulus, quo, ut se ipsi vincant, homines impelluntur. Neque morem meum deserere animus est. Integra malo & simplicia, quæ publice proponuntur. Vel meas ergo, vel studiosorum dissertationes constitui afferre: Interpolati labores, nec exercentibus gloriosi, & mihi molesti sunt. Hæc præfanda duxi, ne vel præstantissimus Adolescens de præmio periclitaretur industriæ, vel ego censuram sustinerem negligentiæ. DEum veneror, ut ingenium ad magna natum foveat ac sospitet,

patriæque & venerando Parenti proprium jubeat esse ac diuturnum hoc gaudium!

Σὺν Θεῷ.

Subjicio, Lector benevolentissime, omnium oculis brevem de Celebratissimâ Vernaculâ nostrâ Disquisitionem; non ignarus, quosdam fore, qui insignis audacia me arguant. Equidem, si amplissima intricataque materiei rudis nec satis accurata tractatio, temeritatis testis est, nihil prater patrii sermonis amorem & tenues ingenii vires oppono. Erant autem, ut ingenuè confitear, ante hac ex variis, pracipuè autem recentioribus scriptoribus in subsidium memoria à me excerpta adversaria, qua jam Academico exercitio aptata & certis limitibus conclusa Dnn. Praceptoribus ac Commilitonibus dijudicanda offero; spe bonâ fretus, haut injucundum fore, quod novum; nec maturi Catonis censurâ notaturos, qui à juvene collecta meminerint. Caterum, hac prafatus, implorato Divini Numinis auxilio rem aggredior, de Lingua TEUTONICÆ *1. Antiquitate, 2. Corruptione, 3. Restitutione, 4. Elegantiâ ac Majestate ex adversariis meis, ut dixi, nonnulla repetiturus.*

§. 1.

Ut autem ab ovo, quod ajunt, ordiar; ex sacris profanisque scriptoribus constat, Linguam Celticam ex confusione universalis idiomatis (Cujus tempus vide disquirentes *Salian. Annal. Eccles. Tom. 1. an M. 1931. Petau. Doctrin. temp. IX. 14.*) provenire. Eousque enim sermone hoc usæ gentis antiquitas se protendit, quod probare in proclivi est. Nam quia pars Asiæ trans Tigrim, quam post eluvionem aquarum

Noa-

Noachidæ incoluerunt, Epochâ 100. annorum multùm adauctæ familiæ non ultrà capax erat, Noes Oraculo divino monitus totum terrarum Orbem filiis suis distribuit: Ita quidem, ut Schemo omnem Orientem cum dimidio septentrionis in Orientem converso; Chamo Meridiem, Japheto Occidentem cum alterâ septentrionis parte assignaverit. *vid Ph. Cluv. l.1. c. 4. Ant. Germ.* Antequam autem in datas oras à mutuo conspectu dispalescerent, audax & pruritu aucupandæ gloriolæ abrepta juventus coctis lateribus collectoque bitumine urbem, summæque altitudinis turrim fortitudinis & prudentiæ suæ monimentum, vel si qua denuò esset futura, inundationis perfugium excitare ausa est. Procedente opere, contemtor Numinis animus ad cœlum perducere fastigium speravit. Unde Græcis fabulandi occasio, Gigantes cœlum occupare aggressos. Cæterùm, superbis mortalium conatibus divina obstitit manus. Repente una qua hactenus usi fuerant lingua aut in 70. ut Hebræi, aut 72. ut alii ex diversis codd. conjiciunt (nisi potius planè cum aliis in medio relinquendum sit, de quibus omnibus copiosissime disserit *vir summus Joh. Buxtorff. Dissertat. de lingua Hebr. confus.*) dialectos divisa est. Ædificantes, dum nemo alterius verba percipiebat, relicta urbe nova destinatas sedes petierunt. Tunc omne quantum sub variis nominibus, Illyrici, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ & Britannicarum Insularum ad Hyperboreum usque mare, qua id Lappiam & Norvagiam perfundit & ad Oceanum Atlanticum protenditur, quanquam terrarum spatiis vastissimum, tamen quia omnium remotissimum, unus solus sortitus est Aschenazes, omnium Pater Conditorque CELTARUM, uti refert magnus ille Polyhistor *Ph. Cluverius l. 1. c.4. Germ. Ant.* Unde hodieque Judæi Germanos אשכנזים adpellant. Quanquam *Francisc. Irenic. l. 2. Exeg. Germ. c.1.* ex *Beroso Chaldæo* Tuisconem quendam, postdiluvianum Noachi ex Araxa Uxore filium, Germanorum ac Sarmatarum parentem, quem alii ipsum Aschenazem putant, citet.

§. 2.

Positis his, linguæ antiquitas cujuslibet oculos ferit. Sermone enim illos usos fuisse nemo inficias ibit. Et Celticam hanc linguam originem cepisse jam inde à primævæ illius, quæ unica tunc fuit in terris, apud Babylonicæ urbis structuram, confusione, cui tandem in tam immensa terræ juxta ac gentis Celticæ vastitate, temporumque quibus duravit, longinquitate, dubitare liceat? Dicimus cum supra laudato Cluverio. Nostra enim inscitia non tollit rei veritatem. Multa namque in Germanica lingua esse vocabula, de quorum originatione nobis non constat, facile largimur. Insuper hanc nostram Teutonicam tam priscæ antiquitatis esse, testari mihi videtur ipsum nomen. Nam juxta plerorumque scriptorum sententiam τὸ Teutsch ab antiquissimo isto TEUT, qui communis omniumque primus universarum gentium Deus, (ut *Cluverius l. 1. Germaniæ Ant. c. 9.* differit) Celtarum autem sigillatim primævus parens putabatur, originem suam traxisse, pronum est. Quo concesso, omnibus liquet nostram Teutonicam antiquissimam esse; qui contra nititur, probet primos Aschkenacidas aliam usurpasse linguam.

§. 3.

Sicut autem Teutones à Deorum principe TEUT id nominis sibi delegerunt, quasi cum Vossio, populum Dei dixeris, sic reliqua quibus insigniti claruerunt (si authoribus fides habetur) præcipuè à fortitudine ad terrorem injiciendum hostibus desumta esse videmus, nobis hac occasione obiter etiam perstringenda. CELTAS enim *Melch. Goldastus* à Cheld vel Held / *Gorop. Becanus* à felt! felt! (quasi abgefehlt!) voce juxta illum in præliis Celtarum solemni; *Lazius* à Wellen / Twellen / ob fluctuantis multitudinis virtutem, *Phil. Cluverius l. 1. c. 9. A.G.* ab Aschenaze, qui Celta vocatus fuerit, alii à gelten dictos ajunt. CIMBROS alii à κίμμερος tenebrosus, quod, utpote septentrionales remotiores à sole sint: alii à kempen/ die kemper / alii à kumber / ob molestiam finitimis per latroci-

trocinia illatam, derivari putant. Quamvis id nomen falso tribui omnibus Germanis ostenderit *Phil. Cluv l. 1. Germ. Ant. c. 3.* De hac gente vid. etiam *Wolf. Laz. l. 3. de Gent. Migr. & Francisc. Irenic. l. 1. c. 39. Exeg. Germ.* Germanos alii ab Hermanno vel Arminio, alii à Thogarma, alii à Gomer, alii quasi Garmann/ Geehrtmann/ vel Guermann/ pro Kriegsmann juxta sensum vocis Guerre in Gallico, Belgico, Anglico, & Italico idiomate, alii, qui Germaniæ nomen peregrinum judicant à fraternitate appellatos asserunt. Ego vero cum *Vossio l. 1. c. 37. de Ib. Gent.* ex superius citata dictione guerra vel werren/ quod est contendere, pugnare, ut wehren defendere, & Mann q. hominem dicas militarem, conflatum arbitror. Vide etiam *Becmann. Orig. Bernegg. Quæst. VII. Miscell. ad Tac.* sed revertamur ad rem.

§. 4.

Constat ergo vernaculam nostram seu Celticam, seu Cimbricam, seu Teutonicam, seu Germanicam ab universali distractione idiomatum promanare. Equidem nefandum duxerim, Hebraicam cum nonnullis serioris originis arguere. Sicut autem hujus primævæ filia, ita Græcæ soror, nostra adpellari potest; nec id solum ob originem & æqualem antiquitatem, sed ob magnam insuper inter ipsas convenientiam, quæ unde provenerit, magnum sententiarum divortium est, quas præmissis plurimis exemplis accurate conciliat *Magnus noster Berneggerus, Polyhistor Trebocensis Clarissimus, Quæst. XI. Miscellan. ad Tac.* dum in genere hoc certum esse dicit, ex migrationibus gentium illam quoque linguarum commixtionem ortam, attestante etiam *Ovid. l. 3. Trist. Eleg. 9.* Vide prolixe hac de re disputantem *W. Lazium de Gent. Mig. l. 2. & Bibliandr. de rat. Comm. omnium Ling.* qui ex *Trithemio* confirmat magnam inprimis inter Græcam & nostram extare consonantiam, quod & Druidæ prisci in Gallia pontifices Græco sermone maxime in sacris usi fuerint, suffragante *Cæsare in Comm.* confer. *Franc. Iren. l. 2. c. 30. Ex Germ.*

§. 5. Nec

§. 5.

Nec parum lucis Antiquitati, de qua adhuc solliciti sumus, affert usus literarum, quem teste *Olao Magno l. 1. c. 36.* ab antiquissimo tempore, cum essent Gigantes in terris septentrionalibus longe ante inventas Latinas, & antequam Carmenta ex Græcia ad ostia Tiberis & Romanum solum cum Evandro perveniret, expulsisque Aboriginibus gentem illam rudem ac plane sylvestrem literas & mores doceret, Aquilonaria regna habuerunt. Verum *Joh. Ger. Vossius l. 1. c. 9. de arte Gramm.* eum hoc majore gentis suæ quam veritatis amore scripsisse veretur, cum Latini annis ante C. N. prope MCC. literas suas habuerint. Utut sit, Literarum secreta viros pariter ac fœminas ignorasse, juxta Tacitum, inter alios *Consultiss. Dn. D. Mich. Beuterus in Comment. super l. Tac. de Mor. German. f. 125.* non omnino de omnibus in universum Germanis intelligendum censet: *Literas enim*, scribit, *illos habuisse rationibus & argumentis quibusdam probari citra magnam difficultatem possit forsan, cum haud dubie tanta potentissimorum populorum multitudo sine literarum, quibus ipsorum lingua scriberetur, subsidio quam maxime necessario neque gubernari, neque societatis civilis recta norma ullo modo conservari potuisset: ac licet non solum plebeiæ multitudini, sed etiam superiorum ordinum hominibus, Nobilibus, Comitibus, Principibus, literarum cognitio non admodum frequens fuerit, nihilominus tamen fieri non potuit quin sacerdotes & ij qui publicarum actionum consignandarum curam gerebant, certo aliquo literarum vel characterum genere uterentur. Ejusmodi vero characteres Græcis Majusculis non minima ex parte similes fuisse, vel inde conjicere possumus, quod Gothi quoque veteres, qui in lingua, moribus & vivendi legibus ad Germanos quam proxime accedebant, literarum characteres à Græcis non prorsus alienos habuerint, quemadmodum id ex antiquioribus eorum inscriptionibus deprehendi ferunt.* Hucusque *D. Beut.* confer, si placet, supra laudati *Olai Magni l. 1. capp. De Obeliscis sepulcral. & erectis Ostrogoth. Vestrogoth. saxis.* vide etiam notas *Clarissimi Berneggeri, Quæst. 99. Miscell. ad Tac.* Testantur insuper de literarum cognitione apud Germanos RUNÆ antiquissimorum Danorum,

quo

quo nomine characteres & eorum peritos indigitabant. Habuerunt autem tales Runas vel characteres priscitùs sedecim, ut ex *Olai Wormii eruditissimo Tractatu de liter. Run. c. 15.* videre est, hoc ordine & nominibus, (figuris enim in chalcographio destituimur) *Fee*, *Vr*, *Duß*, *Oys*, *Reidr*, *Kaun*, *Hagl*, *Naud*, *Iis*, *Aar*, *Sol*, *Tyr*, *Biarkan*, *Laugr*, *Madr*, *Yr*. Has diviserunt in *Raddarstafr*, hoc est vocales, quasi die Redbuchstaben / & *Sambliodendr*, Consonantes, quasi sampt-laut-ender. Et has iterum in *Halfraddar* semivocales, quasi Halbreder & *Dumba* mutas die Stummen. De quibus prolixè disserit citatus Author. Cui adde *Steph. Joh. Stephanij* politissimas *notas in Praef. Saxonis Grammatici.* Nec sanè video quomodo apud Celtas veteres, Bardi, Druidæ, Wittodii, Graviones aliique quibus publicarum rerum cura commissa fuit, suo quivis munere, sine literarum usu, fungi potuerint, ut vel ideò illis deneganda non sit hujus mysterii scientia. Videsis de Bardis & Druidis *Henric. Vales. Annot. in Amm. Marcell. l. 15. Irenic. l. 2. Ex. Germ. Caesar. l. 6. de bell. Gall.* Bardos describit etiam *Lucanus* lib. 1. De *Wittod. Gravion.* vide *Goldast. praef. Animadvers. in Paran.* Ubi non abs re explosione quàm fide digniores censet, qui Carolum M. constituunt scripturæ Teutonicæ Dædalum, cum ille nihilo magis fuerit, quam Alexander M. Grajæ, Romanæ Jul. Cæsar, quos æmulatus est. Habentur enim, ut ipse asserit, monumenta Teutonica M. annos præter propter æquantia, quale est *Wilerami*, *Otfridi Wissenburg.* & alia. De literis Geticis consule etiam *Bibliandr. de rat. comm. omnium ling. & lit. p. 17.* Ubi Vulphilam (aliis Gulphilas est) earum inventorem affirmat, quod *Gerard. Joh. Vossio l. 1. de art. Gram. c. 9.* ex eo profectum videtur, quod antequam ille Biblia in Gothicam transtulisset linguam, paucis ex ea gente literæ essent cognitæ, ac propterea nec habere illas nationibus aliis crederentur. Satis ergo reor comprobatum, literis non caruisse priscos Teutonas, quin potius ut testimonium antiquitatis adduci possint.

§ 6.

Sicut autem vernacula noſtra nulli alio ſub ſole calentum, niſi uni linguæ ſacræ vetuſtatis prærogativam concedit: Sic nec puritatis ac elegantiæ, ſi in ἀκμῇ & floreſcente vigore eam conſideres. Cum lingua enim Germanica, imò & aliis, comparatum eſt, uti cum homine. Habuit ſermo Teutonicus ætatem creſcentem; habuit decreſcentem; tribus vicibus floruit, tribus emarcuit; liceat enim mihi ita dividere rem, cum altior negotii, utpote in intimis hiſtoriarum viſceribus abſtruſi, indagatio facilè noſtrum captum excedat. Primò namque ab ipſa Celtarum origine ſuperius deducta in primitivo flore lingua permanſit, usque dum Majores noſtri planè Romano jugo ſubjiciebantur. Cum enim par atque idem Germanis quod Romanis quondam, nitidandæ ſtudium fuerit, atteſtante *Goldaſto*, colligere poſſis, illos ſermonem ſuum ab omni exterorum colluvie immunem conſervaſſe. Poſtquam autem victricibus Romanorum armis ſuperati, nunquam ſine allophylis vixiſſent, cum labeſcente potentia, ipſa quoque idiomatis puritas labaſcere cœpit, usque ad Caroli M. tempora, qui in ea reparanda & magis dilatanda egregiam navavit operam, ut infra cum ad Reſtitutionem perventum fuerit, paulò fuſius monebitur. Et hæc erat prima corruptio. Altera graviorque in denſiſſimis Papatus tenebris irrupit. Cum enim legendi & ſcribendi facultas per nunquam ſatis execrandam Clericorum ignaviam tam rara ales facta fuiſſet, ut Monachi paulò ultra limites Alphabeticos progreſſi, non proletariam eruditionem ſibi apparatam putaverint, quis de barbarie in vernacula dubitare vellet? Quippe omnis propè eruditio ab orbe erat profligata, totisque annis quadringentis delituit crudeli multata exilio, uti inquit *Gerard. Johann. Voſſ. in præfat. Latinobarb.* Interim pro vernaculis paſſim ſubſtituta Latina, præſertim in rebus Eccleſiaſticis, ubi Latini labii abuſus Papali auſpicio plurimum ſe gentibus obtruſit. Cui conſuetudini debentur non tantum functionum

num Ecclesiasticarum, & quicquid ad eas spectat, Græco-Latinæ denominationes, sed & complures aliæ, quæ, cum nostratium dispendio, πολίτευμα adeptæ, vix communi assensu abrogari possunt. Hinc *Franc. Irenic. l. 1. Exeg. Germ. c.* 10. ex *Alberto* dicit magnam etiam sationem fuisse Religionem Christianam quæ tunc novis vocabulis & Locis Germaniam imbuerit. Duravit autem ista ruditas & irreverentia linguæ patriæ, usque in sextumdecimum salutis reparatæ seculum. Hinc Megalander noster *Lutherus* conqueritur alicubi, non parum negotii sibi sæpè vel unicam dictionem Germanicam facessitasse, dum & interdum aliquot hebdomadas indagando insumserit. Quanquam autem ab eo tempore non pœnitendo cultu restaurata fuerit, hac nostra tamen ætate cum variis variorum populorum molitionibus, fatalis & ominosa linguarum confusio Germaniam, turpem & mirandum in modum iterum penetravit, quæ tertia & deterrima Corruptio indies magis magisque succrevit, adeò ut ille Cynicus meritò Germanos in Germania quærere potuisset. Tanta videlicet multorum fuit stultitia, ut peregrina putamina suis nucleis prætulerint. Nec autem solummodo è communi fæce homunciones, sed & quîs meliore luto finxit præcordia Titan passi sunt se abripi consuetudine tali: adeo ut ne Principum quidem aulæ atq; curiæ ab ista exoticarum vocum aspergine immunes permanserint: Sicut ex monumentis publicè editis non procul repeti ejus rei memoria potest. Ita nonnulli (ut cum Excellentiss. Dn. Præside loquar *in Annot. polit. in Tac. Ann. l. 1. c. 7.*) *verbosissimis ambagibus, aut, quod pæne dicere piget, admirabili confusione variarum linguarum & mixo-barbaris scriptionibus stylo aulico auctoritatem quæsiverunt & gravitatem, tam infelici id quidem successu, ut nulla res unquam magis debilitarit eam, quæ hic spectatur, gravitatem.* Accedebat huic pesti immensus ille periodorum tractus, quarum una sæpè, intercapedine plurimorum versuum concludebatur, à nemine, quamvis linguæ perito, absque fastidio perlecta, aut satis intellecta, & sic, quod inter insignia linguæ nostræ

 habe-

habebamus, elegantem ſc. periodorum ductum, tetro abuſu inquinamentum atque dedecus fecerunt. Imò eò corruptionis res rediit cum noſtra vernacula, ut *Cl. Berneggerus* meritò in hæc verba alicubi eruperit: *Dicas in ſentinam durare noſtram linguam, ad quam reliquarum ſordes torrente promiſcuo deferantur. Jam à Latinis, jam à Gallis, Hiſpanis etiam atque Italis mutuamur, quod domi naſcitur elegantius.* Et profectò, majores noſtri ſi revocare gradum ſuperaſque evadere ad auras poſſent, nepotes ſuos in exterarum gentium, quas ipſi vel hoſpitio dedignati fuiſſent, cultu & verbis ad mimicam gravitatem compoſitos, pro ſpuriis magis quam genuinis filiis agnoſcerent. Exemplar ejusmodi Centonis Gallico-Italico-Hiſpanico-Latino-Germanici in proſa & ligata vide *in C. G. ab Hille* T. P.

§. 7.

Triplicem hanc linguæ patriæ Corruptionem ſequitur triplex juxta partitionem noſtram diverſorum temporum Reſtitutio. In prima elucebat Caroli M. ſtudium, quippe qui non tantum ſumma diligentia antiquiſſima conquiſivit carmina, quibus veterum Regum acta & bella canebantur, ſed &, teſte *Eginharto in vita ejus*, Grammaticam patrii ſermonis inchoavit, quam tamen crebris bellorum incurſionibus retardatus & morte præventus imperfectam reliquit. *Bibliand. de rat. com. ling. p.* 18. Otfridus autem quidam Monachus Wiſſenburgenſis ſub Ludovico Pio ipſius Caroli filio illa conſecutus, multum ſcripſit in lingua noſtra Germanica, quæ regularis inſtitutionis mirandam ſonare videntur gravitatem, ſicut confirmat modò citatus *Author.* Porrò ſupra decantatus Carolus etiam Menſibus & Ventis Germanica nomina impoſuit, quæ adhuc in uſu cottidiano retinemus, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Exaravit etiam ipſe pluſculos verſus, ut in Latina & Græca, ſic in vernacula quoque, quos tempeſtati noſtræ fatum invidit. Erat enim Poëta inſignis ævo ſuo, teſte *M. H. Goldaſt. Not. in Columb. p.* 97. Prodit

dit inſuper *Bibliander* ex Abbate Spanheimenſi (*Trithemio*) illum propria plura excogitaſſe alphabetha, quibus per latiſſimum regnum ſecurè uteretur in arcanis cum ſingulis præfectis &c. Hunc ſeſquiquarto abhinc circiter ſeculo ſtrenuè æmulatus eſt Rudolfus I. qui, referente *Cl.Berneggero ex Ph. Camerario*, Comitia habuit Norimbergæ anno 1272. ubi omnium Ordinum imperii unanimi conſenſu decretum eſt, ut deinceps in Cancellariis & Contractibus Germanicum idioma reciperetur, abrogatis etiam latinis characteribus è ſtylo Germanico. Quanquam autem poſt hæc etiam feliciſſimo & omnibus ſeculis memorabili invento Typographiæ, cujus Johann Mentelin Civis Argentinenſis Ann. Ch. 1440. primus author celebratur (utcumque Joh. Gutenberg.Moguntiæ furto quodam ejus rei gloriam in ſe tranſmittere conatus fuerit, unde à pleriſque, etiam Wimpfelingo, quem Bibliander ejus rei certiſſimum authorem putat, pro Mentelino nominatur) ut reliquis ſtudiis ita cumprimis vernaculæ multum emolumenti & culturæ accedere debuiſſet, tamen ſub invidioſa Papalis dominii caligine abſtruſum non digno admodum reſplenduit uſu, donec lucis Evangelicæ radiis (cui ipſum veluti phoſphorus præcurrebat) orbis illuſtrabatur. Tunc enim Deus tria potiſſimum hæc organa adhibuit, vivam ſc. Lutheri vocem, Chalcographiam, & linguam Germanicam, duobus prioribus eleganter recolendam. Nam ſicut inſtante Reformationis tempore, ut res felicius cederet, in reparanda Hebraica Capnionem, Forſterum &c. Græca & Latina Phil. Melanchthonem, Eraſmum Roterod. Joachimum Camerarium &c. Sic in reſtauranda noſtra vernacula, veluti præcipuo inſtrumento, *B. Lutherum*, inter alios uſurpare voluit, cui maximo adminiculo Chalcographia extitit, quod & confirmat *Excellent. D.D. Dannhau. præfat. in Antichriſtoſoph.* Scriptis enim ſuis præter Res θεοπνεύστας puriſſimum idioma Teutonicum etiam ſpirantibus, quamplurimum ad Reſtitutionem linguæ patriæ contulit. Uſui a. & emolumento maximo huic rei cumprimis fuit SSti Codicis verſio, ſæpiſſimè excuſa, quam

passim patresfamilias coëmtam gnaviter (quod antea papatus vetabat) perlegerunt, exin hausta optimarum rerum & verborum copia, paulatim veterem cum vita sermonem correcturi. Quæ res postmodum profundiores in juventute radices egit, per scholas Germanicas ferè in singulis oppidis & pagis à B. Luthero institutas & Ludimoderatoribus literatura vernacula præstantibus adornatas. Nec etiam defuere ea ætate & jam antea, in aulis Principum & Curiis R. Imperii, qui nativum vernaculæ decus studiosè colerent, sicut ex scriptis & Monumentis publicis, item Recessibus Imperii (qui, omnes gravissimum & nobilissimum monumentum patrii sermonis prædicari merentur) abundè liquet. Quamvis autem discussa etiam hac secunda obfuscatione, lingua, de qua disquirimus, pristinæ gravitati ac elegantiæ reddita fuerit, attamen hoc XVII. a C.N. seculo in tertium & lethale prorsus recidit deliquium, cui proximis annis DEUS pro immenso suo erga patriam nostram amore iterum mederi voluit, excitatis in Teutonici sermonis studium Viris passim egregiis, & reducto in aulas genuini purique & gravis labii amore. Quem libenter exoscularemur, ut omen melioris ævi, si qua pacis spes præsentior affulgeret. In hoc genere autem studii, Carpophororum generosum & laudabile propositum valdè commendari debet. De cetero haud dubiè & auspicium & exemplum studii ejus præcipuè ab aulis repetendum, ubi non desunt jam, neque defuturi sunt, qui linguam patriam seriò colunt. Nam in scripturæ modo, si mercenariorum scribarum ineptiæ abrogentur, qui plerumque multis & mirandis pleonasmis chartas pro pane lucrando afferciunt, non nimis tricandum est; sicut nec vocabula processus forensis, & ejus generis alia, sine consensu publico & ita de plano abrogari, & aliis quibusdam novè fictis, in quibus authores ipsi adhuc dissentiunt, commutari, usuique publico obtrudi possunt. Interim spes vel maximè insignis est, de re tota subinde excolenda, cum nec genius seculi ab hac cura alienus videatur, si tantum modus adsit, & privata, quam sibi quisque sumit, auctoritas modestiæ memor maneat.

§. 9. His

§. 9.

His itaque breviter perstrictis potius, quàm pertractatis, cum nec in limine ultra excerpta quid pollicitus sim, & accuratior latiorque harum rerum deductio uberiores ingenii vires & plus temporis spatiique sibi postularet, luberet equidem ab Elegantia vernaculam etiam commendare, ni id jam pridem à præcellentibus ingeniis factum scirem. quocirca malo ipsorum verbis uti, eò fortè plus valituris, quo à fide dignioribus auctoribus promanarunt. Sic enim *Gorop. Becanus in Hermathena. Profecto non video quid ad laudes linguæ nostræ ulterius addi possit. Lucidissima est lingua nostra nullaque Orationis ambiguitate impedita, eadem rursum omnium brevissima, eadem copiosissima, quæ de parte lucis est origo, eadem lenissima minimaque organorum molestia proferenda, eadem hominem maximè idoneum reddit ad quamvis aliam & addiscendam & benè modulandam. num quid aliud desideratur adhuc ad summam linguæ perfectionem? Equidem libenter & obviis manibus herbam ei porrigam, qui me docebit usquam gentium linguam ejusmodi inveniri, quæ pluribus unà dotibus sit ornata. Contra mihi concedi rogo, quod optimo jure postularem, ut pari ratione tantisper mihi liceat sermoni nostro vernaculo palmam & primas asserere, dum quis hæc omnia simul in una eademque lingua monstraverit.* Hucusque Becanus. Apponam etiam verba *Wehneri*, *quæ Clar. I. G. Schottelius* citat *Panegyrico 2. Linguæ Germanicæ*, inquientis, *dignitas atque ornamentum universo jam orbe innotuit. Paucis enim abhinc annis ita crevit, adeoque decorata est, ut nullius rei atque additamenti egeat.* Adducit & verba *Georg. Henischii. Hæc igitur Germanica nostra lingua tanta excellit antiquitate, ut originem ab ipsa Babylonis turre ducat, tanta puritate, ut sola virgo illibata dicenda sit, tanta copia, ut copiam in brevitate, & brevitatem in copia nulla ferè dicendi vis nullaque copia pro dignitate satis laudare atque extollere possit.* Vide egregium elogium ejusdem nostræ vernaculæ, *Viri Clariss. Thomæ Lansii in Orat. contra Galliam.* Plura recensere supersedeo, cum res ipsa loquatur. Etenim si abundantiam vocabulorum in lingua quapiam collaudes, in nostra præsto est, adeò ut nec Græcæ,

cæ, quæ verborum locupletiſſima judicatur, palmam relinquat. Et cum in aliis una vox ex radicum penuria complura ſæpè ſignificata ſuſtineat, noſtra ſingulis rebus ſingula, & quidem ad rei denotandæ naturam accommodata nomina largiri poteſt. Quod poſtremum ſingulare etiam Todiſcæ linguæ decus eſt, proprietas ſcil. eloquendorum emphaſin dictionum ſono realiter repræſentans, & in brutorum vocibus, horrida tempeſtate, fluctuante Oceano aut aliis paſſim deſignandis cuilibet ſponte obvia. Non autem hic de modo pronunciandi tantum diſquirimus, ſed potius de ipſa naturali literarum conjunctione, quæ iſtis viribus pollet, quamvis non negemus apud veteres præcipuè,modernoſque partim adhucGermanos aſperam ac maximè virilem vocum protruſionem acceſſiſſe, qua de cauſa ſermo ipſorum apud exteros barbarus audiebat, trux, inconditus, & qui Muſis apud ſe locum non faciat. Ut in *Tacito* aliisque paſſim occurrit. *vid. Franc. Irenic. c. 2. Ex. German. c. 30.* Deinde, ſi regularitatem, ut barbarè loquar, conſideres, Germanicam linguam legibus Grammaticis & Rhetoricis parere, neque cedere quidem eloquio Romano, ratione & ipſis rebus deprehendet, quem non pigebit operam in ea re ſumere, annuente *Theod. Bibliandro de rat. comm. ling. p.* 17. Quod ſi enim quæras diſcrimina orationis ſubtilis, temperatæ, gravis, illuſtris, brevis, copioſæ; omnes denique eloquentiæ varietates, artes, figuras, quidquid ulla tibi lingua, quam eloquentiæ monumenta celebrant, ſuppeditare poteſt, ſpondere audemus Germanicam in omnia ſuffecturam. Niſi quod hac occaſione, proprium & ſingularem, nec imitandum ulli linguæ characterem majeſtatis Hebraiſmo reſervamus. Tertiò, ſi componendi facultatem in ulla lingua admirari geſtis, ad noſtram te convertas. Hic enim tanta compoſitionum commoditas, ut non ſatis edere poſſem,

Si mihi ſint centum linguæ, ſint oraque centum.

Ibi reperiuntur vocabula è duobus, tribus, & pluribus aliis compoſita, tam eleganti quidem ſtructura, ut ne

Græcis

Græcis hac in parte cedamus, Latinos longè antevertamus, quippe qui plurimis ambagibus vix exprimunt, quod nos unica tali dictione, quin & sæpè ἐμφατικώτερον designare solemus; sicut hanc rem prolixè & doctè pertractavit supra laudatus *Schottel. paneg.* 6. Tandem si elegantiam Poëseos in linguis deprædices, scias & nostram habere, etsi non ad limam Romanorum Grajorumve fabrefactam, quidquid Itali occinant; de quibus *Irenic. l.2. Ex. Germ. c.30.* hæc scribit. Si verò Itali dicant aptiorem linguam eorum carminibus, sicuti Guarinus Veronensis, Franciscus Petrarcha & alii qui privatis Italorum linguis carmina struxerunt, sciant & ante 1000. annos in nostro sermone id actum. Ovidius enim Getico idiomate librum Augusti laudis capacem scripsit, ut *l. 4. de Ponto*:

———Et scripsi Getico sermone libellum,
Structaque sunt nostris barbara verba modis.

Quantum verò ipsam Germanicæ linguæ Poësin quoad materiam & formam attinet, cum specialioris fori sit, à nobis qui in genere de Celtica lingua adversaria quædam tradere proposuimus, velut in transcursu, citatam fuisse sufficiet. Et licet vetustior poësis vernacula rudis ac incondita videri possit, habet tamen nescio quem ingenuæ simplicitatis candorem, plurimumque delectat eos, qui animum harmoniæ gravioris genii attemperatum habent. Quanquam in hoc quoque genere, purissimi & venustissimi carminis vena, annitente præsertim Martino Opitio, ad invidiam usque profecerit Germania. Vide de veterum Poesi *Olai Worm. Tractat. de liter. Runic. circa finem.* & de Scalda & Edda Island. *Steph. Joh. Stephan. not. in Sax. Gramm.*

§. 10.

Atque hæc fuerunt quæ de vasta amplissimaque materia ex spatiosis voluminibus in angustos pagellarum aliquot cancellos transmittere tentavi; Pauca equidem, nec publicam fortè lucem merentia, ni æquanimitas Lectoris spem Auctoris solaretur. Interea

Sit πάγγλωττε Deus tibi linguis gloria cunctis
Quis resonant unda, tartara, terra, polus!

IX.
DISSERTATIO
DE LINGUA NOVI TESTAMENTI ORIGINALI.

I.

QUali charactere dicendi ſive idiomate Sanctiſſima Novi Teſtamenti oracula & hiſtoriæ à Divino Spiritu mortalibus traditæ ſint, non inutili diſquiſitione, inter doctos, præſertim recentioris ævi, agitatum eſt: dummodo omnis contendendi & altercandi intemperantia abſit; quæ viros eruditionem & gravitatem aſſeverantes parum videtur decere.

2. Etenim quid in meditandis diviniſſimis Scripturis poſſit altior orationis Biblicæ æſtimatio, nec, ut oſtendamus, opus eſt; & ex iis, quæ dicentur, quodammodo poterit colligi: ſed requirit hoc negotium non minus pietatis, ut arbitror, quam eruditionis, multumque diſſidet à cordato Chriſtianæ mentis judicio, contentioſa critici acuminis curioſitas.

3. Itaque nobis conſtitutum eſt, hac vice, breviter & ὡς ἐν τύπῳ (nam uberiorem explicationem aliis temporibus reſervamus) delineare viam, quæ in hac quæſtione nec ab eruditione ac modeſtia ſit aliena, & ad pios ſanctioris litteraturæ uſus directo itinere ducat.

4. Fuerunt autem & adhuc ſunt inter doctos, qui cum attentius conſideraſſent dictionem ac ſtylum N. T. judicarunt: *eſſe quidem Græcis verbis omnia concepta, ſed indolem & genuinum idioma totius contextus orientalibus linguis, adeoque matri orientalium Hebrææ potius quam Græcæ congruere.* Hinc ut excitarent eruditam intelligendi ac obſervandi diligen-

ligentiam apud omnes, aliqui peculiari nomine *Hellenisticam*; aliqui *Ebræo-Græcam* vocavere.

5. De quibus appellationibus non tam ſplendide equidem ſentimus, ut nihil in iis deſiderari poſſe credamus: ſed nec tam moroſa κρίσει eas vellicamus, ut, cum de re & ſenſu, quem prædiximus, conſtet, propter vocabuli quoddam incommodum totum negotium repudiare aſpernarique fas & jus exiſtimemus: non immemores, multas & magnas res in omni doctrinæ genere rotundioribus quam verioribus titulis, & minus quam optabile erat congruentibus vocabulis (cum præciſe omnia ſignare, ne poſſibile quidem ſit) expediri.

6. Ad rem ipſam, & doctorum de ea ſententiam quod attinet, adeo non videtur rejicienda, ut potius Philologiæ Sacræ & graviori Theologiæ valde conſentanea exiſtimari poſſit. *Primo* enim negari non poteſt: *DEUM ter OPT. MAX. admirabilem (minimeque fortuitam) loquendi cum hominibus, in utroque S. voluntatis ſuæ & religionis inſtrumento, ſervaſſe conſonantiam congruentiamque. Unde factum eſt, ut cum verba eſſent alterius linguæ in N. T. ratio loquendi eadem animadverteretur*: aut, ſi clarius dicendum eſt, *ut Character V. T. non quaſi interpretatione libera expreſſus, ſed retentis formulis totaque indole repræſentatus* agnoſci poſſet.

7. Cujus providentiæ cauſſas licet caute & parce deceat inveſtigare, egregie tamen exiſtimandi ſunt philoſophari, qui ad *certitudinem fidei, gravitatem facilitatemque informandi, tum ad arcanum conjungendæ cum Judæis gentilitatis myſterium*, illam harmoniam referunt. Quæris, *cur tot veteris T. oracula repetita in Novo, tot loca harmonice explanata, tot alluſione notata; & quidem ita, ut non rerum magis quam dictionis extaret tum hic, tum in cetero contextu, convenientia?* Reſponderi poteſt: ne domeſtici (*Judæi*) poſſent aſpernari novitatem; aut peregrini (*gentiles*) ſuſpectare diverſitatem: aut curioſi deſiderare conformitatem; aut ſimplices allegare obſcuritatem.

8. *Secundo*: uſus ipſe & experientia locupletiſſimum præbent teſtimonium, *neque facilius, neque gravius*

ad ipsum N. T. nucleum perveniri, quam ea resolvendi interpretandique ratione quæ V. T. stylo Novi Fœderis libros metitur, expendit, evolvit. Ut proinde dubitandum non sit, optimam esse dictionis æstimationem, quæ toti argumento rebusque accommodatissima deprehenditur, cum præsertim, ex altera parte, nisi hoc adhibeatur judicium, non videatur exhauriri posse ὑποθέσεως ἐυαγγελικῆς profunditas.

9. Namque *Tertio, ex ipsa divinissimarum rerum, humanisque nec mentibus comprehensarum nec linguis pronuntiatarum* (ita enim omnino de Evangelio & S. Scripturis, respectu humanorum operum scriptorumque loquendum est) *indole novus quidam orationis character sua sponte exhibetur:* atque ut φιλοσοφία ἐυαγγελικὴ N. T. cum nullo monumento, præterquam cum Vet. Testamenti sapientia conferri potest; ita dictio, quæ rerum genium mira exprimenti arte gravitateque sequitur, non alia, quam ejus Stili comparatione designabitur, quo talia *primum*, & quidem *cum respectu ad N. T. secuturum*, adeoque *cum tacita exempli conformitate* Divinus Spiritus consignavit.

10. Hæc & similia pie, ut arbitror, utiliterque non cogitari modo & disseri, sed in scrutandis exponendisque S. literis adhiberi queunt. Quanquam, ut à severis censoribus clarius & amplius nos vindicemus (*Quarto loco*) jûre nostro tenemus urgemusque istam ὑπόθεσιν: *Quodcunque orationis genus ex Universa Græcitate* (quantum ejus ad nos pervenit) *nihil habet simile, quoad indolem geniumque loquendi, & contextus; illam ἐυλόγως peculiari nomine, & à ceteris diverso, insignire licet.*

11. Atqui talem esse N. T. dictionem tantisper obtinemus, donec idem dictionis Character nobis alibi ostendatur. Id quod nunquam præstabitur. Nam ad hanc formam nemo scripsit, nisi qui ex Sacris consuetudinem loquendi mutuatus est. Sicut alibi forte fusius demonstrabitur.

12. Inquis: *Detur sane peculiare nomen, sed ita ut Græca maneat, non Hellenistica, aut Ebræo-Græca.* Annotabuntur

buntur paulo post compluria, quæ responsionis vicem in parte subire, in parte evidentiam explicare poterunt. Interim breviter observamus & reponimus: 1. *Per neutram appellationem tolli omnem Græcitatem: sed tantum eam, quæ in Græcis Scriptoribus, Græcaque nationis usu reperiatur: cum qua nimirum sine periculo confusionis & ἀπαιδευσίας dictio N. T. comparari nequeat.* Nam de cetero & *Hellenistica* & *Ebræo-Græca* vocabulum communicat aliquid cum Græcitate, licet usitatam ejus indolem non agnoscat.

13. 2. Quantum seorsim attinet ad has appellationes, sive potius ad sententiam doctorum, quæ in iis latet, niti eam tali fundamento sciendum est: *Quæcunque lingua, Græcis licet verbis constans, majorem tamen cum Hebræo idiomate Veteris T. convenientiam habet, quam cum omni cetera Græcitate: illi character differentiæ, quam vocant, specifica merito cum mentione & respectu illius Hebraismi imponitur.*

14. Atqui hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, dicent alii. Nam *assumtum* prorsus negatur; & probari nequit. Ego, cum probationis abunde jam in mundo esse, egregii doctorum virorum labores testentur, & vero non tam meditationis eruditæ ἀκρίβειαν attendant, quam suis quibusdam rationibus glorientur, qui huic assertioni contradicunt, satis habebo, nunc ostendisse, quam diligenter aliud aut nihil agant pleraque, quæ magno conatu & fervore non necessario, à nonnullis ad invidiam ejus disputantur.

15. Quid mihi videatur in hac quæstione vero proximum, sub finem hujus dissertatiunculæ prometur. Nunc tantum ea removere animus est, quæ cum aliena sint à re proposita, non explicant sed involvunt disputationem, adeoque disceptationem in altercationem convertunt. Qua in parte brevitati & moderationi vel ideo studebimus, quia cujusquam disputationes κατὰ πόδα sequi, nec instituto nec otio meo commodum est. Cum præsertim intricentur sæpius argumenta quam explicentur: cum ad personas dirigitur disquisitio, quæ rerum esse debet.

16. Ac primo omnium quidem, satis mirari non pos-

possum, quod existimare quisquam potuit, eam doctorum de stilo N. T. sententiam, de qua prædiximus, ad humilitatem & contemtum stili sacri pertinere: *Quasi nimirum simplex ille stilus, ubi nulla sunt verborum ampullæ, istos censores offenderet. Haud novum est*, inquit nonnemo, *stilum Sp. S. tanquam humilem à filiis hujus sæculi fastidiri.*

17. Atqui certissimum est, *adeo nihil tale, quemquam eorum, qui Hellenisticam linguam tuentur, sensisse aut sentire, ut potius hæc ipsa Sententia è diametro opposita sit iis, qui stilum N. T. vellicare, & humilius de eo, quam decebat, judicare ausi sunt.* cum quorum opinione nihil nobis unquam negotii fuit, nihil erit. *Ex professo*, inquam, *ad majestatem dictionis Sacræ N. T. pertinet hæc sententia, cui contemtus stili sacri & fastidium tribuitur.*

18. Quin imo sicut de stilo V. T. prorsus accedo gravissimæ eruditionis viro *Guilielmo Budæo*, & aliis, *qui incomparabilem majestatem orationis iis libris tribuunt: ita N. Testamenti characterem tum ob alias caussas, tum ob hanc ipsam cum idiomate Veteris Testamenti participationem, singulari quadam dignitate gravitateque eminere judico: quæ ipso argumento suo fecunda & prægnans nihil habeat in Scriptis & operibus hominum simile.*

19. Nam quod ad *simplicitatem* scribendi attinet, quam DEUS omnibus patere voluit: plerique ne vocabulum quidem *Simplicitatis* recte capiunt in hoc argumento. Sane non *gracilitatis*, *tenuitatis*, *humilitatis* nota indigitatur à doctis & sanctis viris, cum *simplicitatem* S. Stili commendant, sed *conspicua Sinceritas, nativa minimeque affectata vis, admirabilis denique*, & quam nulla artis lenocinia attingunt, *competentia* intelligitur: quæ nec caret nec superbit suis ornamentis.

20. Quam ὑπόθεσιν ut minus periti talium amplius æstiment, qualicunque eos indicio, è profanorum Auctorum κρίσει petito admonebo. *Julii Cæsaris dictio*, nec Tulliano flumine exundat; nec Liviana ubertate exsplendescit; nec Sallustiana severitate emicat; nec in morem Taciti novitate magnifica auctoritatem quærit: sed

ſed *ſimplicitate quadam ſua* cenſeri amat; tantum tamen abeſt, ut propterea ullo ex prædictis minor dicendus ſit Cæſar orationis laude, ut pro comperto habeam, non minoris operis ingeniique eſſe, ad ejus imitationem conformare ſtilum, quam æquare Livium, & ceteros, quos nominavimus. Addantur omnino quæ *Dionyſius* de ſimplicitate *Characteris Lyſiaci* tradit, quam maximis eloquentiæ ſpeciminibus æquat, multoſque imitandi conatu potius quam ſucceſſu id expertos eſſe tradit. Ita nimirum patebit, inter eloquentiæ opera poni, *τὰ κοινὰ ϗ ἐν μέσῳ κείμενα ὀνόματα*: item *τὴν σύνθεσιν τὸν ἰδιώτην μιμουμένην*: quæque plura ibi à doctiſſimæ obſervationis magiſtro annotantur. Id quod, citra aliam & ulteriorem accommodationem ad ſtilum Biblicum, ideo annotavi, ut *Symplicitatis* character geniuſque ante omnia rectius innoteſceret: neque judicandi methodus, ex negligentiore vocis æſtimatione, vitium caperet: aut cum ex S. Patribus nonnulli, *εὐτελῆ ϗ ἰδιωτικὰ ῥήματα* nominant, ſtatim vilitas quædam intelligeretur.

22. Alias illa ipſa *Simplicitas N. T. non caret miraculo*, nec parum auget venerationem ejus majeſtatis, quam commendamus. Sane noluit Deus ter Opt. Max. à Simpliciorum intellectione abeſſe dictionem Novi Teſtamenti, ideoque quadam facilitate ad captum eorum admovit: ſed illam facilitatem cum tanta dignitate Sapientiaque conjunxit, ut & ſumma ingenii ſubtilitas, & maxima doctrinæ copia, ſatis ſuperque quod diſcat, quod expendat, quod miretur, hic invenire queat, &, ſi pietatis devotionisque auſpicio progrediatur, invenire ſoleat.

22. Non mirum eſt, ſi hæc *Politianus* aliquis, profanis litteris doctiſſimus, non capit. Nam ad judicandum penitius dictionem Biblicam, opus eſt rerum Biblicarum diligentiore meditatione intellectuque, quo deſtitutus aliam quercum excutere jubendus eſt. Quam aſſertionem ſi quis inopinabilem exiſtimat & *παράδοξον*, rurſum convincitur communi omnium, etiam profanorum, ſtudiorum tractatione. Quis mihi eloquentiam Scriptoris accu-

accurate penetrabit (nam vulgi consuetudinem hic non attendimus) nisi qui & Sapientiam penetraverit? Sicut ex diverso, ut Sapientia & profunditas argumenti penetretur, exigendum ad vim argumenti est pondus dictionis. Mutua enim hæc sunt, & ἀδιαιρέτως ὑπάλληλα. Suggerendum hoc erat iis, qui de Hebræo V.T. idiomate, tam secure & fastidiose pronunciant, profanæque Græcitati in tantum postthabent, ut facile judicari possit, cujus scholæ subsellia triverint.

23. Jam quod ad *Puritatem* linguæ attinet, duobus modis plerosque impingere video: *primo* dum eos qui Hellenisticæ linguæ favent, eo ipso quod negant mere Græcam esse, *impuritatis* adeoque convitii notam N. Testamento inurere credunt: *deinde* quod alienissimum de *puritate linguæ* judicium ferunt. Quæ, immane quantum, saniori philologiæ repugnant.

24. Quid enim? *De puritate linguæ utiq; judicandum est post speciem linguæ*, ut ita dicam, *constitutam*. Nonne igitur diversissimæ quæstiones sunt, *de puritate Græcæ linguæ, & de puritate Hellenisticæ? Quis Hellenisticam linguam i. e. N. T. puram esse negavit?* Nam illam quorundam sententiam, quæ in hoc stilo multa desideravit, serio aversamur.

25. Frustra hic objicias: *Si è Græca & Hebræa coaluit, quomodo pura est?* præterquam enim quod crasse philosopharetur, qui ea, quæ ex pluribus in certam & determinatam speciem coaluere, propterea statim impura vocaverit; etiam illud nemo recte & accurate ita diceret: *è Græca & Hebræa coaluisse*. Quare libenter fassi sumus, vocem *Ebræo-Græcæ* linguæ non usque quaque idoneam rei exprimendæ. Ecce: Quid movit viros doctos, ut linguam N. Test. alio, quam Græcæ, nomine dicerent? ἰδίωμα V. Testamenti nimirum quod in novo inveniebant. Hinc differentiam, ut philosophi vocant, specificam sumunt. *Atqui ἰδίωμα V. Testamenti utiq; purum est.* Quidni ergo pura sit lingua N. T. quæ illud ἰδίωμα retinet? Quam triviale fuerit, hic de materia litterarum & syllabarum & vocum argutari? ex quibus ἰδίωμα non judicatur: sicut mox subjiciemus.

26. Ita-

26. Itaque nihil opus erat, ut quisquam hic laborem sumeret, *congerendi voculas & formulas è Græcis Scriptoribus ad asserendam linguæ Græcæ N.T. puritatem adversus Hellenistici idiomatis fautores.* Partim enim cum larvis luctatur, qui ita disputat (nam ista opinio, pro qua hactenus aliquid diximus, nullam impuritatem N.T. tribuit) partim non probat illud alterum, quod intendit, scilicet: *linguam N.T. non esse aliam, quam communem Græcam.*

27. Non est quæstio: *an phrases & verba, quæ in N.T. occurrunt, è perreptatis Scriptorum profanorum monumentis possint erui?* sed: *an tota dictionis indoles, faciesque stili, totumque orationis corpus conveniat cum ea Græcitate, quæ in profanis Scriptoribus occurrit.* Nam ex hoc principio judicandum est de idiomate. Quod si illud alterum sequeremur, *Potero tibi eadem facilitate omnes Hebraismos* (loquor enim ex tua hypothesi) *in Græca aliisque linguis ostendere.* neque tamen cuiquam licebit inferre, *propterea idioma Hebraicum idem esse cum Græco.*

28. Sed & illud non debuit negligi: *longe diversam esse utendi rationem, cum locutione eadem* hæc *lingua utitur ordinarie & consueto more suo*; illa *extra ordinem, ut sic dicam, & raro, nec sine figura aut ἀνομαλίᾳ.* Nam *ibi* domestica est jureque communitatis gaudet formula: *hic* adventitia, aut certè nova sive quæsita: *ibi* de idiomate aliquid testari potest: *hic* de quodam idiomatis accidente sive περὶ τῦ πάθες τινὸς. *ibi* ad corpus; *hic* ad cultum corporis pertinet. Quid respondeat ad hæc nonnemo, malo lectione ipsius libelli, quam mea commemoratione aut discussione, qua non opus esse videtur, cognosci.

29. Consideratu dignum est; *quid in una eademque lingua circa diversos loquendi characteres soleat accidere.* Constat inter doctos, *Tacitum singulari prorsus stilo usum esse*: ita ut, tum ratione vocum, peculiari Lexico quodammodo interpretandus sit, & ratione contextus formæque à ceteris omnibus diversus æstimari debeat. Interim ex his ipsis quæ Tacito propria & videntur & sunt, aliqua ad ejus similitudinem usurpata reperies in *Sallustio*, in *Plinio*,

in *Seneca*, in ipso *Cicerone* ac *Livio*. verum quia *hi* rarius, & cum accommodatione ad suum characterem ista adhibent; *ille* autem perpetua consuetudine & in ipsa indole cursuque sui sermonis; nemo hactenus inventus est, qui posset dicere, stilum Taciti eundem esse cum stilo Sallustii, & ceterorum. Ergo si non licet tali ratiocinandi formula uti de diversis in unius linguæ idiomate characteribus (qui & ipsi à Rhetoricis aliquando specialiter *ἰδιώματα* dicuntur) quanto minus licebit, in *diversarum linguarum* idiomate comparando dicam an confundendo? Utique, quam diu pars altera diversitatem linguæ Hellenisticæ & Græcæ urserit (etiamsi decisio totius rei in dubio manserit) tamdiu infirma erit collectio illa, cujus supra mentionem fecimus.

30. Ne dicam de multis animadversionibus, quæ circa comparationem istam similium vocum phrasiumque, regeri à quovis, qui curam sibi eam sumserit, facile possent. Interim omnino, non ex una aut altera vocula aut phrasi, sed ex stilo, totaque forma dictionis, ut antea diximus, de idiomate judicari debet: longeque est aliud, quærere, *an hoc vocabulum sit Græcum, Latinum &c*: & *an ipsum idioma sit Latinum Græcumque*. Equidem ex Latinissimis, ut ita loquar, vocabulis potest efformari oratio, cujus idioma non sit Latinum.

31. Hæc & talia, si quis probe observet, sole meridiano clarius apparebit, abludere à vero quæstionis statu, quæ in contrarium differuntur. Ita quod de *gentilium intellectu* disputatur, à verè philosophantibus utique non aliter accipi debuit, quam ex mente Auctorum, qua neglecta, captaverit occasionem contradicendi, non invenerit, quisquis verba huc & operam admolitur.

32. Dixerunt aliqui: *stilum N.T. ita comparatum esse, ut non nisi à perito stili Veteris Testamenti adeoque nec ab Homero aliove Græco posset intelligi.* Quis hic dubitare potest, de quo intellectu sermo sit? Nimirum, *an verborum litteralem sensum & nudos obviosque conceptus*, Græcorum quivis posset intelligere, nunquam quærebatur: sed ipsa indoles quæstionis,

ſtionis, quæ de idiomate linguæ formata eſt, monſtrabat, id diſputari; *an Græcus aliquis, qua talis, idioma Novi Teſtamenti, erudito intellectu, ex principiis ad arbitrandum linguæ alicujus idioma pertinentibus, poſſit beneficio ſolius communis Græcæ linguæ intelligere & accurate cognoſcere?* Utique ad eruditos & ad artem pertinent omnes etiam quæſtionis circumſtantiæ: adeoque ea artis eruditioniſque principia hic præſupponuntur, ſine quibus de conditione genioque linguæ nequit judicium ferri.

33. Quid itaque ad rhombum, ſi quis objiciat: *Atqui Paulus e. g. debuit intelligi ab omnibus Græcis, ad quos miſſus & locutus eſt, & omnino intelligebatur?* Quam multa hic concurrunt, quæ prorſus aliena ſunt? Sane ſi omnes, qui intellexere quid Paulus diceret ſcriberetve, de dictionis & ſcriptionis charactere potuerunt judicare: fruſtra, vel in hac vel in alia lingua inſtitutioni & doctrinæ aliquid tribuimus, ſupplebitque ſola natura Theologi & interpretis δύναμιν.

34. Cum tamen, ſi per omnia exempla eamus, plurimum iſta differant. Vel illud mihi attende, quod non ſemel *Cicero* inter notas optimi Oratoris ponit: *Si, non ſapientibus tantum & peritis, ſed populo etiam & multitudini placeat, ſi populus eum cum voluptate & admiratione audiat.* Obſecro unde & qua de cauſſa? an quia populus artem perorandi, & orationem exornandi intelligat, poſſitque de cultu inſtructuque oratorio ſententiam ferre? Nequaquam; ſed, ut ipſe diligenter explicat: *Intelligit quidem populus, quid dicatur* (nam ad hanc formam oratio bona conformari debet) *intelligit, valide, perſpicue, jucunde hæc dici, ſed quid efficiat illam vim, illam perſpicuitatem, & cetera, quid ſit quod moveat, quod delectet, id eſt, ipſam indolem geniumque orationis oratoriæ penitiorem prorſus ignorat.* Quoniam *alterum naturæ eſt, quam vulgus ſequitur; alterum artis, qua vulgus caret.* quod iterum magnus talium rerum judex & magiſter obſervat.

35. Quod ſi Paulus eſſet locutus lingua citra omnem controverſiam Græca, charactere tamen Græciſmi ad novita-

vitatem quandam e. g. ficut in Thucydidis ſtilo videmus, inſtructo conformatoque: an propterea quilibet, qui eum audivit & intellexit, potuit de iſto charactere judicium ferre? Imò ſi Apoſtolorum quiſpiam uſus eſſet charactere, e.g. Lyſiaco, id eſt omnium facillimo & verbis ἰδιωτικοῖς, ſimpliciſſimaque verborum compoſitione conſtante: an, ſicut omnes intelligere potuiſſent τὰ λεγόμενα, ita omnes potuiſſent æſtimare τὸν τῆς λέξεως χαρακτῆρα? Nullo modo. Nam de generibus dicendi & idiomatibus rectè judicare, paucis inter eruditos contigit. Quomodo igitur grande iſtud ἀίτημα conſiſtit: Qui Pauli ſermonem intellexit, etiam ſermonis characterem cognitum habuit? cum ne in communi quidem Græca aliave lingua tale argumentum procedat.

36. Ponit *Pfochenius in diatriba de Græca linguæ N.T. puritate* hanc hypotheſin: *Carmina Horatii, Virgilii &c. ſingulis fere paginis varios Helleniſmos habent; ſed tamen multi Romani, Græcarum litterarum prorſus ignari poëmata illa ad unguem calluerunt.* Cur? haud dubie quia cum Græciſmi eſſent, latine tamen enuntiabantur. Applicemus, hæc ad noſtram quæſtionem: *Ergo etiam Græci intelligere ſtilum Apoſtolorum potuere, quia etiamſi character Hebræus eſſet potius, tamen Græce enuntiabatur.*

37. Hactenus ex hypotheſi & adhibito diſtinctionis paulo ante expoſitæ temperamento loquimur. Nam ſi illud *Pfochenianum, ad unguem calluiſſe*, ad intellectum cum erudita κρίσει conjunctum referatur, videat ipſe, quid reſpondeat viris doctis, qui magno conſenſu tradidere: *ad accuratam carminum Latinitatiſque notitiam requiri, ut ſciatur, quid ex Græco aut aliunde ſit tranſſumtum conſuetudine, expreſſum imitatione, arte deflexum*: & quæ talia plura nemo ignoravit ſine jactura Latinæ eruditionis.

38. Quod autem porro infert: *Latina carmina, etiamſi multos habeant Helleniſmos, tamen propterea non dici Latiniſtica* (qua voce abſque omni fundamento applicationis ad vocem Helleniſticæ, adeoque incaſſum hic utitur) *aut Græco-Latina, Latino-Græca*: ejus rei ſatis clara eſt ratio, ſed à noſtro inſtituto penitus diverſa.

39. Re-

39. Repetimus inprimis, quod jam ante innuimus: *Defensionem vocabuli, Hellenistica lingua, à nobis non suscipi, sed tantum sententiam quorundam doctorum circa rem ipsam à frustraneis aliorum & irritis objectionibus vindicari.* Inter quas etiam hæc ipsa videtur esse. Quis enim non videt, *illos Græcismos plerosque in linguam Latinam universim & communiter translatos jureque civitatis Latinæ donatos esse?* At de Hebraismo V. T. in communem linguam Græcam translato, nemo cogitabit, ne dum affirmabit. Sed & illud supra ostendimus: *Hellenistica linguæ fautoribus, non esse sermonem de Hebraismis quibusdam in N. T. occurrentibus* (sicut modo sermo erat de Græcismis in Latino usurpatis) *sed de idiomate toto indoleque dictionis: eam* sc. *Hebrææ V. Testamenti, quam Græcæ communi potius congruere statuunt.* Jam vero nemo erit, opinor, qui Horatii aut Virgilii stilum potius Græco quam Latino idiomati convenire autumet.

40. Quod porro adfertur; *potius Apostolorum stilum in N. T. & in V. Septuaginta interpretum appellari debere*: partim admonitione nulla indigebat, partim quæstionis scopum non attingit. Sane *stilum Novi Testamenti* (ita enim plenius vocatur, nec sine nota differentiæ, quoad ceteram Græcitatem; sicut *stilus Veteris Testamenti* à cetero Hebraismo distinctius indigitatur) item *stilum Evangelistarum & Apostolorum*; ut & *LXX. interpretum*, à multis jam sæculis viri docti absque ullo monitore dixere: Sed, qui Hellenisticum aut Ebræo-Græcum voluere, sicut prædictam appellationem nec impugnant nec tollunt, ita differentiam ex ingenio linguæ, non è diversitate Auctorum quæsivere. An enim sufficit, si dicas; *hic est Character Thucydideus*; nisi intelligatur interior ratio & τὸ χαρακτηριστικὸν dictionis ipsius, ob quod Thucydidea, & ab aliis diversa existimatur.

41. Restat non leve, ut videtur, præjudicium, quo Hellenistici idiomatis patroni premi existimantur: *antiquitatis & tot doctissimorum in Veteri Græca Latinaque Ecclesia Theologorum silentium circa hanc quæstionem.* Verum hic responderi dupliciter potest. *primo* quidem, *Multos inter*

Patres, Hebraea lingua ac litteratura expertes fuisse, adeoque de conformitate stili N. T. cum V. judicare non potuisse, satis constat. *deinde, licet de novo nomine imponendo linguae N. T. non disputaverint, tamen multa è Scriptis multorum vel judicia vel vestigia notari possunt, quibus sententia de Hellenistico idiomate, fulciri & explicari amplius queat.* cujus rei declarationem non subterfugimus, si occasio & tempus tulerit.

42. Hactenus ita egimus: ut sententiam eorum, qui Hellenisticam linguam aut Ebraeo-Graecam statuunt in N. T. ejusque sententiae institutum, rationes, scopum, quantum assequi ex ipsorum scriptis potuimus, exponeremus: quaeque aliena ei vel affinguntur, vel extra quaestionis limites objiciuntur, repelleremus. Videtur enim minime ferendus in rep. litteraria ille mos, quo doctorum Virorum sententiae quaecunque alienis interpretationibus onerantur, aut adjectionibus è praejudicio alterius fluentibus interpolantur, aut censuris intempestivis immoderatisque vexantur. Unde non potest non augeri triste & fatale litteris malum, contentionis studium.

43. Quod si mihi nunc breviter sit indicandum, quid sentirem de re tota ipse: ante omnia precabor veniam libertatis, cum neminis injuria conjunctae; deinde simpliciter & perspicue in sequentes assertiones negotium conferam. I. *Extra dubium mihi videri, stilum N. T. à cetera Graecitate tota humanorum operum diversum esse.* II. Si quaeras, qua ratione potissimum? *Dicam κατὰ τὸν χαρακτῆρα τῆς λέξεως, qui ad idioma V. T. (quod citra controversiam singulare est, & exemplo caret) proximè accedit.* Nam de singulis verbis & formulis non esse hic sermonem, supra ostensum est. Argumenti loco amplius considerandum hic proponimus: *quod Novum Testamentum in nullam omnino linguam, tam facile & quasi de verbo ad verbum transferri potest sicut in Hebraeam: adeo quidem, ut cum duplex alias interpreti labor oriatur, quomodo nimirum, & mentem Scriptoris, quem interpretatur, exprimat; & linguam, qua interpretatur, non violet aut negligat; hic posteriori illa solicitudine vix opus videatur, Hebraeo idiomate sponte & statim cum stilo Novi Testamenti conspirante.* III. *Porrò licet ponatur,*

tur, DEUM *Ter. Opt. Max. cum sanctis hominibus suis inspiraret prodenda orbi oracula & monumenta, non commutasse omnem Linguæ rationem, quam in Scriptore Ministro repererat* (atque hinc nata fuerit quædam in communi charactere Scriptionis differentia) *tamen nullo modò credibile videtur, ejus dictionis, quæ Scriptori erat familiaris, usurpationem in tantum ipsi relictam, ut à* DEO *inspirante, etiam ἐν ἤθει λέξεως non dirigeretur, & ad institutum divinum, velut instrumentum temperaretur.* Atque hinc nata fuerit Scriptorum N. T. tum inter se ratione communis characteris, tum ad idioma V. T. conformitas: quam pro luculento divinæ providentiæ pignore amplecti licet, ni fallor. IV. *Quæ omnia licet sint magni momenti, adeoque minime negligenda, tamen fortasse nulla necessitas cogit, plane novam linguæ speciem invitis & inassuetis sæculi auribus obtrudere*; melius fortè capturis, si *Græcismum Biblicum* aut aliud tale nomen audirent. V. *Quoniam autem qui Hellenisticam aut Ebræo-Græcam Linguam tuentur, nihil aliud quam ea quæ diximus in animo videntur habere, certè in Scriptis suis plurimum inculcavere & illustravere, id Philologiæ Sacræ principium: propter solam nominis novitatem, quo signantius expressiusque stili Biblici Græci formam volebant commendare, odio aut reprehensione vel ideò digni non videntur, quia nisi in tractatione subtilium studiorum innocentia propositi & utilitas scopi attendatur, lata multis contentionibus porta aperietur.* Quin imò prodierunt ex ea sententia hactenus ea philologiæ Sacræ subsidia, *quæ favore & laude dignissima moderate sentientibus videri possint.*

44. Sed hæc amplius expendenda doctioribus relinquimus: à quibus prompto & grato animo tam hic quam alibi meliora doceri cupimus. Nobis suffecit ex occasione, ad restaurandum apud studiosam juventutem Philologiæ utilioris amorem, pauca quædam altiori meditatione indigentia delibare. cum præsertim speremus, *Exc. & perquam Reverendum Dn. D. Dorscheum, SS. Theol. Prof. &c.* curas suas in articulum, *De Scriptura Sacra* (ubi de hac etiam quæstione accurate & graviter agi scimus) prima quaque occasione publicaturum esse.

APPEN-

Appendix.

Quid statuendum de solœcismis & barbarismis, qui N. Testamento à nonnullis tribuuntur?

1.

NOn est nobis consilium, plenius hanc quæstionem & pressius hac vice tractare: sed tangenda vel ideo fuit, quia cum superioribus aliquo modo cohæret. non quidem sicut nonnullos video existimasse, quod illi, qui de Hellenistica aut Ebræo-Græca lingua pronuntiant, etiam hujus opinionis, quæ barbarismos & solœcismos N. Test. tribuit, auctores & assertores haberi debeant (potest enim ex eorum scriptis contrarium cuivis innotescere) sed quod videri possit, sponte sequi: *stilus N. T. utitur vocibus & formulis ex oriente petitis, adeoque resp. Græcæ linguæ peregrinis; Ergo barbarismus in ipsa peregrinitate idiomatis residet.* &c.

2. Quæ ratio argumentandi etiamsi in communem aliarum linguarum κρίσιν sine ulla exceptione valeret (quod nemo τῶν ἀκριβῶς φιλολογέντων affirmabit) non posset in stilo N. T. adversus Hellenistas militare, qui de singularissimo, ut sic dicam, exemplo stili, singularique Dei consilio ad singulares usus destinato sentiunt. ubi ipsa effectus novitas & ἰδιοπρέπεια videtur cautiorem & profundiorem κρίσιν postulare. Quanquam & alia sunt, quæ hic responderi possent, si instituti ratio nos pateretur eam disputationem ingredi.

3. Igitur omissa longiori disceptatione (nisi quod è superioribus quædam in hanc quæstionem penetrant) breviter, & cum venia aliter sentientium, nostram sententiam proponimus in hanc formulam. *Primo omnium*, libenter credimus, *quosdam doctorum virorum, cum in eam loquendi formulam occasione quadam aut ratione speciali inciderunt, ut stilum N. T. habere barbarismos ac solœcismos dicerent,*

initio-

mitiora & meliora sensisse, quam alii existimarunt, qui impietatis & cujusdam erga divinas scripturas irreverentiæ propterea eos accusarunt.

4. II. Verum, ni fallor, potuerunt tot omnis ævi exemplis admoneri, ut cautius in hac quæstione agerent, neque sinisteriora in se judicia aliorum ipsi provocarent.

5. III. Neque enim profecto *vel solida eruditionis gravitate subnixa est*, vel *utilitatis ac ædificationis quidquam habet*, quæ solœcismos ac barbarismos tribuit N. T. sententia.

6. IV. Si enim huc decurritur, ut dicamus, *barbarum aliquando vocari quicquid non est Græca consuetudinis*: non opus habebat sane doctorum quisquam, ut arbitror, tantæ contentionis molimine istud doceri; sed nec eorum caussam hoc juvare potest, qui barbarismis solœcismos conjungunt, in quæstione: *An N. T. barbarismis & solœcismis scateat?* An enim ut barbarum, ita statim solœcum erit, quod non est Græcum? Solœcismum aliquando pro barbarismo dici scio: sed hic discernuntur ipsa quæstionis propositæ formula, quanquam in probationibus postea valde ἀκαταλλήλως agitur, dum & separantur pro lubitu & confunduntur. id quod omnino monendum erat.

7. V. Plerique non satis aperte & diserte hic agunt. Si enim propter quædam vocabula non Græca, barbarismi tribuuntur N. T. eadem opera omnes, etiam purissimos scriptores Græcos Latinosque barbarismis repleveris. Cum tamen omnino multæ sint caussæ, ob quas ista ab eruditis Auctoribus sine ulla barbarismi nota usurpantur. quod rectius in & sub exemplis ostenditur disputaturque. Illud obiter addo: *valde εὐλόγως & optimis rationibus defendi, quæ N. T. peregrina adhibet vocabula.* Sicut, si de tota conformitate cum stilo peregrino sermo est, utique omnium Grammaticorum supercilium spernere potest gravissima illa ratio, qua peregrinum domestico juri sociari cœpit in

Aaa dictione

dictione, ne quid usquam peregrinum maneret in doctrina. qua de re jam ante innuimus.

8. VI. Jam de solœcismis, etiamsi ad nauseam usque ingeminetur illud Senecæ; *Grammaticum non erubescere solœcismum, si sciens, erubescere, si nesciens faciat:* non video quid tandem aliud inde eliciatur, quam quod res ipsa & doctæ antiquitatis judicia ultro clamant, nimirum solœcismum non esse, qui à sciente & bona cum ratione ponitur; esse, qui per ignorantiam aut minus probabilem caussam, citra artis rationisque convenientiam ponitur. Itaque ergo si jam recte & proprie loquendum est, non solœcismis, sed figuris ista annumerant cum *Fabio* doctissimi quique: aut si *solœcismi* vox in talibus retinetur, *impropria* incipit esse significatio, dum nomen quidem adest idem, descriptio autem rei mutatur. Nimirum secum ipsi pugnant, qui pro asserendis *solœcismis* talia afferunt: quibus potius ostenditur, *non esse vere solœcismos, quos pro talibus venditant.*

9. VII. Nam, quantum ad *verum*, *proprium*, *usitatum*, *& quasi civilem significatum* attinet *Barbarismi & solœcismi*, utique *vitii*, *ignorantiæ*, *ruditatis*, non artis aut rationis nomina esse, tam veterum quam recentiorum contestatissima asseveratione traditur. *Prima barbarismi & solœcismi FOEDITAS absit*, inquit *Fabius*, cum præceptionem super ista re auspicatur. idem qui tam constanter postea ut de peccatis, de vitiis loquitur, quam diligenter consilium scribentis & artem & schemata ab errore, lapsu, ruditate, distinguit. Etiam *Suidæ* descriptio, *κακιῶν* cum primis mentionem infert. ne de ceteris nunc dicamus.

10. VIII. Quo respectu non mirum est, si Vir serius aliquis miretur, quo consilio, *in proponendis quæstionibus*, ubi perspicuitas & significandi, ut ita dicam, civilitas ante omnia attendi debet & requiri potest; & apud *juventutis aures*, quæ à congenita cavillandi curiositate ad eruditam sapiendi simplicitatem traducendæ sunt; & *in ea materia argumentoque*, ubi omnis eruditio profanitas videri

ri potest, nisi piæ cujusdam reverentiæ cautione adgubernetur; & *post gravissimorum virorum rectiora ac simpliciora, ipsoque usu rei Theologicæ approbata judicia* (possum enim citra invidiam ita loqui, spero) & *in nullam vel eruditionis vel πράξεως theologicæ usum commodumque* (nam quæ finguntur hic, non capere me, prorsus fateor) cuiquam pertendere lubido sit: *Novum Testamentum soloecismis & barbarismis scatere.*

11. IX. Advocatur tamen in subsidium, *Patrum auctoritas* & præsertim *Hieronymi*; de quo ante ceteros dicendum est. Equidem ejus viri eruditionem & eloquentiam pridem didici venerari: sed audeo dicere, *non legisse Hieronymum, qui non animadvertit, eum fiducia eruditionis sapius in periculosas assertiones provehi: atque in hoc ipso argumento, passum Doctissimum Patrem aliquid humani esse, non primus ego, sed cum magnis viris, imò cum ratione ipsa fidenter existimo.* Igitur hunc judicem declinare controvertentes suo quodam jure possunt. Decepit tanti Viri auctoritas *Erasmum*, ut eadem de stilo Apostolico judicia ferret: sed opposuerunt se ejus opinationi mascule & juste eximii Theologi: sicut notius est, quam ut hic ostendi debeat. Clariora fient hæc omnia, si singula exempla, de quibus secius libuit judicare summis istis Viris, attendantur: ad quæ non deerit solida & idonea responsio.

12. X. Reliqui Patres plerique loquuntur *partim* ex hypothesi calumniosa gentilium sophistarum, quos redarguere in hac quæstione non semper opus aut commodum erat: *partim* eloquentiæ biblicæ simplicitatem (à qua ad vitia barbarismi & soloecismi nemo argumentari debet) profanorum sapientum pompæ, ἐπιδείξεσιν, arti, lenociniis opponunt: *partim* à stili indole, in qua multa profani desiderabant, ad ipsam rerum divinissimarum majestatem provocant, eaque occasione, *εἰς τὸ δυνάμει τῇ ὑποθέσει*, argumento vindicatum adauctumque cupiunt, quicquid stilo splendoris detrahere videntur. Hæc & similia in ipsa locorum consideratione & collatione facile se prodent attento lectori: cum alioqui nihil facilius sit, quam ex

 flumi-

flumine eloquentiæ Theologorum priſcorum, rivulos, non quo porrigi debebant, derivare, ſed quo temere emiſſi prorumperent, præcipitare aut confundere. Ingenue, ſimpliciter, caute hic verſandum eſt: alias tenebris & labyrinthis omnia plena erunt; & quidvis ex quovis colligetur.

13. XI. De concurſu operationis Sp. S. ad ſcripturas θεοπνεύϛας, multa extra quæſtionem hic diſputantur. Nam ſive dicas, *Modum ſcribendi ſeu producendi ſcripturas tantum eſſe à Sp. S. non item verba ſcripturæ & linguam ipſam*; nihil efficies: probandum enim tibi erit, *Spiritum S. in ſanctiſſimo inſpirationis opere linguam & verba, quæ exempli gratia in ſcriptore miniſtro invenit, non direxiſſe & ad corpus totius contextus diſpenſaſſe*: probandum erit, *Sp. Sancti providentiam ab hoc ſcripturæ toti orbi prodendæ negotio in tantum abfuiſſe, ut pateretur defectum ſcriptoris* (quanquam is quoque ſatis præfidenter fingitur) *fieri defectum operis, in quo nihil erat ſcriptoris miniſtri ſed dictantis magiſtri*. ad cujus auctoritatem in ſolidum omnia referuntur. Sive dicas, *Sp. S. habuiſſe graves cauſſas admittendi in ſcriptoribus barbariſmos & ſoloeciſmos*: item, *non minus potuiſſe eum efficacem eſſe in rudi ſermone, quam in docto*: rurſum nihil agis. Nam illud *prius* ſumitur, non probatur. Habuiſſe Sp. S. graves cauſſas, *ſimplicitatem nativam & gravem, præ ornatu & magnificentiæ eloquentiæ adhibendi, id vero & credo & ſcio*: habuiſſe autem graves cauſſas, τοῦ βαρβαρίζειν καὶ σολοικίζειν, hoc eſt quod eadem facilitate & meliori jure poſſum rejicere, quam aſſeritur, niſi quis credat Apoſtolos non potuiſſe aliter intelligi ab hominibus, quam ſi ſolœciſmos & barbariſmos idiotarum (de quibus ipſis tamen adeo nondum hic conſtat, ut forte alios facilius ſolœciſmos, quam illos, de quibus diſputas, inventurus ſis) imitarentur. Ut taceam, fruſtra diſputari, quid potuerit fieri, ubi quæritur determinatio judicii in eo quod factum eſt. Atque hoc ipſum etiam ad *alterius* hypotheſeos refutationem ſufficere poteſt.

14. XII. Tollenda eſt etiam cavillandi occaſio ex *Eloquentiæ* elogio. Hæc *ſive* cum tribuitur Apoſtolis à Patribus,

tribus, fateor mihi hactenus non liquere, quomodo conveniant ista: eloquentem esse, & tamen βαρβαρίζειν κ̓ σολοικίζειν (nam ob rhetorica quædam schemata eloquentem dici, qui interim Grammaticæ imperitus sit, novum, ut arbitror, & inauditum esset) sive cum denegatur Apostolis, sermo est de profanæ eloquentiæ apparatu, aut de disciplina artis oratoriæ, quatenus ab humana inventione & informatione dependet, cui opponitur hic sacræ eloquentiæ simplicitas & divinæ inspirationis gratia, quæ defectum humanæ disciplinæ supplet. Sane quomodo Paulinum istud cum se ἰδιώτην τῷ λόγῳ vocat, explicari debeat, nec in tanta studii Theologici luce curiositate indiget, nec ad solœcismos & barbarismos evincendos unquam valebit. vide *supra quæst. præced.* 20.

15. Atque hæc brevissime hic designanda putavi: citra omne partium studium; quod in omni studiorum genere Viris gravibus improbatum, vel ideo hic locum non debet invenire, quia remota contradicendi cupiditate & cavillandi pruritu, retenta autem loquendi scribendique simplicitate, & tanquam publico disciplinæ sapore, nihil erit de quo pugnent, qui in tantum dissidere volunt videri. Valde autem optandum foret, eam ab unoquoque in tractandis litteris & modestiam & prudentiam adhiberi, quæ gliscentem seculi intemperantiam & fatalia litteratorum jurgia, aut sufflaminet mansuetioris philosophiæ exemplo, aut coarguat, præsertim in iis rebus, quæ ad sanctissima divini verbi oracula pertinent: ubi non simpliciter peccat, qui non simpliciter, id est sobrie & reverenter philosophatur.

X.

IN MVSAS HERODOTI,

Proœmium.

sive

HERCULES MUSAGETES.

FAvete, quicunque Musas colere didicistis. HERCULES MUSAGETES in Museo Academiæ Argentoratensis, NOVEM inducet MUSAS, vetera quidem locuturas, sed ad usum præsentis sæculi, cui Musæ, ex instaurata Pace publica, magnum faustumque nomen ominantur.

Quis ipse sit, quas asciverit Comites, ut in re prisca, & famæ temporumque ingenio varie agitata, citra ambages fabularum, ante omnia constituit edissertare. Ex quo in terris Reipublicæ nomen communis utilitas peperit, mandatam à DEO Opt. Max. ait, Musis quidem, disciplinam civilis vitæ, Sibi autem, Musarum ipsarum custodiam. Hujus muneris, vere sancti ac divini, præcipuam semper apud homines veræ religionis peritos Deoque deditos æstimationem & reverentiam fuisse. Eos autem, qui superstitionis amore studioque, supremi Numinis veritatem cultumque vitiare aggressi sunt, cum rei nobilitatem ac vim cœlestem negare non possent, portentis vocabulorum usos nova fecisse Numina, *Musas & Herculem Musageten*, quasi comitem ducemque Musarum. hinc in templis, tanquam sub tutela fortissimi Numinis, mansuetissimas Deas consecratas esse: *quia mutuis opibus & præmiis juvari ornarique deberent: Musarum quies, defensione Herculis; & virtus Herculis, voce Musarum.* Sed in ipso mendacio apparere indicia veri, de quibus rectè orator dixerit: *quarum artium sive animi affectionum magnis hominibus ingeneratus ardor fuerat, earum etiam consecrata existere ad posteros monumenta voluerunt.* Frustra quæri, an Musæ Telluris & Cœli, an vero Jovis & Memoriæ, sive Mentis, filiæ sint: cum satis constet non genealogias Deorum ex poëtarum fabulis, sed antiquitatem & præstantiam inventorum munerumque, quibus Deo auctore, mens humana civilem vitam composuit, ex rerum natura & rectæ rationis consecutione indagari. Frustra de numero disputari, quo alii liberalius impleverunt Museum, alii parcius: prout artium ac sapientiæ vel summam libuit complecti, vel partem signare, vel varietatem distinguere. Frustra tibias & psal-

Eumen. pro rest. schol.

Arnob. III.

& psalteria Musarum pingi, ubi consensus concentusque veritatis ac scientiæ, & suavitas congruentium inter se disciplinarum spectatur. Simplicissime & verissime *Ciceronem* interpretari Musas, de *Humanitate* atque *Doctrina*. Ipsum nomen argumento esse: sive quis velit cum Græcis ab inquisitione sapientiæ appellare, aut ad mysteria scientiæ referre; sive ab Hebræo vocabulo, artem seu disciplinam notante, malueris deducere; sive etiam alludendo, quasi conjunctas & ὁμῶ οὔσας laudari, fas esse videatur: ipsa se scilicet veri ratio prodit ostentatque in origine, cultu, cognatione doctrinarum. nam varietatem numero intelligi, pluresque nominari Musas, eruditi aiunt, *διότι πολὺ τὸ ποικίλον ἔχει τὰ μαθήματα καὶ παιδεύματα, καὶ πρὸς πᾶσαν χρῆσιν οἰκεῖον, quia artes ac disciplinæ multam habent varietatem & in omnes vitæ usus porrectam.*

Diodor. 4. Suid. & Eustath. Etymolog. M. Vossius Th. Gent. l. 13. Plutarch. περὶ φιλαδ.

Hæc præfatus Hercules Musagetes, non esse existimat, quod quis ambigere pergat: Macarisne filiæ, sive potius in aula ejus, Megaclonis ancillulæ fuerint, quove tandem loco ortuve emerserint amplius Musæ? Regum cura & favore dignas nemo negaverit, sive sobolem virtutis regiæ, sive ministras utilitatum regiarum consideraverit. Atque sicut in ejusmodi philosophiam, multa inferunt curiosi, quæ ex historia contendant, aut assimilent; ita antiquitas, uti antea dicebatur, major est, quam ut à poëtis potuerit indagari; & exempli perpetuitas constantior, quam ut loco aut tempore certo definiri debeat. Ne vero ullus relinquatur Grammaticorum solicitudini locus, Musas, non incerti aut fabulosi patris sobolem, sed celeberrimo Herodoto, ante viginti & amplius sæcula genitas, educatas à Tempore, ornatas à Fama, neque jam Jovis poëtici, sed Dei vere optimi, vere maximi cura, ad finem rerum superesse, humanisque commodis servire jussas, Hercules noster producit.

Clem. Alex. in protrept. Arnobius adv. gent. IV.

Itane, inquiet aliquis, Herodotum auctorem profitebuntur Musæ, quas commendatis? Atqui magnifica per se, & satis amabilia Musarum nomina, denuo talis invidia vocabuli laborabunt. HERODOTUS scilicet est,

cujus

cujus historiam ut mendacem *Harpocration* toto libello infamavit: Herodotus est, cujus κακοήθειαν, sive maligni vitium animi, *Plutarchus* itidem toto commentario reprehendit: Herodotus est, cui non obscura *Photii Patriarchæ* κρίσις fabularum & digressionum studium, à proposito ac virtute historiæ valde alienum, objectat. Nec deest vir magnus, qui in Herodoto, poëtæ institutum fabularum dulcedine oblectantis, quam historici incorruptam fidem profitentis officium mavult agnoscere. Ita nimirum consulto consilio, è fabulis accitum, Musarum nomen impositum operi fuerit, ut ipsa inscriptione & prodantur mendacia & excusentur, id quod non dubitavit affingere severioribus antiquorum censuris, *Ludovicus Vives*.

Strabo 17. Geogr.

Hic HERCULE Musageta, sive Musarum defensore, opus: ne vel Herodotus infamasse suam sobolem, si ita pergimus loqui; vel Musæ decepisse suum hospitem & alumnum videantur; si alia figura eandem veritatem placet ornare. quis enim nescit illud veteris Poëtæ?

Ανθολ. ἐπιγρ. α.

Ἡρόδοτος Μούσας ὑπεδέξατο· τῷ δ' ἄρ' ἑκάστη
Ἀντὶ φιλοξενίης βίβλον ἔδωκε μίην.

Herodotus Musas excepit: Musa libellum
Quaque unum, munus reddidit hospitii.

Essent profecto in promptu Herculi nostro non pauca, quibus innocentiam Herodoti & Musarum lubenter meritoque tueretur, si dignus vindice nodus incidisset. Speciosis illis adversariorum nominibus, poterat opponere omnis ingenii ac doctrinæ Principes, quorum testimonio, priscis & junioribus sæculis, *Herodotus* habetur PATER HISTORIÆ: id est, qui primus ad condendam historiam attulisset idoneas artes, eloquentiam, dispositionem, prudentiam, fidem. Non ignorat Hercules, neminem historicorum non alicubi deceptum esse, sive cum auditis, sive cum lectis acquiesceret. De cetero probè intelligit, Herodotum singularis artificii contextu id egisse: ut præcipui occasione argumenti, nihil pateretur desiderari de tota antiquitatis memoria, sine qua materies

teries ſuſcepti operis ad accuratam & politicam, ut ſic loquar, notitiam ſui ac uſum, proficere non poterat. Tali conſilio *Polybium* poſtea alioſque ex alto conduxiſſe, quæcunque longinqua etiam conſecutione, ſuis quodque vinculis, ad notabilem aliquam neceſſitudinem pertinerent. Meminit etiam, candidiſſimum quemque, multa hiſtoricis concedenda putaviſſe, ad evitandum narrandi tædium: cum totum ejusmodi opus, *non ad actum rei, pugnamque præſentem, ſed ad memoriam poſteritatis & ingenii famam* (ſicut *Thucydidis* ſententiam *Fabius* interpretatur) componi conſueverit. Hæc atque talia Hercules expromere paratus erat, niſi in oculis eſſent, quæ doctiſſimi viri *Joachimus Camerarius, Henricus Stephanus, Gerardus Joannes Voſſius* aliique pro Herodoto & Muſis reſponderunt. Dictum ſapienti ſat eſt. nam reciprocare ſerram cum indoctis, aut ad bonam mentem revocare eos, qui, cum nunquam Herodotum legerint, præter cæteros tamen convitiantur, nec Hercule, nec Muſis dignum eſt. Si quid tamen, in re præſenti, obſervationem eruditam, & declarationem Muſæi operis (ut nunc *Lucretii* verbo utamur) poſtulabit, pro ſe deinceps ipſæ loquentur

Μῦσαι δ' ἐννέα πᾶσαι ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

Pulcra voce novem alternantes carmina Muſæ.

Quibus jam nunc Hercules dicendi partes tradit. nam ut pro ſe quoque aliquid adiiciat, injuriam ſæculi exiſtimat. cum nemo tam alienus à Muſis atque ab humanitate ipſa videatur, qui neſciat, HERCULIS MUSAGETÆ vocabulo, citra omnem ſuperſtitionem, ſignificari præſertim inſtitutum & officium, honeſtas artes, doctrinas, ſtudia, favore, gratia, opibus, præſidio tuendi ornandique, quod Deus immortalis Principibus & Rerump. moderatoribus commendavit. Itaque non minus Argentorati, quam in Græcia olim, aut Romæ, Hercules Muſagetes Muſas defendit: poteſtque jure optimo illud Heracliti Epheſii ſuo domicilio præſcribere:

INTROITE, NAM ET HIC DII SUNT.

CLIO.

Κλειὼ μαντοσύνης μοῦσα καὶ ἱστορίης.

Lex & inscriptio Musei.

CLIO, ante quam repetat, quæ libro primo Herodotus composuit, ex officio se facturam arbitratur, si in oculis omnium esse jubeat legem, qua Museum hoc universum MEMORIÆ ET DIVINATIONI consecratur. *Memoria* scientiam actorum; *Divinatio*, prudentiam agendorum commendat. Eo fine stat Historiæ scriptio & lectio.

Consilium & institutum Musarum Herodoti.

Nunc ordine expendenda proponit, quæ sequuntur. Consilium scribendæ historiæ, plenum gravitate & prudentia in Herodoto suo, agnoscit. Inciderat ætas ejus in tempora, fatorum, rerumque gestarum magnitudine singulariter memoranda: Persis, qui tum summa imperii in Asia potiebantur, totis viribus fastigii sui majestatem & terrorem Europæ intentantibus; Græcis vero, libertatem suam ea virtute successuque propugnantibus; unde majorum rerum haud obscura in posterum omina peterentur. Horum temporum operumque momenta intellexisse, primum liberalis Musæ munus habuit Herodotus: proximum, scribendi voluntas, accessit. Quam, dum in molitionem negotii propius aptat animus tam suavi genio imbutus, rogavit Musas, ut consilium sibi suggererent operis, quod & argumenti amplitudinem, contextu originum, caussarum, annorum, assequeretur; & eadem opera, quidquid res tantas ex omni antiquitate nationum populorumque illustrare posset complecteretur. Respondit abunde voto feliciter concepto, Musarum humanitas. cumque ornamenta sua & præsidia certatim scripturo destinassent, talem CLIO futuri operis formulam cœpit canere: HERODOTUS RERUM GRÆCARUM ET ASIATICARUM PRIMUS HISTORIAM CONDIDIT. *cui, singulari Musarum munere permissum est, ut principia rerum, per utilem prudentiam, altius repeteret; digressiones interponeret liberalius, per opportunam congruentiam; fabulas antiquitatis, sine mendacio, referret.*

Nollet

Nollet Clio, excidisse doctissimo viro tristem de Herodoti principio sententiam, ut suspicaretur, *confictam ab eo esse illam veterem Asiaticorum de raptu Europa & Medea querelam.* cur enim, pro Asiaticis illum colorem juris comminisceretur? & quæ in eo κακοήθεια, sive malignitas animadverti potest? huc enim sub auctoritate *Plutarchi* mox refertur illa suspicio. Quomodo autem fingit, qui aliis tradita, ita refert, ut nec asseveret nec refellat; quinimo ostendat, se, relictis in medio talibus, à compertis, initium primarum offensionum repetere? Quod ad rem ipsam attinet, an mera sit fabula, quam Poëtæ fabulam fecerunt, de raptu Jus, Europæ, Medeæ (nam de Helena vix dubitatur) vel *Lactantius* aliquis respondeat. cujus sententia, sicut eruditorum consensu probatur, ita per ea, quæ Persis Phœnicibusque tradita Herodotus memorat, confirmari potest. De serie & consecutione ipsa primarum inter Asiaticos & Græcos offensionum, ut in re antiqua, prudenter suspendit judicium Herodotus. Et quoniam veteres novarum inimicitiarum caussas conquirentibus, parum plerumque auctoritatis tribuitur (licet interim negari nequeat, è parvis initiis, & unius hominis delicto, raptuque feminarum, subnasci posse dissidia, in feralium bellorum flammas, quamvis longa interjecta mora, tandem eruptura) igitur Clio, præteritis ceteris, hoc tantum in transitu examinandum nobis commendat, an recte se habeant, quæ præsidia juris sui faciunt Asiatici: *Esse quidem facinus indignum, rapere feminas; raptas autem vindicare, aut repetere, non nisi stultos solere; cum prudentibus facile appareat, voluisse rapi, quæ rapta non essent, si alia ipsis mens fuisset?* Respondet enim apud *Dictyn Cretensem*, facunde & speciose *Ulysses.* cujus argumentis vix comparaveris, quæ *Aeneas*, legatis Græcorum reponit.

De raptu feminarum.

Instit. I. 11.

Lib. 2. ubi ad orat Aen. vid. not. Merceri.

Ceterum Clio utramque hujus libri paginam dedit CROESO & CYRO; quorum in illo regnum Lydorum desiit; in hoc, Persarum, incepit; in utroque mansura inter Asiaticos & Europæos inimicitia coaluit. Reliqua inserta sunt, & suo loco subjicienda.

Clio inducit.

LYDORUM IMPERIUM EVERSUM. Reinecc. tom. 3. syntagm. Petav. Doctr. Temp. X, 15.

Lydorum regnum antiquissimum, quibus ante Heraclidas paruerit, incertum est. Ad Heraclidarum ultimum Candaulem, *Eusebius* numerat DV. annos. Candaules, otio & ignavia emollitus, cum ne matrimonio quidem regendo par esset, sua sibi stultitia ex amico adulterum & insidiatorem comparavit. Fuit is Gyges, qui primus in familiam Mermandarum, imperium Heraclidis scelere & mox superstitione ademtum intulit, sicut prolixe & facunde *Herodotus* narrat. Alii, historiæ adjiciunt fabulam, de *anulo Gygis*, quam ex *Platone*, refert *Cicero*. sed anulus ille significet nobis occultas scelerum vias, & omen inscriptum gerat, jure amittendi in Crœso, post brevem fati circulum, imperii, quod injuria tritavi Gygis partum erat. Ut se habent mores Principum, ita proveniunt fata populorum, serius ocyus; semper tamen notabiliter.

3. offic. 9.

Rex ult. Crœsus.

Crœsum præsertim, veluti longo spectaculo suæ fortunæ vices in scena exhibentem Clio sistit. Vir erat ingenio eximius, sapiens, moderatus, doctrinæ & virtutis amator, consiliis quoque prudentium auscultare doctus; nisi fortunæ, quam suis moribus regere debebat, se totum permisisset. Hinc morum tempora illi diversa: egregium vita famaque in adversis; felicitate degeneraverat. Statim ab initio, inferre bella Græcis finitimis, ampliare fines imperii, auidius quam justius concupiuit. hinc caussæ armorum variè quæsitæ, & quotiens nullæ reperirentur, levissima quæque obtentui sumta. Ab Ephesiis, Jones, Aeoles, Dores aggressus; cum tributarios jam fecisset, qui Asiam incolebant, Græcos, insulas eorum subigere concupivit: nisi opportuno & extemporali commento, vel Bias Prienæus, vel Pittacus Mitylenæus impetum ejus attinuisset. Sic quoque, late dominatus, quicquid est terrarum intra Halyn amnem, imperio comprehendit. Magnus & felix esset poterat, nisi majora, quam capiebat, cœpisset spirare. Cyrus enim jam tum Astyage depulso, res Persarum, virtute & fortuna, non modicè amplificabat, Has tam vicinas prope se convalescere opes

re opes ægre ferens Crœsus, prius quam ad invictum robur proficerent, intercedere fatis statuit: decorum quoque ratus ad famam fore, si affinis Astyagis casum, in auctorem vindicaret. Quam ille cogitationem semel conceptam, cum acrius in dies rapuisset, Deos sibi hominesque magnæ spei suffragatores & adjutores paraturus, multo curiosoque apparatu legationum atque munerum, qualis non alibi legitur, circum oracula mittit: sociosque adsciscit fœdere, Ægyptios, Babylonios, Lacedæmonios. Sed oraculorum quidem, solitas ambages pro se interpretatus, non expectatis sociorum opibus, saniorisque consilii, quod Sandanis præsertim in tempore suggesserat, impatiens, Syriam invadit, Cyroque, cui fata imperium terrarum decreverant, impingitur. Tum vero apparuit, non tam viribus, quam consilio bella geri, faciliusque suscipi ea, quam administrari. Aequis manibus primo prælio abscesserant: cum Crœsus spargit exercitum, atque velut in alto otio, de tempore resumendi belli sociosque advocandi, consilia agitat. Quam stultitiam sui hostis, Cyrus in sapientiam vertens, subito imparatum aggressus est, Sardibusque capto regnum ademit. pæne & vitam ademisset. quam captivo jam perdendo servavit philosophia Solonis: qua victor monitus fortunæ vices revereri, liberatum in cohortem amicorum recepit; hominisque tum fidi, tum adversis eruditi, prudentia sæpe in magnis rebus usus est. Sic Lydorum superba & luxuriosa potentia, virtuti & paupertati Persarum succubuit: prorsus quasi nefas esset, libertatem retinere, qui turpitudine morum vitiis pridem servire cœperant. Conati sunt rebellione vindicare, quod per ignaviam amiserant. Sed nihil aliud effecerunt, quam ut servituti adjicerent dedecus, unamque sibi incolumitatis spem in eo relinquerent, si, viri quondam in feminas, non jam sponte, sed ex præcepto victoris, consilioque ipsius Crœsi, degenerarent. Verum istius fortunæ meditationem amplius suppeditat Clio, in elogio Lydorum, quo priorem libri partem finit.

In lacinia fatorum Crœsi, extet etiam memoria, filiorum ejus: quorum alter in venatione periit: alter cum infans esset antea, patris periculo in vocem erupit. Id quod ex *Herodoto* amplius commentantur *Valerius Maximus* (I, 7. *ext.* 4. V, 4. *ext.* 6.) & *Aul. Gellius* V. 9.

Arion.

Ceterum historiæ Lydorum & Crœsi, Clio, per occasionem intexuit, res valde memorabiles, sed in hoc transcursu non nisi nominandas. Talia sunt:

Arionis Delphino vecti fabula, sive historia. navis enim, Delphini tutelam habens, signari putatur: sicut & Neptuni filium dixisse Ariona videntur Poëtæ, quod in mare desilire ausus non periit, sed ab aliis nautis exceptus est. vide *Gerard. Voß. Theol. Gentil.* I, 15. ubi Auctores reliqui laudantur.

Solonis cum Crœso Colloquium.

Solonis cum Crœso colloquium celebratissimum, de vera felicitate eorum, qui virtutis perfectæ perfecto munere functi, prosperitatem vitæ non improspero obitu claudunt. Herodoto conjungi debent præsertim *Plutarchus in Solone, Lucianus in Charonte, Auson. in sept. sap. Cicero Tusc.* I, 47. *Val. Maxim.* VII, 2. *ext.* 2. aliique *Meursio* annotati *in Solone cap.* 26. Qui strictim meminerunt, infiniti sunt. De felicitate humana interim grave judicium *Pausaniæ in Arcadicis* obiter commendamus.

Attica & Laconica.

Origines Atticæ & Spartanæ. illustrandæ præsertim ex *Pausania*, *Strabone*, *Dionysio Halicarnasseo* (qui principio operis quædam huc spectantia tradit) *Thucydide libr.* I, ceteris Græcorum monumentis.

Pisistrati tyrannis.

Pisistrati tyrannis. charactere chronologico nobilis (de quo *Petav. Doctrin. Temp. Paralipom.*) & astu occupationis, & vicibus fortunæ, quibus vel amissa, vel recuperata, vel finita est. qua in re succinit iis, quæ *Clio* edit, *Terpsichore*: declarantque historiam *Justinus* II, 8. & annotati *editione Berneggeriana* Auctores.

Transitus fluminis.

Consilium transeundi flumen Halyn. quale Thaleti adscribunt Græci. nam Herodotus ipse graviorem conjecturam sequitur. interim conferri meretur illud inventum, cum Nitocris opere in Euphrate, & Cyri consilio circa Gynden,

Gynden, quod infra *Clio* memorat: & cum iis, quæ habent de transeundis fluminibus *Vegetius* III. 7. & ad eum locum *Stevvechius*: *Frontinus* item III, 7.

Contentio Spartiatarum & Argiuorum de Thyreatum finibus, cujus *in Laconicis* etiam *Pausanias* meminit. Hæc fere Crœso & Lydorum rebus inserta sunt. Certamen de finibus.

Nunc CYRUS sequitur, Persici imperii conditor. De cujus rebus jam olim discrepuisse scriptores; neque defuisse, qui laudes potius Cyri & Persarum, quam historiam traderent, *Herodotus*, veriora secuturus, monet. Post hunc *Ctesias* præcipue nominandus est. quibus pauca adjeceris ex *Beroso*. Horum de fontibus ceterorum profluxere rivuli. *Xenophon* autem potius mores ritusque Persarum sibi observatos, cum imagine boni principatus, quam historiam Cyri, cujus nomine præscribit suum opus, condere instituit. Legas licet *Petav. Doctrin. Temp.* IX, 13. *& seqq. it.* 29. PERSARVM IMPERIVM CONSTITVTVM.

In Cyro omnia fuerunt eximia, & divina quadam sorte singularia: Nativitas, Expositio, Conservatio, Indoles, Agnitio, altera Conservatio, Regnum. quæ suavissime Clio refert, omissis, quæ in fabulas corrupta erant. Quod jure occupaverit imperium Astyagis, & à Medis ad Persas transtulerit, dici nequit. defecit enim ipse ab avo eodemque Domino, & Persis deficiendi auctor fuit. neque injuria ipsi olim illata, post secutam reconciliationem, idoneus in arma titulus fuit. sed Astyagis sceleribus & flagitiis vindicandis, subditorum perfidia i. e. res mala ad bonum finem, divinitus accommodata est. utrumque enim Deo solenne est: scelera sceleribus punire, & ex malis hominum moribus, bona fatalis dispositionis elicere. Manent de cetero elogia, & in vera religione, veriora demum animadvertuntur, quibus apud Herodotum Cyro θείῃ τύχῃ γεγονότι *divina & fatali sorte genito*, acclamatur: Cyrus.

ΣΕ ΓΑΡ ΘΕΟΙ ΕΠΟΡΕΩΣΙ.

DEUS TE RESPICIT.

Hinc

Hinc perpetua, & velut ad consummandum summum imperium, properata felicitas. Post Lydos subactos, Jones atque Aeoles, recusatam olim amicitiam sero ambientes, frustra se interponentibus Lacedæmoniis, per Mazarem atque Harpagum domiti sunt. Idem fortunæ impetus Phocenses, Teios, Caras, Caunios, Lycios, Cnidios sub ditionem Persarum coëgit. Neque segnius in Asia interiore Cyrus Babylonem cum omni circa regione suo ductu devicerat: confluentibusque tot prosperis, rerum domini & habebantur Persæ & erant; cum belli adversus Scythas Asianos sive Massagetas suscepti exitus, Cyrum sua fortuna insolentius elatum, fœdo casu evertit. A femina quippe victus, &, si *Diodoro* credimus, in crucem actus, certe insigni contumelia post mortem affectus, armorum temeritatem magno exemplo posteritati in hunc diem dissuadet. Ridet enim Clio eos, qui malunt Xenophonti, alium Cyri finem commento credere. puduit Persas & Persarum fautores, muliebrem de tanto Rege victoriam, exitumque splendore vitæ indignissimum fateri. sed providentia cœlestis ægre fert, sua miracula, in utraque fortuna, dissimulari, aut fabulis interpolari. Stat tamen regnum casu Cyri inconcussum, & per successores usque ad Alexandri M. opes, orbis terrarum caput celebratur. cujus felicitatis magnam partem, consilio Crœsi, de quo *Herodotus*, Persæ debent.

lib. 2.

v. Schubert 2. de scrup. Chronol. 19.

Persarum mores.

Inter *mores Persarum* (ponemus enim hoc primum de insertis subtextisque historiæ partibus) imperio condendo nihil æque idoneum fuit ac frugalitas vitæ, & laborum patientia. accesserunt postea instituta varia, & (si excipimus quædam, ut inter Ethnicos, barbara) meruerunt exemplum dare, vel vivendi civibus, vel regnandi Principibus, apud alias gentes; sicut apparere potest, morum de gente in gentem progressum & necessitudinem inquirere volentibus. sed de his quidem *Musæ Herodoti* ubique loquuntur: quas excipiunt *Xenophontis* commentarii, ut prædiximus. è Latinis *Curtius* nominandus est. neque silentio præteriri debent *Brissonii* elegantissima volumina, *de Regio Persarum Principatu*.

Longe

Longe alii *Babyloniorum mores*, quos Assyriarum opum felicitas jam luxu & ignavia corruperat. Adde Herodoto, *Curt.* V, 1. *& copiosos commentarios editionis Freinshemianæ.* ubi etiam de Urbe Babylonis & operibus Regiis: sicut & in annotatis ad *Justin.* I, 2. Babyloniorum mores, & Babylonis admiranda.

Scytharum sive Massagetarum mores sane incultos absurdosque memorat Herodotus. morum tamen justitia, & virtute militari, invictaque libertate mirifice extolluntur apud *Justinum* II, 2. & 3. ubi etiam dominatio eorum in Asia & Medis, quam Clio refert, attingitur. Præter adscriptos *editione Berneggeriana* Auctores, juniorum multi, repetunt vetera elogia: *Scythas, simplicitate & justitia invictos, quotiens lacesserentur, omnibus gentibus terrori fuisse.* Scytharum mores opesque.

Occasione imperii à Cyro Medis ademti, *res Medorum* perstringuntur: qui à Nino olim subacti Assyriis servierunt usque ad Sardanapalum. Tum duce Arbace, excusso jugo, an deinceps libertate usi sint, quod *Herodotus* hic affirmat; an, juxta alios, sub Regibus vixerint, ambigitur. *Reineccius* ita conciliat, ut putet Reges, qui Deiocem præcesserunt, potestate circumcisa neque vere regia usos esse, donec Deioces vim imperii intenderit. Satrapæ ergo & præfecti forte civitatibus Medicis, usque ad Deiocem præfuerint: quos reges appellari, non adeo novum est. Neque una omnibus lex videtur tribuenda. Quippe *Strabo* auctor est, Medos montanos regnum fortissimo electione, quæ juxta libertatem est, detulisse. post Deiocem (qui & *Arsaes* est) Phraortes filius, finitimis perdomitis, ceteram quoque Asiam Medorum imperio adjecit. Medorum Regnum. in syntag. histor. Geog. II.

Deiocis regnum, originem refert, qualem Heroicis regnis aut temporibus tribuunt *Aristoteles*, *Polybius*, *Cicero*, aliique. Justitiæ fruendæ caussa à Medis ad id fastigii provectus, certum imperium vimque regiam constituere cœpit: cujus hæc fere specimina Clio proponit: *Regiam* amplitudine, ornatu & munimento nobilem: Arcem scilicet, urbemque arci appositam loco opportuno, sedem imperii, & castellum regiæ securitatis: *Custodiam corporis*, & sa- Deiocis artes & virtutes regiæ.

& satellitum militare robur, ex omni Media, delectorum: *Speciem Majestatis*, per ministeria, internuntios, leges, magnifice adornatam. quo pertinent etiam *exploratores*, κατάσκοποι καὶ κατήκοοι per universum imperium dispositi, quorum opera, tanquam deus aliquis, omnia audire, omnia cernere, ubique adesse, videretur. Maxime autem & regium & divinum putabatur: *quod ex penetrali majestatis sua, raro ipse conspectus, jus diceret assidue, lites terminaret justissime, oracula dimitteret in omnes terras expeditissime, neque, qui uspiam erant nocentes, vel ignoraret vel absolveret.*

Consilia Sapientum.

Jonica & Aeolica, quæ hic altius repetuntur, iterum ex *Pausania* & *Strabone* lucem capient: ut & reliqua, quæ de Græcis populis tanguntur. De cetero laudat *Herodotus* duo eximia consilia Jonibus vel ad formandam sui status disciplinam, vel ad conservandum, translata sede, Jonicum nomen, suggesta. Nam *Thales* quidem suaserat: *curiam communem, nominis Jonici caput, in medio Joniæ constitui oportere, unde communes Jonum opes, civitatibus singulis sua consilia conferentibus, fortius feliciusque regerentur.* quale etiam consilium Achæorum corpori olim, hodie autem Belgis placuisse videmus. *Bias* autem, ad recuperandam libertatem, unicam ostendit viam: *si communi classe Sardiniam petentes omnium Jonum unam constituerent civitatem; loco & fama, reparandis rebus abunde pares futuri.* Huic consilio non potest comparari *Phocensium* molitio: quam nec ratione, nec constantia, satis nixam, eventus, qualis optabatur, sequi non potuit. Melius *Teiis* res cessit. *Cnidii* isthmum perfodere, insulamque facere conati, ut ingruenti Persarum imperio se subtraherent, suis incommodis didicerunt: naturam rerum terris aquisque suam formam locumque dedisse, quibus mutandis vix prudenter aut feliciter humana molimina intercedunt. *Lyciorum* barbara pereundi, seque ac sua perdendi libido nullam invenit excusationem, tali rerum statu, quo servitus utilis habetur, quibus necessaria est.

Fatum Phocensium Teiorum &c.

Caussa Pactyæ proditoris.

Caussa Pactyæ proditoris, quem Cumæi Persis reposcentibus

tibus noluerunt reddere, disputandi *de jure supplicum*, occasionem præbet.

De Venere Urania copiose disserunt *Voss. Th. Gent.* II, 21. & 84. *Seldenus de D Is Syris* syntagm. II, 2. & 4.

Atque hæc Clio hactenus breviter repetita studiosæ juventuti proposuit, & contextum præsertim historiæ demonstravit. Ceteris Musis, sua cuique lex & forma repetitionis, libera varietate placebit.



XI.

IN BUCOLICON VIRGILII QUARTUM DISSERTATIO.

SCriptum esse hoc carmen celebrandæ nativitati Salonini, Asinii Pollionis filii, à captis virtute paterna Salonis Dalmatiæ urbe nomen adepti, non *Servio* tantum interpreti, sed ipsis Poëtæ verbis accredi par est. Sicut & alterum illud dubio caret: Augusti imperium sive sæculum Augusteum exquisito quodam laudum genere prædicari. Sed id explicatione quadam opus habet. Nam & mos carminis bucolici ex instituto certe Maronis, hoc fert, ut figura & involucro pastoralis Musæ, illustrium virorum, quos Poëta sibi colendos conciliandosque desumserat, laudes celebrentur: & inventi hujus, quod imitator Theocriti à Theocrito non accepit sed ad ejus poësin adjunxit, non est unum & simplex artificium. Ita *Daphnis in secunda Ecloga*, fratrem Poëtæ signaverit. In *prima*, Cæsaris Augusti beneficium sub imagine ἀποθεώσεως prædicatur:

Et rus concessum dum largo in Principe laudat, Sidon. Apoll.
Cœlum pro terris rustica Musa dedit.

In *quarto* autem *bucolico*, nativitas Salonini, schema & ὑπόθεσις, dilaudandæ felicitati temporum, arte & ingenio poëtæ assumitur, miraque dexteritate adornatur.

Minus artis, & apud catas aures Cæsaris, gratiæ habuisset carmen, si absque integumento novi ac beati sæculi auctorem fecisset Cæsarem. Quærenda ergo fuit occasio, quæ inventi nobilitati suffragaretur. Per modum vaticinii rem gerendam sibi existimavit: non quidem tanquam Sileno canente, naturæ & fati perito, quod *Julius Cæsar Scaliger* acute excogitavit: Sed ut ex oraculis vel Sibyllinis, vel Poëtarum ore inde ab antiquo proditis. quantum ad novi & fortunati sæculi rationem. nam quod ad ὑπόθεσιν nativitatis Salonini spectat, Parcarum decreta, nascentibus fata designantium, in subsidium advocantur. Multum hinc auctoritatis carmini; & suavitatis. Mirifice enim animi capiuntur, accommodatione sortis divinitus traditæ ad res præsentes aut mox venturas. Quin & ipsius Poëtæ gloria non parum inde augebatur, quod Octavium Cæsarem tantum animadvertit futurum, quantus fuit, cum solus Rempublicam postea tenuit, & fortunatioris sæculi luce illustravit. Nondum ut de Principe hæc dicebantur, quæ tamen non nisi Principi destinata erant.

Poët. 3. 98.

Inter delicatiores quippe & ex recondita sapientia petitas laudes Principum est, si Deus ipsis temporum felicitatem gratificari, aut ipsorum opera procurare dicatur; Si novi & melioris ævi auctores ipsi ferantur. eodem enim ista redeunt. Sed hæc inventio opus habet scientia doctrinæ periodicæ; & prudentia judicandi articulos & momenta fatalia publici status. Antiquissima est philosophia de successione & circuitu ætatum: ut aureæ argentea, huic ænea, isti ferrea successerit, indeque per easdem vices eodem reditum sit. Διαδοχὴ καὶ ἀνακύκλωσις, successio & revolutio ætatum, sive ἡ τῶν μεταβολῶν ἀνακύκλωσις, conversionum seu mutationum in orbem reversio, conjungi hic debent. Atque hæc doctrina apud *Platonem* & alios variis modis implicita est, velut ad auctoritatem rei arcanæ & secretæ, λόγῳ ὀλίγοις ἐφικτῷ, sermone, quem pauci

Polyb. 6. hist.

pauci capiant. Inprimis autem opportunum hoc cecidit illis, qui à cælestium rerum vi, & siderum motu, omnia quæ sunt hominum & temporum suspendere instituunt. Ita ἀποκατάστασις, & nova periodus, expleto magno anno tribui cum ratione videbatur: dum ostenderent, *quantis conversionibus major ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque stellas* (errantes) *lunam etiam ac solem, locis suis originibusque restituit, qui mille quadringentorum & sexaginta unius annorum circuitu terminatur.* Jul. Firmic præf. in lib. 1. •Alii ad historiam maluerunt referre, & initia rerum hominumque cum progressionibus insecutarum ætatum comparabant. Neque tamen inoffenso pede hunc campum poterant decurrere, qui primævas antiquitates ignorabant, aut levi auditu acceperant. Itaque civilior visa est illa philosophandi ratio, quæ relicta ratiocinatione temporis obscura & ex caussis longinquis suspensa, omnibus populis & civitatibus hunc morum fatorumque orbem assignavit: intra quem virtute & præclaris factis prosperam sibi fortunam pararent; inde degeneri vivendi ratione felicitate sua exciderent, ac interdum quidem plane interirent, interdum autem instaurarent vitam fortunamque. Circa tempora, quæ Poëtæ in oculis sunt, Romana respublica vitiis & vitiorum pœnis agitata ruinam quodam modo extimuit: Augusti autem virtute & prudentia instaurari cœpit ac convalescere. Ecce quam tempestivum fuit, de aureo sæculo, sive de instauratione rerum, carmen ordiri? Cum deinde sub Cæsaribus rursus orbem morum fatorumque res Romana explevisset, à fine Domitiani novum sæculum auspicari, inter artes oratorias fuit. Unde Nervæ initia *primo beatissimi sæculi ortu* signanter honestat *Tacitus.* Agric. 3. 1.

Si quis malit eorum sententiam sequi, qui omnem ethnicorum philosophiam secretiorem, & theologiam pleramque, ab Hebræis, & S. literarum detortis corruptisque tradendo aut sublegendo monumentis repeti existimant; non inepte autumabit, hanc quoque doctrinam de successione & diversitate sæculorum, inde non sine erroribus equidem, derivatam esse. Nam quin *Ovidius*, ea quæ lib. 1. metam.

cataclyſmum anteceſſerunt, periodo quatuor ætatum undecunque accepta, concludere voluerit, vix dubitationi relinquitur locus. In ἀποκαταστάσει autem tradenda, multa tranſſumta autumaveris, ex Prophetarum doctrinis de regno novo, de rege novo, de renovatione deniq; multiplici Novi Fœderis. Et hoc ſenſiſſe videntur, qui etiam huic quartæ Eclogæ Virgilianæ præſcripſerunt: *Seculi novi interpretatio*: &: *de interpretatione novi ſæculi.* cum præſertim plerique crederent Sibyllino carmine niti hanc eclogam, & Sibyllam Prophetis conſona de temporibus, quæ dixi, Novi Fœderis tradidiſſe. Sed de hac re paulo poſt videbimus.

Interea pars artificii eſt, quod Poëta, etiam quæ de Salonino, & de Pollione patre dicuntur, ad laudem ſeculi & temporis refert, id eſt ad Auguſti fata & jura in Republica. Felicitatis temporum pignus & omen erat, quod inter victorias Patris ſæculo & Reipublicæ rem bene gerentis naſcitur filius, quaſi eorundem fatorum conſors futurus; quaſi Principis & Reipublicæ magnitudini convenientia fata habiturus. Statim enim totum carmen novo felicique ſæculo deſcribendo incumbit, indeque ad typum genethliaci ſervandum ſpei ac voti originem ac formulas concinnat. At inquis: qui potuit Pollioni tribuere, quæ Auguſti auſpiciis magis conveniunt, ſi hoc conſilio, quo diximus, ſcriptum eſt hoc carmen? Quam eſt enim ἀρχηγικὸν, quod dicitur:

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Non tam viro hoc datur, quàm magiſtratui. intererat enim οἰκονομίας, novo ſæculo, ſive felicitati temporum, aliquod initium deſignari. Id in conſulatum Pollionis rerum geſtarum ſucceſſu, & nativitate filii fauſtum, apte confertur. Præceſſerat enim:

Teque adeo decus hoc ævi, te conſule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menſes.

Temporis gloria, primum & præcipuum nomen eſt: illa autem ad Auguſtum debuit pertinere, ex conſilio Poëtæ. licet

licet omen ejus rei, ut formæ & invento carminis serviretur, ad Saloninum partim, partim ad Pollionem deflectatur. Pollione duce, propter amplissimi magistratus notam χρονικὸν, felicitatem sæculi processuram ait: Saloninum autem *decus ævi*, propter auspicatum nativitatis tempus, demonstrat. De puero enim potius ceperim, *decus ævi*, quàm de pulcerrima ætate, cujus fidem à nativitatis fausto omine repeti pars inventi Poëtici erat. Quare & consentaneo initiis profectu, Felicitas temporum cum pueri ætate progreditur: ut poetæ ingenio cursus & spatium daretur, consummandi tam exquisiti commenti. Suavissima enim sunt, ad amplificandum & expoliendum, primo ut ad cunas pueri;

At tibi prima puer, & quæ sequuntur: tum de puero in disciplinam misso;

At simul heroum laudes, &c.

denique de virili maturitate:

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas &c.

Spectatorem se tantæ felicitatis publicæ, per singulos quasi gradus, subinde & laudatorem fieri optat. Ubi mira sententiarum magnificentia, quæque Augusto quàm Salonino magis videatur convenire:

Aggredere ò magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara deûm soboles, magnum Jovis incrementum.

Nam & Principatum Augusti canere ac prævidere poeta voluit; & *divum genus* eum alibi vocat & *magnum Jovis incrementum* (absint nugæ Grammatici tanquam de vulgari & humili vocabulo) summa gravitate verbi sensusque majestate enuntiavit. Verùm ut cœpimus dicere, dum ut Augusti temporibus natus factusque Saloninus celebratur, ejus ipsius in laudem omnia redeunt in solidum: & τὸ ῥητὸν de Salonino ita concipitur, ut ἀλληγορίαν de Augusto, citra incommodum rerum verborumque sustinere ac exprimere possit. 6. Æn. 792. Serv.

Non autem illi tantum versus grandiloqui sunt in hac ecloga, quos hoc nomine *Scaliger* censet, sed tollit omnino hoc carmen vocem altius, & ad indolem argumen- 4. Poet. 23.

ti.

ti. Ne tamen prorsus deperderet χαρακτῆρα βουκολικὸν, interiorem illam philosophiam de novo felicique sæculo, imagine ruris & sylvarum agrestisque & pastoralis vitæ (non insulitato scilicet aureæ ætatis symbolo) persignat; suique instituti rationem ab initio carminis exponit:

Sicelides Musæ paulo majora canamus.
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.

Huc enim pastorum curas, studia, laudes, etiam cum alia intelligi vellent, Bucolici poetæ detrahere consueverunt. Nunc autem remoto illo agresti velo, consuli gratulandum est. Induemus itaque hoc carmen novo habitu, ut nec pastorale omnino desinat videri, & dignitati tamen materiæ sylvestribus symbolis signatæ quodam modo adæquetur. Hoc illud est:

Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.

Nam quæ de sylvarum & callium provincia Coss. demandata hic *Scaliger* & alii disserunt, à Poetæ nostri ingenio, 1. Poet. 4. frigidas allusiones & longe petitas plurimum aspernantis, longius absunt. id quod rectissime *Turnebus* quoque judicavit. cujus paraphrasis probissimi generis est: *Si canimus bucolica cantusque pastoritios, tale tamen sit carmen, quod dignum sit majestate consulis.* eo scilicet artificii & scripturæ genere, quod ostendimus.

Sicut autem Ethnici veteres, Augusti laudes in hac ecloga non cunctanter sibi reperire visi sunt: ita Christiani permulti tam splendidos titulos & exquisita præconia uni Christo deberi & destinari, præcupide crediderunt. Impulit eos in hanc sententiam versus quartus;

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

tum hausta animis de Sibyllarum oraculis opinio. Quam fidenter propugnat apud *Eusebium Constantinus Imperator.* Sive ipse est Eusebius ejus orationis architectus. Is ergo nobis nunc sit instar omnium.

Subjecit *Eusebius* τῷ ἐγκωμιαστικῷ βιβλίῳ sive *quatuor libris de vita Constantini orationem Constantini* τῷ τῶν ἁγίων συλλόγῳ sive *ad Ecclesiam*, scriptam: cujus pars consumitur divinitate Christi adstruenda, etiam extraneorum testimoniis. In

In his Sibyllæ Erythrææ ἀκροστιχὶς affertur illa: Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός. Extat *libro octavo* χρησμῶν σιβυλλιακῶν, qui vulgo circumferuntur. Fatetur *Constantinus*, jam tum infamata fuisse illa carmina, tanquam nuper conficta: auctoritatem tamen eorum testimonio *Ciceronis* tueri conatur, qui illam ἀκροστιχίδα laudaverit. Sed egregie fallitur, sicut in *annotationibus suis ad Eusebium* nuper editum doctissimus *Henricus Valesius* jam ostendit. Quid? quod interpretem acrostichidis illius, de qua *Cicero* loquitur, itidem fraudis & imposturæ arcessit. Etenim illa quidem, quæ *Constantinus* & *Patrum quidam* laudarunt oracula Sibyllina, supposititia esse, & indigna fide, abunde demonstravit *Joannes Opsopœus dissertatione editioni Parisiensi* χρησμῶν *præmissa*, *& notis*. Addi possunt, quæ *Clarissimi Lambecii* cura liberaliter exhibentur in *Prodromi Histor. Liter. lib. 1. cap. 4.* Actum egerit, qui vel verbum velit addere.

Cap 18.
Cap. 19.
2. de divin. 54.
Cap. 1.

Hinc ad Christi adventum progressus, novam διαδοχὴν, successionem populi Christiani emersisse ait: περὶ ἧς οἶμαι λέγειν τὸν ἐξοχώτατον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποιητῶν, *de qua puto loqui præstantissimum Latinorum Poëtarum*:

Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Quod Græce exprimitur:

ἔνθεν ἔπειτα νέων πληθὺς ἀνδρῶν ἐφαάνθη.

Infra propius ad verba Poëtæ νεολαία γέννα dicitur. Ut *in primo Sibyllinorum* de instauratione mundi post diluvium: ἐνθ᾽ ἄκοιτις βιότοιο νέη ἀνέτελε γενέθλη. Quæ *Sebastianus Castalio* ex Poëta vertit: *Hinc nova progenies.*

καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τινὶ τῶν βουκολικῶν τόπῳ.

Σικελίδες μοῦσαι μεγάλην φάτιν ὑμνήσωμεν.

Et rursus in alio Bucolicorum loco:

Sicelides Musæ paulo majora canamus.

Quomodo in alio loco, cum ex eadem ecloga hæc petantur? Prosequitur autem: τί τούτου φανερώτερον; προσίθησι γάρ.

ἤλυθε κυμαίου μαντεύματος εἰς τέλος ὀμφή.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

κυμαίαν αἰνιττόμενος δηλαδὴ τὴν σιβύλλαν. *Cumanam scilicet Sibyl-*

Sibyllam innuens. At enim Erythræam ante laudaverat. Sed quid vult sibi tandem hic versus? Non id quod Constantinus vult, qui ad supposititia Sibyllina respicit. Ergo ex Sibyllinis libris, sive fatalibus, qui perierunt, proditum videri potest oraculum aliquod, ut alio tempore de mutationibus & calamitatibus Romanis, ita tunc de instauratione aliqua magna & instauratore, sive regio, sive divino. Sicut vel *Ciceronis* locus, de quo ante, ostendat. Aut *Servio* credendum fuerit de prædicto à Sibylla sæculo Apollinis. Eam prædictionem Virgilius sententiis extulerit sæculo ἡγεμονικῷ sive aureo describendo usitatis. Nam quod *Albericus Gentilis* putat, *non dubitandum, quin Virgilius confecerit versus plures hic de Sibyllinis versibus*, non possumus avide amplecti, qui Σιβυλλιακὰ penitus ignoremus. Quid? si *Probi* explicatio proba est, qui *Cumaeum Carmen* pro Hesiodeo accipit. Hesiodus enim Cumæus est, Ascram Bœotiæ in adolescentia translatus. ἡσίοδος κυμαῖος. νέος δὲ κομισθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς Δίου καὶ μητρὸς Πυκιμήδης ἐν ἄσκρῃ τῆς Βοιωτίας. *Suidæ* his verbis congruit *Stephani, de Urbibus*, testimonium. Eadem igitur ratione & sensu hic *Cumaeum carmen*, Poëta dixerit, quo alibi *Ascraeum*. Neque enim Ascræus magis est, quam Cumæus, Hesiodus: apud quem doctrinam de successione ætatum accurate descriptam habemus. unde & *Virgilius* aliqua in hanc eclogam erudita imitatione transtulit, sicut jam annotavit *Fulvius Ursinus*. De cætero non inerudita est μετάφρασις in Græco versu, cum dicit oraculi Cumæi sortem εἰς τέλος ad finem venisse. *Ultima aetas Cumaei carminis*, non est illa aurea, quam hæc Ecloga celebrat, sed quæ antecessit, & instaurationem rerum attulit seu portendit.

Virgil. Lection. cap. 7.

Suid. v. ἡσίοδ.

v. κύμη.

2. Georg. 176.

in ἔργοις.

in comparat. al. scrip.

Sed pergit Constantinus: καὶ οὐκ ἠρκέσθη τούτοις. ἀλλὰ περαιτέρω προσεχώρησεν, ὡς τῆς χρείας τὴν αὐτοῦ μαρτυρίαν ἐπιποθούσης, τί λέγων αὖθις;

ἔτος ἄρ αἰώνων ἱερὸς στίχος ὤρνυται ἡμῖν.
ἥκει παρθένος αὖθις, ἄγουσ' ἐρατὸν βασιλῆα.

Neque satis habuit hac dixisse, sed ulterius progressus prorsus quasi res testimonio ejus indigeret, quid amplius adfert?

Magnus

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Annotat ad hæc verba doctissimus *Henricus Valesius*: *In carmine tamen Virgilii hoc non dicitur.* (quod Virgo scilicet adducat ὡραῖον βασιλῆα) *verum Constantinus, ut opinari licet, versus Virgilii paululum immutaverat, & Saturni nomen consulto expunxerat, ut argumento suo serviret.* Parum tamen Constantinus memor fuit, si hoc voluit, ejus quod mox dicit: *Poëtam, non ignarum mysterii de Christo, veritate occultata, verbis ad usitatam ethnicorum religionem pertinentibus usum esse.* An de Sibyllinis, qualia circumferebantur, vel Constantinus vel Christianorum alius, qui Virgilianos versus Græce interpretatus est, aliquid in animo habuit? quanquam in iis, quæ habemus, non alia supersunt huc spectantia, quam illa apud *Lactantium*:

ἥξει καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι,
Καὶ κέν τις θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ' ἰδίων. κτλ.

Et præsertim *libro tertio Sibyllinorum*:

καὶ τότε δὴ θεὸς οὐρανόθεν πέμψει βασιλῆα.

ubi, interposito versu, sequitur:

ἔστι δέ τις φυλὴ βασιλήϊος, ἧς γένος ἔσται
Ἄπταιστον, καὶ τοῦτο χρόνοις περιτελλομένοισι
Ἄρξει.

Quibus addenda sunt, quæ *fine secundi* leguntur:

- - - - τότε δὴ βασιλεία μεγίστη
Ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ' ἀνθρώποισι φανεῖται.

Nam *versus secundus Acrostichidis* ad extremum judicium pertinet:

ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων,

Jam, redit & Virgo. Quærit Constantinus sive Eusebius: τίς οὖν ἄρα παρθένος ἡ ἐπανήκουσα: *quænam est illa Virgo quæ redit?* Si vocem *redeundi* considerasset, non tam facile subjecisset de virgine Deipara. Quærenda est virgo, quæ abscesserat. ea est Astræa, seu Justitia ex Theologia Ethnicorum de ætatibus. Fidelem igitur paraphrasten egit *Calpurnius Siculus*, dum hunc locum imitatur:

Aurea secura cum pace renascitur ætas,
Et redit ad terras tandem squalore situque
Alma Themis posito, juvenemque beata sequuntur
Secula.

Sequentes quoque in Ecloga versus regi, quem inseruerat, Christo convenire putat Constantinus, quos ita interpretatur:

Τὸν δὲ νεωστί που τεχθέντα φαεσφόρε μήνη,
Ἀντὶ σιδηρείης χρυσῆν γενεὴν ὀπάσαντα.
προσκύνει.
τοῦδε γὰρ ἄρχοντος, μενεαίνεα πάντα βρότεια,
καὶ στοναχαί τε καθευνάζονται ἀλιτρῶν. sive ut corrigit Valesius:
ἄλγεά τε στοναχαί τε κατευνάσονται ἀλιτρῶν.

At propiorem habuisset interpretem Virgilii, ipsum Virgilium, qui Augustum disertis verbis hac gloria mactat:

Æn. 6. 791. *Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,*
Augustus Cæsar, divum genus: aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam.

Parum autem cum Theologia poëtæ convenerit, puto, quod illud, *fave Lucina*, *προσκύνει*, reddit. *Tuus jam regnat Apollo*, plane omisit. sive alienum ab interpretatione, quam animo conceperat, existimans hoc hemistichium: sive obscuritatem sensus non evolvens. quæ profecto maxima est: nisi in sæculo Apollinis acquiescere velis. nam quæ de Augusto, tanquam habitu & nomine Apollinis celebrato hic excogitantur, multis modis repudiari possunt. *Turnebi* autem explicatio an cum accuratissima Poëtæ Latinitate satis possit convenire, viderint, quibus probatur.

In illis quæ sequuntur, verbis quidem religionis ethnicæ ad sacra pertinentibus, itidem Christum designari

c. 20. *Constantinus* existimat. & talem interpretationem affert:

Δέξεται ἀφθάρτοιο θεοῦ βίοτον, καὶ ἀθρήσει
à v. 15. *ἥρωας σὺν ἐκείνῳ ἀολλέας. ἠδὲ καὶ αὐτός.*

δηλαδὴ τοὺς δικαίους. Heroas, *justos* interpretatur, sive pios. Quasi haberet in animo illa Sibyllina, aut *τοιουτότροπα*:

εὐσεβίαν

εὐσεβέων ἀνδρῶν ἱερὸν γένος ἔσσεται αὖθις,
Βουλαῖσι δὲ νόμῳ προσκείμενοι ὑψίστοιο. κτλ.

Aut: υἱοὶ δ' αὖ μεγάλοιο θεοῦ περὶ ναὸν ἅπαντες
ἡσυχίως ζήσοντ' εὐφραινόμενοι ἐπὶ τούτοις
οἷς δώσει κτίσης ὁ δικαιοκρίτης τε μόναρχος. κτλ. lib. 3. Sibyll.

Versum 17. in duos diffudit (quamquam priorem ad 16. referre possis, cujus sensum cum 17. conjunxit) *tres sequentes* in duos contraxit:

πατρίδι καὶ μακάρεσσιν ἐελδομένοισι φανεῖται
πατροδότῳ ἀρετῇ κυβερνῶν ἡνία κόσμου
σοὶ δ' ἄρα παῖ, πρώτιστα φύσι δωρήματα γαῖα,
Κριθὴν ἠδὲ κύπειρον ὁμοῦ κολοκάσσι' ἀκάνθῳ.

Quomodo κριθὴν & κύπειρον pro *hedera* & *baccare* posuerit, non facile dixeris.

Vigesimo primo & sequenti versu respicere putat Poëtam ad immanitatem temporum, & *leones* τοὺς τῆς βασιλικῆς αὐλῆς δυνάστας viros in aula Principali præpotentes interpretatur; quos fidelibus Christi minime terrori fuisse, ait. Tribus versibus duos illos ita expressit:

Σοὶ δὲ παῖς θαλεροὶ μαζοὶ καταβεβρίθυῖαι,
Αὐτόματοι γλυκὺ νᾶμα συνεκτελέουσι γάλακτος.
οὐδὲ θέμις ταρβεῖν βλοσυροὺς ἀγέλῃσι λέοντας.

Primum versum corrigit *Valesius*: σοὶ δ' αἰγαῖς θαλεροῖς μαζοῖς καταβεβρίθυῖαι. Facile fuit ex *Esaiæ* prophetia ad Novi fœderis felicitatem istud schema referre: unde & *Sibyllinorum auctor* desumsit illa: cap. 11. v. 6. & 7.

ἐν δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἄμμιξ ἔδονται
χόρτον, παρδάλιές τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται,
ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες αὐλισθήσονται,
Σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγετ' ἐν φάτνῃ ὡς βοῦς. κτλ. lib. 3.

Quæ apud *Lactantium* haud paulo aliter leguntur.

Versus XXIII. XXIV. XXV. de *floribus* cunabulorum Christi novellæ genti oblatis, & extincto *Serpente* diabolo, ejusque *veneni* omne genus, & efflorescente Christianorum multitudine, tamquam ἀμώμῳ interpretatur; atque hanc versionem adducit:

φύσει δ' εὐώδη τὰ σπάργανα, ἄνθεα αὐτά.

ὄλλυται ἰοβόλε φύσις ἑρπετῶ, ὄλλυται ποίη
λοίγιος. ἀσσύριον θάλλει κατὰ τέμπε ἄμωμον.

Tertium versum (non sine vitio quidem) in *Fuketiano codice* ita legi *Valesius* testatur:

ἀσσύριον τ' ὀιχεῖται. θάλλει δὲ κατὰ τέμπε ἄμωμον.

Quasi Constantinus male construxerit versum Virgilii:

Occidet Assyrium. vulgo nascetur amomum.

Sed hæc sententia stare non potest; si Constantinus *amomum* (Christianos) ideo *Assyrium* vocari credidit, quod mox ex textu iterum affirmat *Valesius*, quia ab Assyriis ortum sit principium fidei: propter Abrahamum credentium patrem, qui Assyrius fuit.

Versus XXVI. & XXVII. ita exhibentur:

Ἀυτίκα δ' ἡρώων ἀρετὰς, πατρός τε μεγίςε
ἔργ' ὑπερηνορέησι κεκασμένα πάντα, μαθήσῃ.

Hic *Heroas* iterum pro *piis* accipit, ut supra: *laudes heroum*, τὰ τῶν δικαίων ἀνδρῶν ἔργα. *Facta & virtutes parentis* (ita enim repetit) de constitutione & conservatione mundi, & Ecclesiæ legibus moribusque. Inde *versu* XXVIII.

πρῶτον μὲν, ἀνθηρείκων ξανθῶν, ἤγοντο ἀλωαί,

putat designari illum profectum, quo homines inter bonos malosque medii paulatim virtute divinæ legis, ad majora traducuntur. Unde & *incultis sentibus pendens uva*, *versu* XXIX.

ἐν δ' ἐρυθροῖσι βάτοισι παρήορος ἤλδανε βότρυς,

comparatur cum ἀθέσμῳ βίῳ sive injusta & depravata hominum consuetudine, quæ nullos ejuscemodi mitiores fructus antea cerni sinebat. Sicut XXX. versu *quercus dura*, ad τὴν ἠλιθιότητα τῶν τότε ἀνθρώπων καὶ τὸ καλεσκληκὸς ἦθος stuporem hominum ejus temporis ac duritiem mentis referuntur. Quamquam & altera additur ἀλληγορία, quasi iis, qui Dei caussa labores pertulerunt, suaves fructus καρτερίας γλυκύς τις καρπὸς promittantur. Sed hæc schemata sunt & specimina aureæ ætatis usitata: sicut collatis aliis Poëtis Græcis Latinisque declarat *Fulvius Ursinus*. Ut non opus sit cum *Lactantio*, ex Sibyllinorum architectis, multo haud dubie junioribus, Poetæ nostri sententias arcessere.

ad b, ecl. 7. 24

Inse-

Insequentes *Sex versus à* XXXI, quasi vitandi periculi causa, per ambages, ad Christi bellum in toto orbe adversus ἀντικειμένην πονηρὰν δύναμιν sive oppositam dæmonum aciem gerendum, Poetam adhibuisse putat. χαρακτηρίζει, inquit, τὸν σωτῆρα ὁρμῶντα ἐπὶ τὸν τρωικὸν πόλεμον, τὴν δὲ τροίαν, τὴν οἰκουμένην πᾶσαν. Versio illa est:

παῦρα δ' ὅμως ἴχνη προτέρας περιλείπεται ἄτης.
πόντον ἐπαΐξαι πεῖρει τ' ἄστεα τείχεσι κλεῖσαι,
Ῥῆξαί τ' εἰλιπόδων ἑλκύσμασι τέλσον ἀρούρης
Ἄλλος ἔπειτ' ἔσαι τῖφυς, καὶ θεσσαλὶς ἀργὼ,
Ἀνδρέσσιν ἡρώεσσιν ἀγαλλομένη· πολέμοιο δὲ
τρώων καὶ δαναῶν πειρήσεται αὖθις ἀχιλλεύς.

Ceterum Poeta per gradus voluit ætatem auream adolescere, neque statim & semel felicitatem consummari: ut nimirum, cum ætate pueri, gradus quoque sæculi beati procederent. Eum enim colorem poeticum assumserat. Quare mox, quicquid à perfectione abesse facit felicitatem, abolescet, & cum virili ætate pueri, omnia erunt matura, perfecta, plena, id est, nulla priscæ fraudis vestigia suberunt, nullus in navigando, in arando, in quærendo denique & parcendo labor ponetur. Sequitur enim: *Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas*, cum reliquis. Hæc est simplex & vera explicatio: cujus συνάφειαν plerique interpretes, dum particulis *Serviana* expositionis attendunt, non satis complexi sunt. Erudita esset, sed quæ in hac festinatione diffundi nequit, comparatio interioris philosophiæ de ἀποκαταστάσεως parto, quæ non tam excipit orbem ætatum impletum, quam suo loco intervenit. Sicut *Hesiodus*, artifex præcipuus hujus doctrinæ, æneam inter & ferream ætatem Heroas interjicit, & suo quodam cursu ad metam deducit: sed hæc paucis dici non possunt. *in ἔργοις v. 155. &c.*

Constantinus autem *versum* XXXVII,

Ἀλλ' ὅτ' ἂν ἠνορέης ὥρη καὶ καρπὸς ἵκηται,

de Christo ita interpretatur: ἐπειδὰν ἀνδρωθεὶς τὰ περιέχοντα τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων εἰζόθεν ἐξέλῃ, τήν τε ξύμπασαν γῆν εἰρήνῃ καλλικοσμήσῃ. *postquam virilem ætatem ingressus cuncta quæ huma-*

humanam vitam infestant mala sustuleris, & universum orbem terrarum pacis legibus composueris. ut H. *Valesius* vertit. Inde versus XXII. sequentes Græce descriptos brevissima annotatione subjecta prosequitur, quæ fere ad L. LI. LII. tantum pertinet: κόσμου κινούμενον ὅρα, φησὶ, καὶ τῶν στοιχείων ἁπάντων χαράν. *Aspice, inquit, mundi immensi omniumque elementorum lætitiam.* Non omittenda est μεταφράσεως Græca.

ὀυχ ὅσιοι αὐτοῖσιν ἀλιτρολάτοισιν (ἀλαάδης,)
φυομένων ἄμυδις γαίης ἄπο πίονι μέτρῳ·

Corruptum priorem versum, emendat doctissimus *Valesius*: οὐχ ὁσίῃ ναύτῃσιν. ultimum versus verbum prioribus codicibus abest, & hic suppletur. sic quoque magna licentia. ut plura in hac μεταφράσει.

Αὐτὸς ἄσπαρτος καὶ ἀνήροτος. οὐδὲ μὲν ἀκμὴν
ἐπεσκλέα δρεπάνοιο ποθήσεται ἄμπελον οἶμαι.

Legendum αὐτὴ δ' ἄσπ. sub. γαῖα. sicut notavit jam *Valesius*. Diffudit *quadragesimum versum* in duos.

οὐ δ' ἱερὸν δεύοιτο βροτὸς πόκον. αὐτόματος δὲ
ἀρνειὸς τυείοισι παρατρέψει λιβάδεσσιν,
Σάνδυκι πορφυρέῳ λάχνην ῥυπόεσσαν ἀμείβων.

Sensum in his secutus, quatuor versus tribus conclusit, non infeliciter, puto. παρατρέψει emendat *Valesius*.

Ἀλλ' ἄγε τιμῆεν σκῆπτρον βασιληΐδος ἀρχῆς,
Δεξιτερῆς ἀπὸ πατρὸς ἐρισβρεμέταο δέδεξο.

Omisit XLVI. & XLVII. versus:

Talia sæcla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

In quibus tamen pars inventionis Poeticæ, ut ante dictum est, consistit. Scilicet haud ita facile videbatur, invertere sensum Poetæ & ad institutum aliud trahere. Sicut & duo, qui positi sunt, versus, XLVIII. & XLIX. nimia libertate ad consilium interpretis flectuntur, quasi dixisset Poeta: *Sed age, sceptrum venerabile regni à dextra manu Patris altitonantis accipe.* Quinquagesimum & duos sequentes ita effert:

Κόσμου κινούμενον ὅρα εὔπηκτα θέμεθλα.
χαρμοσύνην γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης,

Γηθο-

Γηθόσυνον τ' αἰῶν@ ἀπειρεσίν, λάσιον κῆρ.

Difficilior ceteris hic eclogæ locus, non incaute eſt ab interprete tractatus. Hoc enim ſaltem recte animadvertit: non de malis præteriti temporis, ſed de bonis adventantis beati ſæculi ſermonem eſſe. Imo plus puto eum, quod ad ſummam rei attinet, cordis habuiſſe omnibus Virgilii interpretibus, qui vel dubitant, vel tergiverſantur, vel nihil explicant. Dicam citra ambages, veriſſimam fortaſſe ſententiam. Illud *nutare*, quod interpretes torſit & nutare fecit, neque triſtitiæ, ut *Servius*; neque lætitiæ, ut alii crediderunt, actionem notat: Sed pars eſt περιφράσεως τοῦ κόσμου. Senſus eſt: aſpice mundum (addita periphraſi quam dixi, *convexo pondere nutantem*) & terras, & maria & cœlum; & omnia: aſpice, inquam, mundum (ſemel totum exprimit) & partes mundi (in quas oratorie res dividitur) terras, maria, cœlum; aſpice, ut omnia (ita colligit diſpertita) venturo ſæculo lætentur. Nihil certius. τὸ *nutare* ad deſcriptionem, non ad actionem aliquam mundi pertinet. Ratio Latinitatis alibi explicabitur. neque enim nunc licet nobis eſſe verboſis. Ubi etiam apparebit, an illa ἔμπηλα θέμεθλα poſſint locum habere.

Sequuntur *verſus Eclogæ VII. à LIII. numerandi*, quinque Græcis comprehenſi, ita ut LVI. pæne totus, LVII. totus omittantur in Græca interpretatione:

εἴθέ με γηραλέον ζῶντά τ' ἔχοι νήδυμ@ ἰχύς,
Σὴν ἀρετὴν κελαδεῖν ἐφ' ὅσον δύναμίς γε παρείη.
οὐκ ἄν με τι πλήξειεν ὁ Θρᾳκῶν δῖ@ ἀοιδός.
οὐ λίν@ οὐ πὰν αὐτὸς, ὃν Ἀρκαδίη τέκετο χθών.
ἀλλ' οὐ δ' αὐλὸς ὁ πὰν ἀνδέξεται εἵνεκα νίκης.

Locum hunc mutata interpunctione ita reſtituit doctiſſ. *Valeſius*.

Γηθόσυνον τ' αἰῶν@ ἀπείρεσίν. λάσιον κῆρ
εἴθέ με γηραλέον, ζῶντά τ' ἔχοι νήδυμ@ ἰχύς.
Σὴν ἀρετὴν κελαδεῖν. κτλ.

Cum autem Poëta optet, & vitam ſibi produci, & ingenii vigorem continuari, quantum dicendis factis Salonini,

 ſive

ſive ejus, quem ἀλληγορία ſpectat, ſufficere poteſt; interpres invertit quodammodo: *ut facta dicere poſſit ejus, in quantum vires adſuerint.* Quanquam ſententia eodem redit, quia νήδυμος ἰσχὺς præceſſit. niſi quod *Virgiliana periphraſis* ſenſu plus pollet. In ſequentibus etiam, omiſſa αἰτιολογίᾳ & figuris ceteris conciſius agit: *Non Orpheus, non Linus, non ipſe Pan contenderit mecum de victoria.* Placet in his, quod creſcere credidit orationem in Pane. Grammatico enim ſecus viſum annotanti: *Redit ad numina ruſtica: nam ſatis exceſſerat dicendo Linum Poëtam, & Orpheum theologum.* Quis enim non videt, Pana Orpheo & Lino majorem eſſe? Unde: *Pan Deus,* &c. Plus eſt ſine dubio, Pana vincere, præſertim Arcadia judice, quam Orphea aut Linum. Et quid ſibi vult, cum dicit, excedi, Orphea theologum, nominando? an indictus aliis Eclogis Orpheus? Verum, his ac talibus non licet nunc immorari.

Serv.

Ceterum illa de ortu alicujus hominis dici non potuiſſe, *quod nec tellus aratrum, nec vitis falcem deſideratura ſit,* porro *Conſtantini oratio* infert. ἡ γάρτοι φύσις θείας ἐςὶ προςάξεως διάκονος, οὐκ ἀνθρωπίνης κελεύσεως ἐργάτις. *Jam lætitia omnium elementorum,* inquit, *Dei certe adventum, non hominis alicujus natales notat.* Sed hæc ex ante dictis explicari facile poſſunt, & alibi uberius ſunt declarata. Longius etiam petitum eſt, quod votum, quo vitam ſibi produci optat Poëta, ut *argumentum divini cultus in adorando, qui natus eſt,* arripitur. Non meminit Conſtantinus, cum iſta de natura divinis non humanis juſſionibus parente ſcriberet, Sibyllæ ſuæ, quæ hominum genus ante Titanas illa ipſa temporis nota deſcribit:

cap. 21.

de auſpicio regio.

lib. 1. Sibyll.

Γαῖη δ᾽ αὖ καρποῖς ἐπαγάλλεται αὐτομάτοισι,
φυομένη πολλοῖσιν ὑπερςαχύουσα γενέθλη.

Votum Sibyllæ optantis *ſolui neceſſitate vaticinandi & è terra in cœlum rapi uſque ad beatiſſimum Servatoris adventum,* quomodo Conſtantinus cum Virgiliano comparare potuerit, non ſatis liquet. Neque enim verba ipſa poſuit. Ex iis autem, quæ ſuperſunt & hoc nomine præſcribuntur, fragmentis apparet: Vatem hoc ſchemate ſua oracula interſtinguere,

aut

aut ordiri, ut de necessitate vaticinandi impositâ testetur, queratur etiam. Neque dubitem, ultimum Servatoris adventum ad judicium, eam intellexisse; si loca, quæ dixi, cum hoc voto, quod Constantinus affert, sedulo conferamus.

Ultimos versus quatuor ita videmus exhiberi:

> ἄρχεο μειδιόων [illegible]ῶν τὴν μητέρα κεδνὴν
> γνωρίζειν. ἡ γάρ σε φέρεν πολλοὺς λυκάβαντας.
> Σοὶ δὲ γονεῖς οὐ πάμπαν ἐφημέριοι ἐγέλασαν.
> οὐδ' ἥψω λεχέων, οὐδ' ἔγνως δαῖτα θάλειαν.

Corrupta sunt hæc. In msc. erat: ἄρχεο μειδιῶν ὡς ἂν ὁρῶν. Unde doctissimus *Valesius* probe emendat:

> ἄρχεο μειδιόωσαν ὁρῶν τὴν μητέρα κεδνὴν
> γνωρίζειν.

Duos postremos versus, Græcum interpretem non recte accepisse, in aperto, nec mirum est. An Constantinus ipse Virgilium hic satis intellexerit, disputat *Valesius*, & primo negat, deinde asseverat, ex subjectis verbis, quibus in Poeta *ignorantiam divinæ Christi generationis excusat, neque ut humano more hæc dici potuisse*, ostendit. Erravit interpres errorem partim communem cum pluribus: *Parentes puero non arrisisse, neque cubili ipsum potitum neque mensa.* Sed quomodo ista cum reliquo carmine possent stare? Dixit Poeta duobus ultimis versibus:

> *Incipe parve puer, qui non risere parentes,*
> *Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.*

Crucem hic fixit Grammaticis. *Quintiliani* auctoritatem in lectione merito maximi hic faciendam esse, *Politianus* monet. cui tamen, *Parentes* vocandi casu accipienti assentire nequeo. *Scaligeri ad Catullum* de his versibus annotatio, à *Taubmanno* repetita, & *Jo. Lud. de la Cerda*, concinna esset, & per omnia congrueret; si *ridere parentes*, satis civiliter, pro *ridere ad parentes*, in Poeta purissimæ venustatis studioso exaudiretur. Cetera de deo deaque i. e. Genio & Junone pro diversitate sexus, recte se habent, Servianoque commento de Vulcano longe præferri debent. Staret autem hæc sententia, etiamsi cum *Bembo*, quem *Erythræus*

lib. 9. instit. orat. 3.
Miscell. 89.
Ind. v. Quin. 1.

Erythræus laudat, legeremus: *cui*, aut *quoi* aut *qui* pro quoi *non risere parentes.*

Potest ex iis, quæ dicta sunt, intelligi: Virgilium, nec inspiratu divino (quis enim auderet fingere?) nec Sibyllinis ex oraculis, eo modo quo Constantino & Christianis aliis visum est, hoc carmen de Christo Servatore mox venturo, cecinisse. Modus igitur adversus Ethnicos ratiocinandi mutatione aliqua opus haberet. Illud forte non intempestive potuisset illis ingeri: Ecce quæ Poetæ vestri canunt, aut nuper cecinerunt, de instauratione aliqua felicitatis publicæ, de novo beatoque sæculo, vos quidem ad Augustum vestrum trahitis: & esto, trahatis: Sed hæc philosophia altius erigere debet vestros animos, ut revera in cœlum oculos attollatis, & divina ab origine repetatis illa munera, quæ Augusteis temporibus contigerunt: id est ab illo rege, quem è cœlo venisse, natumque ex homine, ut homo idem ac Deus esset, profitemur ac monstramus. Hujus beneficio de Principibus vestris dici potest, quod ipsi proprium est & perpetuum. Retinete Poetæ vestri verba & spiritum: & cognoscite, quanto rectius & validius de Servatore nostro illa & ista dicantur. Et quandoquidem oraculis tantopere attenditis, quam pronum est credere, etiam vestra oracula, quibus Poetæ sua carmina adornant, hoc tempus, hunc Regem designasse, quem nos colimus? Robur aliquod accessisset huic orationi ex eo genere argumentandi, quo *Eusebius*, & ante eum *Justinus*, *Clemens Alexandrinus* & alii usi sunt: ex Sacris litteris, id est, ex fontibus Christianorum, præcipua secretioris philosophiæ ethnicæ momenta promanasse. Sed hæc hactenus: quæ doctorum & prudentium virorum judicio submittimus.

XII.

PHILONIS JOSEPHUS.

IN *Philonis Judæi* μονοβίβλοις extat etiam Βίος πολιτικοῦ, ὅπερ ἐστὶ περὶ Ἰωσήφ. Βίον πολιτικοῦ *vitam viri civilis*, inscripsit,

psit, sicut Βίον σοφοῦ τοῦ κατὰ διδασκαλίαν τελειωθέντος. & apud *Suidam*, περὶ βίου φιλοσόφου, rectius forte *de vita Philosophi*, quàm cum *Porto*, *de vita Philosophica*, reddideris. Quanquam & alterum genus loquendi apud *Philonem* occurrit: περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν. Unde & *Scholiastes Photii*, περὶ βίου πολιτικοῦ reddidit: *de vita politica*. *Eusebio* hic libellus, ὁ πολιτικὸς, exprimitur. Quod autem duplex illud loquendi genus, quantum ad rem ipsam attinet, eodem recidat, ex ipso Philone discimus, cum à principio libelli profitetur: se βίον πολιτικὸν scripturum, postquam tria illa vitæ genera, βίον τὸν ἐκ διδασκαλίας, τὸν αὐτομαθῆ, καὶ τὸν ἀσκητικὸν, totidem Patriarcharum nominibus, Abrahami, Isaaci, Jacobi, ut ipse putabat, significata, ante meditatus esset. Hic erat nimirum liber, *de tribus virtutibus*, ut *Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis*, sive, ut *Eusebius* exprimit, περὶ τῶν τριῶν ἀρετῶν, ἃς σὺν ἄλλαις ἀνέγραψε Μωυσῆς. Sed & ipse *Philo* sæpius *tres virtutes* vocat, φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν.

v. Φίλων.

ad Cod. 103.

2. Hist. Eccles. 18.

v. Βίον σοφοῦ f. de Abrah. p. edit. Paris. 357.

2. H. E. 18.

Consilium scriptoris est, non quemvis civem, & civilia officia omnis generis describere; sed virum administrationi reipublicæ adhibitum, tractandisque rebus civilibus natum aptumque, de exemplo Josephi interpretari: quales sunt, qui magistratus & imperia gerunt, negotiis pacis bellique præponuntur; ut & consiliarii, præfecti, administri. In quo genere hominum, etiam alias virtutis politicæ nomen eximie usurpari solet.

Genus scripturæ duplici ratione conficitur: primo enim historiam à Mose acceptam ἀνθρωπογραφικῶς, ornari & amplificari videmus; deinde post ῥητὴν διήγησιν, ἀλληγορικῶς, alias ad significationes transferri. In utroque genere multos *Philo* imitatores habuit, *Fl. Josephum* in primis. Qui non tantum in historia illo modo scribenda æmulum se adhibuit, ita tamen, ut *Philonem* hac parte præstare putemus: sed opus quoque allegoricum, θεωρίαν λίαν φιλόσοφον, sive meditatus est animo; sive, ne inferior hoc genere videretur, tantum promisit. In hoc fortasse non improbandus, quod historiam & allegoriam, seorsum

Joseph. proœm. antiq.

orsum tradendas existimavit. Ceterum, quod ad allegoriam attinet, arbitratur *Photius*, Philonis exemplo morem allegoriarum in Ecclesiam introductum esse: operâ præcipue, ut *Andreas Schottus* putat, *Origenis* & *Cyrilli Alexandrini*, in Græcis; inter Latinos, *Ambrosii*. Magnum hujus instituti abusum omnes norunt: acciditque & Philoni, ut τὰ πλεῖστα πρὸς ἀλληγορίαν τῦ γράμματος (*an?* πράγματος) ἐκβιαζόμενα, *pleraque ad aliam significationem à litera, detorta, aut vi quadam deflexa* videantur. Quanquam non pauci ultra audaciam Philonis provecti sint: cujus interim facundiam nemo æquavit. Ἀλληγορέμενα porrò Philonis, accipe, τροπολογέμενα. Nam ἀλληγορίαν, quæ ad Christum & Ecclesiam pertinet, frustra à Judæo expectes. Et ἀναγωγικὰ hinc exulare, vel index libri ostenderit.

Cod. 105. in schol. marg. Phot. l. c.

Partes libri facit *quatuor* Philo. *Prima* finitur venditione Josephi alterâ, in Ægypto factâ: *Secunda*, in carcerem Ægyptiacum desinit: *tertiam*, absolvit dignitas secundi à Rege gradus. Atque harum partium singulæ, servant rationem, quam diximus; ut historiæ expolitæ succedant τροπολογέμενα. At *quarta* pars, historiam tantum, & Josephi reliqua, etiam suprema, complectitur. Ut suspicari aliquis possit, defectum opus. Cum de suo proposito in ceteris prædixerit: ἐπεὶ δὲ πρόκειται, μετὰ τὴν ῥητὴν ἀπόδοσιν, καὶ τὴν προπικωτέραν ἐξετάζειν, λεκτέον ἃ χρὴ καὶ περὶ αὐτῆς. Certe non defuisse ei materiam, alia ejus scripta docent: in quibus occurrunt τροπολογέμενα ad hanc partem historiæ Josephi pertinentia. Nescio enim, an secretiore aliqua caussa Judæus motus videri possit, ut historia contentus esset.

1. Gen 37. 2. Gen. 39. 3. Gen. 40. & 41. 4. Gen. 41. & 42. usque ad finem voluminis.

I.

In partis primæ *historia*, odium fratrum ex amore Patris in Josephum, conceptum; & circa somnia simplici ac innocenti proposito patefacta ostensum; Patrisque partim correptione adversus Josephum, partim dissimulatione sententiæ de re ipsa; tum segregatione turbæ fraternæ coercitum exponitur. Mox, ut exarserit in parricidii conatum, cum missus à patre adventaret Josephus; ut desti-

destitutione in fovea, & subinde venditione, quam Ruben fratrum maximus, postquam rescivit, egregia oratione castigat, desævierit; ostenditur. Sequitur lamentatio Patris, commento necis à bestia illatæ decepti, gravissimis sententiis expressa: tum nova venditio in Ægypto, qua in domum Eunuchi cujusdam regii, ἀρχιμαγείρου seu culinæ præfecti, sit translatus Josephus. Nihil in his absurdum, aut Mosaicæ narrationi adversum: sicut in *Josepho* videmus: qui *somnium prius*, quod Josephus narravit, *à fratribus dissimulanter transmissum*; *posterius à Patre applaudente & quasi magna lubentia expositum*, refert. inde *decretum de occidendo Josepho, præmature jam tum factum*; tum *clandestinam fratrum abitionem, & hinc exortam patris solicitudinem*, pro lubitu fingit. *Rubelus* quoque apud ipsum *ligat Josephum, & sensim in puteum demittit*: cui longe rectius *Philo* salutationem amicam; sicut ceteris, hostilem in despoliando atque destituendo fratre operam tribuit. Quamquam in *Fl. Josepho* multo plura κριτικώτερον reprehendit *Salianus in annalibus Ecclesiasticis Vet. Test.*

ἀρχαιολ. 2, 2.

ad ann. mundi 2303. 2304. 2306.

In προπολογίᾳ ab initio statim præmissa erat ποιμενική, sive *ars pastoralis*, seu προαγωγὴ τοῦ ἐπιτροπεύσοντος τῆς πόλεως, *rudimentum tractaturi rempublicam.* ποιμενικὴ γὰρ, μελέτη καὶ προγύμνασμα βασιλείας τῷ μέλλοντι ἡμερωτάτης τῶν ἀνθρώπων ἐπιστατεῖν ἀγέλης, καθάπερ καὶ τοῖς πολεμικοῖς τὰς φύσεις, τὰ κυνηγέσια. *Pastoralis enim ars meditatio & praexercitamen est imperii, ei, qui mansuetissimo hominum gregi præfuturus est: sicut iis, quos ad bellum naturalis impetus rapit, consuetudo venandi.* Quam sententiam, hic quoque positam, *alibi* uberius exequitur.

Lib. 1. de vita Mos. pag. edit. Paris. 611.

Ex nomine *Josephi*, quod *augmentum aut additionem domini* interpretatur, repetit τὴν κατὰ δήμους πολιτείαν, sive *societatis civilis rationem. eo, quod mundus lege naturæ satis se tueatur; quod autem ad societatem civilem leges adjiciant, illud ἐν προσθήκης μέρει habendum, & ex avaritia, ac diffidentia hominum inter se repetendum esse.* Posset forte scribendi genus, & perpetua figuras veterum sequendi consuetudo, ultro defendi. Sed id non agimus. Civilem vitam sociali jure

& or-

& ordine distinctam inter ea esse scimus, quæ primævo jure naturæ constituta, ipsisque hominum mentibus inscripta sunt: duraturo inter homines pulcerrimo imperandi & parendi ordine; & discrimine operarum, munerum, ministeriorum, in commune, ut perfecta societas exigit, conferendorum, etiamsi humana natura viribus integra, sanctitate incorrupta mansisset. Et, quod *Philo* dicit, lege naturæ fugienda & expetenda, agenda & vitanda definiri, ita verum est, ut meminerimus, quotiens brevibus præceptis, sicut in Decalogo, jus naturæ concluditur, magnam tamen inesse summam. Itaque leges civiles, cum ea, quæ jure naturæ haud dubie continentur, sanciunt, non tam additamenta nova sunt juris naturæ, quam interpretationes ejus & explanationes. Esse autem in iis, quæ civitas sibi quæque constituit, quædam longius recedentia à ratione naturali, legis tamen nomen ex utilitate quadam, cui destinantur, adepta: facile concedimus Philoni. *τὰ δόξαντα συμφέρειν κοινῇ τοῖς ὁμογνώμοσιν ὁμίλοις, ταῦτα νόμους ἐπεφήμισαν.* Unde etiam, quæ est rerum humanarum imbecillitas, quædam leges iniquæ varias apud gentes notantur. Ut illa Macedonum, quam describit *Curtius*; de propinquis sontium damnandis: ut illa XII. Tabul. de corpore debitoris in partes secando apud *Quintilianum*, & *Gellium*. *Bodinus* adfert exemplum legis vestiariæ iniquæ, sub Carolo IX. in Gallia latæ. Nam indicem legum injustarum in jure civili Romano, imperite & incaute, ex mente Canonistarum consignare sibi visus est *Contzenius*. Meliori jure demonstratur ipsis Canonistis, ex confessione & testimonio Pontificiorum scriptorum, quod in jure Canonico reperiantur legi divinæ & naturali contraria, absurda, sibi invicem adversa, apud *Magnum Theologum Joh. Gerhardum*.

6. 11. 2.
instit. orat. 3. 8.
Noct. Att. 20. 1.
de rep. l. 6. cap 6.
Polit. lib. 5. c. 3. §. 4.
Confess. Cathol. lib. 1. part. 2. c. 14.

Vestis varia Josephi, ad varietatem negotiorum & consiliorum in vita civili, sive ad varias civilis prudentiæ rationes, accommodatur à *Philone*. *Ποικίλον γὰρ πολιτεία καὶ πολύτροπον, μυρίας ὅσας ἐνδεχομένη μεταβολὰς, προσώποις, πράγμασιν, αἰτίαις, προξένων ἰδιότησι, καιρῶν καὶ τόπων διαφοραῖς.*

Illud

Illud *προξένων ἰδιώτης*, *Latinus interpres*, *ad sequestrorum proprietates* retulit. nescio an bene. locus enim est obscurus, si modo sanus, quantum ad hoc membrum. De cetero suavissime eam varietatem *Philo* illustrat, exemplis sollennibus *gubernatoris*, *& medici*. Tractari solet hic locus, quotiens prudentiæ civilis alte constituta, & multis obsepta difficultatibus ratio, de qua plerique præterpropter occupati parum somniant, declaratur. Lipf. 4. Polit. 1.

Venditio Josephi transfertur ad servitutem eorum, qui in vita civili eminere videntur. Quam rem alii aliunde arcessunt; *Philo* ab ingenio vulgi, cujus judicio fere stant honores civiles. Vulgi oculis, auribus, animis serviendum est; non modo, si ambitiose petuntur aut geruntur honores, sed si constant animo recta & modesta consilia. Incidunt etiam mutationes in civitatibus, morumque pro temporibus varietates: ad quas animum attendat, seque componat vir civilis oportet. Quod ad *iteratam venditionem* Philo transtulit. Non equidem id dicitur, quod multitudinis judicium, sæpe nimium à vero discrepans, sequendum ubique sit: sed ut temperanter habeatur multitudo, natura ejus noscenda, in oculis habenda, arte tractanda est. Et hoc est, quod apud *Ciceronem* dicitur: *Vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, & qui judicant, & qui existimant.* Suaviter hoc argumentum *Grotius* exhibet in Sophompanea: Topic. 19. Act. 1.

- - - Inter ea, qua regiis
Parenda jussis, fulgor est, qualem exigit
Persona vita: qui micans oculos tenet
Animosque plebis: utor hoc ego, non fruor.
Quanto fluebat vita liberior mihi,
Cum corde vacuo sequerer investis puer
Ab Abrahami pecore demissum gregem? &c.

Quomodo autem vulgi voluntatibus non serviendum sit, postea docebit *Philo*.

Fabula de *fera*, quæ Josephum voraverit, ad insidiantem viris in dignitate civili constitutis immanem belluam, *κενοδοξίαν* sive *ambitionem* refertur. Feram dicit: ut

Serm. 163. *Evagrius* apud *Stobaeum*, *daemonem*, in illo: χαλεπὸν διαφυγεῖν τὸν τῆς κενοδοξίας δαίμονα. *Sallustius*, hoc loquendi genere

Orat. 2. de rep. ord. *avaritiam* designat: *Avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est*: & quæ sequuntur.

II.

In secunda parte occurrit in servitio Putiphræ demandata Josepho ἡ ἐπὶ τοῖς ὁμοδούλοις ἀρχὴ, καὶ συμπάσης τῆς οἰκίας ἐπιμέλεια, *in conservos imperium, & totius domus curatio.* Et sicut ante Philo, pastoralem artem ad rudimenta principatus relatam voluit: ita hic futuro reipublicæ administratori, præfecturam domus, rudimenti caussa obvenisse demonstrat: artisque domesticæ cum civili, domus denique cum civitate convenientiam asseverat. *Platonica* scilicet hæc sunt: τὸν αὐτὸν οἰκονομικόν τε εἶναι καὶ πολιτικόν, sicut ex *Platonis Politico* noscas licet. Videtur refutare *Aristoteles.* sed potest iniri ratio concordiæ: ad quam, viam præit *Joachimus Camerarius.* Sequuntur mulieris adulteræ illecebræ, invicti juvenis gravissima oratione (quæ *Fl. Josepho* in occasionem æmulandæ eloquentiæ placuit) repudiatæ. inde calumnia in insontem structa, & carcer. Colligit subinde *Philo* χαρακτῆρας πολιτικοῦ, quos hactenus sua γνωμοτυπίᾳ complexus erat, ποιμενικὸν, οἰκονομικὸν, καρτερικόν. quibus nunc adjungit τὸν ἐγκρατῆ: magnificaque commendatione *Temperantiæ* defungitur: non privatim modo utilissimæ, sed reipublicæ quoque ingentia commoda afferentis, εὐστάθειαν, εἰρήνην, καὶ τελείων κτῆσιν ἀγαθῶν καὶ ἀπόλαυσιν. Cum ex diverso intemperantia & illiciti amores ac muliebres illecebræ, omnia seditionibus, bello, calamitatibus miscuerint. magnamque Græci ac barbarici generis partem exhauserint.

1. Polit. 1. Explicat. ad Pol. Arist.

ἀρχαιολ. 2, 3

Emtorem Josephi *Eunuchum*, eundemque ἀρχιμάγειρον coquorum præfectum putans (quod etiam *Theodoreto*, τῷ ὁ, *Josepho*, aliisque placet; quamquam vox Hebræa rectius proceres aulicos notet; (ne opus sit quærere, quomodo Eunuchus uxorem habuerit) vulgi naturam, probantis quidem verbo, quæ recta sunt, diversa autem facientis; famamque potius & opinionem, quam conscientiam spectantis,

Quæst. in Gen. 98.

ctantis, declarat hac similitudine; & in longius producit. Unde & amorem Eunuchi in uxorem, vulgo comparat, libidinem animi in omnibus non rationem sequenti. Mox & coqui officium, ventri servientis, ad vulgus accommodat: cui futuræ utilitatis nulla cura, omne in præsentes voluptates studium. eaque occasione virum civilem medico à coqui propositis multum diverso comparat. Medicus enim commodis ægroti consulit, non libidini: ita leges, quique secundum leges rempubl. administrant, magistratus, senatores, judices in commune profutura meditati, *retinent* cives *ab stultitia, & falsis voluptatibus, neque præsens gaudium cum mox futuro malo concedunt.* Demagogicum autem est, *Si quis agro, qui curari se fortiter passus, extemplo convalescere possit, cibi gratia præsentis aut potionis, longinquum & forsan insanabilem morbum efficiat,* sicut apud *Livium* tribunis exprobrat Appius. Ceterum Philonis Politicum accedit libido populi, tanquam impudica mulier, eique persuadere cupit, ut libertate contumaci relicta, desideriis ejus obsequi, & perversam gratiam gratificari discat. Ille autem elegantissima gravitate, se libertatis memorem esse, & fore profitetur: in gerendo magistratu, non favoris alieni, sed suæ conscientiæ ac fidei, sine fuco & fallacia, rationem habere: hinc non periculo, non timore ullo dimoveri posse. In judicio, inquit, nil diviti propter potentiam, nil pauperi propter misericordiam, addam. non hominum sed causarum totus ero. In senatu, in iis quæ ad rem publicam pertinent, non nisi meo utar consilio, vel cum periculo offensionis. In concione etiam, non arroganti quidem insanaque, sed sobria libertate utar. Parentes castigant, medici urunt secantque, dum animi aut corporis saluti consultum cupiunt. Ego, ex quo totius civitatis commoda suscepi curanda, nulla spe metuque ad prodendas officii partes me adigi patiar. Verum ista viribus oratoriis exequitur Philo uberrimè: eventumque viro tam cordato eundem ostendit, qui Josephi continentiam excepit, odium atque inimicitias. Habemus ergo & illam viri civilis virtutem, *qua liberum, constantem,*

Sallust. orat. 1. de rep. ord.

lib. 5. cap. 1.

tem, utilitatum publicarum providum ac tenacem significat animum.

III.

In tertia parte historiæ ostendit Philo, quanta fuerit virtus Josephi, quæ & sociis captivitatis solatio, & præfecto custodiæ (quod genus hominum fere immitis animi esse consuevit) miraculo esset. *Ambrosius* ex Philone ista fere hausit : *Invenit Josephus hujusmodi gratiam, ut qui fuerat clausus in carcere, ipse potius carceris claustra servaret, cederet munere clavicularius, inclusos omnes in potestatem ejus committeret. Itaque Joseph non solum carcerem non sentiebat, sed etiam alios carceris levabat ærumna.* Efficiens nimirum, suis præceptis, & multo magis exemplo, ut de carcere redigeretur σωφρονιστήριον, sive domus disciplinæ, ut *Philo* vocat. Subinde somnia ἀρχιοινοχόῳ & ἀρχισιτοποιῷ longe felicius exprimit, quàm *Fl. Josephus*, cujus περιεργίαν, & à sacris fontibus discrepantiam, *Salianus* notavit : Sicut & in Pharaonis somniis. Ad quæ memorabili sententia Philo transit ; quando ait, ἀρχιοινοχόον oblitum esse conjectoris sui : ἴσως μὲν, ἐπειδὰν πᾶς ἀχάριστος ἀμνήμων ἐστὶν εὐεργετῶν· ἴσως δὲ καὶ κατὰ πρόνοιαν Θεοῦ βουληθέντος τὰς εὐπραγίας τῷ νεανίᾳ μὴ δι' ἀνθρώπου γενέσθαι μᾶλλον ἢ δι' ἑαυτοῦ. Nihil pote dici gravius. Consilium, quod Josephus Pharaoni dedit post interpretationem somnii, *Flavio Josepho* negligentius traditum, ambitiosius Philo exequitur : quintam partem frugum per annos fertiles oppidatim vicatimque reponendam illis locis, ubi natæ sunt, in usum hominum illic colentium ; neque excutiendas purgandasque fruges, sed in aristis cum calamo asservandas quatuor de caussis : primo ne excussæ citius capiant vitium ; deinde, ut singulis annis renovetur per novam trituram pristinæ copiæ memoria ; tertio, ne modus frumentorum cognoscatur, ac solicitudo futuri subeat ; denique, ut aristæ paleæque & purgamenta frugum jumentis quoque pabulum præbeant. Atque hanc curam demandandam esse viro sapientia præcellenti, & ad omnes probato, qui sine invidia & adversis rumoribus omnia conficiat, operamque det, etiam apud inquirentes caus-

lib. de Josepho c. 5.

Eleganter exprimit Grotius Sophompan. act. 1. chor. ἀρχαιολ. 2.3.

caussam novi instituti, ne quid multitudini de futura fame suboleat. Quæ postrema de dissimulanda fame præter Scripturæ S. mentem, & veri similitudinem, quasi ad declarandam sapientiam præfecti annonæ, Philo excogitavit, & *Josephus* secutus est. Adde ex fontibus Hebræis, plures sub Principe præfecto annonæ, σιτομέτρας sive σιτοδότας dispensatores. De cetero videbis, *Salianum*, qui explicatione accuratiori consilii Patriarchæ multum gloriatur, non parum *Philoni* debere. Veteres Theologi ad duo fere capita referunt. *Gregorius Nazianzenus* de Josepho: ἱκανὸς γὰρ ἤδει καὶ συναγαγεῖν καὶ σιτοδοτῆσαι καλῶς. Ut eventus factumque respondeat consilio scilicet. *Gen. 41. v. 47. & 48. & 56.* *Ambrosius* de utroque: *Quid primum mirer? Ingenium, quo in ipsum veritatis descendit cubile; an consilium, quo tam gravi atque diuturnæ prospexit necessitati? an vigilantiam, atque justitiam? quarum altera, imposito sibi tanto munere congregavit tam multiplices commeatus; altera æqualitatem per omnes servavit.* Dispensando videlicet. Æqualis laus, τοῦ ἀόκνως σιτολογήσαντος, &, τοῦ δικαίως σιτομετρήσαντος. Dignitatem, qua Josephus à Pharaone ornatus est, bene expressit *Philo*: Ἴθι δὴ καὶ παραλάμβανε τήν τ᾽ ἐπιμέλειαν τῆς ἐμῆς οἰκίας, καὶ τὴν Αἰγύπτου πάσης ἐπιτροπείαν. plane ad παραλληλισμὸν *Mosis & Davidis*. Minus accurate *Eusebius in Chron.* οὗτος (Φαραὼ) κατέστησε τὸν Ἰωσὴφ κύριον αἰγύπτου πάσης τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Apud *Suidam*: ἄρχων τῆς Αἰγύπτου καθίσταται. *Artapanus* apud *Eusebium* διοικητὴν τῆς ὅλης χώρας factum ait. Adjicitur à Philone ἐξήγησις dignitatis Josephi: tum insignia, σφραγὶς βασιλική, ἱερὰ ἐσθὴς (Josephus πορφύραν vocat) κύκλος χρυσοῦς περιδέραιος, quem *Josephus* omittit. Inde currum à regio secundum *Philo* memorat, & præconis vocem, qua significata sit χειροτονία sive creatio novi magistratus. Prætermissa altera illa voce, incertum an Ægyptia, de qua tot interpretum sententiæ. *Josephus*, nihil præterquam curru circumvectum, ait. Nomen Josepho inditum Saphnath pahanea (Sophompaneas) *Philo* lingua Ægyptia ἀπὸ τῆς ὀνειροκριτικῆς sive à *somniorum interpretatione* deductum existimat. Consonat παραφράστως ritu *Theodoretus*: τῶν ἀπορρήτων ἑρμηνευ-

tom. 1. orat. 15. p. 237.

lib. 2. offic. 16.

Gen. 4. v. 40. & 41.

Gen. 45. v. 8.

Ps. 104. v. 21.

Præp Evang. lib. 9. c. 23.

rectius. βύσσον.

ἑρμηνευτὴν αὐτὸν κέκληκεν, ὡς τοὺς ὀνείρους διασαφήσαντα. *Septuaginta*, efferunt ψονθομφανήχ. *Josephus*: καὶ προσηγόρευσεν αὐτὸν, ψονθομφάνηχον, ἀπιδὼν αὐτοῦ πρὸς τὸ παράδοξον τῆς συνέσεως. σημαίνει γὰρ τὸ ὄνομα κρυπτῶν εὑρετήν. Nec Rabbinicæ glossæ multum abeunt. Sed *Hieronymus* putat ipsos in hac voce interpretanda respicere Hebræam originem: verius autem Ægyptium vocabulum notare *Salvatorem mundi.* Quod quale sit, apud ignaros linguæ obsoletæ dijudicari nequit. Ex *Josepho*, quem describit, corrigendum puto *Zonaræ* ποθομφάνηχον. *Theodoretus*, τοῖς ό sequi solitus ψομιθὸμ φαμνὲχ legit. Matrimonium sequitur cum Aseneth, Sacerdotis Heliopolitani filia, ut *Philo*, *Iosephus*, & qui eos sequuntur, putant: forte rectius, *Præsidis Heliopolitani*: ut *Onkelos* habet. Clauditur hæc pars historiæ gravissima ἐπικρίσει de fatis piorum, & mira fortunæ commutatione, quæ ex servo dominum; ex commentariensis vicario, Regis vicarium; ex despectissimo honoratissimum, nec opinato fecit. Facta hæc sunt, quæ fieri posse nemo putasset, & fient sæpius, DEO volente, ubi insitos animo virtutis igniculos nobilis occasio in flammam egerit.

In Genes. q. 102.

Sixtin. Amama Antibarb. Bibl. lib. 2. pag. 274.

tom. 1. p. 17.

In τροπολογίᾳ hujus partis, hunc locum, ὅτι ὁ πολιτικὸς πάντως ὀνειροκριτικός ἐστιν, *quod vir civilis omninò somniorum sit interpres*, mirifice tractando illustrat. id est, naturam & rationem *prudentiæ civilis*, pulcerrima sub imagine exequitur. Sicut autem multum differunt conjectores illi vani & fallaces, qui nocturna visa & credulitatem hominum quæstui habent (cujus generis ludibria supersunt in *Artemidori*, *Astrampsychi*, *Achmetis* ὀνειροκριτικοῖς) ab interpretatione somniorum, qua Josephus usus est: ita viro vere prudente ac civilium rerum perito, multum interest circulator & speculationibus quibusdam suis deditus somniator, qui nec sibi somnum, nec aliis tenebras discutere potest. Nimirum somnium, cujus conjector est vir civilis, vita humana est. ὁ δὲ ὄνειρος οὗτος, ὁ τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ βίος. videntur agere, non agunt: captant fugientia, prehendunt avolantia: in tempore, tempus quæritur. in corpore, forma

ſorma præterit; ſanitas infirmatur; vires expugnantur; ſenſus corrumpuntur. Magnæ opes unius ſæpe diei ſpolium fiunt. honores ſummi ignominia mutantur. maximorum regum imperia per levi momento evertuntur. Dionyſius, Crœſus, & quid ſingulos numeramus? totæ nationes, populi, civitates, inſulæ, quaqua patet orbis, fortunæ vertenti ludibrio fuere. *Omnis potentia ſeculi ſomnium, non veritas eſt.* ſic inquit & explicat *Ambroſius.* Diverſa & contraria expectatis, hinc damna ſperantibus, inde commoda metuentibus obveniunt. δεινὴ δ' ἀσάφεια καὶ πολὺ σκότος κατακέχυται τῶν πραγμάτων. ὡς δ' ἐν βαθεῖ ὕπνῳ πλαζόμεθα, μηδὲν ἐμπεριελθεῖν ἀκριβείᾳ λογισμοῦ δυνάμενοι, μηδ' εὐλόγως καὶ παγίως ἐπιδράξασθαί τινος. σκιαῖς γὰρ ἔοικε καὶ φάσμασι. Inter hæc con[illegible] & abſtruſa, vir civilis, ſomniantium de die erroribus medetur, eorumve, qui vigilare ſibi videntur, ſomnia interpretatur prudentia, cui vis eloquentiæ adjungitur. Duo enim ejus officia deſignantur: διακρίνειν εἰκόσι στοχασμοῖς καὶ εὐλόγοις πιθανότησι περὶ ἑκάστου διδάσκειν. *dijudicare ſingula ſollertibus conjecturis, & oratione ad perſuadendum accommodata docere*: hoc honeſtum, illud turpe eſt; hoc bonum, illud malum; juſtum hoc, illud injuſtum; & ſic in reliquis: id prudens, forte, pium, ſanctum, utile, conducibile; illa his contraria ſunt. Hoc alienum: ne concupiſce. illud tuum: ne abutere. Es in re lauta? impartire. eges? ne invide divitibus. Honoribus, ne effer; in humilitate, ne deſponde animum. in ſucceſſu rerum, alteram ſortem metue: in offenſionibus crebris, ſpera & bono animo eſto. Cœleſtia ſibi conſtant, perpetuoque vigore, quaſi vigilant: terreſtria hæc, inſtabiles inter vices, ubi excitaveris, in ſomnum relabi videas, effuſaque caligine, inſomniis agitari. Egregium prudentiæ ſpecimen, hæc viri civilis oratio. Qui quia in dignitate conſtitutus & magiſtratu hîc ſpectatur, ἐπὶ τὸ δευτερεῖον τῶν βασιλικῶν ἁρμάτων ἀναβαίνειν λέγεται, *currum à regio ſecundum inſcendere*, συμβολικῶς dicitur. Sublimem eum vehunt, fama populi, & ſucceſſuum auctoritas. *Inſigne anuli*, pignus fidei, inter populum rerum dominum, & virum civilem

de Joſeph. c. 6.

civilem mutuæ, haud obſcure ſignificat. *Torque*, vel ſpectatur vir civilis, vel trahitur. Ibi, honor; hic, onus; ibi ornamentum in proſperis, hic vinculum in adverſis intelligitur. His aliam τροπολογίαν ſubjicit Philo, de intellectu principe, & procuratoribus tribus circa cibos, potus, cupedias occupatis; inventum ſcilicet, τῶν τροπικώτερον τὸν τόπον ἀκριβούντων, *eorum, qui magis figurate hunc locum exequuntur*, id eſt, ut arbitramur, περιεργαζομένων.

IV.

Quartam hiſtoriæ partem incipit Philo ab itinere *ſeu* περιηγήσεως Joſephi per Ægyptum, ut noſceret & noſceretur: ejusque in omnes officia & humanitatem, tum τὰς περὶ τὴν ὄψιν τε καὶ τὴν ἄλλην ὁμιλίαν ἀλέκτους καὶ ἐξαιρέτους χάριτας, *incredibilem vultus & moris in omni convictu gratiam* deprædicat. In ἐπταετίᾳ τῆς εὐθηνίας ſequitur quintæ partis frugum collectio. an ut tributum ordinarium id frumenti pendebatur? non puto. inuſitatum enim aliquid, non in aſſervando tantum, ſed in congregando, nec ſola fertilitate æſtimandum, videmus deſcribi. Famem longe lateque per nationes & populos graſſantem, ad δεινότητα Scripturæ S. exigit Philo. Fratres inde frumenti emendi cauſſa advectos cognitosque, ignoratus ipſe Joſephus, ſuſpicione onerat inſtantius, quam dum diſcutere laborant, in anteactorum memoriam redeunt, Deumque ſuo in fratrem, quem ignorantes nunc adoraverant, facinori iratum exhorreſcunt. Sed Joſephus, utut exundante animo caritate mollitus, fratris tamen uterini fata accuratius inquiſiturus, ſeveriorem perſonam iterum aſſumit: neque purgatos ſibi eſſe fratres, reſpondet, niſi minimum natu fratrem, quem domi apud patrem relictum dixerant, ſecum adducerent. Cujus rei cauſſa obſes futurus, Simeon vinculis conſtringitur. Cur hic potiſſimum, fratrum ætate ſecundus, non autem natu maximus? Reſpondet *Theodoretus*: *quia Rubelum natu maximum, fratrum facinori ſumma ope adverſantem, non juverat Simeon. Philo* conjectura fortius uſus, hunc nefariæ in Joſephum conſpirationis auctorem & extimulatorem fuiſſe, eo colligit, quod vix admitti

v. Gen. 47. 26.

Q. in Gen. 103.

admitti potuisse tantum scelus videatur, si cum fratre natu maximo, proximus ipse, ut annis sic auctoritate, meliora potius suadere, quam deterioribus facem subjicere voluisset. Quem locum, ut multa Philonis alia, erudita imitatione expressit *Isidorus Pelusiota*, qui & ipse τῶν τὴν τραγῳδίαν ἐκείνην κατὰ Ἰωσὴφ δραματουργησάντων κορυφαιότατον Epist. III. 115. putat Simeonem, & ita prosequitur: εἰ γὰρ ἐφράξατο μετὰ τοῦ πρεσβυτάτου, τοῦ γνώμην ἀρίστην εἰσηγησαμένου, ἴσως ἂν καὶ τὴν ἐπιβουλὴν ἀνέτρεψεν. ἐκείνου μὲν γὰρ νεώτερος ἦν, δεύτερος ὢν καθ᾽ ἡλικίαν, τῶν δ᾽ ἄλλων πρεσβύτερος. καὶ εἰκὸς ἦν, καὶ τοὺς ἄλλους ἢ φοβηθέντας ἢ δυσωπηθέντας τὴν τῶν πρεσβυτάτων γνώμην, σβέσαι τὴν ἐπιβουλὴν, καὶ μάλιστα καὶ τοῦ τετάρτου ἀγανακτοῦντος ἐπὶ τοῖς γινομένοις, καὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἔχοντος πολλὴν ῥοπὴν πρὸς τὸ μὴ πραχθῆναι, ἐπεὶ τοίνυν οὐδὲ ῥῆξαι φωνὴν ὑπὲρ τοῦ δικαίου ἐτόλμησεν, ἐκέλευσεν αὐτὸν δεθῆναι. Cæteri remissi domum, & frumentum (additis itineri necessariis cibariis) & pecuniam retulerunt. Cumque unus in via aperto sacco reperisset argentum, territi sunt omnes, &, quod *Philo* interpretationis caussa adjicit, insidias rati, festinato cursu iter peregerunt. Reditum ad patrem, & narrationem de captivitate Simeonis, ac profectione Benjaminis, patris mœrorem, qui ex Aristot. sibi videbatur quasi membratim perire (μέρη γὰρ τέκνα γονέων) 5. Eth. 10. Rubeli & Judæ fide jubentium de reditu Benjaminis orationes, in compendium cogit *Philo*, quasi idem in tempus congruentia. quæ historia sacra intervallo temporis, & repetita consultatione distinguit. Quod & *Fl. Iosephus* serva- ἀρχαιολ. vit, qui de cetero *Iudæ* ad patrem *orationem*, longe vehe- 2, 3. mentiorem exhibet, quam reverentia patri debita permittit, aut res postulat. ἦθος quoque Judæ tribuit, incautius & citra probabilem caussam vocans τολμηρὸν τὴν φύσιν ἄνδρα, indeque παῤῥησίαν acriorem deducens. Rectius fecisset, si *Philonem* secutus esset presso pede, qui postea Ju- p. 558. dam χαρακτηρίζει. τολμητὴν μετ᾽ αἰδοῦς καὶ θαῤῥαλέον, παῤῥησίαν τὴν ἄνευ ἀναισχυντίας ἐπιτετηδευκότα. Id enim ex Mosaicis verbis facilius colligas, quam impudentiæ cujusdam notam. Assensum Jacobi bona ἐξηγήσει honestavit *Philo*: εἰ τῆς ἐμῆς βουλήσεως ἐπικρατέστερα τὰ τῆς ἀνάγκης ἐστὶν, εἰκτέον. ἴσως

γὰρ ἴσως ἡ φύσις οἰκοδομεῖ τι βέλτιον, ὃ μήπω ταῖς διανοίαις ἡμῶν παραφαίνειν ἀξιοῖ. *ἡ φύσις* hoc loco, providentiam, & fatorum ordinem notat. Dona Præsidi Ægypti ferenda adduntur, tribus, ut *Philo* autumat, causis: ad parandam *τοῦ ἡγεμόνος* ejusdemque *σιτάρχου* gratiam; ad libertatem detenti fratris eo facilius procurandam; ad extinguendam, veluti de exploratoribus, motam suspicionem. In precationibus patris, quibus abeuntes prosecutus est, Scripturam S. *κατὰ πόδα* sequitur; nisi quod pro gratia præsidis, incolarum benevolentiam exprimit: *ἵνα εὐάρεστοι τοῖς ἐγχωρίοις ξενιτεύοντες ὦτε.* Altera ergo vice in Ægyptum reversos lubenter conspicatus fratres Josephus, dispensatorem suum convivium apparare jubet, & introducere fratres *ἁλῶν καὶ τραπέζης μεθέξοντας*, quod genus loquendi etiam postea hospitalis mensæ sacra notat. Salem, *Homero* etiam *θεῖον* dictum, præter alia, quæ *Plutarchus* disquirit, hospitii in primis sanctimonia consecravit. Hæc dum geruntur, invitati hospites apud dispensatorem excusant, pecunias in saccis repertas: easque retulisse, ostendunt. Illum autem respondisse ait *Fl. Iosephus*: *μηδὲ τοιοῦν εἰδέναι sibi de hac re nihil constare.* Non bene, sicut nec *Vulgatus* interpres (cum reddit: *pecuniam quam dedistis mihi probatam ego habeo*) diligentiam Mosis attingit, apud quem est, citra dubitationem de veritate sermonis: *pecunia vestra pervenit ad me.* *Philo*, prætermissa hac sermonis parte, reliqua facunde interpretatur: *οὐδεὶς ἀσεβής ἐστιν οὕτως, ὡς τὰς τοῦ Θεοῦ χάριτας συκοφαντεῖν, ὅς ἵλεως εἴη. θησαυροὺς γὰρ ἐν τοῖς ὑμετέροις ὤμβρησεν ἀγγείοις, οὐ μόνον τροφὰς, ἀλλὰ καὶ πλοῦτον ἐξ ἑτοίμου διδούς.* In convivio ordinem discumbendi secundum ætatem hospitum servari *Iosephus* voluit. *Fl. Iosephus*: *κατακλίνοντας οὕτως ὡς καὶ παρὰ τῷ πατρί.* At *Philo* περιέργως, sedendi vocabulum arripiens, nondum fuisse usitatum censet, ut homines *κατακλίσει* uterentur *ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις.* mirumque fuisse visum Hebræis, ait, quod Ægyptii morem eundem circa discrimina ætatum observarent, quem ipsi, rursus, Præsidis unius id ingenio tribuisse, qui non secus in minoribus hisce rebus, quam in majoris momenti negotiis

Sympos. 6. 10.

gotiis ἐυταξίαν amaret & coleret. Addit de frugalitate convivii ad tempus potius, quam luxum accommodati; & comitate potius quam apparatu constantis. Revertentibus ex Ægypto habitum animi tribuit, lætitia & spe exultantis: ob comitatem prolixam Præsidis, omniaque supra votum gesta; ob integratum numerum turbæ fraternæ; ob crimen depulsum; ob paratam etiam in posterum frumentationem. Scilicet ut conspectior esset ἐπίτασις sive motus & periculum ex inopinato superveniens: quando Josephus explorare penitius cupiens, quomodo erga Benjaminem animati essent fratres, crimine scyphi furto subducti eos perculit, ac dispensatorem immisit. In ejus criminatione, appellatur scyphus, ᾧ πίνειν ἔθος εἶχεν αὐτὸς, *ex quo ipse solebat bibere Josephus*: aut, ut mox loquitur, ἐν ᾧ προπόσεις προὔπινεν ὑμῖν, *ex quo vobis propinabat. Fl. Josephus*: ᾧ πίνων ἔχαιρε, *ex quo libenter bibebat.* Sed plus difficultatis habent verba sequentia Sacri Codicis, *Philoni & Josepho* prætermissa, quæ οἱ ὁ reddiderunt: οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ, *augurio auguratur in eo.* quod *Theodoretus* putat ad figuram augendæ rei pertinere. Præstat autem Hebræos fontes adire, ubi *Simeon de Muis* ex mente *R. Bechai* vertit: *nonne hic est calix, in quo bibit Dominus meus? & ipse augurando auguratus est de eo.* q. d. Herus meus divinavit, vos esse, qui furto abstulistis calicem: vel pro eximia divinandi, qua pollet, scientia (quod potius acceperim) vel consultis auguribus, ut *Rabbinorum* aliqui censent. Ex multis interpretationibus, minus periculosa hæc videtur. Quæ porrò de superstitione auguriorum & hariolationum dubitantur, multum minuentur, si cogitemus, non Hebræum, sed Ægyptium esse, qui loquitur; tum, Hebræam vocem non tam auguriorum ritus, quam explorandi diligentiam notare. Sententiam, quam contra se ipsi dixerunt, oblata inquisitionis conditione, fratres Josephi, procurator ejusdem duplici ratione mitigat. Cum enim ad capitis supplicium obtulissent eum, in cujus sacco repertus esset scyphus, ille in servitutem tantum deposcit: reliquos autem, qui servituti se obtulerant omnes, unius ob no-

Theodoret. Q. in Gen. 106.

Q. in Gen. 105.

v. Sim. de Muis in tom. 2. p. 27. ad Gen. 44. 5.

xam, si deprehenderetur, indemnes jubet esse. Quin autem perturbatorum ille sermo fuerit, dubitari nequit. *Philo* tamen veluti deliberatæ legis (ὃς δ' ἂν ἔχων ἁλῷ τὸ ἔκπωμα τῶν ἀδελφῶν, θνησκέτω) caussas solicite reddit: primo, quia magnum in avaritia & alieni cupiditate facinus; deinde, quia bene meritis nocere velle, impium; denique quia demissum ab illustribus majoribus genus factis turpibus fœdare, in præcipuis probris habendum. In transitu hic notanda est κρίσις temeraria *Saliani (ad an. 2328.) Fl. Iosephum* carpentis, quod Benjaminem reductum, *in carcerem contrusum* dicat. At bonus censor Latinam interpretationem inspexit, non Græca scriptoris verba, quæ nihil aliud dicunt, quam Josephum vidisse τὸν μὲν ἐν φυλακῇ, τοὺς δὲ πενθίμοις σχήμασι, *Benjaminem quidem vinctum adduci, reliquos autem lugentium habitu astare.* Orationem Judæ, φιλάδελφον ἔννοιαν ἀπὸ γνησίου πάθους demonstrantis, *Philo* egregia S. historiæ παραφράσει expressit, & perorationem aptissimam addidit. *Fl. Iosephus* autem, quam posuit orationem, ea *Saliano & DelRio* frigida videtur. Nos nominatim, excusari non posse putamus, quod per totam orationem, supplicium mortis, nec pro Benjamine, sed pro omnibus fratribus deprecatur. quem metum bis jam demserat historia. Absurde igitur quodammodo auditur illud: *iræ moderandum, ne dediti ad servitutem ultro occidantur.* Unde subfrigide inducitur alterum σχῆμα: *nisi pater, amisso Iosepho, quam esset miserum orbari filiis, nobis demonstrasset, non tantopere de salute nostra laborarem.* Plane autem φορτικὸν videtur, quod in fine orationis positum est: *se commorituros fratri, supplicio; nisi vitam impetrent ei & libertatem. id enim satius esse, quam si mœrore supplicii fraterni violentas ipsi sibi manus afferant.* Ad agnitionem & lætissimam catastrophen memorabili transitu pervenit Philo, repetitis, quotquot Josephus adhibuerat hactenus artibus, ut cognosceret, quo animo in Benjaminem fratrem uterinum essent reliqui, & an maternum genus domestica invidia conflictaretur. In agnitione ipsa, cum Josephus propius accedere fratres jussit, non ea est caussa, quam Philo affert: ἵνα μηδ' ἐκ τύχης ἐπακούσαι

κινῦσαί τις ἄλλος δυνηθῇ, ſed familiaritas in amplexum mox invitaturi. Non enim adeo ſubmiſſa voce hæc geſta eſſe, indicio eſt, quod flentem audivere Ægyptii. Orationem Joſepho fratres alloquenti iterum meliorem *Philo*, quam *Fl. Ioſephus* tribuit: neuter tamen majeſtatem Sanctiſſimi Codicis aſſecutus eſt. Minus atrocem interim, quam *Salianus* voluit, meretur cenſuram *Flavius*: niſi quis diſputandi occaſionem quærat in deſcribenda divini numinis occupatione, optimum eventum ex peſſimo facto elicientis. Finem agnitionis coronat *Philo*, virtutum Joſephi laudatione, inducens fratres mirantes *τὸ ἀμνησίκακον, placabilitatem animi, & injuriarum oblivionem; τὸ φιλοίκειον, caritatem in ſuos; τὴν σύνεσιν, prudentiam, τὴν ὑπερβάλλουσαν μετ' αἰδοῦς καρτερίαν, ſingularem & mixtiſſimam pudore patientiam.* cujus argumenta afferebantur, quod injurias ſuorum, & calamitates ſuas nec in carcere, nec in dignatione, ad quam evectus erat, ulla ex cauſſa detexit. Laudandus eſt iterum imitator hujus loci *Iſidorus Peluſiota*: *ὦ τῆς (ἀρετῆς) καὶ εἰς ἀνάγκην ἐμπεσούσης διηγήσασθαι τὰ καθ' ἑαυτὴν, καὶ ἐρυθριασάσης τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, ἵνα μὴ δόξῃ στέφανον σωφροσύνης ἑαυτῇ πλέξαι.* ubi præſertim etiam illecebras adulteræ, ſilentio deinde tranſmiſſas ſpectat. *Philo* autem pergit in virtutibus Joſephi commemorare *ἰσότητα æquabilis animi moderationem; δεξιότητα in tractandis negotiis induſtriam; τὸ ἀνεπίφαντον καὶ ἀτραγῴδητον, quietam & à faſtu ac oſtentationis pompa remotam agendi conſuetudinem.* Quæ læti inſperato rei exitu & tot beneficiis fratres, inter gratulationes, demirabantur. Gaudium Regis & aulæ, ob nuntium de familia Joſephi agnita, jucunde ſignat *Philo*, *tantum fuiſſe* inquiens, *ὥσπερ εὐφόρησεν ἡ πεδιὰς, καὶ ὁ λιμὸς εἰς εὐθηνίαν μετέβαλε, tanquam ſi agri proventu exuberaſſent, famesque copia mutata eſſet.* Prolixæ voluntatis mandata & promiſſa, quibus Rex deducendæ in Ægyptum familiæ Joſephi uſus erat, feſtinantius attingit *Philo*, & ſubinde, præter Scripturæ S. mentem, puto, fingit metum Jacobi, de ſuperſtitionibus Ægyptiis, & periculo corruptionis Joſepho filio, ætate florenti, propoſito: ut rationem inveniret ejus, quod dixit

Ep. IV, 78.

Gen. 46. 3.

dixit DEus Jacobo: *ne time deſcendere in Ægyptum.* Ex quibus verbis, ut obortas in animo Patriarchæ varias curas, non abſurde collegeris; ita illuc potius te deduxerit ratio, ut credas Jacobum anxium fuiſſe de termino demigrationis; qui Palæſtinam ſibi poſteriſque non Ægyptum promiſſam ſciret. Jacobus in Ægyptum advectus, quomodo à Joſepho filio, ipſoque Rege exceptus ſit, quemque ad habitandum locum acceperit, pauciſſimis, velut in tranſcurſu perſtringit *Philo.* Ut & ſequentia; de quibus nihil aliud, quam *fidem & abſtinentiam* Joſephi prædicat: qui cumulandarum opum tot occaſionibus incorruptus, nihil in ſuam domum, omnia autem in ærarium regium intulerit, contentus liberalitate Regis ſui. Tum paternam ejus benevolentiam ac providentiam, in ſublevanda non Ægypti modo, ſed reliquarum etiam terrarum fame, dilaudat: cujus pars in eo conſtituitur, quod ſeptimo famis anno frumentum ad ſementem diviſerit. At in Scriptura ſacra ardua explicatu pars deſcribitur: de pecoribus & poſſeſſionibus agriſque Ægypti in Regiam ditionem redactis; poſtquam pecunia ad emendum frumentum defecerat: tum, de tributo, quo quinta pars proventuum

Q. in Gen. 107.

annuorum Regi vindicabatur. *Theodoretus* putat, *reddita eſſe pecora agroſque poſſeſſoribus*, vi hujus inſtituti de quintis

lib. 2. ep. 7.

partibus proventuum. *Ambroſius: quomodo ſervus* (Joſephus) *qui totam terram acquiſivit, & univerſum populum Ægyptiorum in ſervitutem redegit? Non ut conditionem ſervitii ignobilis irrogaret, ſed ut tributum conſtitueret. Præter poſſeſſionem tamen ſacerdotalem, quam à tributis immunem reſervavit, ut apud Ægyptios quoque inviolabilis haberetur religio ſacerdotalis.* In qua immunitate ſacerdotum præcipuam dubitationem tollit ipſa Scriptura, quæ non à Joſephi benignitate in hoc profanarum religionum genus, ſed à privilegio Regio, adeoque pristini moris neceſſitate rem arceſſit. Unde *Theodoretus* de

v. Diodor. Sicul. lib. 1. p. 66.

more Ægyptiorum: *τοσοῦτον οἱ δυσσεβεῖς τοῖς οὐκ οὖσι θεοῖς ἀπένεμον σέβας.* niſi quis vocem Hebræam non de ſacerdotibus, ſed de præſidibus, & miniſtris Regiis velit accipere. Ceterum, quin agri Ægyptii ab hoc facto non fuerint poſ-

ſeſſorum

ſeſſorum proprii, ſed ad uſumfructum à Rege conceſſi, etiam illud dubitationem eximit, quod priſtinas ſedes mutare juſſi ſunt incolæ. quæ demigratio de mutata conditione eos admonuit. Ex illa autem migratione, aſſignatisque novis limitibus, ſumta ſunt, arbitror, illa *Artapani* apud *Euſebium*: πρότερον ἀτάκτως τῶν αἰγυπτίων γεωμετρούντων, διὰ τὸ τὴν χώραν ἀδιαίρετον εἶναι, καὶ τῶν ἐλασσόνων ὑπὸ τῶν κρειττόνων ἀδικουμένων, τοῦτον πρῶτον τήν τε γῆν διελεῖν καὶ ὅρους διασημήνασθαι, καὶ τὴν πολλὴν χερσευομένην γεωργήσιμον ἀποτελέσαι. καί τινας τῶν ἀρουρῶν τοῖς ἱερεῦσιν ἀποκληρῶσαι. τοῦτον δὲ καὶ μέτρα εὑρεῖν. κτλ. *Cum Ægyptii antea absque ordine agrum colerent poßiderentque, eo quod regio parum diſtincta in partes eſſet, & humiliores à potentioribus premerentur, hunc* (Joſephum) *primum & terram diviſiſſe, & limites deſignaſſe, atque in multis locis ab incultu & ſqualore ad culturam tranſtuliſſe: tum quadam arva ſacerdotibus ſorte attribuiſſe. Hunc & menſuras reperiſſe.* & quæ ſequuntur. Quin *Ægyptiis* Geometriæ inventio tribuitur, ἐκ παλαιῶν ἔτι καὶ ἀπὸ θεῶν. ut eſt apud *Iamblichum de vit. Pythag. lib. 1. cap. 29.* & *Proclum in ſecundo ad Euclidem.* Geometria, inquam, ἐκ τῆς τῶν χωρίων ἀναμετρήσεως λαβοῦσα τὴν γένεσιν. Adduntur cauſſæ limitum confuſorum, ex Nili incrementis. Sed origo non ſine ratione ad Joſephi *hiſtoriam cum Artapano* referri poteſt. *Diodorus Siculus* terram Ægypti univerſam tribus partibus diviſam fuiſſe refert; quarum *una Regi*, εἰς προσόδους, *altera Sacerdotibus*; *tertia militibus cedat.* In quibus aliqua veræ antiquitatis veſtigia agnoſcas. Sed redeundum eſt ad Philonem, qui, poſt mortem Jacobi, fratres oratione Joſephi egregia, de fida & ſincera gratia certiores redditos commemorat: ipſumque Joſephum mortuum laudatione brevi (ad finem enim omnia feſtinant) proſequitur; repetitis nominatim virtutibus, *prudentia, quam perpetua in rebus inæqualibus & inconſtantibus æqualitas, tum rerum diſſociabilium contemperatio abunde oſtendit*; *ſolertia & ſagacitate, quam ſuada ſingularis, bonusque in re mala animus & ſermo comitabatur*; *dignitate formæ.* quibus ille tum ingenii dotibus, tum animi artibus, ut in ſervitute liber, in calamitate felix, in honoribus ſummis carus

Gen. 47. 21. v. Fl. Joſeph. 2. 4. Præp. Ev. lib. 9. c. 23.

p. 119.

lib. 1. p. 66.

carus & venerandus eſſet omnibus, effecerat. Non eſt autem dubitandum, quin virtutes Joſephi non ſingillatim modo expreſſas, ſed facunde dilaudatas *Philonis hic liber* exhibuerit. ut non injuria mirari queas, quomodo à *Saliano* accuſetur; *quod omiſerit continentiam, placabilitatem, pietatem in DEUM, caritatem in fratres, moderationem animi ac demiſsionem, patientiam.* nam *de prophetiæ dono & ſimilitudine cum Chriſto*, non mirum eſt, ſi Judæus non ſatis perſpicax fuit. quamquam *prophetam* ſatis ſignant illa. ὃς ἔχει πνεῦμα θεοῦ ἐν ἑαυτῷ. Et: εἰ γὰρ ἄνευ θεοῦ ταῦτα μοι ἀποφθέγγεσθαι δοκεῖς. Laudationi Philonis adde *Iſidori Peluſiotæ Epiſtolas* inſignes: quarum una, quod omni virtute ornatus fuerit Joſephus (ποίας γὰρ ἀρετῆς οὐκ ἐστέφθη;) decurrens ſummatim τὰ τοῦ βίου, oſtendit: *altera*, ὅπως ἡ ἀρετὴ ἀρχικόν ἐστι χρῆμα, κἂν ὁ ταύτης ἀσκητὴς εἰς δουλείαν περιπέσῃ, exemplo vitæ Joſephi elegantiſſime demonſtrat. Nam *Ambroſii liber de Ioſepho* ἀλληγορίαν, & typum Chriſti unice ſpectat.

A. E. ad an. m. 2599. §. 9. & ſeq.

Lib. II. ep. 49.

Lib. IV. ep. 78.

Hiſtoriam tanti viri in fabulam vertére, qui originis ſuæ contemtores & ignari, aure parum fida antiquitatis memorias hauſerunt. Hinc *Sarapidis* aut *Serapidis* Dei Ægyptii vocabulo, bovis ſymbolo culti, *Ioſephum* ſignari apud *Suidam*, & alios, traditur: & interpretatione diligenti oſtenditur à *Gerardo Ioanne Voßio*, *Theolog. Gentil. lib. 1. cap. 29.* Nam Σάραπιν, περσικὸν χιτῶνα μεσόλευκον apud *Heſychium* ad *variam Ioſephi tunicam* comparare nolim.

v. σάραπις. Lud. Viv. ad Auguſtin. de C. D. 18. 5.

Verum hæc hactenus de Philonis Joſepho attigimus, μάλα χαίροντες τοῖς περὶ τοῦ Ἰωσὴφ διηγήμασιν. Longe equidem impari calamo (quid enim aliud quam ſigna quædam & notas attulimus?) ſed devoto æternum tantis virtutum miraculis animo. Reges, Prophetas, Sacerdotes, expreſſis accuratiſſime figuris non parce ſacra nobis pagina exhibet. Adminiſtri Regis, & curarum Regiarum adjutoris, incomparabile exemplum Joſephus proponitur. cujus hiſtoriam amare, meditari, ediſcere, non niſi optimorum eſt: intelligere ac penitus introſpicere, felicium.

Iſidor. Peluſ IV, 78.

Ἀποκάλυψον τοὺς ὀφθαλμούς μου Κύριε, καὶ κατανοήσω τὰ θαυμάσια ἐκ τοῦ νόμου σου.

XIII. IN

XIII.

AGESILAUS.

I.

AGESILAUM Regem consideraturus, *primo* expendam quomodo ad Regiam dignitatem pervenerit: *deinde*, quomodo istud fastigium virtutibus condignis bellique ac pacis artibus ornaverit: *denique* quæ illum virtutis merces exceperit partim in vita, partim apud posteros.

2. De his antequam ordine aggrediar dicere, exponendum mihi est, *quales sint Spartani Reges*, *quidque à cæteris Regibus differant*. Nam Reges Spartanorum, ut diversum ab aliarum gentium Regibus nomen habuerunt, nominati Ἀρχαγέται, ita permulta alia quasi propria & peculiaria circa eos observata sunt. Quæ omnia prolixe perscribere tum modus scripturæ non patitur, tum quia alii hæc talia passim tradidere. Itaque de his; in quantum promisi, & modus scripturæ requirit; quam verissime potero, paucis absolvam.

3 Qui itaque rem penitius perpendet, inveniet Reges Lacedæmoniorum in multis differre ab aliarum gentium Regibus. Quippe quod *primò* notari debet, ad regnum, nonnisi certa conditione admittebantur. Regnum enim iis usque adeo proprium & quasi peculiare erat, ut genuini & veri prorsus Heraclidæ ad illud admitterentur. Unde si quis adulterina familia aut matre alienigena prognatus erat, non idoneus ad illud capessendum existimatus est. Aliàs si tantum essent ab alterutra parte ejus prosapiæ, vel si spuriæ progeniei, non admittebantur, sed admissi potius removebantur. Lacedæmonii *etiam* externam corporis speciem in Rege eligendo considerabant. In primis autem observabant, *ne Rex esset Claudus.* Hujus rei rationem habebant Lacedæmonii, Oraculum de vitan-

do Rege Claudo: *nam Claudum Regem exitio ipsis futurum*, prædictum erat. Deinde *proceritas* in Rege requirebatur, haud dubiè quia illa regiam personam decoram redderet. Ob quam causam Archidamus, parva uxore ducta, pecunia multatus est.

4. Constat, *Lacedæmoniorum Reges aliorum potestati subjectos fuisse.* Licebat enim Ephoris Regem in vincula conjicere: ut ait *Thucyd. lib. 1.* Etiam *Corn. Nepos* ostendit Ephoros potestatem habuisse rerum maximarum, inquiens: *Themistocles ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum imperium erat.* uti videre licet *in Themistocle 7, 2.* Deinde Reges singulis mensibus oportebat Ephoris sacramentum præstare, quo jurabant regnum se secundum leges administraturos. Vicissim autem Ephori juramento promittebant Regibus, se regnum iis hoc facientibus conservaturos. Tum ad omnium legum obedientiam educabantur, & quamvis aliis modis multa iis indulgerentur, tamen minor illis delinquendi potestas erat, quam cæteris Lacedæmoniis. Denique *circa potestatem Regiam* ea peculiariter Lacedæmonii observabant, quæ Reipublicæ ipsorum inprimis erant consentanea. Spartanorum enim Reges nec παμβασιλείαν seu plenam & liberrimam omnium rerum potestatem, nec quidvis faciendi arbitrium habebant. Potestas autem hæc fuit alia quidem domi, alia verò militiæ: hîc liberior & amplior, ibi angustior & in arctum quasi redacta. Ulteriusque potestatis officia peculiaria multis verbis *Nicolaus Cragius de Republ. Lacedam.* persequitur. Et hoc est etiam, quod *Cornelius Nepos 17. 1, 2.* dicit: *Lacedæmoniorum Reges nomine magis tales fuisse quam imperio.*

5. Hanc autem potestatis Regiæ restrictionem & diminutionem usum magnum habuisse, cum multi alii, tum *Xenophon in Agesilao* testatur, ita scribens: *neque civitatem unquam Regibus invidisse quod aliis anteponantur, eorumque imperium evertisse: neque Reges plura, quam quibus conditionibus regnum adepti sunt, concupivisse. Itaque neque ullius alius unquam Principatus neque in populari, neque in paucorum,*

neq;

neque in tyrannico, neque in Regio dominatu firmior omnino inconcussusque perduravit, hoc vero solum imperium perpetuum permanet. Atque hæc sunt illa quæ hic notare visum mihi est, antequam ad rem ipsam me accingam.

CAPUT I.

Quomodo ad Regiam dignitatem pervenerit Agesilaus.

1. AGesilaus vir fortissimus, maximique consilii, ut ob Patriam ita ob generis claritudinem summis laudibus efferri meretur. Fuit enim Lacedæmone natus, urbe in Græcia inprimis florente. Hunc etiam ex bonis Parentibus bonum nasci natura voluit. Quippe Agesilai majores Heraclidarum stirpe orti tam nobiles, tam præclari illustresque fuere, ut pro mortalibus gloria æterni facti sint. Hac autem familia non privata, sed Regia Agesilaus facile Princeps fuit. Siquidem adhuc juvenis summa & verissima laude afficiebatur.

2. Ostenso itaque genere Agesilai *jus successionis* declarabo. Hoc autem penes unum ex pluribus Regis defuncti liberis fuit. hoc enim regno maxime expedit. unde *Iustinus lib. 21. c. 1. num. 2.* inquit: *Firmius futurum esse Regnum, si penes unum remansisset, quam si portionibus inter filios divideretur.* Reliqui vero cujuscunque gradus cum civibus aliis pari jure vivebant. Quod ita interpretandum est, ut liberi primo loco fuerint, inter illos autem qui maximus natu, regni proximus, cæteri pro ætatis ratione primas in successione tenuerint. Quum autem liberi deficerent, fratres defuncti erant proximi, & quum hi quoque deessent, tum qui sanguine propior & successione ad regnum admittebatur. Hoc innuere voluit *Cornel. Nepos in Agesilao*, quum inquit: *primus in eo regno habebatur, qui maximus natu esset, ex liberis ejus qui regnans decessisset. Sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur qui proximus esset propinquitate.* Atque hunc successionis ordinem

nihil impediebat ætas; ſive puberes ſive impuberes, ſive etiam poſthumi relicti fuiſſent, regni jure non excludebantur, quamvis ad legitimam eorum ætatem adminiſtratio eſſet penes tutores. Quod ita intelligendum eſt tam de nepotibus quam de filiis, ut apparet ex ſucceſſione illa vicaria quæ per ſtirpes fit, vocaturque à recentioribus Juriſconſultis *repræſentatio.* Quod exemplis multis illuſtrari poſſet, niſi properandum eſſet.

3. Atque adeo ſtabile hoc jus ſuccedendi erat, ut etiam penes filios manſerit, licet capitis ſupplicio adfectis patribus, ut non obſcurè innuunt Archidami & Ageſipolis exempla, de quibus *Pauſanias* copiosè egit.

4. His itaque bene cognitis, facile erit reſpondere ad hanc quæſtionem, *An Ageſilaus Leotychidi jure ſit prælatus?* Erat enim Ageſilaus Agidis frater: Leotychides vero filius Agidis. Mortuo igitur Rege Agide, ut Ageſilaus ita Leotychides regnum affectabant. Faciliimè itaque quis divinare poterit, quod Leotychides Ageſilao jure ſucceſſionis præferendus fuiſſet, ſiquidem filius Agidis erat.

5. Nihil autem impedit quod Agis Leotychidem vivens filium ſuum eſſe negabat: id enim mali genii impulſu ei in mentem venit. Pœnituitque Agin poſtea ejus, quod dixerat.

6. Neque refert quod Ageſilaus à civitate Rex ſit declaratus, ideo quod genere & virtute minus affinis eſſet reprehenſioni aut criminationi quam Leotychides. Nam Lyſander homo factioſus & his temporibus potens Ageſilao ſuffragabatur, hancque ob cauſam eum Regem civitas creavit, quod præclare demonſtrat *Cornelius Nepos*, 17, 1, 5. ubi agit cur Ageſilaus Leotychidi ſit prælatus, inquiens: *Nam Lyſandro ſuffragante, homine (ut oſtendimus ſupra) factioſo, & his temporibus potente, Ageſilaus antelatus eſt.*

7. Prætereo nunc Ageſilaum claudum fuiſſe, ob quam cauſam nemo ad regnum admittebatur, ut ſupra declaratum fuit. Quod tamen Lyſander etiam aliter interpretatus eſt. Quicquid autem ſit, ſi quis altius ſcrutaretur rerumpublicarum fata, divinæque providentiæ circa

circa imperia curam, non dubitare poterit, bona quadam Reipubl. Spartanæ fortuna Agesilaum Regem factum: adeo videtur illis temporibus non utilis modo sed necessarius vir fuisse.

CAPUT II.

De virtutibus Agesilai, quibusque pace & bello Rempubl. meritis affecerit.

1. DE virtutibus Agesilai acturo mihi non repetenda arbitror, quæ toties alibi traduntur, vel de fortitudinis laudibus & rationibus, quæ bello tuetur patriam, vel de prudentiæ inventis ac dexteritate qua pacis tempora ornantur: quippe utraque laude præcelluisse Agesilaum, ex tota ejus historia satis constat. Potius igitur & instituto meo convenientius fuerit, si præclara ejus facta breviter percurramus eo ipso ordine, quem *Nepotis* narratio suppeditat: ita fiet ut virtutes factorum magistræ & administræ veluti subtexantur & immisceantur.

2. Occurrit ergo statim *expeditionis felicissimæ* in Asiam consilium & administratio. in qua explananda primò considerandum venit, *ipsum consilium transferendi in hostilem terram belli.* Postquam enim fama exierat, quod Artaxerxes compararet classem pedestresq; exercitus quos in Græciam mitteret, Agesilaus pollicitus est, si daretur ipsi exercitus, se in Asiam trajecturum; existimans satius esse in Asia quàm in Græcia bellare: quamquam permulti eum admirabantur, quod eligeret potius occurendo quam sustinendo hosti repugnare; docuit tamen satius esse sumptibus Regis quam Græcorum bellare. Quantum autem intersit, utrum transferas bellum in hostilem terram, nec ne, periculo atque negotiis comperit victor terrarum populus. Quis enim dubitat, quin si Romani Saguntinis obsessis fidem eorum implorantibus impigre opem tulissent, eos totum in Hispaniam bellum aversuros fuisse,

 quod

quod cunctando cum summa clade in Italiam acceperunt. Tum experti enim sunt Romani, sibi foris quam domi feliciora, potentioraque arma esse. Siquidem quam diu in Italia Duces Romanorum cum Annibale pugnarunt, semper subacti sunt. Quum autem imitari cœperunt Annibalem, & Italiæ suæ clades in Africam vindicare, tunc hostis fugit & cessit, præmiumque victoriæ Africa fuit.

3. Lubet hoc aliorum exemplis illustrare. Ericus enim Rex Suecorum quum ab Haldano Heraldi Danorum Regis fratre in regno suo ad extrema redigeretur, Daniam invasit, quumque Heraldum tribus prælius vicisset, quartoque eum occidisset: Haldanum ad sua defendenda redire coëgit. Sic Agathocles Syracusarum tyrannus, quum victores Pœni Syracusas obsidione cinxissent, ille autem se neque viribus parem, neque ad obsidionem ferendam instructum videret, mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret, & qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena; victusque victoribus insultaret; bellum in Africam transtulit. Quumque ibi hostium multa millia trucidasset, ab Carthaginiensibus, jam non tributariæ tantum urbes, verum etiam socii Reges, amicitiarum jura non fide, sed successu ponderantes, defecere. Agathocles igitur, tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrens, Siciliæ urbibus, postquam illæ accepissent res ejus in Africa gestas, recuperatis, Pœnos è Sicilia pepulit, totiusque insulæ imperium occupavit. His cognitis, videmus Agesilaum Lacedæmoniis bene & utiliter suasisse hostem in sua terra debellandum esse.

4. Non autem sufficit, prius quam incipias consulere tantum, sed etiam ubi consulueris maturè facto opus est: utrumque enim per se indigens, alterum alterius auxilio eget. Unde etiam gravissimus ille philosophus *Aristoteles* dicebat: *celeriter deliberata peragendæ sunt, deliberandum autem tarde.* Qua ratione etiam *Vellejus* M. Agrippam, *quod consultis facta conjunxerit*, χαρακτηρίζει.

5. Celeritatem autem in Duce quantivis pretii esse, satis

ſatis indicat *Curtius.* 5, 5, 3. *nullam virtutem Regis Alexandri magis quam celeritatem laudaverim.* Pompeii celeritatem commendat *Florus* 3. 6. ubi de bello Piratico loquens, inquit: *quid prius in hac mirere victoria? Velocitatem, quod quadrageſimo die parta eſt? an felicitatem, quod ne una quidem navis amiſſa eſt? an vero perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerunt.*

6. Sic etiam prudentiſſimus Rex Ageſilaus, poſtquam conſilium dediſſet transferendi in hoſtilem terram belli, accepiſſetque poteſtatem, hoc conſilium ita celeriter ad effectum perduxit, ut prius in Aſiam cum copiis pervenerit, quam Regii Satrapæ eum ſcirent profectum.

7. Ut vero Julius Cæſar charactere heroico deſignatur ob expeditam cogitandi agendique celeritatem: Sic etiam in Ageſilai ingenio cœleſte aliquid agnoſcere quis poteſt. Julii quidem Cæſaris tanta ubique fuit induſtria atque conatus, ut quicquid ſibi præſtituiſſet, ut plurimum celeritate effectum daret: Ageſilai vero celeritas non modo opinionem humanam ante eventum, ſed & poſt eventum fidem antevenit.

8. Si quis itaque putat hunc vigorem celeritatemque heroicam Ageſilai conjunctam eſſe cum impetu quodam, qui ſpeciem audaciæ & temeritatis præferre videtur, non ſine cauſa ita ſentiet. quod etiam non parum difficultatis habet. Sed hunc impetum ſæpe pendere ab altioribus cauſis, non debet negari: Hic enim potius de ingente fiducia ſui, & majoribus, quam quos animus minor capit, motibus, quos vigor ille acriores, fortuna efficaciores tutioresque facit, cogitandum eſt. Certumque etiam eſt, non eſſe omnia heroum facta ad communem regulam exigenda.

9. Nunc conſideranda eſt Ageſilai *magnanimitas & fides* in ſervandis induciis. Poſtquam enim ille celeriter in Aſiam transgreſſus, terminos regni Aſiatici vaſtare tentaſſet, Tiſſaphernes Ageſilaum ad liberandas Aſiæ civitates, quæ Græcorum eſſent, adventaſſe percipiens, inducias ab Ageſilao petivit, & promiſit ei ſi illas impetraret, ſe daturum

rum operam, ut Lacedæmoniis cum Rege conveniret. Tum Agesilaus ad tres menses usque pacta jurejurando sancivit: Tissaphernes vero contra juravit fœdera sese sine dolo & bona fide ad definitum ab utrisque tempus observaturum. Cæterum Tissaphernes pro facienda pace ingentem exercitum à Rege accersivit, præter eum quem prius habebat. Atque ita multitudine fretus & animis ingentibus elatus bellum Agesilao indixit, nisi ex Asia abiret. Contra ea Agesilaus in fœderibus perstitit, & injuriam hanc contempsit, adeoque magnum honorem consecutus est. Hoc enim modo Tissaphernem perjurum ostendens, omnibus invisum reddidit, gratias quoque Tissapherni egit, dum peierando Deos immortales sibi ipsi hostes reddidisset, Græcis autem socios effecisset.

10. Agesilaus etiam sanctissimè colendo fidem specimen quoddam pietatis & probitatis exhibuit. Siquidem spernens istam fraudem, qua usus est Tissaphernes violando fidem, conscientiam quietam habere maluit. Hujus pietatis efficaciam singularem fuisse, ex *Xenophontis Agesilao* discimus: siquidem illa effecit, ut Græci & Barbari si quid ipse vellet, audacter convenirent.

11. Cum itaque honos & utilitas exigat, ut fidem nulla fraude frangamus, quæritur *num perfido sit servanda fides?* Fides etiam perfidis præstanda est, inquit *Ambros. 2. de Offic.* quod haud dubie etiam ad hostes perfidos porrigendum est, cujus illustre exemplum habemus in Agesilao, de quo modo dictum. Nam Barbarorum mos est perfidia perfidiam ulcisci qui mos auferendus est, & cogitandum potius, perjuris Deos hominesque infestos esse.

12. Quanquam duobus modis fieri potest, ut quis à perfidia vacet, nec tamen id faciat quod promissum est, *defectu sc. conditionis & per compensationem.* Quod compensationem attinet, alibi de illa prolixe tractatur, & hujus argumenti non est. Hic vero tantummodo disquiritur; *an Agesilaus obligatus fuerit, post defectum conditionis fidem præstare Tissapherni?* nam in contractu eorum quasi expressa fuit hæc conditio, *hoc ita faciam, si tu etiam facis, quæ promisisti.*

Respon.

Respondetur; quamvis eventus hic ostendit, hanc obligationem nullam fuisse, quia remota fuit conditio illa: tamen generosus Agesilai animus hoc loco indicatur, quod steterit fœderibus etiam post aliquid injuriæ acceptum.

13. Sequitur Ἀνωμαλία belli prudentissimo consilio ab Agesilao usurpata. Nam cum Tissaphernes putaret hostem, ob fraudem contra se iratum, in Cariam impetum facturum: tum quod ipsius plurima essent domicilia in ea regione, quæ & his temporibus ditissima censebatur; Agesilaus ideo in Phrygiam se convertit, eamque regionem prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam se moveret. Simile Strategema habemus in T. Didio, qui paucitati suorum diffidens, cum in adventum earum legionum, quas expectabat, traheret bellum, & occurrere eis hostem comperisset, concione advocata aptari jussit milites ad pugnam, ac de industria negligentius custodiri captivos: è quibus pauci, qui profugere, nuntiaverunt suis pugnam imminere. At illi, ne suspicione prœlii deducerent vires, omiserunt occurrere eis, quibus insidiabantur: legiones tutissime, nullo excipiente, ad Didium pervenerunt. ut testatur *Frontin. stratag. l. 1. c. 8. exemp. 5.* & talia plura exempla passim inveniuntur. Ex his videmus Principem fraudem exercere posse erga hostes, si sc. illa sit sine scelere, & cum modo arteque, ut testatur *Lipsius Polit. 5, 7.* Sic etiam Agesilaus Tissaphernem consilio vicit, cum se Sardes iturum dixisset: Tissaphernes Agesilaum propter superiorem fallaciam falsum pronunciare suspicans, Cariam defendit. At Agesilaus non mentitus est, sed quemadmodum prædixerat, statim Sardeis contendit, ibidemque magna præda potitus est. Idem indicat 17, 3, 4. inquiens: *Huic* (Agesilao) *cum tempus esset visum copias extrahere ex hibernaculis; vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronunciasset, hostes non credituros, aliasque regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum ac pronunciasset. Itaque cum ille Sardis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit.*

14. Agesilaus etiam *disciplinam militarem in exercendis & ornandis militibus* diligenter observavit. Nam artifices civitatis in quam contraxerat exercitum suum, arma militaria conficiebant:

 ficiebant:

ficiebant: gymnasia tum temporis omnia, virorum sese exercentium, plena erant: cum exercitum exerceret, præmia proposuit illis, qui optime exercitati ad munera sibi accommodata viderentur. & hoc modo milites suos bonos reddidit. Hoc ita sese habere ex *Cornelio Nepote* probari potest. 17, 3, 2. & 3. Magna præda militibus locupletatis Ephesum hyematum exercitum reduxit, atque ibi officinis armorum institutis, magna industria bellum paravit: & quo studiosius armarentur insigniusque ornarentur, præmia proposuit quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut qui cæteris præstitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut *ornatissimum* & *exercitatissimum* haberet exercitum.

15. Hæc talia exercitia in unoquoque exercitu requiri ex proprio Scriptore militari *Fl. Vegetio* discere possumus. Nam sine disciplina quid est dilectus? ille, saltem qui possint esse boni milites, invenit; hæc, facit tales & servat. Unde *Vegetius l. 3. c. 26.* inter regulas belli generales ponit: *Paucos viros fortes natura procreat, bona institutione plures reddit industria.* Sic etiam Alexander, præmiis propositis suos excitavit, ne scil. desides otio dimitterent animos. ut apud *Curtium* 5, 2. hoc prolixius describitur. His addi potest illustre exemplum *Iphicratis Atheniensis*, qui tantum consilio valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. Siquidem mutando illorum arma milites expeditiores reddidit. Imo tanta tamque præclara fuit hujus viri militaris industria in exercendis militibus, ut de eo *Cornel. Nepos* literis prodat, quod apud Corinthum tanta severitate exercitui præfuerit, ut nullæ unquam in Græcia neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto audientes fuerint duci: in eamque consuetudinem adduxerit, ut, cum prælii signum ab imperatore esset datum, sine Ducis opera sic ordinate consisterent, ut singuli à peritissimo imperatore dispositi viderentur.

16. Nec solertiam Agesilai in deligendis ad prælium locis hic silentio prætereundam esse existimo. Nam quod *Vegetius lib. 3. cap. 9.* monet, quod considerandus sit locus utrum inimicis, an tibi videatur accommodus: Agesilaus probe conside-

sideravit, itaque cum hostis equitatu, ipse autem pedite gauderet, loca elegit angusta & peditibus apta, ut illi locus sæpe amplius profuerit quam virtus. Hinc etiam *Cornel. Nepos* inquit: *Laco cum videret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo quotiescunque congressus est, multo majores adversariorum copias, & sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur.*

17. Ab hac illustri expeditione Asiatica ad aliam militiam cum Agesilao transit *Nepos*: sed ita ut in hoc transitu præcipue miretur *civilitatem & modestiam ejus.* Etiamsi enim victor esset & maximam haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tamen maluit obedire magistratui, & quidem absenti. Causa cur dicto magistratus obediens fuerit ex superius dictis sumi potest. Nam Reges Spartanorum tenebantur Ephoris obedientiam præstare, idque ob juramentum, quo promittebant, Regnum se secundum leges administraturos: videmus itaque Agesilaum Regem modestissimum huc respexisse. Unde *Corn. Nepos* hoc magnifice exprimit his verbis: *Agesilaus cum victori exercitui præesset, opulentissimo regno præposuit bonam existimationem, multoque gloriosius duxit, si institutis Patriæ paruisset, quam si bello Asiam superasset.*

18. Hac occasione tractare licet de virtute boni civis quatenus civis est, cumprimis in libera Republ. videlicet *quod debeat præsentem Reipub. statum amare.* h. e. vitam, mores & omnes suas actiones accommodet legibus, & institutis suæ civitatis. In cujus laudis societatem cum Agesilao veniunt Miltiades, Iphicrates, aliique apud *Nepotem.* Illustrationis causa potest huc referri Pausaniæ incivilitas sive insolentia, per notas descripta Nepoti. Quomodo non mores Patrios solum, sed etiam cultum, vestitum mutaverit, apparatu Regio usus sit, veste Medica: satellites Medos & Ægyptios habuerit: epulatus sit more Persarum luxuriosius, quam qui aderant perpeti possent: aditum petentibus conveniendi non dederit: superbe responderit, & crudeliter imperaverit: Spartam redire noluerit: Golonas, qui locus in agro Troade est, se contulerit: ibique consilia cum Patriæ, tum sibi inimica ceperit.

19. Se-

19. Sequitur ergo ipsa *expeditio adversus Athenienses & Bœotios.* ubi rursus Agesilaus laudandus est ob *celeritatem itineris.* Nam cum Hellespontum copias trajecisset, per easdem gentes iter fecit, per quas Rex Persarum cum innumerabili exercitu: quodque iter Tissapherni fuit annuum, hoc minus triginta diebus Agesilaus confecit. Et tanta celeritate usus, dum interim etiam hostes sibi obsistentes gravi prœlio superasset; miraculo fuit. Hanc celeritatem Agesilai amplius commendare haud opus erit, tum quia alii illam perscripsere; tum quia superius Agesilaus ob eandem virtutem, jam laudatus est.

20. Agesilai celeritatem excipit *felicitas ingentis duplicisque prœlii.* Nam quum Athenienses & Bœotii eorumque socii negotium Agesilao præbituri essent, quo minus Lacedæmoniis succurreret, eos Agesilaus apud Coroneam gravi prælio cecidit. Hoc præter *Xenophontem & Plutarch.* qui hanc rem cum circumstantiis narrant, breviter complexus est *Corn. Nepos* inquiens: *cum haud longe abesset* (Agesilaus) *à Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses & Bœotii, cæterique eorum socii, apud Coroneam: quos omnes gravi prælio vicit.*

21. Atheniensium & Bœotiorum ruina convolvit Corinthum. Ibi enim Agesilaus eadem felicitate usus, hostes suos cecidit fugavitque. Ex his itaque duobus præliis, Agesilaum, felicitatem Duce bono dignam habuisse, satis constat. Poterant plura hac de re adferri, sed pergendum est ad alia.

22. Sequitur Agesilai *Clementia & benignitas.* Quo igitur verius est rebus secundis etiam egregios Duces insolescere: eo magis Agesilaus laudandus est ob clementiam & benignitatem, qua usus est in victoria. Nam quamvis Agesilaus parta victoria vulneratus esset, tamen cum ipsi nuntiaretur, hostium fere octoginta cum primis in templum Minervæ, (quod non longe aberat à Coronea, ut testatur *Plutarchus in Agesilao*) confugisse, non fuit immemor Deorum Numinis, sed & ut eos quo vellent, abire sinerent, imperavit, & ne injuria afficerentur cavit. *Cornel. Nepos* verbis ad elogium compositis hæc exprimit: *Hujus victoria vel maxima fuit laus, quod cum plerique ex fuga se in templum Minervæ con-*

conjecissent, quareretur\'q; ab eo quid his fieri vellet: etsi aliquot vulnera acceperat eo pralio, & iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tulerant, tamen antetulit ira religionem, & eos vetuit violari. Sic etiam in altero bello clementiæ & benignitatis nominibus laudari potest: Nam adversariis intra mœnia compulsis, exulibus Corinthiis impellentibus eum ut urbem oppugnaret, non temere assensus est: Sed bona fide negavit id suæ virtuti convenire, nec voluit urbem oppugnare, cum diceret civitates Græciæ subigi & in servitutem redigi non oportere, sed castigari & ad officium redigi. Videndus est ipse *Cornelius Nepos* cap. 5. ubi propositi rationem reddens Agesilaus, *si*, inquit, *eos extinguere voluerimus, qui nobiscum adversus Barbaros steterunt, nosmet ipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus, quo facto sine negotio, cum voluerint, nos opprimen*t. Potest hac occasione tractari quæstio *de locis sacris & religiosis ab injuria hostili exceptis.* qualis est hoc loco religio templi. Aliàs vastatorum templorum exempla multa inveniuntur; & Cato in oratione apud *Sallustium* referens quæ victis solent accidere, ponit, & *Fana spoliari.* Imo Judæis non permisit tantum sed & præcepit Deus Ter. Opt. Max. gentium simulacra abolere, ut legi potest Deut. 7, 5. *Quin potius hac facietis eis* (gentibus) *aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosq; succidite, & sculptilia comburite.* Sed nimirum satis sciebant Hebræi, nihil boni in illis simulacris latere, sed impietatis profundissimæ instrumenta ea esse. Cæterum si quo in simulachro numen aliquod inesse credatur, id violari aut corrumpi nefas ab iis qui in ea persuasione conveniunt. Hinc etiam laude effertur Agesilaus, quod iræ religionem antetulerit, & eos qui ex fuga se in templum Minervæ conjecissent, propter loci sanctitatem violari vetuerit: *Neque hoc solum in Gracia fecit, ut templa Deorum sancta haberet: sed* (ita pertexit Cornelius Nepos) *etiam apud Barbaros summa religione omnia simulacra, arasq; conservavit. Itaque pradicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum nocuissent: aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.*

23. Post hæc Cornel. Nepos carptim agit & ex omni histo-

historia Agesilai nobilissima quæque excerpit. Quale est primò *singulare specimen fortitudinis*, quæ defendit Patriam. Nam cum Epaminondas putaret Spartam muris carentem desertam esse à civibus, militibus in plures partes distributis, per omnes partes civitatis uno tempore impressionem fecit. Sed Agesilaus Epaminondæ consilio à transfugis cognito, via compendiaria Spartam cum suis copiis occurrit, & Epaminondam antevertit, & per vim urbe expulit. Unde à *Cornelio Nepote* magna laude afficitur, dicente: *Cum Epaminondas Spartam oppugnaret, essetque sine muris oppidum, talem se imperatorem præbuit*, (Agesilaus) *ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse.* Possent hîc illustrationis ergo exempla *Coclitis*, *Camilli*, *Mutij Scævolæ* & aliorum adduci, nisi ad alia instituto nostro convenientiora nobis properandum esset.

24. Secundo, inventum Agesilai callidum seu celeriter repertum consilium considerandum est, quod saluti fuit Lacedæmoniis. Nam cum quidam adolescentuli hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, & collem quendam Dianæ Orthiæ sacrum non longe à Pitana occupassent; itaque in eos statim vellent Lacedæmonii impetum atque impressionem facere, Agesilaus ne quid rerum novarum molirentur, veritus, jussit eos quiescere; & quum perniciosissimum fore videret, si animadversum esset quenquam ad hostes transfugere conari, ad eos accedens, laudavit partim eorum consilium, quod eum locum occupassent, & se id quoque fieri debere, animadvertisse; adjunxitque, partim eos secus intellexisse quæ præcepisset & mandasset. Nam non in hunc locum jussisse eos convenire, neque omnes in eundem locum, sed alios illuc, alio loco demonstrato, alios in aliam regionem urbis. *Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit, & adjunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. Namque illi aucto numero eorum qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi, eoque libentius quod latere arbitrabantur, quæ cogitarent.* ut Corn. Nepos indicat. Ex iis autem qui coitionem fecerant ad quindecim comprehensos noctu Agesilaus necavit. Huic celeriter reperto consilio propriè

priè comparari potest exemplum Tullii Hostilii. Nam cum ipsi Fidenate bello Albani mitterentur in auxilium ex fœdere, vidissetque eos inclinare ad hostem, tollit suorum animos, quasi ipse mandasset, & sic spem fecit suis, hostibus autem metum incussit; ruptore fœderis postea punito.

25. Tertiò *liberalitas* Agesilai, qua patriam juvit, consideranda occurrit. Nam cum præcipue Lacedæmonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui à Rege defecerant, præsidio fuit: à quibus magna pecunia donatus, patriam sublevavit. Et *Xenophon in Agesilao* tradit, quod Autophradates qui Ariobarzanem socium Lacedæmoniorum in Asso circumsidebat, Agesilaum veritus aufugerit: & Cotus cum Segestum obsideret, quæ etiam tunc Ariobarzanis erat, obsidione soluta discesserit. Similiter Agesilaus cum ex Ægypto reverteretur, donatus à Rege Nectanabe ducentis viginti talentis, ea muneri populo suo dedit.

26. Succedit *modestia in Cultu.* Princeps enim Aristotelem Regi Alexandro M. scribentem audiat: πολὺ κάλλιον καὶ βασιλικώτερον, τὴν ψυχὴν ἔχειν εὐγνωμονοῦσαν, ἢ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος ὁρᾷν εὐειμαλοῦσαν: multo pulchrius magisque regium, animum præferre cultum & compositum, quam corporis vestem. Agesilaum etiam hac virtute præditum fuisse inde constat, quod superatis feliciter multis prœliis, fortuna usus valde prospera, *nihil tamen de victu & cultu domum reversus immutavit*, sicut præclare hoc indicat Corn. Nepos 17, 7. Eandem laudem habuit Julius Agricola, quem Tacit. 40. 4. ita describit: *Cultu modicus, sermone facilis; adeo ut plerique quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.*

27. Huic modestiæ Agesilai confinis fuit frugalitas & parcimonia in victu & cura corporis. Nam testante Nepote, *Agesilaus nihil de victu unquam mutavit. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor majorum suorum fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: contra, plurima patientiæ atque abstinentiæ. Sic enim erat instructa, ut nulla in re differret à cujusvis inopis atque privati.* Hinc postquam ille in Ægyptum Thaco subsidio ivisset, celeriter munera

nera ei cujuscunque generis ſunt allata: Ageſilaus vero præter vitulina, & hujusmodi genera obſonii, quæ præſens tempus deſiderabat, nihil accepit, unguenta, coronas, ſecundamque menſam ſervis diſpertiit, cæteraque referri juſſit. Huic Ageſilai exemplo comparandum eſt proprie illud Carini Imperatoris, qui bellum Perſis intulit &c. uti videre licet in *Lipſii politic. lib. 2. c. 15. n. 22. in notis.*

CAPUT III.

1. VIrtutem Ageſilai qualis pace belloque fuerit hactenus vidimus: nunc *quem ejus fructum exceperit*, breviter reſtat exponendum. Virtus enim multum contulit ad ipſius laudem. Siquidem Ageſilaus in expeditione Aſiatica maximam gloriam & autoritatem adeptus eſt, idque ob virtutem. Simili modo in expeditione adverſus Athenienſes & Bœotios, maximum decus nactus eſt. Videmus autem omnes eos, qui nominis immortalitatem quæſiverunt, non aliam quam virtutis viam judicaſſe convenientiorem aut feliciorem. Taceo nunc alias utilitates quæ virtutem ſequuntur, præſertim ſi conſideramus virtutem Principis; nam ſi Princeps ea careat, tunc nulla firmitas ſtatus Reipublicæ eſſe, neque ipſe amplius Princeps nominari poteſt, cum præcipua boni Principis laude deſtituatur.

2. Conſecutus autem eſt Ageſilaus tantis virtutibus, *Primo* quidem *amorem ſuorum*: quod pulcherrimum viro Principi eſt. Eſtque hic amor nihil aliud, quam *benevolentia ſubditorum in Regem ejusque ſtatum.* in qua præcipuum regni robur eſt & pondus. Melius enim beneficiis imperium cuſtoditur, quam armis. Imo bonus Princeps nihil magis optat, quam ut ſuos benevolentia regere poſſit. Sicuti è contra Tyrannus omnes vi regere mavult, & putat ſe eo munitiorem eſſe, quo illi quibus imperitat, nequiores ſunt: unde fit ut ſub eo quam quiſque peſſime fecit, tam maxime tutus ſit. Longe aliter ſenſit Ageſilaus noſter: qui, quo quis melior erat, hoc jugi patientiorem eſſe putabat. unde etiam conſtat Ageſilaum tantam benevolentiam conſecutum fuiſſe, tam apud Græcos quam apud Barbaros, ut omnes, ſi ipſe vellet, ſeſe cum eo conjungerent.

3. *Secundo*

3. *Secundo, honorem & admirationem* tum apud ſuos tum apud exteros, qui honor proprie oritur ex virtute, & nihil aliud eſt quam *impreſſa ſubditis, ſive & exteris, opinio reverens de rege ejusque ſtatu.* Hæc regnum maxime firmat, ut ex *Curtio* diſcimus, qui dicit: *Majeſtatem Imperii, ſalutis eſſe tutelam.* Ubi enim illa majeſtas locum nullum habere poteſt, imperium ruat neceſſe eſt. Ageſilaus autem ut ob virtutes eximie laudatur, ita etiam ob acquiſitam ſibi optimis facinoribus auctoritatem, non minus magno elogio efferendus eſt. Nam qui virtutem ejus noverant, non poterant eum ſatis admirari. Forte quis dicat, non poſſe Ageſilaum laudari à majeſtate, quia naturam maleficam nactus ſit in corpore; exiguus enim & claudus altero pede erat: quæ res etiam nonnullam attulit deformitatem, ut etiam ignoti faciem ejus, cum intuerentur, contempſerint. Sed hæc non faciunt, quo minus in magnam admirationem veniat Ageſilaus. Nam quamvis majeſtas Principis per externa etiam juvari poteſt, tamen proprie & præcipue à virtute eſt, imò hæc illam plerunque gignit.

4. *Tertiò*, divitias & magnas opes. In quocunque autem regno colitur virtus, illud floret & divitias magnas conſequitur. Sicuti uſu venit Romanis: quorum respubl. labore atque juſtitia crevit, ab illis reges magni bello domiti; & nationes feræ, populique ingentes vi ſubacti ſunt. Hoc modo Ageſilaus Rempublicam ſuam, maximis muneribus à Regibus, & dynaſtis civitatibusque acceptis, juvit. Et apud *Xenophontem* legimus: Poſtquam Ageſilaus cognoviſſet Regem Ægyptiorum Regi Perſarum bellum illaturum eſſe, & magnum peditatum, magnumque equitatum habere, & pecunia abundare, libenter audivit cum ab eo accerſitus eſſet, præſertim qui belli imperium ſibi promitteret. Hæc ſatis innuunt verum eſſe, quod *virtus omnia in ſe habeat, & omnia adſint bona, quem penes eſt virtus*; ut apud *Plaut. Amph. act. 2. Scen. 2. v. 21.* egregiè dicitur. Hic etiam intelligere eſt, opes non per malas artes, ſed per virtutem parari debere. Nam in quo regno ſpernitur virtus, & creſcit pecunia & imperii cupido, in illo fortuna ſævit & omnia miſcet. Nam

hæc cupido quasi materies omnium malorum est. Quod hoc verum sit, populus Romanus periculo atque negotiis comperit. Nam postquam apud illum divitiæ honori esse cœpissent, & eas gloria, imperium, potentia secuta essent, & hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpisset, fortuna cum moribus mutata est.

5. Sed illa, de quibus hactenus dixi, viventi Agesilao contigerunt; longe autem major est & *illustrior gloria*, qua virtus Agesilai *apud posteros* usque ad hoc tempus colitur. Siquidem *Xenophon* Agesilaum testatur pro dignitate difficulter laudari posse, quum inquit: οἶδα μὲν ὅτι γὰρ Ἀγησιλάου ἀρετῆς τε καὶ δόξης, οὐ ῥᾴδιον ἄξιον ἔπαινον γράψαι, ὅμως δ' ἐγχειρητέον. οὐ γὰρ ἂν καλῶς ἔχει, εἰ ὅτι τελέως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο, διὰ τοῦτο οὐδὲ μειόνων ἂν τυγχάνοι ἐπαίνων. *Quanquam nescius certe non sum Agesilai tum virtutem, tum gloriam, non facile scribendo laudari pro dignitate posse, nihilo tamen minus id mihi muneris aggrediendum existimavi. Non enim recte se res habeat, si quoniam ad summum vir probus fuerit, eo non nisi summis eum laudibus prosequi liceat.* Et alibi dicit: οὕτω δὲ τελέως ὁ ἀνὴρ τῇ πατρίδι ὠφέλιμος ὢν διεγένετο, ὡς καὶ τετελευτηκὼς ἤδη ἔτι μεγαλείως ὠφελῶν τὴν πόλιν εἰς τὴν ἀΐδιον οἴκησιν κατηγάγετο. *Is adeo perfecte semper utilis Patria fuit, ut etiam postea quam è vita migravit, plurimum adhuc rempublicam juvans, ad illud æternum domicilium diverterit.* Imò, tanquam ideam virtutum proponit hunc virum, dum inquit: εἰ δὲ καλὸν εὕρημα ἀνθρώποις ςάθμη καὶ κανὼν πρὸς τὸ ἀγαθὰ ἐργάζεσθαι, καλὸν ἄν μοι δοκεῖ εἶναι ἡ Ἀγησιλάου ἀρετὴ παράδειγμα γενέσθαι τοῖς ἀνδραγαθίαν ἀσκεῖν βουλομένοις. τίς γὰρ ἂν ἢ θεοσεβῆ μιμούμενος, ἀνόσιος γένοιτο· ἢ δίκαιον, ἄδικος· σώφρονα, ὑβριςής· ἢ ἐγκρατῆ, ἀκρατής; καὶ γὰρ δὴ οὐχ οὕτως ἐπὶ τῷ ἄλλων βασιλεύειν, ὡς ἐπὶ τῷ ἑαυτοῦ ἄρχειν ἐμεγαλύνετο· οὐδ' ἐπὶ τῷ πρὸς τοὺς πολεμίους, ἀλλ' ἐπὶ τῷ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν ἡγεῖσθαι τοῖς πολίταις. *Quod si trutina & norma pro invento utili mortalibus haberi debent, ad efficiunda præclara opera; etiam mihi egregium exemplum Agesilai virtus esse videtur, iis qui fortitudinem exercere volunt. Nam quis impius fiat, si religiosum imitetur? quis injustus, si justum? quis petulans, si modestum? quis intemperans, si temperantem? Agesilaus enim non tam*

eo

eo quod aliorum Rex esset, quam quod imperare sibi posset, gloriabatur: neque tam quod adversus hostes, quam quod ad omnem virtutem civibus suis dux esset. Similia passim apud scriptores alios utriusque linguæ reperiuntur: quorum alii militarem ejus gloriam, alii civiles artes, alii summa in publicum merita, sublimi inter illustres viros loco exemploque proponunt ac deprædicant: tanto consensu concentuque id quidem, ut nulla tam negligens ætas, tam surda fuerit hactenus aut futura sit posteritas, quæ non gloriam Agesilai æstimio suo ac veneratione prosequatur.

6. Hactenus pertractavi, *quomodo Agesilaus ad Regiam dignitatem pervenerit: deinde quomodo istud fastigium virtutibus condignis belloque ac pacis artibus ornaverit: denique quæ illum virtutis merces exceperit, partim in hac vita, partim apud posteros.* Et hæc sunt ea quæ pro ingenii modulo publico examini subjicere volui. Nunc hoc scriptum voto finio, ut Agesilai animum imitentur, quicunque publica gubernant, i. e. ut misereantur fortunam communis Patriæ, quæ jam pridem suis ipsa viribus oppugnatur & expugnatur, cogitentque illa multitudine, si concordia adesset, Germaniæ supplicium Turcas, vel alios hostes Christianorum, dare potuisse.



XIV.

EPAMINONDAS.

προσθεωρία.

EPAMINONDAM tibi proponimus, *benevole Lector*, virum pace bonum, bello fortem, ita ut incertum sit, vir melior an Dux fuerit (*Iustinus l. 6. c. 8. v. 4.*) CIVEM cui quod à fortuna negatum erat, virtus donavit: qui pauper à majoribus relictus optime educatus ad summa pervenit imperia; quem rei familiaris inopia non ad mala

 faci-

facinora, sed ad præclaræ virtutis famam accendit: sc. corpus non voluptatibus explevit, sed animo servire docuit: animum vero, qui rector humani generis, imperare jussit, ut ita frueretur anima, non vitam sicut peregrinans indoctus incultusque transiret, sed benefaciendo Reip. pace belloque clarus fieret. *Sallust. Cat. proœm.*

Occasio suscepti operis. 2. In hujus viri gestis quum versaremur, hortatu *Domini Præsidis*, non alienum videbatur, addere lectioni meditationem, & utrique scriptionem; atque ea quæ *Cornelius Nepos* de vita Epaminondæ posteritati tradidit, paullo fusius exsequi. Modus tractandi. Qua in parte contenti erimus qualicunque explanatione; ea enim verborum festivitate aut rerum dignitate, qua par esset, tantum virum describere, nec vires quæ longè sunt inferiores, aut ingenii imbecillitas permittit, nec ætas immatura tantis rebus sufficit.

Objectionis præoccupatio. 3. Nec obstat, quod videntur hæ partes jam à nonnullis commilitonibus præoccupatæ: quorum alius Themistoclem, alius Agesilaum, ne de cæteris nunc dicam, considerandum suscepit; quid enim supererit, inquis, de virtutibus artibusque illustrium virorum, quod in eorum vitam non cadat? Opponimus hic *primo exemplum ipsius Cornelii Nepotis*, qui non omisit plures similibus artibus viros exponere, adeoque quamvis jam satis rationis sit in ipso authore, tamen quum ratio quemlibet magnum Authorem faciat (sicut *Vellejus* de alia re *l. 2. c. 32. v. 6.* loquitur) addimus *secundo tractandi diversitatem*: juvat enim exercitii gratia, quæ re ipsa conveniunt, diversa ratione proponere; cui accedunt *denique multa peculiaria*, quæ vita Epaminondæ, sicut est à Cornel. Nep. exposita, in plerisque habet: ne dicam nunc de aliis, quibus institutum hoc nostrum firmatur, quia sc. variis artibus illustres viri ad Imperii dignitates perveniunt, Remp. gubernant, quæ ut in singulis sunt diversæ, ita omnes non immerito observare licet.

Partes tractationis. 4. Sequemur autem in nostra tractatione Nepotis historiam quasi κατὰ πόδα, cujus hanc dispositionem fecit, ut diceret *primo de genere*, *deinde quibus disciplinis & à quibus sit eruditus*; *tum de moribus ingeniique facultatibus*, *& si qua alia digna memo-*

memoria erant: postremo de rebus gestis, quæ plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

PARS I.

DE GENERE EPAM.

1. QUod igitur felix faustumque DEUS ter optimus esse velit, accedimus ad ipsam tractationem, initium facientes à *Genere* Epaminondæ, quod brevissimè exequitur *Nepos*, annotans *honestatem* ejus & *paupertatem* (c. 1. v. 1. c. 2. v. 1.) Fuit enim honesto genere, patre sc. Polymno, seu ut *Æliano* placuit (*var. hist. l. 11. c. 9.*) Polymnide natus, sed pauper à majoribus relictus: cujus rei testimonium est, quod & parcissimè cibum sumserit, tenuiter vixerit (*Plutarch. in lib. de doctr. princ.*) & vestium splendore caruerit (*Plutarch. in Pelop.*) Unam enim solum habebat vestem Epaminondas, sordidam, quam si misisset ad fullonem, ipse se domi continere ob indigentiam alterius cogebatur, memorante *Æliano* l. 5. c. 5.) his accedit, quod supellectile tenui usus fuerit, sicut *Iul. Front. in stratag.* refert, & quod tradente *Iustino* (6,8,6.) *sumtus funeri defuerint.* Genus Epam. describitur. Honestas & Paupertas annotatur.

2. His tenuibus initiis tamen ad summa imperia pervenit Noster, ut merito cui dubium videri possit; *Vtrum Paupertas plus prosit an obsit ad magna nitentibus?* videtur sane posterius affirmare Poëta (*Horat. l. 2. Sat. 5.*) dicens: Quæstio an Paupertas plus prosit an obsit ad magna nitentibus?

Et genus & virtus nisi cum re vilior alga est.

Verum enim vero quantum à veritatis semita abeant, qui ita sentiunt, facile ex seqq. apparebit. Quamvis enim se tueantur illo quod *Iuvenalis* canit *Sat. 3.*

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi ---

Tamen rarum hoc est, & potius ipsorum hominum culpa. nam virtus qua sola quis inter illustres viros eminet, nemini præclusa est, omnibus patet, nec quenquam dedignatur, qui se modo illa dignum judicaverit. (*Seneca Consol. ad Polyb. c. 36.*) hæc est quæ omnia cætera bona in se continet. Quod tamen

tamen ita extendendum est, ut non negetur illud alterum, facilius ad dignitates pervenire, qui præter virtutem opibus sunt instructi, & sæpe claros viros inopiâ rei familiaris latuisse (*Plutarch. in lib. an ben. l. v.*)

3. Ut propterea & illi errent, qui paupertatem non obesse, sed prodesse judicant. Videntur hujus erroris patrocinium suscepisse olim *Stoici*, qui sicut in plerisque, ita præcipuè hic humanas actiones strictius judicabant, ita ut non restringerent ad hujus vitæ imperfectionem, sed quod perfectissimo Deo cernitur id ab homine requirebant (vid. *Horn. Eth.* 1, 8, 12.) qua in re ulterius progrediuntur, quam humanæ vitæ conditio permittit. homines enim sine externis fortunæ bonis nec vivere, nec benè beateque vitam agere possunt; paupertas ergo ad magna nitentibus prodesse dici nequit, nisi impropriè & *καταχρηστικῶς* loqui velimus, sc. paupertate viros bonos ad præclarè gerenda sæpe tanquam stimulis uti.

4. Verum enim vero tutius nobiscum agere videntur, qui mediam ingrediuntur viam, adeoque paupertatem nec obesse nec prodesse simpliciter judicant ad magna nitentibus: periculosum enim est, id quod virtus sibi proprium vendicat, in fortunæ bonis collocare: ne nunc addam pauperes paupertate sua ut ad bona ita ad mala facinora abuti posse. Exemplum ejus rei suppeditat *Sallustius in Cat.* Catilinam enim & cæteros sceleratos inopia rei familiaris ad maxima & inaudita flagitia accendit. Sed satis de his: pergimus ad *Educationem & institutionem*, cui plurimum tribuendum est.

PARS II.

DE EDUCATIONE ET *Institutione Epamin.*

Sequitur Educatio, ejusq; partes.

I. DIximus in prioribus de *genere* Epaminondæ, sequitur nunc ut *Educationem* ejus investigemus: quod facillimè fiet, si attenderimus, *primo quibus in rebus Epaminondas*

nondas sit institutus, dein à quibus Magistris. pertinent autem ea quæ didicit Epaminondas, *partim ad animi curam, partim ad corporis elegantiam & agilitatem.* quidni enim actiones hominum ita distinguere liceret, quum ipse homo vel anima fruatur, vel corpus excolat. notante *Sallust. Cat. in proœm.* quid & à quibus didicerit.

2. Ad exteriora illa pertinet *Musicæ* disciplina *qua citharizare, cantare ad chordarum sonum, carmina cantare tibiis, saltare doctus est: quibus postea accessit studium palæstræ, cursus, lucta, cum similibus.* externæ & corporis disciplinæ explicantur.

Verum priusquam ad singula pedem promoveamus, præcipiendum præmonendumve videtur, si forsan quis hæc Exercitia viro principe aut ad alta destinato indigna judicet; ei, inquam, præcipiendum est, *primo* quidem alia ab aliis recipi, nec iisdem morum institutis homines uti (1, 51, 1.) *dein* quum non eadem omnibus sint honesta atque turpia, non licere alienos mores ad suos referre, sed omnia majorum institutis judicari (*Nepos in præfat.*) ne nunc addam, quod hæc Exercitia non à viris, sed à pueris, quorum ætas ad graviora & seria nondum sufficit, plerumque addiscantur. Quæstio an hæc Exercitia viro principe digna sint? solvitur.

3. Verum ut res clarior fiat, de singulis ordine aliquid dicemus, initium facientes à Musica; ubi *primo* non ignorandum est, quid veteres Philosophi senserint de Musica; *dein* quem ei usum tribuerint in Rep. Hic, quantum ex Aristotele liquet, reperimus Musicam didicisse veteres ut Disciplinam quandam liberalem atque honestam. Natura enim quia non solum in negotio, verum etiam in otio laudabiliter versari posse quærit, merito in musicis erudiuntur Juvenes, utpote quorum animus nondum ad graviora & seria aptus, Musicæ jucunditate indies ad altiora firmatur, *ut tandem cum felici quadam voluptate utilitas afferatur Reipubl.* quemadmodum ait *Plato l. 7. de leg. Is enim qui in eo vitæ instituto est educatus, perspicacissimè persentit, quæ vel desiderantur vel non rectè sunt effecta, atque optimo judicio res non rectè factas condemnat, præclarè vero constitutas commendat, & iis delectatur, atque animo complectitur, ut hoc pacto educatus in bonum virum evadat.* Hæc Plato. Veterum de Musica sententia proponitur.

4. Cujus verba cum grano salis accipienda sunt, quatenus Usus.

nus

nus scilicet Musica *primo* quidem affectus mutat, quod ostendit cantus Olympi apud Platonem; *dein* iracundos reprimit, ac mente motos corrigit, cujus illustre exemplum habemus in sacris (vid. *Piccarti Comment. in Aristot. pol. l. 8.*) Regis Saulis, qui furore correptus ludente Davide cithara, desinebat insanire; *tandem* quoque quia Musica docet rectè lætari, amare cum oportet aut odisse, & in omnibus affectibus modum servare, qui sc. ad virtutem pertinent; nihil est quod prohibeat, quo minus Musica dicatur formare mores hominum. *denique* huc omnis summa redit, ut auditis in Musica variis variorum morum simulachris, sc. amoris, odii, fortitudinis, temperantiæ, contrariorumque vitiorum; accedente honesta disciplina, & probis philosophorum præceptis, (non enim hæc excluduntur) affectus illi moderatè usurpentur: quod præclarè ostendit *Aristoteles* (*8. polit. 5.*) Superest ut attingamus breviter, quod Musica conferat etiam ad vitam beatam: quum enim Musica delectet & voluptate afficiat audientes, non negandum erit, eandem conducere ad vitam beatam, utpote quæ honestate & voluptate constat (*idem ibid.*)

Abusus.

5. Diximus quem usum attribuerint philosophi Musicæ; nunc breviter monebimus de *abusu*. Rarissime enim, imò, si verum fateri volumus, nunquam laudantur à gravioribus Politicis, qui inhærent talibus studiis (*vid. Piccart. l. c.*) Exemplum sit *Nero*; huic quid aliud quam contemptum peperit nimius Musicæ amor? (*vid. Suet. in vit. c. 20.*) hic quum *bonus Citharœdus quam bonus Imperator haberi mallet, effecit; ut populus lætari videretur per injuriam publici flagitii*, sicut loquitur *Tacitus 16. A. 4.* Considerare potius debent hi tales, quod *Trebellius Pollio* monet, *aliud in Imperatore, aliud in bono Cive, aliud in Musico flagitari.* & *Pedonis* illud:

Non eadem vulgusque decent & culmina rerum.

Saltatio distinguitur.

6. Absolvimus quid sentiendum sit de Musica; pergimus nunc ad *Saltationem*, quam Musicæ conjunxit Epaminondas. ubi tenendum, quid saltationis nomine intelligatur, & quem usum habeat. Veteres enim ut varios habebant saltationis fines, ita variè distinguebant; sicut apparet

ex

ex Platonis lib. 7. de legibus & Mercurial. l. 2. de re gymnast. 3. Nos quia res facit ad institutum, distinctè agemus, saltationis genus ambiguum à non ambiguo separantes. Est enim genus quoddam saltationis, quo Bacchus & ejus socii utuntur, homine sobrio indignum. de hoc *Cicero* intelligi vult, quando dicit (*in orat. pro Planc.*) *neminem saltare sobrium, nisi fortè insaniat, & in solitudine, nec in convivio honesto aut moderato.* quam saltationem & nos h. l. rejicimus. Melior erat alia, quam *Plato* commendat *l. 7. de legib.* ἐμμελείας nomine, scilicet decentior motus honestis animis, pulchrisque corporibus dignus, quo generosi juvenes se exercebant *vel* in *rebus bellicis & violentis laboribus*; ita ut repræsentarent conflictus & prælia, quo scil. modo olim Lacones à Pyrrhicho edocti saltabant, ut imitarentur corporum flexus, quibus tela plagæque evitabantur; declinando, cedendo, in altum exiliendo, humi se demittendo: contrarios item gestus, quibus videlicet adversus alios aliquid infertur, sagittando, jaculando, ictus inferendo & quæ sunt similia (sicut eleganter saltationem hanc Pyrrhichicam describit *Plato l. c.*) *vel etiam quum saltando exercebantur rebus lætis & secundis*, quæ saltatio appellabatur *εἰρηνικὴ s. pacifica.* ejusdem duæ species proponuntur.

7. Atque talis saltationis *Usus* commendatur à Veteribus. nam quia animus hominum minimè potest esse vacuus, tales in Republica commendabantur exercitationes, quæ præterquam quod loca otiosis & perniciosis cogitationibus nimium patentia supplere possunt, efficiunt etiam corpus ipsum ad labores sustinendos confirmatius & exercitatius. vid. *Iacobi Regis Angl. Δῶρον βασιλ. 3.* Quanti *Plato* pyrrhichicam saltationem fecerit, ostendit, quum in Republica sua Magistros haberi voluit, *qui viros simul ac mulieres edocerent Pyrrhichas,* arbitratus enim est, (quod dicit *Hieron. Mercurial. 2. c. 3.*) *hac una non parum adjumenti accessurum ad adipiscendam militarem peritiam.* hinc etiam *Quintil. 1. Inst. orat. 2.* testatur, *hanc exercitationem Lacedæmoniis ad bella utilem fuisse.* De sequioris ætatis saltationibus nihil attinet hoc loco dicere: quippe quum hic saltationes non aliter attendamus, quam quatenus exercitationi juvenilium annorum viriumque serviunt: quatenus autem sunt instrumenta lætitiæ, alterius πραγματείας desiderant. Usus declaratur.

8. Diximus hactenus paulo fusius de disciplinis quibus se exercuit Epaminondas in teneriori ætate, nunc eodem instituto absolvemus illas, quibus operam dedit, postquam Ephebus factus est: ubi veterum institutum notandum est de *Gymnasticis exercitiis*, (qualia sunt Lucta, pugilatus, saltus, discus, jaculatus, & cursus) de quibus singulis eorumque agendorum ratione, dicere & repetere, quæ clarissimè proposita sunt ab *Hieron. Mercuriali*, supersedemus. Sufficiat hoc loco indicasse quædam *de Scopo & Usu harum exercitationum*, quem deducimus ex ipso Authore, ubi *Corn. Nepos* Epaminondæ institutum commendat, quia non *quæ ad Athletarum*, sed *quæ ad belli usum pertinebant*, *sectatus est*, adeoque exercitium hoc gymnasticum non ad jucunditatem solum, sed utilitatem direxit, nec palæstræ, sed Reipubl. usibus accommodavit. Veteres enim præter alios animi corporisve usus inprimis id spectabant, qua ratione belli peritiam acquirerent, corpusque exercitatum redderent, nec solum propter agilitatem corporis, quod plerique hodie faciunt: sed potius ut honesti & generosi animi discant in otio, quod proficiat in bello: multum enim hoc ad animi magnitudinem proficit. id quod apparuit exemplo Thebanorum, qui hortatu Epaminondæ, cum Lacedæmoniis in Gymnasiis luctantes fecerunt, ut Lacedæmonios quos facilè percellebant, contemnere discerent, & tanquam fortiores fiduciæque pleni bellum inferrent. *Polyæn. l. 2. Stratag.*

Gymnasticorum Exercitiorum proponitur Scopus & Utilitas.

9. Egredienda hic est propositi operis forma, & breviter dicendum, quod veterum aliorumque magnorum virorum judicium sit, de corporis exercitiis: quibus honestior assuescere solet Juventus. ubi *primo* certum exercitiorum *Delectum* facimus. Nam, quod ex *Platonis l. 7. de Legibus* apparet, *Veteres universos corporis motus ita distribuerunt, ut alii decentioribus partibus corporis honestum dignumque aliquid repræsentarent, alii ad vile quidpiam imitandum deducerent.* hinc *Iacobus Rex Angliæ in Δώρῳ Βασιλ. l. 3.* scribit: *Nihil in Principe majorem laudem & commendationem habet, quam corporis exercitatio, in hujusmodi nimirum ludis jocisque quibus corporis vires adaugentur, sanitas conservatur.* Sunt enim certamina quædam rigida nimis & violenta, quæ non ad confirmanda sed debilitanda potius hominum membra sunt accom-

Digressio, qua Exercitiorum corporis explicatur 1. Delectus.

accommodata, quæ hic parum attenduntur. Ex his apparet non omnis generis exercitia commendari, sed ea quæ præter jucunditatem admixtam habent utilitatem, adeoque cum summo bono totiusque vitæ proposito consentiunt, qualia scil. modo in Epaminonda commendavimus.

10. Huc accedit *Secundo loco*, *Scopus & Consilium* harum exercitationum. 2. Scopus & Consilium. Quum enim omnes actiones nostræ certum finem propositum habeant, non immerito veteres etiam in ludicris serium aliquid & utile proponebant. Verumenimverò ut penitius intelligatur, omissis secundariis, qui accedunt finibus; dicemus hic tantum de duobus illis primariis, quorum meminit doctissimus *Mercurial. 1. de re gymn. 13.* Vera enim gymnastica id curat, ut homines exercitationum moderatarum ope & sanitatem acquirant tueanturque; & bonum habitum adipiscantur. præterquam enim quod corporis exercitia voluptatem præ se ferunt, animumque à seriis negotiis vacantem recreant; secundum tritum illud,

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Vt poßis animo quemvis sufferre laborem.

plurimum etiam ad sanitatem conferunt, eam conservant, amissam recuperant: sicut id præclarè ostendit *Mercur. lib. 5.*

11. Verumenimverò frustra *Plato* tantopere commendasset in Republica sua corporis exercitia, nisi publica accederet utilitas, & dum unicuique multum prodesset, Reipubl. maxime conduceret. decrevit hic in *l. 7. de leg. publicos habendos esse magistros, qui gymnasticam pueros puellasque & virgines edocerent.* rationem annectit, *quia ad assequendam militarem peritiam nil melius palæstrica & Saltatoria gymnastica partibus invenitur.* quibus addi possunt, quæ habet *idem l. 3. de rep.* Eadem ex ratione rejecit *Aristoteles* eas exercitationes, quæ corpora Juvenum deformant: æstimavit enim acutus Philosophus prorsumque Reipublicæ deditus, *mitioribus laboribus & mansuetis potius exercitationibus juvenes robustos & in bellicis negotiis verè fortes reddendos esse.* cui assentit ex Latinis *Vegetius*; qui quantopere conferret Gymnastica militiæ, *in libris suis de re militari* abunde declaravit.

hinc *Trajanus* certamina varia spectavit & moderatus est (*Plin. paneg. c. 13.*) & Rex *Theodoricus* (*apud Cassiod. lib. 1. Epist. 40.*) inquit, *Ars bellandi si non præluditur, cum necessaria fuerit, non habetur: & animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione confidunt.* Non ignoravit hoc *Seneca Epist. 18.* ubi monet, *quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas oportet.* Apparet ergò Gymnasticam apud græcas & latinas nationes in pretio habitam fuisse, quod *Vegetius* testatur *lib. 3. præf.* nec Athenienses solum habuisse τακτικοὺς & armorum exercitiis operam dedisse. *vid. Lips. l. 5. de re mil. Rom. dial. 14.*

3. Tempus.

12. Superest ut dicamus aliquid de *tempore* horum exercitiorum: ubi antequam ulterius progrediamur, pauca repetenda sunt, quæ de tempore exercitiorum monuit *Mercurial.* 4, 11. Veteres enim ad exercitia eligebant tempus serenum atque lucidum; fugiebant verò nubilum & crassum; ita ut sese exercerent magis æstate quam hieme, potius diebus serenis quam nebulosis: & quæ sunt alia hujus observationis similia. Verùm quum hæc uniuscujusque conditioni & vitæ instituto accommodanda sint, relinquimus: id tantum hoc loco monentes, quia à natura generati sumus non ad ludum & otium, sed ad severitatem potius & ad quæcunque studia graviora & majora; ne nimium tribuamus his exercitationibus, sed tantum sicut somno & cæteris quietibus utamur tum, quum gravioribus seriisque rebus satisfecerimus. quod *Iacobus Rex Angl.* filio suo commendat. variis enim exercitationum generibus laudatis, tandem hanc cautionem addit, *id semper religiosè observandum esse, ut nullum officii faciendi tempus prætermittatur*, & ita hæc exercitia usurpentur, quod ait *Arist. 10. Ethic. ut promtius & paratius ad officium faciendum accedatur*, nec ad otium & Reipubl. detrimentum. Hæc hactenus in genere de corporum exercitiis proponere placuit: nunc ad propositum redeo.

Studia Epaminondæ philosophiæ vocabulo explicantur.

13. Expositis hactenus exterioribus disciplinis, quibus corpus exercuit, accedimus nunc ad cæteras quibus animum excoluit Epaminondas. Complectitur eas *Nepos* (*c. 2. v. 2.*) *Philosophiæ* vocabulo, hinc *Iustinus 6, 8, 9.* ait, Epaminondæ *literarum studium & philosophiæ doctrinam tantam fuisse, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato.* & Plu-

Plutarch. in Pelopida dicit, audienda philosophia clarum evasisse Epaminondam; quo vocabulo omnes philosophiæ partes comprehendebant veteres. Epaminondas enim & disciplinis theoreticis operam dedit, & moralem philosophiam ad vitæ institutum accommodavit; ita tamen ut inprimis operam daret studio *Politices & Eloquentiæ.* prioris sufficiens testimonium est, quod Nepos meminit (*c.3. v.3.*) *cum in circulum venisset Epaminondas, in quo aut de REPUBLICA disputaretur, aut de PHILOSOPHIA sermo haberetur, nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset deductus.* Eloquentiam verò testatur *c. 5. v. 1.* his verbis: *fuit & DISERTUS, ut nemo Thebanus ei par esset ELOQUENTIA, neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam perpetua oratione ornatus.*

14. Ac de Politices quidem studio non opus est, ut hic seorsim dicatur; tam enim arctè eo tempore cum studio Eloquentiæ cohærebat, ut omnis institutio Eloquentiæ referretur ad argumenta civilia & rerum usum. nec sane (si verum amamus) aliter se res habet: hinc Rhetores seu, ut appellabantur alias, Sophistæ, variis de rebus olim declamantes, inprimis se exercebant in panegyricis, ubi dominabatur Eloquentia; & talibus orationibus, quæ ad usum communis vitæ institutæ rerumque actum accommodatæ erant. vid. *Cresollii Theatr. Rhet. 3, 6. & seq. Sueton. lib. de illust. Rhet. cap. 1.* hinc etiam istæ in circulis habitæ dissertationes, quarum meminit (*c. 3. v. 3.*) pleræque talibus argumentis erant destinatæ, ubi partim disertorum hominum ubertas elegantiaque se prodere, & simul ingenium de rebus pragmaticis accuratè judicandis ostentari posset. Breviter id tantum hic addimus, *plerosque omnes viros civiles Eloquentiæ sedulam dedisse operam. Iulius Cæsar* ut ipse Eloquentia præstantissimorum gloriam æquavit, ita *Octavium Augustum ad erudiendam liberalibus disciplinis singularem indolem juvenis Apolloniam misit.* (*Vell. 2, 94, 4.*) Eodem modo *Antoninus Pius Eloquentiæ studio se dedit*, referente *Capitolino in ejus vita.* videbant enim viri prudentes usum ejus latè patere, *tam in audiendis legationibus*, quam *in consiliis aut publicis alloquiis.* confer *Lipsium in not. ad lib. 1. pol. cap. 10. v. 17.*

Explicatis studiis & disciplinis variis quibus animum imbuit Epam. sequitur à quibus didicerit.

15. Vidimus hucusque quid didicerit Epaminondas, sed

ſed non minus conſiderari dignum eſt, *à quibus didicerit.* varios enim variarum artium habuit magiſtros, & quicunque in aliqua diſciplina excellebat, eum cæteris anteferebat: *Citharizare & cantare doctus eſt à Dionyſio, cantare tibiis ab Olympiodoro, ſaltare à Calliphrone: at philoſophiæ præceptorem habuit Lyſim Tarentinum.* Fuere hi, ſicut dictum eſt, præſtantiſſimi & cujusque artis excellentiſſimi viri. minimè enim fugerat Epaminondam plurimum intereſſe à præſtantiſſimis cujusque diſciplinæ viris erudiri; utpote quod non tantum ad virtutem, ſed etiam ad prudentiam plurimum confert. quum enim ſint optimi illi quibuscum ita verſamur & conſueſcimus, fit ut pro exemplo hos nobis proponamus, & optimè morati reddamur. quod eleganter oſtendit *Theophr. in proœm. Charact.* Sed non minus etiam confert ad prudentiam, quod de ſe ipſe *Cicero* fatetur (*Lal. cap. 1.*) *Ego*, inquit, *à patre ita eram deductus ad Scævolam ſumta virili toga, ut quoad poſſem & liceret, à ſenis latere nunquam diſcederem. itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa etiam breviter & commode dicta memoriæ mandabam, fierique ſtudebam ejus prudentia doctior* (adde *Comment. Nep. p. 45.*) Non incommodè forſan huc referri poteſt illud *Philippi*, *qui* (*ſupplem. ad Curt. 1, 2, 4.*) *non perinde Diis habebat gratias, quod Alexander natus eſſet, quam quod Ariſtotele florente naſci illum contigiſſet, ſciebat enim Vir magnus, ſi Alexander hoc Doctore uteretur, ingens præſidium comparaturum ad res gerendas, nec ſucceſſioni fore imparem.*

Ratio & modus ſtud. breviter indicatur.

16. Niſi properaremus, veniret etiam in argumentum ſermonis noſtri ipſa *diſciplinæ ſtudiique ratio & induſtria*, cui æquè ac educationi plurimum tribuendum eſt, non enim fruſtra annotavit *Nepos 3, 3.* quod *ſtudioſus fuerit audiendi*, dein quod non obiter ſed excellenter voluerit bonis diſciplinis imbui. *triſtem enim ac ſeverum ſenem non prius à ſe dimiſit, quam doctrinis tanto anteceſſerat condiſcipulos, ut facilè intelligi poſſet, pari modo omnes in cæteris artibus ſuperaturum, Nepos 2, 2.* quippe & in *priori* illo propoſito ſatis declaravit, quod plurimum vivæ vocis efficaciæ tribueret, & *altero* illo perſeverantiæ conſilio exemplum omnibus qui civilia attingere volunt, dedit: nihil in his ſtudiis, quorum fructus ad patriæ ſalutem pertinet, debere leviter & perfunctoriè tractari, ſed omnia ſtrenuè & efficaciter in hoc negotio

gotio gerenda, nec ad ſcholam ſeu umbram, ſed ad lucem vitamque publicam dirigenda eſſe. (confer locum *Dion. l. 45. p. 307.*) hac enim ratione non tantum facillimè diſcitur, quod ait noſter (*c. 3. §. 3.*) ſed etiam fructus inde capitur. hoc nimirum eſt, quod Cicero dicit *lib. de fin. cap. 1.* apud *Lipſ. 1. pol. 10.* *non paranda nobis ſolum ſed fruenda ſapientia eſt.* ſic olim veteres facere præclara quam facienda diſcere præoptabant, nec ad vitæ diſciplinam undecim virtutum vocabula referebant, ſed exquiſitam morum intelligentiam, civitatisque juvandæ tot artes, quot actuum humanorum varietates ſunt.

17. Quoniam huc pervenimus, dicendum aliquid eſt breviter *de ſemidoctis politicis*, qui, ut eleganter deſcribit *Tacitus A. 15, 14. doctrina oretenus exerciti animum bonis artibus non induerunt*; nec vitæ ſed oſtentationi, ſi qua ſciunt, didicerunt. *Seneca Epiſt. 106. apud Lipſ. 1, 10, 17.* Hi à republica vitam procul habentes plus proſunt, quam ſi in rerum actu verſantur, utpote quorum ſtudia adverſus fortuita nec ſufficiunt, nec Reipublicæ proba conſilia ſuppeditant; quia non cum Auguſto diſciplinas ἐῤῥωμένως καὶ ἰσχυρῶς perdidicerunt (*apud Dion. l. c.*) longè ergò illis ſunt ſtudia, quibus obiter tincti ſunt, præſertim quum vir civiliter peritus non tantum Rempublicam feliciter gubernare, ſed etiam oppreſſam vindicare & in adverſis tueri debeat: quod ut feliciter fiat, requiruntur hic eximiæ ingenii animique artes; quibus ἀκριβῶς omnia intelligere, *de inſtantibus* cum Themiſtocle *veriſſimè judicare & de futuris callidiſſimè conjicere* oportet, qui tot tantarumque rerum molem ſuſtinere vult. quod quantum laboris, ſtudii & perfectionis poſtulet, non opus eſt, nec vires ingenii permittunt, ut hic pluribus declaremus. *vide Caſel. in propolit. c. 18. & ſeq. Lipſ. 1. Pol. c. 8. ſeq.* Apparet ergò ſtudia leviter tractata parum aut nihil prodeſſe ad reipubl. ſalutem.

Semidocti politici deſcribuntur.

18. Verum hoc parum eſſet, niſi accederet illud alterum, quod plus nocent interdum Reipubl. dum ſcilicet oretenus exerciti *tantum ſententiis aliorum contradicunt* (*Tac. hiſt. 1, 29.*) & conſilii quamvis egregii quod non ipſi aſſerunt, inimici (*Idem hiſt. 1, 26.*) adverſus peritos pervicaces. quia enim rerum cauſſas conſiliaque non intelligunt, fit ut hac ratione nec ipſi dicant, quid faciendum ſit in dubiis rebus, nec aliis permittant,

ſed

sed sua pertinacia & imprudentia Rempubl. in summum discrimen adducant. nihilominus tamen ipsa imprudentia hos sæpe stimulat ad arrogantiam: scilicet hi sibi ipsi placent, & volunt videri plus sapere quam cæteri. certè *VIDERI non esse*. videtur enim in iis egregia externorum morum disciplina (*Casel. in prop. c. 2.*) videntur eloquentes (*ibid. c. 3.*) si externa humanitas probitatis, aut loquacitas eloquentiæ, aut versutia prudentiæ nomen meretur: sed videntur, ut loquitur *Caselius*, tales plebi, scil. quia plus aliquantulum in iis salis inest, quam in aliquo de ipso vulgo; nec tamen sunt: minimam speciem politici præferunt, *satis in iis loquentiæ, sapientiæ parum est, magisque vultum quam ingenium bonum habent.* (*Sallust. Catil. c. 10.*) possis ad nonnullos eorum χαρακτῆρα Megaronidi formatum apud *Plaut. in Trinum.* trahere:

Nihil est profecto stultius neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.

Clarum est ex his, quam longè absint à vero politico scenici illi & adumbrati politici; quum in iis nec vera probitas, sine qua tamen nemo bonus civis esse potest, (quod rectè ostendit *Lipsius ab initio sui operis & Ioh. Casel. in propol. c. 8. 11. 12.*) nec solida prudentia, quæ tamen, ut *Plato* ait apud *Lips. 1, 7, 2.* μόνον ἡγεῖται τῦ ὀρθῶς πράττειν, sola præit ad rectè faciendum. Concludimus ergò ex *Ioh. Casel. propol. c. 24. bona multaque doctrina opus esse, tum viam vitæ civilis ingredientibus tum multum etiam progressis, & in ipsis fluctibus negotiorum versantibus.*

PARS III.

DE MORIBUS INGENIIQUE Facultatibus.

Mores Epaminondæ commendantur, & primo Modestia.

1. ABsolvimus in priori parte de educatione Epaminondæ, ex quo quasi fonte elegantes proveniunt *mores*, de quibus porro expediendum est. Satis quidem in hac parte *Nepos* copiosus est, & ex cæteris *primo* ei tribuit *MODESTIAM* i. e. *civili-*

civilitatem seu illam moderationem, quæ civi contigit qua civis est. Quamvis enim Epaminondas variis corporis animique dotibus cæteros superabat, tamen propterea se non efferebat, sed, quod *Nepos* in *Attico* commendat (25,3,1.) ita se gerebat, *ut communis infimis, par principibus videretur.* Sciebat enim Epaminondas hanc virtutem, ut in omni reipubl. statu, ita inprimis, ubi populus prævalet, commendari, & primum esse inter insolita successuum aut honorum non dediscere æquum jus & civem, nec rebus secundis insolescere: fortuna enim, quæ cuncta mortalium regit, insolentia irritatur, & quo quis major est, eo fortunæ casibus propior, nam, (liceat in *Heroe* applicare illud *Senec. Oedip. à princip.*)

Vt alta ventos semper excipiunt juga,
Imperia sic excelsa fortunæ objacent.

imo,

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.
Senec. Herc. fur. v. 384.

2. Ergo cum *Tito* (apud *Tacitum* 5. *Hist. c.* 1. *& Sueton. vit. c.* 8.) *comitate & alloquiis militum officia* (addo & Civium) *provocet.* confer quæ ad Sueton. locum annotavit *Clariss. Dn. Berneg. in Spec. bon. princ.* ne metu ad dominationem, aut studiis popularium ad ambitum videatur uti, sed demereri quidem ea beneficiis, retinere autem communitate, principibus & vulgo ex æquo placere, placendi ambitum & artes procul habere. Has laudes congerit non tantum *Plinius* (*paneg. c.* 2.) *in Trajanum, qui eo magis etiam eminebat atque excellebat, quod se unum ex civibus putaret: nec minus hominem se quam hominibus præesse meminerat*: verum etiam *Nepos* de Timoleonte fatetur 20. 4. 2. *nihil unquam neque insolens neque gloriosum ex ore ejus exisse.* Quid dicam de Agricola? apud *Tac.* 40, 4. quid de aliis viris magnis? qui non familiaritate superbiam, aut vestitu novitatem (1,8, 4. 7, 7, 3.) sed aditu hilaritatem, voce suavitatem, omni tandem actione comitatem præferebant. *Nepos* 1, 23, 28. 15, 1. adde quæ refert de Philippo Alexandri patre *Plutarch. in Apoph.* Ϲαϲιλικ.

3. Modestiam Epaminondæ excipit *Prudentia*, quæ in eo consistit, ut quis sibi & Reipubl. possit rectè consulere, Secundo Prudentia.

quemadmodum *Aristoteles 6. Eth. c. 5. & Plato Alcib. 2.* loquuntur, hæc est vera illa rerum domina, *cui cuncta quæ sunt, famulantur,* (*Menander apud Stob. serm. 3.*) hæc urbes regit, cives gubernat, ut pie beateque vitam transigant; hæc pace belloque prima est, nec fortunæ subjecta. hinc verissimum illud *Plauti in Trin.* 2, 2, 83.

Sapiens pol ipse sibi fingit fortunam.

& *Cornel. Nep. 25, 19, 1. sui cuique mores conciliant fortunam*, adde *cap. 11.* & *Sallust. in orat. 2. de republ.* Verumenimvero sicut ipse prudentiæ usus in variis negotiis conspicitur, & plurima comprehendit, (quod *ex Ioh. Casel. prop.* supra ostendimus) ita Epaminondæ nostri prudentia eluxit *præcipue* in præclara illa circa leges Reipubl. accommodandas ratione, c. 7. ubi legem *quam Reipubl. conservandæ caussa latam vidisset, noluit ad perniciem civitatis conferre.* Dein apparuit etiam circa quietem in civili tumultu c. 10. ubi præclarum sane ejus judicium, quo *omnem civilem victoriam funestam* judicat. Cætera quæ huc referri possunt, addantur ex *Attici vita c. 6. & Lips. 6. pol. 6.* ubi ex professo tractavit hanc Quæstionem: *An & quatenus se vir civilis miscere debeat bellis civilibus?*

tertio gravitas. 4. Adtribuimus Epaminondæ antea modestiam & humanitatem erga infimos, sequitur nunc *gravitas*, quæ, ne ex nimia humanitate fiat contemtus, cavet. quod *Vitellio* accidit apud *Suet. c. 7.* mixta enim hæc cum humanitate producit novam quasi sobolem, *Authoritatem*, quæ in prosperis ornamentum, in adversis levamentum, in subitis pro consilio, in difficilibus pro telo est. Apparuit hoc in nostro, vivente enim Epaminonda Thebani semper aliis præfuerunt 15, 10, 4. & cum eo imperium esse desiit. Verumenimvero ipsi Epaminondæ dubium est, an plus gloriæ & existimationis, an vero plus utilitatis attulerit? id certè constat, eximia oris morumque gravitate non tantum à judicio capitis discessisse salvum, 15, 8, 5. verum etiam suis pariter atque hostibus (15, 9, 1.) fuisse venerandum, adeo ut foris domi, pace bello, visu auditaque illustris & efficax haberetur Epaminondas. Hæc est illa gravitas quam Attico tribuit etiam Nepos (25, 15, 1.) ubi virtutum quasi quidam nexus conspicitur. non enim sine comi-

comitate severitas, aut gravitas sine facilitate est; sed severitatem comitas, facilitatem gravitas tuetur.

5. Hæc de gravitate morum: commendat *quarto loco Nepos* in Epaminonda, quod TEMPORIBUS SAPIENTER USUS fuerit. quod in parte prudentiæ merito ponitur: sed videbatur tamen seorsim memorandum, ut intelligeretur peculiaris illa vis εὐκαιρίας, quæ quasi comes est, & amica prudentiæ. quippe utrumque laudabile est, & de præsentibus accuratè judicare, & *cum quadam arte & dexteritate temporibus consilia & actiones applicare.* Operæ pretium sane esset paullo altius hic repetere, quæ de *vi temporis circa momenta negotiorum civilium* dicuntur, nisi materiæ sublimitas vetare videretur. plurimi namque laboris artisque est, occasionem insidiis, tempora obsequio captare. commendavit hanc artem in Attico *Cornel. Nep.* variis in locis *vide Comment. Nep. p. 20.* Quanta dexteritate Epaminondas inservierit temporibus, satis vel inde constat, quod, quum videret inter certamina potentiæ & civilia bella ambiguo fortunæ lusu res geri, ita ut ad motum fortunæ quivis se moveret, ejusque arbitrio quiesceret, maluit se domi tenere, quam civilibus fluctibus committere, 15, 10, 3.

quarto. Temporaria prudentia.

6. Temporariam prudentiam sequitur LAUS MILITARIS. Epaminondas enim sicut bonum virum decet, ut pace ita re militari floruit; rebus secundis jura, adversis libertatem defendit. Includit eam Nepos duobus quasi membris, vocans *peritum belli, fortem manu.* peritiam rei militaris *primo* ei adsignat, quam non tantum auditu vel lectu, sed, quod primum, longo usu imbibit Epaminondas; quippe satis ei constabat, plurimum detrimenti afferre Imperatorum *Imprudentiam inscientiamque (15, 7. 4. & 7, 1.)* quum è contra rebus adversis & dubiis sola *scientia* atque *usus* militum subsidio sit. cujus rei veritatem comperit *Cæsar. (l. 2. comm. de bell. g. c. 20. l. 6. ibid. c. 34. & lib. 7. c. 80.)* Dux bello peritissimus. Accedit huic *secundo*, *Fortitudo*, virtus verè bellica. quippe ut rebus pacatis Justitia rempubl. gubernat, ita belli tempore *fortitudo* patriam, libertatem, parentesque armis tegit. compertum hoc est in pugna non tantum Leuctrica, *qua vivis adhuc suis parentibus fortiter Lacedamonios superavit (Plutarch. Apoph. Caeterà.*

quinto, Laus Militaris.

& in vit. Coriol.) ſed etiam *apud Mantineam* (*c. 9.*) quam Thebani cum Lacedæmoniis commiſerant. quorum hoſtium impetum ſolus ita ſuſtinuit, ut quum omnes in eum inciderent, ſolus tamen reſiſtere minimè dubitaret, & quum vitam cum victoria reportare non poſſet, maluit vincere Bœotios, quam vivere ſine victoria. his adde ſi lubet, quæ habet *Plutarch. in Apoph. l. c.* Eximia fortitudinis exempla *Valerio Maximo l. 3. c. 2.* & aliis collecta nil attinet huc exſcribere.

Sexto, Animi Magnitudo.

7. Poſſit videri pars laudis militaris illa MAGNITUDO ANIMI, de qua adjungit (*3, 1.*) niſi latius per omnem vitam pateret. Ea enim eſt vera animi Magnitudo, qua vir bonus ſe ita gerit, ut videatur in eo omnium optimarum & honeſtarum rerum quaſi concurſus, & propterea ab optimis omnibus laudatur. (*Horn. in comment. ad hanc virt.*) quæ ut eo magis appareat in Epaminonda, per ſingula ibimus, & occaſione ſtyli Corneliani de magnanimitatis ratione & natura quædam breviter dicemus. Nam omnium confeſſione ſatis conſtat, Epaminondam ita ſe pace, bello, publicè privatimque geſſiſſe, ut à nullo non laudaretur. & quo quis illuſtrior, eo magis Epaminondam laudibus efferebat. nec gloriæ cupidus fuit, nec pecuniæ (*Iuſt.* in 6, 8, 7.) Honores enim, laudes & opes ſemper ita accepit, prout patriæ Reique publicæ utilitas poſtularet, non ut ſibi ſed civibus prodeſſet. Exemplum adfert *Nepos* (15, 4. 3.) ubi ita ſe gerebat Epaminondas, ut videretur, quod ait *Ælianus l. 5. c. 5.* μεγαλοφρονέστερος τοῦ διδόντος ὁ μὴ λαβών. *adde l. 11. c. 9. & Plutarch. apoph. βασιλ.* In periculis aliisque fortunæ caſibus id ſpectavit, ne, quod plerumque evenire ſolet, rebus ſecundis efferretur, nec adverſis frangeretur. Apparuit hoc ex illis, quæ in Judicio, cum accuſaretur, quod Imperium diutius retinuiſſet (*Plutarch. in Pelop. & παραγγελ. πολιτ.*) dixit: ſatis enim habuit liberaſſe patriam. Publicæ utilitatis cauſſa morte multari gaviſus eſt, & magno animo ſubiiſſet legis pœnam, niſi hujus viri magnanimitas cæteris timorem injeciſſet, *Ælian. var. hiſt. l. 13. c. 42.* Sic non minori conſtantia & fortitudine, ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, audita victoria extraxit: 15, 9. 3. In cæteris negotiis ita ſe gerebat, ut videretur cum amicis

cis fide (15, 3. 4.) cum ingratis civibus gratia; (15, 7, 1.) cum singulis virtute (15, 2, 2.) contendere quasi & certare. Dignitati apud Principes, modestiæ apud cives serviebat; in jocis urbanitati, in omni vita veritati operam dabat; non laude immeritos, convitiis neminem afficiebat, semperque id spectabat, *ut auctor ejus actorque esset, quod in Republ. optimum erat*, 15, 4, 1.

8. Sed pergamus cum Nepote ad virtutes ceteras, inter quas attribuit ei singularem VERITATIS Amorem: quo Epaminondas quæ diceret ageret, non simulata sed vera esse voluit. egregius generosi animi bonoque publico nati character! quantum enim hi tales Reipubl. prosint, facilè inde intelligi potest, quia summa ope nituntur bonæ artis famam quærere, & nomen suum immortalitati consecrare; quod dum exoptant, virtuti quæ sola clara & æterna, imperia constituit, conservat, auget; operam dant, non cavillationibus illis Politicis, quibus omnis veritas maculatur. Licet interim multi ex talibus πλοκαῖς καὶ παλλογίαις omnem politici laudem æstimare audeant; non recordantes: tales in dictis factisque fallacias suam ambitioni debere originem, quæ (*apud Sallust. Catil. c. 10.*) *multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magisque vultum quam ingenium bonum habere.* His dolis atque fallaciis, quia bonæ artes desunt, ambitiosi solent expetere gloriam & imperium, nec quidquam pensi habere, si modo quod expetunt, consequantur; quo facto Reip. vires labefactantur, & civitas paucorum civium egregia virtute sustentata multorum vitiis opprimitur. septimo, veritatis amor.

9. CONTINENTIÆ & ABSTINENTIÆ clarum testimonium est, quod *Nepos* meminit 4, 1. cui addenda sunt, quæ habentur 3, 4. quæque *Plutarch.* refert in *Arato* de justitia & integritate Epaminondæ. posset hic, si velimus latum historiæ campum ingredi, exemplis res declarari: verumenimvero quia modus habendus est, ex multis pauca, ex infinitis unum atque alterum proferemus. Inter cæteros Græcorum hac virtute celebris erat *Aristides*, qui propterea cognomentum *Iusti* tulit (3, 1, 2. 3, 3, 2.) Ex Romanis *Fabricii, qui re familiari paupe-* octavo, Continentiâ & abstinentia.

 res

res rexere gravissima bella, gloria locupletes (*Ammian. Marc. 14. & 24.* adde *Florum lib. 1. cap. 18. v. 21.* & à *Camerte* notatos *Authores*) imo ipsi Romani ab initio imperii gaudebant hac virtute priusquam sc. profunda imperii pecuniæque cupido animos eorum invaserat; ubi adhuc omnis eorum cura in cultu animi & commodis Reipubl. erat. adeò ut hinc verissimè colligere liceat, quod *Sallust. in Cat. & Val. Max. 4, 3. 1.* innuunt: Boni animi temporisve notam esse, si abstinentia & continentia in Republ. civium animis insidet, quum è contra ubi divitiæ honori esse incipiunt, easque gloria potentia & Imperium sequitur, hebescere virtus plerumque & Reipubl. fatum appetere soleat, (*Sallust. Cat. c. 12.*)

nono, Mansuetudo. 10. MANSUETUDO à Nepote *Clementiæ & Patientiæ* nominibus hic laudatur 3. 2. sc. Epaminondas non tantum clementer se erga omnes gessit, sed etiam si injuriis aut calumniis affectus est ab aliis, moderatè & patienter tulit. Lucem his adfert, quod *Nepos* refert, *c. 7. quum enim propter invidiam cives eum exercitui præficere noluissent, duxque esset delectus belli imperitus, cujus errore eo esset deducta res militum, ut omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur: desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia: à quo cum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ, & exercitum obsidione liberatum domum reduxit incolumem.* Insigne in his exemplum dedit omnibus qui civilia attingere volunt; inprimis plebe valida: cujus imprudenti ira (*Lips. 4. pol. 5.*) & immodestia, clarorum virorum *animi virtus etsi non opprimitur tamen imminuitur* (*Nep. in Eum. 5, 1.*) *ne patriæ irascantur, sed injurias à civibus illatas ita ferant, ut plus patriæ, quam iræ tribuant.*

decimo, Taciturnitas. 11. Tandem attribuit Nepos Epaminondæ TACITURNITATEM in celandis commissis (3, 2.) *quæ interdum non minus prodest* viro civili, *quam disertè dicere*; imo plus etiam. hinc non tantum Romanorum laudatur curia, quod silentii salubritate undique munita & vallata fuerit (*apud Val. Max. 2, 2, 1. & Liv. 42, 14, 1.*) Sed Persarum etiam in celandis Regum arcanis mira commendatur fides à *Curtio* (*4, 6, 5.*) *non enim metus non spes elicit vocem, qua prodantur occulta, vetus disciplina Regum silentium vitæ periculo sanxerat*: nec immerito. Veteres enim nun-

quam

quam latuit, *taciturnitatem optimum ac tutissimum rerum administrandarum vinculum esse, nec ab eo rem magnam sustineri posse, cui tacere grave est.* Quippe ea quæ omnium salutem spectant, tacitè geri oportet, & silentio charitas patriæ judicanda est; sine fide amor in patriam nullus est; non taciturnitas in publicis rebus fide, non fides amore caret, sed amor cum fide, fides non sine silentio Rempubl. conservat, defendit, auget.

12. Superest, ut breviter exequamur de HUMANITATE erga amicos & Cives (3, 4.) *fide ad alios sublevandos sæpe sic usus est, ut possit judicari, omnia ei cum amicis fuisse communia*; & quæ sequuntur. In quibus singularis Epaminondæ apparet *Humanitas, constans fide & officiis* non tantum erga amicos, quæ amicitiæ magis quam humanitatis nomen meretur; sed inprimis erga cives tam notos quam ignotos, quibus fecit quod gratum fuit, ita tamen, ut se aliter erga æquales, aliter erga inferiores gereret. Eadem sanè ratione, ut *Pomponius Atticus* consuetudine amicos (25, 4, 1.) superiores gratia (25, 4, 2.) æquales moribus; (25, 5, 3.) inferiores ope; (25, 9, 4.) omnes fide & officiis ita sibi devinxit, ut inde omnium favorem, plurimorum familiaritatem, nullius invidiam consequeretur. Nisi arctior scriptionis modus prohiberet, altius repetenda essent, quæ *Cicero* (*in lib. de off. & Lel.*) *de fide & officiis* παχυλικώτερον philosophatur. verum quia res ipsa profunda est, & latior, quam ut à nobis qui ætate ingeniique viribus impares sumus, in tanta operis angustia explicari possit, aliis considerandam relinquimus. Atque hæc sunt præcipua *de moribus Epaminondæ ingeniique facultatibus*, ut *Noster* supra loquebatur. quippe Ingenii magnitudinem & promtitudinem facilè ex moribus intelliget, qui consideraverit, mores ingenio omnem suam & originem & formam quodammodo debere. Nam de Ingenii ejusmodi eximii conditione jam alibi & ab aliis, occasione talium Exercitiorum, dictum est.

undecimo, Humanitas.

PARS IV.
DE REBUS GESTIS.

1. IN rebus ab Epaminonda gestis occurrunt *primo* maxima cum prudentiæ laude *obitæ Legationes*, quarum *Nepos* meminit

Legationes ab Epaminonda obitæ.

minit *c. 6.* quibus ita functus est, ut hostibus plurimum detrimenti, civibus maximam utilitatem adferret, *nec minus Eloquentia quam Leuctrica pugna hostium opes concuteret.* (6, 4.) ut clarissimè inde appareat, quantum valeat Legatorum Prudentia ad res præclarè gerendas: hi sæpe Eloquentia totam Rempubl. conservant, & quod alii vi impetrare nequeunt, oratione persuadent. Tales Atheniensium fuere *Carneades & Critolaus*, qui missi Romam pacem impetrarunt, & dicendi gravitate senatum Romanum ita moverunt, ut diceret: *ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι πρεσβεύοντας, οὐ τοὺς πείσοντας, ἀλλὰ τοὺς βιασομένους ἡμᾶς δρᾶσαι ὅσα θέλουσιν. apud Ælian. 3. 7.* quanta Prudentia Ismenias, sine dedecore adorans Persarum Regem, res gesserit *Ælian. l. 1. c. 21, & Fridir. de Marselaer. Leg. l. 2.* commemorat, *quippe & negotio suo & gratiæ Regis, simul patriis & Persicis moribus obsecutus est, consiliique dexteritate omnium quæ petierat, compos factus est, insitatisque auctus donis discessit.* Eadem gravitate *Conon* apud *Nepotem* (*in vit. 3, 2.*) res gessit. Quid de Romanorum Constantia? quum *Popilius Lænas circumscriberet Regem virgula, juberetque prius responsum reddere quam egrederetur finito arena circulo*; effecit hac constantia, ut obediretur imperio Rexque se dederet (*Vell. 1, 10, 2.*) possemus allatis exemplis alia addere (ex *Plutarch. in vit. Sull. Frider. de Marselaer l. cit. Polybii excerptis leg. Cassiodor. Var. lib. 1. & Liv. 42, 39.*) nisi cætera Epaminondæ gesta me properare cogerent.

Cætera præclarè gesta summatim indicantur.

2. Non minus commodum Respubl. in pugna Leuctrica accepit, qua superavit Lacedæmonios, *quos ante hunc Imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere in acie.* quod eo clarius apparet, quia magno tum fuerunt in periculo Bœotii, resque eorum eo deductæ erant, ut nisi illi seculo contigisset Epaminondas, ultimum diem habituræ fuissent Thebæ. Lacedæmonii enim tam terribiles, propter multas, quas intulerunt Thebanis clades, facti fuerunt, ut nemo eos aspicere in acie aut primum impetum sustinere potuerit. ab hac ruina & interitu per pugnam Leuctricam Thebanos retraxit Epaminondas; ingenti in Rempubl. imo in omnem Græciam merito! nec enim solum Thebanos vindicavit Epaminondas, sed hostium opes ita concussit, *ut in Leuctris superati, quum de Mantinea bellum*

bellum suscepissent, acieq; contendissent, funditus conciderent, Græciæq; principatum amitterent Lacedæmonii. testante *Diodor. l. 15. p. 47. & aliis.*

3. Insignia facta! præclarè gesta! & procul dubio omnium maxima, nisi majus & illustrius esset, quo Nepos vitam Epaminondæ claudit (15, 10, 4.) *Thebas & ante Epam. natum, & post ejus interitum, perpetuò alieno paruisse imperio, cum eo, quamdiu ille præfuerit Reipubl. caput fuisse totius Græciæ.* adde quæ habet *Lambinus ex Diodori l. 15.* ad hunc locum. & *Just. l. 6. c. 8. ex quo intelligi potest, unum hominem pluris quam civitatem fuisse.* his assentit etiam *Polybius l. 6.* dicens. *καὶ γὰρ συνηυξήθη, καὶ συνήκμασε, καὶ συγκατελύθη τὰ θηβαίων ἔργα τῷ τε Ἐπαμινώνδε καὶ τῷ Πελοπίδε βίῳ προφανῶς· ἐξ ὧν οὐ τὴν πολιτείαν αἰτίαν, ἀλλὰ τοὺς ἄνδρας ἡγητέον τῆς τότε γενομένης περὶ τὴν θηβαίων πόλιν ἐπιφανείας.* Ex quibus clarissimè apparet, viros illustres non casu, sed divino quodam munere Rebusp. contingere, ut eorum humeris ad salutis publicæ gloriæque fastigium Populi gentesque attollantur. Ita de Romana Republ. fatetur *Sallust. Cat.* 53. Cujus magnitudinem paucorum civium egregia virtus parabat. & de Augusto *Vellejus* (2, 36, 1.) qui in Reipubl. decus natus, *omnibus omnium gentium viris magnitudine sua induxit caliginem,* non sine fati cura consilioque. nimirum

———— Sunt maxima cordi
Regna Deo, donatque aliquid plus ille tyrannis
Consilii, quam privata sit mente repostum.

Sicut *Apollon. presb. excid. Hier. lib.* 1. loquitur.

4. Hæc breviter pro ingenii tenuitate à me dicta sint de Epaminondæ vita. Tuum erit, *benevole Lector*, ea quæ minus accuratè dicta sunt, in meliorem partem accipere; quæ errata, corrigere; & tironem tua benevolentia ad altiora animare. Tibi, ô æternum Numen, sit laus, honor & gloria in secula seculorum! Conclusio.

XV.

ROMA SUB SEPTEM REGIBUS.

REPETITA

EX LIVIO ET DIONYSIO HALICARNASSENSI, potissimum.

Lectori Benevolo

JO. HENRICUS BOECLERUS, S. P. D.

CUm Nobilissimus Juvenis, qui has paginas examini commilitonum exponit, mecum de argumento exercitationis Academicæ sermones conferret, suasi, ut Livianam Regum Romanorum historiam, à cujus lectione recens erat, cum Dionysii Halicarnassensis libris, eodem pertinentibus, diligenter & eruditè compararet. Ita enim futurum videbatur, ut, quomodo breviter & in summam dicta, διεξοδικῶς amplificarentur; quæ esset item interior Regiorum consiliorum operumque ratio & explanatio; quæ Græca Latinis jungendi facultas & solertia; promte objiceretur animo, in rem præsentem deducto. In re tanti momenti, favorem meretur, vel voluisse. Quanquam enim intra destinatas semitas haud usquequaque processum sit, nolui tamen interpolare alienam scripturam: ratus, etiam conatibus hisce ab æquitate benigni lectoris, si non laudem, certe veniam exorari posse. Accedet, puto, & laus: si verum est, quod Sapientes sciscunt, in bonis artibus & nobilioribus literis tractandis, etiam voluntatem, in qua omnis successus profectusque omen & pignus constituitur, laudari debere. Vale Lector Benevole. Scr. Argentorati 5. Febr. 1666.

Com-

COmparare plerumque ſolent Hiſtoriam ſpeculo, in quo liceat imaginem vitæ humanæ contemplari. Sed hiſtoriæ idem accidere videmus, ex diverſis ſcribentium artibus & conſiliis, quod ſolet ſpeculis; quorum quædam rem interdum majorem exhibent; nonnulla minorem faciunt, aliqua nativam ſpeciem diſtorquent. Ut autem ſciatur, cui fides ſit habenda, cui deneganda, utiliſſima eſt Hiſtoricorum de eadem materia differentium, & interdum ſtylo, judicio, fide diſcrepantium collatio. Quæ ſi ritè inſtituatur, utilitati lectoris hac in parte non poteſt non conſulere; præſertim ſi cognitis ſeriorum Hiſtoricorum narrationibus, inſpiciantur etiam nugatores, cum examine dubiorum. Sic enim lectoris ſolertis induſtria verum à falſo, ſincerum à fucato, facile diſcernere poterit. Sumantur in manus, quæ de rebus Romanorum in Hiſtoriam retulerunt iſte Græcus & iſte Romanus, & alius neutrarum partium homo, haud dubiè inveniet, pro ſuo quemque captu rem eandem coloribus nil minus quam iiſdem pinxiſſe. In talibus ergò monumentis optimum erit, inſtituere interiorem viroque civili dignam collationem: inde apparebit, quid huic demendum, alteri addendum. ut enim ſemper eadem referant, quos diverſa, more hominibus uſitato, trahit affectio, inſipienter ſapit, qui ſperat. Neque tamen interim Hiſtoria ſua laude defraudanda, ut alibi demonſtratur. De rebus autem populi Romani, multorum Hiſtoricorum ſtilo ſignatis, illud tempus, quod ſub ſeptem Regibus per annos CCXLIV. egit, tot habuit labores, conſilia, caſus; ut ad conſtituendam P. R. dignitatem VIRTUS & FORTUNA contendiſſe videantur. Quare cum ſicut cætera, ita præcpuè præclara ſeptem Regum geſta operæ pretium ſit cognoſcere, mihi conſilium jam pridem fuit in hoc genere ſcriptionis experiri vires ingenii, & eò libentius, quo promptior erat animus morem gerere Magnifico Dn. Præſidi, cui hanc ex rebus Romanis periodum nobis commendare placuit. Accedebat quod materia ſit iis artibus ac diſciplinis digna, quarum gloriam ſemper adamavimus. Ut autem hoc noſtrum inſtitutum fructu omni non careat, dedimus operam, ut comparatione inſtituta non conſenſum modo Hiſtoricorum, in argu-

mento, ſed etiam artes varias, cum memorabilibus materiis, breviter perſequeremur. Fretus igitur benevolentia & auctoritate optimorum Mæcenatum, quibus me meaque ſtudia libens ac merito dicavi, conſecravi; de ROMA, quatenus ſub ſeptem Regibus eſſe cœpit & crevit, pro ingenii modulo exponere conabor], quæ à Livio præſertim libro primo, Dionyſio Halicarnaſſenſi libris quatuor prioribus tradita ſunt.

ROMULUS.

IMprimis autem nunc conſideranda erunt, FORTITUDO Romuli, Numæ RELIGIO, MAGNANIMITAS Tullii, BONITAS Anci, Lucumi SAGACITAS, Servii POPULARITAS, IMPIETAS demum Tarquinii. Ut autem rectè poſſimus, quæ ad ROMULUM primum URBIS Romæ Regem pertinent, judicare; ante omnia aliquid de ORIGINE hujus Herois, deque Educatione & indole erit præmittendum.

ORIGO.

CUm Æneas exciſo Ilio in Italiam pervectus, accepta in matrimonum Latini Regis filia, de ejus nomine Lavinium urbem condidiſſet, ſucceſſorem reliquit Aſcanium filium; qui Lavinio relicto, longam Albam condidit.

Poſt multos deinde urbis hujus Reges, ad poſtremum Numitor & Amulius regno potiti ſunt. Sed Amulius ingenio præditus violento, Numitorem ætate priorem, cui jus & ordo naſcendi & natura ipſa regnum attribuit, oppreſſit. Sicut autem plerumque armis juſtitiam ambitioſi ac feroces metiuntur, præſertim ubi de ſumma rerum agitur (juſtior enim illis eſt, qui maximè viribus pollet) ita plus apud Amulium vis potuit, quam jus, voluntas Patris, aut verecundia ætatis. Pulſo fratre addit ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris virilem interimendo. *Halicarnaſſenſis* adjicit locum facinoris admiſſi, filium, ajens, Numitoris primum nomine Ægeſtum pubeſcentem venandi animo egreſſum, trucidatum eſſe; ſubornatis falſis,

Lib. 1. p. 62. editione Sylburgii.

sis rumoribus, necatum à latronibus; Sed in tempus parens cum populo conficta esse senserat. Verum jam consultius ratus sævienti fortunæ animum submittere, ne validiorem fratrem irritaret, qui tum filiam ejus Iliam, sive ut alii malunt Rheam sive Sylviam nomine, sed cognomine Iliam, in perpetuam virginitatem, ut spem partus adimeret, demersit: addita injuriæ specie honoris, ut non damnata, sed sacerdos electa videretur. Invisos enim aut suspectos specie honoris removere, dominantibus inter artes est. Sed vi compressa Vestalis geminum partum edidit, Marte incertæ stirpis Patre nuncupato, seu ita rata, seu quia DEUS auctor culpæ honestior erat. Numen sive Martem se puellæ hac specie obtulisse, *Dionysius* pro fabula habet, referens aliorum opinionem, qui ipsum Amulium insidiantem potius, quàm libidini servientem stupri auctorem nominant, cunctis faciei notis, quantum fieri poterat, obscuratis, Cui calculum adjicit *Plutarchus*, *deceptam*, inquiens, *ferunt ab Amulio, qui armatus eam stupraverat.* in Editione Sylburgii p. 62. p. m. 29.

Quo cognito, Amulius multiplicato metu proventu duorum pueros exponi jubet, & puellam vinculis oneravit ex quorum injuria decessit. *Livius* ita: *nec dii nec homines aut ipsam aut stirpem à crudelitate tyranni vindicabant.* Sed non desunt, ex veterum Commentariis, qui conjectam in occultum carcerem eumque perpetuum, tradunt; indeque post Amulii mortem fuisse liberatam. Ipse *Dionysius*, quo liberum esset lectori eligere alterutrum, rem in medio relinquit. Sed fortuna origini Romanæ mirabiliter prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit. Utrum autem vera lupa fratrum horum nutrix fuerit, dissentiunt scriptores. *Cicero in L. Catilinam Orat. III. c. 19. p. m. 462. Dionysius lib. 1. Livius* diversam opinionem refert, inquiens: *sunt qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent, inde locum fabulæ datum. Lupas* enim Latini præter notam significationem etiam vocabant eas, quæ corpus vulgabant. *Plutarcho in vita Rom. p. m. 19.* astipulantur *Nicol. Damasc. Excerpta* apud *Valesium.* verba hæc sunt: *Pueri nati ex Ilia, cura ac sollicitudine materni avi, qui eos omni ope servatos voluit, traditi Faustulo alendi sunt.* Non defuisse interim initiis rei Romanæ singularem Divini Numinis curam, ipsa geminorum origo, non una ratione demonstrat. lib. 1. c. 4. L. 1. p. 64. p. 65. Lib. 1. c. 4. p. m. 467.

EDUCATIO.

Plutarchus in vita Romuli p. m. 20.

ITa geniti, ita ἀπὸ μηχανῆς conservati pueri, in prima etiam ætate corporis præstantia indolem egregiam ostenderunt; acres ambo & fortes atque ad objecta pericula magnanimi, planeque intrepidi: Romulus tamen præcellentior consilio & Civili Prudentia habebatur, *præterea factis magnificus, factorum ostentator haud minor erat.* Exinde vicinis statim, quibuscum haberet negotium, magnam de se opinionem præbuit: In sermonibus & studiis liberalibus frequentes ambo, ab otio & inertia, ut re sordida, abhorentes. Sunt enim in pueritiæ quoque annis quædam omina crescentium vitiorum aut futuræ virtutis, moliente jam natura aptum unicuique indoli fundamentum. Ita in his duobus Studium venandi haud obscurum indicium ingenii minimè servilis erat: cum amor venationis semper inter studia Procerum Regumque sit habitus, teste *Xenophonte lib.* 8. sicut ex adverso apud *Tacitum*, Regem Vononem raro venatu, segni equorum cura à majorum institutis propterea diversum Parthi judicabant, regnoque exuebant.

Livius. c. 10.

Lib. 2. Ann. c. 2. §. 5.

Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina & vires & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones à rapina pecorum industriè frequenterque submoverent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, Regi offertur, crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. A Rege Numitori ulciscendus traditur. Sed Numitor adolescentia Juvenis permotus, & in suspicionem expositi Nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis temporibus congruens anxium tenerent; tandem repente Faustulus cum Romulo supervenit: à quo cognita origine puerorum, facta conspiratione, & adolescentes in ultionem maternæ necis, & Numitor in vindictam erepti regni armantur. ita justo DEI judicio, qui scelera Tyrannorum nunquam impunita finit, Amulius obtruncatur.

Justinus l. 43. c. 2.

Hac occasione Romulus cum fratre singularis in avum pietatis exemplum dabat, quod non modo non detrectavit periculum vitæ subire pro avo, sed & interfecto Amulio Tyranno

ranno, regnum reddere, quam ipse invadere maluit: credens illum amplissimum, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui per alterius incommodum & calamitatem, ut Cicero loquitur, ascendit.

MODUS AUT JUS PERVENIENDI AD REGNUM.

CÆterum indoles fratrum ad gloriam & summum honorem adeò strenuè nitebatur, ut meritò inter illos numerari possint, qui dare aliis regna sciunt, ferre Regem nesciunt. Quapropter avo Albana re permissa, illos cupido cepit, in iis locis, ubi expositi erant, urbis condendæ. *Halicarnassensis* hujus consilii heroici auctorem nominat ipsum Numitorem avum, cum non modo periculosum fuisset, sed & parum piè fecissent, si nepotes privato ausu tale quid meditati fuissent. eundem Numitorem pecuniam, arma, frumenta, jumenta suppeditasse, idem *Historicus* annotat, addens rationem, quæ ad has cogitationes avum impulisset, scil. ὡς μὴ δὶ ὑποψίας αὐτοῖς ἔχοι. ut liber à suspicione esset. Haud rarò enim Regibus ea subit cogitatio, ab iisdem, qui ipsos extulerant, periculum sibi imminere, imò speciem servitutis esse credunt, aliorum beneficio regnum possidere. p. m. 72.

Intervenit autem his cogitationibus avitum malum, nimia regnandi cupido, atque inde fœdum certamen coortum à principio satis miti. explicat hoc *Dionysius* plenius: suum quemque, inquiens, multitudo divisa ducem gloriosè prædicabat, atque ut idoneum imperio efferebat. Ipsi quoque non jam concordes fratres sibi quisque principatum affectabant, quod tamen ambitionis malum latebat, donec locus urbi designandus erat. Et quia gemini erant, uter auspicaretur & regeret, adhibere placuit (Ethnico more) auguria. *Remus montem Aventinum, Romulus Palatinum occupavit. Prior ille sex vultures, hic postea sed duodecim vidit. Sic victor augurio, civitatem excitat plenus spei.* Ita *Florus* tradit. *Dionysius* paulò aliter, de Romulo præsertim loquitur; *præ nimia,* inquiens, *festinatione & invidia, priusquam ullum vidisset vulturem, signum fratri nuntiari jussit, ut veniret,* se

Livius l. 1. c. 6. & 7. p. m. 72.

lib. 1. c. 1. p. m. 73.

se priorem vidisse faustos alites (avus enim ejus fore coloniam dicebat, cui priori meliores oblati fuissent alites) *At deprehensa Romuli fraude, cui duplex numerus quidem, sed postea se ostenderat, Remus indignabundus regnum petiit. Tandem utrumq; Regem sua multitudo consalutaverat, tempore illi præcepto, hi numero avium*, verba
Lib. 1, c. 6. *Livii* sunt, *regnum trahentes.*

Inde cum altercatione congressi certamine irarum ad cædem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Adeò verum est, perversam dominandi libidinem etiam naturæ vincula dissolvere: cum sit affectus hic judicio *Taciti, reliquis omnibus*
Loco citato. *flagrantior.* Sive enim in pugna, quod *Dionysio* placet; sive jussu Romuli aliena manu, aut fraterna, quæ fama *Livio* vulgatior; Remus interiit, factum hoc purgari nullis prætextibus potest: cum multum ex calliditate Romuli isthæc consilia habuisse, manifestum sit; quod ex Nepotibus ejus *Cicero*
Lib. 3. Offic. ingenue fassus est, dum dicit: *Omisit Romulus & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset, muri causam, speciem honestatis neque probabilem, neq; satis idoneam opponens.* Quo nomine etiam à Lucano notatur his versiculis:

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Fratre itaque sublato, Romulus nil prius, nil antiquius ducebat, quam ut eam multitudinis partem, quæ Remo adhæserat, sibi conciliaret. Hoc fine avi monitu prudenter de Republ. ordinanda, de variis regiminis formis, commodis & incommodis coram populo disseruit: jubens dicere per suffragium; num uni rectori, an paucis parere malint. Ipsam o-
p. m. 78, 79. rationem memoratu sane dignam exhibet *Dionysius.* Tandem omnium suffragio Rex declaratus hominum voluntati Deorum auspicia adjunxit, fulgurisque sinistri captandi ritum, postea solennem, primus instituit.

RES GESTÆ PACE.

QUoniam verò ad potentiam omnia Romuli consilia studiaque spectabant, videndum, quibus artibus Imperium, quod

quod à parvis initiis ad summa crevit, constituerit, muniverit atque firmaverit. Imprimis autem prudentiam suam ostenderat in loco condendæ urbi designando. Elegit autem locum illum, ut *Livius* loquitur, ubi *expositus, ubiq; educatus erat*; non tantum quoad memoriam (natale enim solum summe diligi notat hic *Gruter.* citante *Freinsh.*) sed maxime ob loci opportunitatem, quæ multũ ad civitatis felicitatem conferre potest, præsertim si vel usus vel natura talem genuerit, vel ars construxerit, vel prudentia accommodaverit. Magnum enim Civitatis est munimentum, magnum augmentum, si limitibus arcifiniis muniatur, si describatur situ facili ad cõmeandum, ad agendum, ad cõmunicandum, quæ ubertati & copiis destinantur; si spatiis minime angustis contineatur. Hæc omnia Romulum, qua erat sagacitate, in animo habuisse, diligenterq; observasse, dum prima urbis Romæ fundamenta jacere voluit, intelligent illi, quibus per otium & tempus concessum est consulere *Dionysium Halicarnassensem lib. 2. de Antiq. Rom.* ubi de situ urbis Romæ prudenter disserit. p. m. 77, 78. Singulare quoque civilis sapientiæ specimen noster edidit, dum mature perspiciebat, sine copia virorum ac hominum multitudine, non modo, ut militant, sed ut civitatis vario usui destinantur, parum feliciter Imperium constitui; beneq; intelligebat, id si ampliori quodam paratu fiat, felicitatis civilis partem esse optimam, quæque reliquas ferè constituat & firmet. Cum locis excolendis nullum subsidium sit potentius, quàm plurium & opera & ingenium. Ut ergo abundaret civibus nova urbs, ac undique congregaret hominum multitudinem, usus est artibus ac inventis ejus generis, quæ probari partim, partim in reprehendendis poni, nonnullæ veluti per artificiosum excusationis genus in dubium vocari soleant. Livius c. 8. Hujus generis specimen offert se in *Asylo*, à Romulo instituto, quia exemplo & consilio veterum condentium urbes hoc inventum non carebat, Græcorum præsertim, Dionys. p. 88. qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam è terra sibi prolem, mentiebantur. Cæterum Asyla ita institui posse, ut templa misericordiæ, non receptacula scelerum sint, nemo ignorat. Quemadmodum tamen crebro in abusum trahi soleat ista res hodienum, notius est

quam ut ostendi debeat. Et vi quidem expulsos aut inimicorum odia fugientes recipere ac tueri, manifestam laudem, neque invidendam incrementi occasionem habet, sicut multis primum id ad cœptam magnitudinem roboris fuit. Sed nec pericula desunt, cum sæpè quidem receptaculum habuere in aliena civitate, qui pœnas domi metuentes, aliò se conferunt, vitandi judicii ergo, liberius & excusatius, si nemo reposcit aut incusat; non æque tuto, quotiens jus suum persequentibus, non obstare, ad civitatis cujusque justitiam pertinere creditur.

Grot. de I. B. & P. l. 2. c 21. §. 5. sq. & Bacon. in Hist. Henr. VII.

Inter consilia non modo licita, sed & laude digna ponendum, *Legum* subsidium, quibus frequentia civium ordinaretur. Ita operam dedit constituendis præsertim matrimoniis, ne impuro callidoque cœlibatui, qui numerum civium maximè impedit, locus esset. Quam ejus curam *Livius* notat his verbis: *Videbat multitudinem nulla re, præterquam legibus in populi unius corpus coalescere posse.* Imprimis laudat ejus bene deliberatas rationes in hoc negotio *Dionysius*, cujus judicio nulla Resp. rectè se habere potest, nisi societas nuptialis bene colatur. Quare hæc omnium legislatorum in informanda civitate occupatorum perpetua cura esse debet. Non male hæc Romuli instituta quæ circa liberorum educationem referuntur, idem Historicus posteritati commendare aliquot paginis voluit.

l. 1. c. 8.

p. 94. 95. Tacitus l. 3. c. 24.

Sed festinandum ad tertium genus, quod inter dubias augendæ multitudinis artes autores referunt. *Raptum* scil. *mulierum*, merito dubium inventum vocant scriptores, cum jure quidem in penuria mulierum finitimarum connubia petierit, sed injustè negatas, parum pio conatu abstulerit. de hoc tamen facinore infrà, ubi de causis belli agendum erit, aptior erit disputandi locus.

Neque interim potentiam novæ Civitati solus præstitisset hominum numerus, nisi accessisset & varietas & distinctio, juxta munia & operas civilis vitæ. Modus namq; ut omnium rerum, ita multitudinis spectari debet: tum ne inhabilis ad regendum sit illa moles, tum ne unum genus hominum nimis abundet, alterum deficiat. Ad monstri enim naturam accedunt corpora, in quibus membrorum habitus abnormi inæqualitate ibi exuberat, hic delinquit. Studiosè ergo Romulum

lum eò ſpectaſſe, ut diſtinctam tum aliarum artium, tum imprimis opificiorum culturam ſuis commendaret, teſtatur *Dionyſius*: *Sellularias*, inquiens, *ac ſordidas & turpium cupiditatum incitatrices artes ut corporibus atque animis tractantium noxias, ſervis & exteris exercendas tradidit, duo tantum ingenuis ſtudia relinquendo, rei militaris ac ruſticæ: & licet parum commodum erat, quod homines iidem & militare & agros colere debeant* (*Dionyſii* verba hæc ſunt: τοῖς αὐτοῖς τόν τε πολεμικὸν καὶ τὸν γεωργικὸν ἔταξε βίον. iiſdem tam bellica quam ruſtica injunxit munia) ut hoc fieret neceſſitas exegit, non melioris diſciplinæ ignoratio effecit, cum præſentior rerum in majus profectarum uſus maturè id correxerit. p. 98. p. 98.

Verum ad rationem corporis nondum ſufficere, ſi & copia & modus & varietas membrorum adſit, niſi diſponantur ſuo quodque loco & connectantur ordine & apte vinciantur, eundem Heroem non latere poterat, cum ad felicitatem plurimum intereſſe crederet, collectæ multitudinis ordinem & diſpoſitionem. Eum in finem religionis curam tam ſanctam eſſe voluit. ut enim abundet civitas civibus DEI primo munus eſt, non eo tantum nomine, quatenus alias nationes magis, alias minus fœcundas pro diverſo locorum cœlique habitu eſſe voluit, ſed etiam ex ſingularibus cauſis, occultisque, ob quas creſcere aut diminui fataliter ſolent populorum vires. Et, ut explicatius dicam, haud ignorare poterat, Dei potentiſſimo nutu, civitates ab infimo ad ſumma proficere, Dei robore valere rerum faſtigia, Dei conſilio ab uno ad alium moles Imperiorum transferri.

Nec minus novæ urbi Romuli induſtria in diſponendo & ordinando Imperio profuit, qua univerſam multitudinem in tres diviſerat partes, ſingulis ſingulos duces præficiendo; harum unamquamque rurſus in decem partitus, totidem eis duces præpoſuit. Quarum partium majores *Tribus*, minores *Curias* appellavit. Has Græci φράτρας ſive λόχους: illas φυλὰς ſive τριττῦς dicebant; ſicut tribuum præfectos φυλάρχους & τριττυάρχους iidem nominabant; quos Romani *tribunos*: alteros, curiis præpoſitos φρατριάρχους & λοχαγοὺς; quos Romani *curiones* appellabant. Curiæ rurſum in *Decurias* ab eo diſtributæ, & cuique Decuriæ ſuus præfuit rector, *Decurio* dictus. In quibus

omnibus ſummam reip. civiumque æqualitatem paci æque ac bello idoneam eum obſervaſſe & procuraſſe ipſe *Dionyſius* cenſet. p. 82.

Inter prudentiſſima quoque hujus Herois conſilia alia, non ultimo loco collocandum inventum illud laudabile, quo jus *Patrocinii* ad mutuam inter patricios atque plebejos obligationem introduxit; quod inſtitutum non immeritò *Dionyſius*, ut utiliſſimum reip. vinculum commendavit: ideò non contentus, illud, ſicut à Romulo ordinatum, enarraſſe, una cum utilitate juris iſtius, ſed primam quoque ejus originem, finem & formam denique partite ac diligenter exequitur. Sed cum ab aliis collecta ſint peculiaribus opuſculis, quæ hic dici poſſent, ad ea lectorem remittimus. Inter quos *Martinus Magerus* vetera & recentia, diligentia non minore quam copia executus eſt.

Pergimus ad conſilium illud, quo *honores atque dignitates* ad ſubditorum ſalutem diſtribuit. cum enim in tantum creviſſet, ut virium haud pœniteret, centum creavit ſenatores, ſive quia is numerus ſatis erat, ſive quia ſoli centum erant, qui creari Patres poſſent, exemplo ab Athenienſium Republ. ſumpto, ubi illuſtribus familiis ortos, opibusq; præpollentes, penes quos fuit civitatis regimen, Patricios vocatos fuiſſe conſtat. Inter calumnias refert *Dionyſius*, quod Patricios ideò dictos quidam volunt, quia ſoli illi poterant Patres oſtendere, cum reliqua fugitivorum turba fuiſſet; rationibus quibus innituntur diligenter refutatis. Quando igitur quæritur apud *Jacobum Draconem*, qui de Patriciis memorabilem ſcripſit Commentarium: An Patriciatus hodiernus ſit juris gentium, an Civilis; 1. Fruſtra dicitur hodiernos Patricios ſurrogari Romanis veteribus Patriciis, ſive primo generi Patriciorum. Surrogatio enim ne per ambages quidem & multa poſtulata oſtendi poteſt. 2. Jus Civile de Patriciis, quod ab Henrico Aucupe dicitur conſtitutum, neque ſupereſt, neque hodie locum tenet. Imò in aliquibus locis conſuetudine potius, quam ſcripto jure conſtat Patriciorum civium dignitas: poteſtque non abſurdè dici, moribus gentium ita comparatum eſſe, ut Senatores in Civitatibus, eorumque liberi aliqua dignitate præ cæteris civibus eminerent.

Lib. 1. c. 2. ſub finem.

Am-

Amplificandis opibus & firmandæ potentiæ causa, contrahere *fœdera*, Regibus inter artes est. Unionis arctioris fœdus fuit, quo Romulus Sabinos, eorumque Regem Tatium adscivit, de quo genere consociationis non una est omnium sententia, Claudius apud Tacitum nomen Romuli celebraturus dicit: *Conditor noster Romulus, tantum sapientia valuit, ut plerosq; populos eodem die hostes, deinde cives habuerit.* De Sabinis dicit *Grotius: non amisisse jura sed communicasse cum Romanis.* Accepit Titum Tatium Sabinorum Regem in Regni societatem Romulus, quando scil. interventu mulierum uterque populus non pacem modo, sed & *civitatem unam ex duabus fecerunt, Regnum consociarunt, Imperium omne contulerunt Romam.* Quæ verba *Livii* satis ostendunt, Sabinos ita accessisse Romanis, ut una esset Civitas, Romana scil. Sabinis in communionem juris Romani ascitis, quod amplius *Dionysius* exponit, & *Imperio* Duumvirali ad tempus instituto, manente nomine Regio. Quin imò non per ambages historicus ostendit rem ipsam, & vera jura Sabinorum in civitatem Romanam cessisse, inania quædam simulacra, de nomine Sabinorum usurpata esse. Ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, *Quirites* à Curibus appellati. *Geminata* urbs est, accessione alterius populi amplificata. non enim duo jam populi sed unus erat, additis Sabinis auctus. Expirante ergo Duumviratu temporario morte Tatii, non creatus est ex numero Sabinorum alius collega (sicut fieri debuisset, si mansura societas Imperii etiam in una civitate instituta esset) sed ab unius nutu omnia pendebant. Certum igitur, hac consociatione civitatem Sabinorum, factam esse partem Civitatis Romanæ i. e, non mansisse civitatem, quicquid simulacri causa obtenderetur.

Lib. 2. Ann. 24. 7.

Lib. 2. c. 9. §. 9. de I. P. B.

Lib.

Lib. 2.

Livius Lib. 1. c. 13.

RES GESTÆ BELLO.

CUm Romulus vitam humanam sic comparatam esse didicisset, ut nunquã plena securitas contingeret, in incertos metus, partim à Divina providentia, quæ sola Reges variis periculis expositos tutari posset, partim ab innoxia cautione sibi præsidium petendum esse prudenter censuit, quod ad se

aut regnum tuendum utiliter adhiberet. Milite autem & armis hoc fieri magis notum est, quam ut hic ostendi debeat. Viros autem militares ab officio & usu partitus est in custodes ac satellites, milites ordinarios ac perpetuos. *Livii* testimoniū de his Romuli custodibus clarum est, *trecentos,* ait, *armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello solum sed etiam in pace habuit.* Idem auctor *venerabilem insignibus Imperii Romulum se fecisse ait, & cum cetero habitu augustiorem*, tum maxime lictoribus duodecim sumptis. Custodum & satellitum quantus in Regio fastigio usus sit, *Lipsius* explicat. An autem numerus lictorum ab avium numero à Romulo visarum, an ex more Hetruscorum, unde & apparitores & sella curulis & toga prætexta sumpta, mutuatus sit, aliis disputandum relinquimus. Nobis persuasissimum hoc est, inter prudentiæ accuratioris inventa meritò referendum, quod imperium suum Romulus insignibus à lictoribus portatis ostentare, atque figurare voluerit. His enim tanquam symbolis vel profundior Majestatis natura, vel dignitas sanctitasque quodammodo declaratur, ac hominum venerationi commendatur. Hinc tot augustissima Regni symbola omnis ætas usurpavit, quæ vulgus ut instrumenta scenæ intuetur, Prudentes ut mysteria Imperii venerantur.

lib. 1. c. 19.

cap. 8.

Lib. 4. Pol. c. 7.

Videndum jam, qua in ipsis bellis noster Romulus sit usus prudentia. Cum autem in omnibus bellis *causa* sit spectanda, quæ velut caput Bonæ spei est, ante omnia inquirendum, quæ & quales illæ non à parte hostium solum, contra quos se defensare coactus erat, sed & ipsius Romuli fuerint. Manifestum autem ob *raptum virginum* finitimos prima movisse arma, exindeque reliquis hostibus occasionem ad infestandos Romanos datam esse. Cum autem hic locus de raptu virginum salebris non careat, diligentius inquirendum erit. *Augustinus* quidem ita de hoc facto judicavit, ut Romanis ob negata matrimonia justam belli causam tribuisse visus sit. Et Poëta jus in oculis habuit, cum scripsit:

Lips. Pol. l. 5. c. 3. 9. 11.

Externis dantur connubia gentibus, at quæ
Romano vellet nubere nulla fuit.

Verūm *Augustinus* comparatè agere ad fraudem obtentu spectaculi & pacis velatam videtur: tum dubitanter: *aliquo enim*

FOR-

FORTASSE, inquiens, *jure belli injuſtè negatas juſtè victor auferret.* Sed *Albericus Gentilis* figuræ, non dubitationi hanc voculam deputat, & cauſam pro Romanis diſceptat *in libello de armis Rom.* l. 2. p. 113. Itaque aliqui hoc bellum in neceſſario ſuſceptis numerant. Sane conſtabat hic de illorum, qui matrimonium negabant, hoſtili conſilio & conſpiratione, ad excidium novæ civitatis ſpectante: cum potius tanquam vicinis humanitatem deberent. Additæ ſunt verborum contumeliæ: quæ importunitas juſtum Romanis dolorem excitavit. Verum ut populus virorum ad hunc modum deſtituatur matrimoniis, neque in vicinia impetrare ea poſſit, per longinquas autem & transmarinas peregrinationes neque tempus neque facultatem habeat quærendi, non exiſtimamus facile poſſe contingere. Si tamen aliunde nulla copia, & qui primum rogati ſunt, abundant mulierum innuptarum multitudine, dubium non eſt, quin auctoritate publica induci poſſit idoneus numerus, ad talia matrimonia optanda, & ultro volentibus nubere adjungi: nec ſupererit cauſa querelæ negati matrimonii, ubi hoc fit.

Verum Romanorum Legatio, qua connubia ambiebant finitimorum, *nuſquam benigne audita: adeo ſimul omnes ſpernebant Romanos in medio creſcentes metuebantque.* Liv. l. 1. c. 9. Quod nec Salluſtium latuit, cum dicit: *Invidia ex opulentia orta eſt.* in Catil. c. 6. Ideò diligenter diſtinguendæ cauſæ belli juſtificæ à ſuaſoriis. Licet cum juſtificis ſuaſoriæ, quæ ſub ratione utilitatis veniunt, haud raro concurrant. Quod perſpicuum eſt in raptarum virginum parentibus: licet enim raptarum animos placarent blanditiæ virorũ, factum purgantium cupiditate atque amore, quæ maximè ad muliebre ingenium efficaces preces erant; tamen indignabundi Sabini congregabantur undique, & legationes ad alios concitandos mittebant. Titi Tatii Sabinorum Regis nomen eo tempore maximum erat: qui lente agere viſus ceteris, pro ardore iraque petentium: Soli ergo Cæninenſes non expectatis Cruſtuminiorum atque Antemnatium ſubſidiis in agrum Romanum impetum fecere. Verumenimverò levi certamine à Romulo victi, edocti ſunt: vanam ſine viribus eſſe iram; Livius l. 1. c. 10. ſpolia inſuper opima de Rege obtruncato in prælio reportata, ac Feretrio Jovi ipſius Romuli manibus dicata. Ceterum

terum hæc Romuli fortuna adeò rari decoris fuit, tam gloriosa, ut ipse Historicus fateatur, *bina postea tantum per tot annos, tot bella, opima parta fuisse spolia.* Clades contra hostium non modo gravis sed & maximè fœda, cum impetus illorum, judicio Historici, imprudentiæ potius quam fortitudinis speciem haberet, nec attendebant miseri homines impatientiæ errores pejores esse tarditatis deliquiis, cum *Seneca Tragico monente*,

lib, 1, c, 10.

—— —— —— sæpe sanavit mora

Quod ratio nequiit.

in Agamemn. act. 2. v. 23.

Inde contra Crustuminos bellum translatum, ubi *minus etiam, quod jam alienis cladibus animi ceciderant, certaminis fuit.* Proxima enim quæque victoria instrumentum sequentis plerumque esse solet; observante *Justino.* Fidenates quoque ex insidiis à Romanis impetiti & multiplici terrore perculsi graves ambitionis suæ pœnas dabant, cum bellum occuparent facere Romanis ideo, quia vicinas illorum opes nimis convalescere videbant. quam injusta autem bellandi causa sit, quam metus ex vicinorum potentia suppeditat, *Grotius* graviter demonstravit.

lib, 1, c, 1.

de I, P, B, l. 2, c, 22, §. 5. & l, 2, c, 1. §. 17.

Nec meliorem sunt experti fortunam Vejentes, Antemnates, ut & Sabini, quibus cum bellum fuit maximum, graviusque certandum, ideò quod nihil per iram aut cupiditatem, qua plerique antea, agebant. Ipse Historicus horum prudentiam non potuit non laudare: *bellum,* inquiens, *non prius ostenderunt quam intulerunt. Consilio additus dolus, quo Tarpejam virginem ita corrupere,* ut non dubitaret, spe auri pacto promissi armatos in arcem accipere; ne autem aliquid proditori usquam fidum esset, accepti obrutam armis necavere. De ipso facto disputat *Albericus Gentilis* in utramque partem de *Armis Romanis.*

l. 1. c, 11,

p. m. 16. 122.

Ipsa virgo quidem proditionis mercedem morte merito luebat, cum plerumque cum Antigono apud Plutarchum soleant Reges prodentes amare, odisse, cum prodiderint. Eo enim in tales animo sunt illi, qui eorum operam requirunt, ut veneno & felle quarundam maleficarum bestiarum qui opus habent: operam eorum dum ex usu est amplectentes, scelus ubi voto potiti sunt exsecrantes. Cum sine culpa virginem ad id impellere aut solicitare non potuerint, quod in perniciem

in Vita Rom. p. m, 28,

ciem patriæ ipsius tendebat: semper enim qui alteri peccandi causam dat, peccat & ipse. præsertim cum illorum opera requiritur, quorum facto perfidia inest. Grotius de I. P. B. l. 3. c. 1. §. 21. seq.

Quomodo tandem & quibus conditionibus hoc bellum (dum laceris comis mulieres intervenirent, suaque miseratione consilia pacis injicerent,) finitum atque compositum sit, colligi potest ex iis, quæ supra dicta sunt de fœdere cum Sabinis pacto. Hæc domi militiæque immortalia Romulus edidit opera, ut orbis Imperii fundamenta jaceret, qui incerta tandem morte extinctus interiit.

FORMA IMPERII.

QUando jam de Forma Imperii sub Romulo quæritur, & an potestatem vere Regiam habuerit hic Heros? nihil est, quod sinat nos ea de re dubitare, si monumenta de rebus Romanis nobis relicta penitius introspiciamus. Primo enim in universa historia Romuli nihil est, quod nos citra figuras & ambages doceat Jura Imperii divisa fuisse inter Romulum & Patres, quos ipse creavit. Deinde argumenta fortissima sunt pro absoluto Imperio: Leges tulit suo nomine solus, Senatores solus constituit & destituit, hostes pacis conditionibus & placavit & fœdera inivit solus. Quantum ejus jus fuerit circa sacra *Dionysius* explicat. *plebi*, inquit, *tria commisit Romulus, Magistratus creare, leges sancire, de bello, si Rex permisisset decernere, non tamen absolutam in his populo esse potestatem voluit.* p. 124. 125. &c. addam Testimonium *Taciti*, qui non dubitat Romulo tale assignare Imperium, ubi nulli mixturæ locus erat, *nobis*, inquiens, *Romulus ut libitum, imperitaverat.* Mixtura igitur, si qua fuit, postea locum eam invenisse, dicendum erit. lib. 3. Ann. c. 26.

NUMA POMPILIUS.

ORIGO.

SUccessit Romulo Numa Pompilius, filius Pomponis Pompilii, ex quatuor fratribus minimus. *Plutarchus* simpliciter vocat Pomponii Viri illustris prolem. De nativitate hujus In vita ejus p. m. 61.

p. m. 568. *Excerpta Peiresciana* hæc referunt: Hunc rerum Sabinorum peritissimi, eodem die natum esse ajunt, qua Roma condita est. *Plutarchus* addit ipsum diem nativitatis: *divino*, inquiens, *casu eadem genitus die, qua Romulus condiderat Romam, id est, undecimo Kalendas Majas.* Cæterum idem scriptor memorat, tantam fuisse Numæ apud omnes gloriam, ut Tatius Sabinorum Rex unicam ei filiam Tatiam nuptum daret. *Vir, ut in illa quisquam ætate*, verba *Livii* sunt, *esse poterat, omnis divini atque humani juris consultissimus, justitiæ præterea atque religionis laude inclitus*; & sicut Regio genere natus erat, ita Regia prædites forma, disciplinis se dederat non inutilium literarum, à quibus aliàs Principi maximè cavendum esse, *Lipsius* monet, sed quibus in virtutum studio erudiretur, & sic naturam ad omnes virtutes temperaret. Hinc *Temperato fuisse instructum animo*, *Plutarchus* refert, ejusque sapientiam adeò admirati sunt Romani, ut non dubitaverint ad Deûm monita illam referre; fabulati identidem ad eum ventitasse Ægeriam Nympham eumque regiam docuisse prudentiam. Haud melior illorum opinio, qui auctorem doctrinæ ejus falso Samium Pythagoram edidére. Licet enim hoc Samio Pythagora alium antiquiorem vixisse, cum Vossio credamus, illud tamen quod Numa cum tali sit versatus unquam, nescio quomodo probari possit, cum in nulla, (verba sunt *Dionysii*) vel Romana vel Græca reperiatur quicquam Historia.

In vita ejus p. m. 61.

l. 1. c. 18.

lib. 1. Pol. c. ult.

In Vita illius p. m. 62.

In Historic. Græc. p. m. 409.

MODUS PERVENIENDI AD REGNUM.

ANtequam pergamus, nonnihil cum *Livio* & *Dionysio* subsistendum erit, ut memorabilem, quam de interregno hoc tempore facto annotarunt, historiam delibemus. Postquam enim Romulus finem vitæ violenter an fato impleverat, varii fuere animorum habitus, in communem tamen quendam libertatis sensum congruere videbantur, dum aliqui finem Regii Imperii, quidam initium resumendæ libertatis atque novæ spei occasionem advenisse credebant. Inprimis autem Patres, morte Principis, nulla relicta prole, summæ rei arbitrium, certamine

tamine regni ac cupidine animos illorum versante, ad se devolutum esse rati sunt. Tandem delata ad magistratus administratione interregnum factum: Et licet in variis voluntatibus, Regem tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta: *natura enim multitudinis libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, nec unquam habere scit*, notante *Livio*. lib. 24. c. 25. Ipsius interregni formam & modum gubernandi legere potest qui vult apud *Livium*, *Dionysium* & *Plutarchum*, qui diligenter omnia describunt. l. 1. c. 16. p. m. 119. In vita ejus p. m. 61. Mox autem pudor interregni subire cœpit, plebe fremente, multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos, quibus dispar ingenium nec voluntas in omnibus eadem. Adeò verum illud *Ciceronis*: *In multitudine est varietas & crebra tanquam tempestatum sic sententiarum commutatio.* pro domo sua ad Pontifices p. m. 568. c. 4. Tandem patres haud ignorantes plebem non nisi Regem ab ipsis creatum passuram, *offerendum ultro sunt rati* (verba *Livii* sunt,) *quod amissuri erant.* lib. 1. c. 17. Hæc Patrum modestia plebi adeò grata fuit, ut ne victi beneficio viderentur, id modo vellent, notante eodem historico, ut Senatus decerneret, qui Romæ regnaret. eodem loco. Mox alii de creando Rege fluctus & motus animos civium inquietaverunt, dum non de viro tantùm certatum, sed & utra gens Principem daret contentiosè deliberatum. Quoniam autem nemo magnopere eminebat in novo populo, Numa denique è Sabina gente Rex declaratus est. Missi ad eum legati, qui Senatus ac Populi Imperium offerentium desideria exponerent: cum ille, malle se privatum vivere responderet, singulari sua modestia Patrum atque civium animos ita sibi conciliavit, ut neminem illi præferre ausi sint. Meritis itaque prius quam potestate Princeps, ætate providus, usu peritus, actu strenuus, pronum ad Imperii authoritatem sibi iter stravit.

RES GESTÆ.

Licentiam bellorum sub Romulo gestorum multa disciplinæ publicæ vulnera, multas labes attulisse non dubitandum, cum militis victoris animus tanquam debitum perpetuæ licentiæ præmium affectet, & victi trucem cladis memo-

riam vix aliter quam dedignatione parendi solentur. Hinc heroico opus erat spiritu, qui nullam occasionem emendandæ disciplinæ omitteret, quique fortem animum genio seculi rudi opponeret, malarum artium latebras scrutaretur, diligentia, & labore inquireret. Præcipuè autem ejus diligentia in finibus Imperii Romani tum publicis tum privatis terminandis muniendisve occupata erat. Ut enim regnum suum certis complecteretur finibus, atque ita Romanum agrum à vicinarum urbium prædiis distingueret, bella assiduè cum finitimis, nec raro de finibus aut occasione contiguorum finium sub Romulo mota hortabantur. Eam ob causam Deos Terminales excogitavit, eisque Ethnico more sacra fieri jussit. Ipsorum sacrorum ritus *Dionysius* fusè describit. Ut eandem curam in limitibus agrorum privatorum discernendis adhiberet, unumquemque hortatus est, ut suas possessiones circumscriberet, positis in extremo lapidibus. Et ne sua cuique cupiditas possessionum limes esset, legem tulit, ut caput ejus, qui aliena vel vi vel dolo prædia appeteret, Deo terminali devoveretur, promissa etiam impunitate, si quis talem tanquam sacrilegum interfecturus esset: adeò sedulo cavebat, ne ipse neve alii aliena haberent, sed quilibet propriis contentus esset. Exemplum omni posteritati commendandum.

lib. 2. p. 133. 134.

Pertinet ad Tutelam Imperii amicitia externorum, ut omnibus constat: idcirco fœderibus jungendis & societatibus contrahendis Numa fuit studiosissimus. *Omnium animos*, inquit Livius, *finitimorum societate ac fœderibus junxit*: quin perpetuo justitiæ & pietatis studio effecerat, ut amicitia ejus ultro ambiretur, cunctaque venerantium officia vicinæ in illum gentes verterent. Notante eodem Historico; *populi finitimi, qui ante, castra, non urbem positam in medio ad solicitandam omnium pacem crediderant, in eam verecundiam adducti sunt, ut civitatem violari nefas ducerent.* Et *Dionysio* teste, vicinæ gentes Romanos adeò non habebant suspectos, ut si quod inter ipsos existeret bellum, non alium quam Numam dirimendis inimicitiis suis arbitrum quærendum existimarent. Fructus exinde petitus, erat certissima regni nuper instituti quies, quam & conservare, fovere & retinere princeps pacis artibus instructissimus semper

lib. 1. c. 19.
lib. 1. c. 21.
lib. 2. p. m. 135.

per

per ſtudebat. Agitato enim tam continuatis moribus Imperio, maximè interregni tempore, quiete opus erat, qua reficeretur, ipſaque reipubl. diſpoſitio, quam Romulus vi & armis adornavit, coaleſceret. Non ignoravit optimus Princeps, armis regna parari, pace autem firmari, neque ullius ſtatus diſciplinam caſibus bellorum tuto committi; cum econtra pacis ſoboles ſit, proventus omnis generis rerum atque ſtudiorum. Nec ſine ratione pacis ſtudium inter maxima hujus Regis opera retulit *Livius*: *Tutela*, inquiens, *per omne regni tempus*, *haud minor pacis quam regni.* lib. 1. c. 21.

Prudentiam & artem imperandi ſicut alias ſemper, ita in *legibus* ferendis eximiè Numa oſtendit, cum eas ſuo ſtatui & Imperio nuper condito, ſolerter accommodaret. *Vrbem*, ait *Livius*, *novam*, *conditam vi & armis*, *jure legibusque ac moribus de integro condere paravit.* Profunde ratiocinatus præterea, quid rei, quid temporibus, quid humanitati in utramque partem deberetur. Imprimis verò ſacra Regni & Regiæ utilitatis myſteria ſuis legibus moderatus eſt, & ſi quid à Romulo prætermiſſum animadvertit, de ſuo addidit, reliquas conſuetudines velut optimo ab auctore introductas ſapienter retinens. Quas conſtitutiones de caſtimonia, de ceremoniis cæteroque Deorum cultu promulgavit, quas diis aras aſſignavit, prolixe annotat *Dionyſius.* Nec male ratiocinatus eſt noſter Rex, quod credidit rem ad multitudinem imperitam & illis ſeculis rudem coërcendam, efficaciſſimam eſſe Deorum metum. An autem exemplo Græcorum, præſertim Minois Cretenſis & Lycurgi Lacedæmonii commentus ſit, ſibi cum Dea Egeria congreſſus nocturnos eſſe de ſacris à Diis acceptis, inſtituendis, ſuo loco relinquimus. Illud dubitatione caret: Sine religione nullam civitatem ſtare poſſe. Nec immeritò *Plato* ſapientiſſimus ille Philoſophus, religionem propugnaculum poteſtatis ac legum & honeſtæ diſciplinæ vinculum vocavit; & monitu *Ariſtotelis*, inter curas publicas prima eſſe debet de rebus divinis. Ea quippe, quæ imperantes ſubditis & hi viciſſim illis debent, non alia ratione aut ſanctiora fiunt, aut promtius obtineri poſſunt, quam ſi & imperantes & obſequentes Numinis poteſtatem ſupremam eſſe agnoſcant.

lib. 1. c. 19.

Lib. 2. p. m. 124.

Cæterum memorabilis & digna, ut de ea aliquid diceretur, erat illa lex, qua sanxit, ut si quis transferre aut tollere lapides ausus fuisset terminales, caput ejus Deo terminali devoveretur, interfectori ipsius, (verba *Dionysii* sunt) tanquam sacrilegi, impunitate promissa. An enim hujusmodi lex jus dare possit interficiendi? an solam impunitatem privato nimirum? non ineptè quæritur. Nobis certum est, si legislator summa potestate præditus ad vindicanda facinora uti voluerit manibus interfectoris, vel jubendo cædem, vel, quod jussioni proximum est, tanquam sua vice, & ex usu Reip. factam agnoscendo, justam reddi actionem. Alia verò est quæstio, si voluntas legislatoris disertis verbis non expressa, aut dubia est.

CONSTITUTIO MAGISTRATUUM ET JUDICIORUM.

A Legum & religionis sanctitate ad judiciorum æquitatem ipsa res deduxit Regem, qui de præsidiis pacis cogitationem susceperat. Omnis enim bonarum legum vigor sanctissima judiciorum auctoritate consummatur, quæ nunquam stabit, nisi boni moris disciplina animos subditorum præparet, formetque. Hinc prudentissime noster à bonis moribus principium in tuendis, ornandisque judiciis repetiit, dum ea pietate, testante *Livio, omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum propulso legum ac pœnarum metu civitatem regerent.* Et quo magis omnium studiis commendaret justitiam, Themin & Nemesin, quæ à Græcis ἐρίννυς appellantur, divinis honoribus coli jussit, præsertim fidem in contractibus atque constantiam observari mandavit. Quo fine primus omnium, teste Historico, Fidei publicæ templum sacravit.

lib. 1. c. 21.

Addendum aliquid de officiis, dignitatibus ac ministeriis, cum sine magnis ministrorum præsidiis justitiæ nomen atque pax, certa ejus soboles, vix obtineri queat. Divisit autem universam regionem in Pagos, præposito unicuique, qui eum obiret, atque inspectaret magistro, quique tam bene quam male cultos agros in tabulis descriptos crebro ad Regem

Dionysius lib. 2. p. 135.

gem deferret. Consilio sane prudentissimo: cum plurimum Principis intersit, Omnia scire, licet non omnia exsequatur; prorsus ut in curanda re familiari nisi paterfamilias rationum domesticarum minima, maxima, provisu, & examine ad se trahat, & à se rursus expediat, nequaquam domus bene ordinata videtur. Ita in Imperio administrando, Numa providè eo consilia direxit, ut administrationis ratio diligentissimè sibi redderetur.

Ad dignitates non male referri credimus officium Pontificis Maximi, instituti ultima in sacris ordinibus, quarum octo fuisse *Dionysius* memorat, classe. Quanta autem illius fuerit auctoritas in litibus sacris inter privatos pariter & Magistratus sacrorum judicandis, *Dionysius* fusè docet. Huc pertinet etiam Fecialium institutio, quorum munus, officia, solennitatesque diligenti cura *Livius* cum *Dionysio* annotavit. lib. 2. p. 132.

His tam præclarè, tam prudenter ordinatis, ita ferocem populum mitigavit, ut tota civitas in cultum quasi Deorum, *Livio* testante, versa videretur. Et quod certissimum tranquillæ Reip. indicium est, proprio exemplo magis quam inventione Legum, subditos suos formare studuit. Deprehendens homines in Regis veluti unici exempli mores formari, proinde nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret, & ita rectè suos facere, faciendo docuit. Cum semper obsequium erga Principes & æmulandi ardor plus possit quam formido ex legibus. Idcirco vere à facundissimo Scriptore dictum est: *Vitam Principis esse censuram eamque perpetuam, nobilibusque ingeniis non tam imperio opus esse quam exemplo.* Hinc ejus memoria apud posteros tam grata fuit, ut sub Tullio quoque, teste *Livio*, Cives ejus Imperium requisiverint. Obiit autem diem anno imperii XLIII. Ætatis LXXX.; liberos relinquens, ut plerique volunt auctores, mares quatuor & unam fœminam. Cn. Gellius solam filiam reliquisse scribit: de quibus videndus *Dionysius*.

lib. 1. c. 21.

Plinius in Paneg. ad Trajan.

Lib. 1. c. 31.

l. 2. p. m. 135.

TULLUS HOSTILIUS.

ORIGO.

Ex-

EXcepit Numam Tullus Hostilius, vir industrius belloque clarus. Avus ei vir genere nobilis & opibus pollens nomine Hostilius, cujus in infima arce clara adversus Sabinos pugna fuerat. Avia filia Herscilii nobilitate ut & virtute in eo potissimum insignis, quod amicitiæ inter parentes & maritos in bello Sabino conciliatæ laudem tulerit. Horum unico ex filio & nobili matrona prognatus Tullus Hostilius. Locum nativitatis ei Halicarnassensis designat Medulliam, oppidum ab Albanis conditum, à Romulo autem deditione acceptum. Vir armorum quam conviviorum apparatibus studiosior, & cui maximæ opes erant instrumenta bellorum. Hinc proximo Regi non solum dissimilem, sed ferociorem etiam Romulo fuisse, dicit *Livius*. Excerpta *Peiresciana* à magnitudine animi eundem hunc Tullum commendant & peritia militari. verba hæc sunt: *Tullus Hostilius in bello adversus hostem fortissimus habebatur, sed Deos idem magnopere contemnebat, donec sæviente per urbem peste ipse quoque morbo implicitus erat.* *Livius* paulo clarius: *Spiritus*, inquiens, *adeò illi feroces, ut nihil minus Regium ratus esset quam sacris dedere animum.* Adeo interdum militaris ferocia aliena esse solet à rebus divinis.

lib. 3. ab initio.

cap. 22. p. 568.

Lib. 1. c. 31.

MODUS PERVENIENDI AD REGNUM.

QUoniam quærendus erat Princeps, qui experientia belli esset venerabilis (nam miles non facilè æstimat, nisi militarem virum,) & hostibus in rebellionem pronis formidabilis, huic regnum in honorem militaris virtutis ultro datum est.

RES GESTÆ.

CÆterum quam utilis sit novum Imperium inchoantibus clementiæ ac beneficentiæ fama, non unius seculi Historia docet, & scriptores ubique ostendunt. Quapropter & noster Tullus Hostilius à facto longè magnificentissimo Imperium suum auspicari voluit, ut universam operariam & egenam plebeculam sibi devinciret, inque sui venerationem pertrahe-

traheret. Factum ipsum *Dionysius* enarrat: *Superiores*, inquiens, *Reges agrum habuerant magnum & uberem à Romulo jure belli partum, cum Tullus permisit dividi viritim inter Romanos inopes, professus patrimonium sibi sufficere in sumptus domesticos.* Quæ *Grotius* habet de non alienandis bonis, quorum fructus ad Regiæ dignitatis onera sustentanda sunt destinati, hic locum non habent. Cum *Dionysius* notet, agrum fuisse non publicum, sed propriam Regum sortem, ac possessionem, in quam plenum habebant Imperium. lib. 3. p. 137. de I. P. B. l. 2. c. 6. §. 11.

Alterum consilium, quo inter initia Imperii ad stabiliendum Regnum usus, non minus prudentiæ habebat: dum nimirum promotis mœnibus Cælium collem urbi adjunxit, concesso ædificandi spatio iis, quibus domicilium deesset, & quo frequentius nova urbis pars habitaretur, eam sedem Regiæ cepit, ibique deinde habitavit. Præcipuum enim loci alicujus decus ipsa Principis sedes: cujus magnificus ornatus haud rarò ad mysteria Reip. pertinet. Habet enim locus quoque aliquid ad potentiam momenti. Livius c. 30.

Porrò in Republ. ordinanda summam militiæ rationem sibi habendam esse duxit: salubriora credens militiæ quam domi juvenum corpora esse. Videndum itaque, quæ in bello memoratu digna gesserit. Perspicuum autem est, in omni bello causas diligenter considerandas esse, quarum aliæ justificæ, aliæ suasoriæ: illas cum Polybio vocant, *προφάσεις*, ideò quia palam proferri solent, *Livius* nominat Titulum; has autem *αἰτίας*, quia sub ratione utilitatis arma Principib. suadere solent. Sunt (& fuere,) ut *Grotius* notat, qui neutro causarum genere feruntur in bella, periculorum, ut ait *Tacitus*, propter ipsa avidi: alii causas, quasi justificas afferunt, sed quæ expensæ ad injusti rationem meritò referuntur. Nec rarò accidit, ut belli causa quidem justa subsit, sed vitium actionis accedat ex animo agentis, sive quod adest affectus planè illicitus, ut gaudium acquiescentis in malo alieno; sive, quod aliud quiddam non illicitum per se, magis & principalius animum moveat, quam jus ipsum, puta honoris studium aut utilitas aliqua, sive privata, sive publica, quæ ex bello ipso seorsim à causa sua justifica considerato expectatur. Livius lib. 1. c. 381. de I. B. P. lib. 2. c. 22. §. 2. 4.

Huc non immerito referri posse bellum Tulli cum Albanis gestum censemus, secuti judicium *Livii* fatentis, causam justificam Tullo in hoc bello non defuisse, quoniam prædas invicem egisse, idem Historicus memorat, utrimque etiam legati & ferè sub idem tempus ad res repetendas missi sunt. Cupidinem tamen bellandi accuratè notat & arguit, cum scribit: *Tullus senescere civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat, tum indole animi, tum spe victoriæ ferocior.* Quo spectant etiam, quæ in specie de bello Albano idem *Livius* habet, dum dicit, *bellum utrimque summa ope paratum, inter parentes, natosque Trojanam utramque prolem, civili simillimum*: Quale *per bonas artes*, judicio *Taciti*, *neque haberi neque parari potest.*

lib. 1. c. 22.

lib. 1. c. 23.

lib. 1. Ann. c. 9. §. 3.

Ferox autem Tullus præcipuè morte Regis Albani Cluilii, infesto exercitu in agrum Albanum præteritis hostium castris pergit, ut à stativis Metium Suffetium in locum Cluilii electum exciret. Qui Tullum interpellavit, iis adhibitis rationibus, quæ bellis vitandis aptæ censentur: petens primum colloquium; tunc enim utile ad arma concurrere, cum locum apud adversarios justitia non potest invenire. Nec Tullo hoc remedium displicuit, cui apud *Dionysium* (in alia quidem causa) hæc tribuuntur verba: *quæ verbis componi nequeunt, ea armis decernuntur.* Hinc apud *eundem Historicum*, saluberrimi consilii idem Tullus auctor fuisse legitur, scil. ut omnium factorum dictorumve & venia & oblivio in perpetuum sanciretur: *Missæ fiant omnes criminationes*, inquit Historicus, *tam privatæ quam publicæ, nec ulla superiorum malorum supersit memoria.* Quæ tam generoso consilio impedimento fuerint, idem Historicus diligenter notat.

lib. 3. p. 149.

Dionys. p. 144.

Excogitatum ergò aliud remedium, quo utri utris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi decerni posset. *Florus* eleganter explicat, cum dicit: *misso in compendium bello, Horatiis, Curiatiisque tergeminis hinc atque inde fratribus utriusque populi fata commissa sunt. Anceps & pulcra contentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, ut distraheret hostem, simulavit fugam, singulosque prout sequi poterant, adortus exsuperavit.* Quo jure autem in unum aut paucos transferatur, quod est omnium

omnium, non sine ratione dubitatur. Qui putant nihil interesse, unius paucorumve, an multorum opera civitas utatur, ubi de summa belli agitur, nihil dicunt; cum omnino temere in paucorum manus tantum jus resignetur, neque tantam vim, quantam speciem habet, quod vulgo fertur: de parsimonia sanguinis, & mittendis in compendium belli calamitatibus. Quis enim non videt, satius esse, vel multorum interitu & calamitatibus redimi libertatem civitatis, quæ talibus duellis simul & semel perdi potest, sicut non injuste conquesti sunt Albani: inique tribus, fortunam publicam commissam fuisse: cum ex diverso post plures etiam clades reparari fortuna queat? Temperari ergò solent ejusmodi historiæ, in quibus non est nulla suspecta, vel quod ad mores temporum magis quam ad certam juris rationem referantur pugnæ, vel quod deposcunt certamen potius, quam jubentur pugnatores.

vide Bodin. de Rep. l. 4. c. 1.

Grotius de I. P. B. l. 2. c. 20. §. 10.

Verum sicut omne magnum exemplum habet aliquid iniquitatis, ita hic (rarum alias decus) unius manu parta victoria mox parricidio fœdata. Victor enim sororem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis flentem videns, immaturum virginis amorem ferro ultus est. Quomodo & qua ratione ob hoc facinus Horatius in judicium raptus sit, infra, ubi de forma Imperii agendum erit, amplius explicabimus.

Tacitus l. 14. Ann. c. 44. §. 7.

Jam revertendum ad Albanos ex fœderis conditionibus Romanis subjectos, quorum dictator Romanorum ab initio Imperium agnovit, non tamen diu in fide perstitit, corruptus vanitate ingenii, vulgique invidia, objectantis, male tribus militibus fortunam publicam commissam: & quoniam recta consilia haud bene evenerant, pravis reconciliare animos popularium, quærens in pace bellum, sicut antea pacem in bello quæsivit, cœpit, concitando alios populos suis per speciem societatis proditione reservata. *Florus* notaturus hujus Metii fraudulenta consilia, ita loquitur. *Fidenati bello missi in auxilium ex fœdere, medii inter duos expectavere fortunam.* *Livius* ita; *consilium erat scil. Albanus, qua fortuna rem daret, eo inclinare vires.*

Lib. 1. c. 3.

Lib. 1. c. 27.

Verumenimverò sicut omnia consilia callida & audacia prima

Livius l. 35. c. 32. lib. 1. c. 27.

ma specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia: ita in hoc negotio accidit; hactenus Metio prosperum scelus virtus erat, at in ipsa pugna *non plus animi erat quam fidei*, notante *Livio*. Nec manere, nec transire apertè ausus, sensim ad montes succedit, fluctuans animo. Quæ historici verba, haud obscurè cœpti consilii difficultatem in tractando produnt. Quis enim alius animo fluctuat, quam ille, qui malorum sibi conscius consiliorum? Et quod majus erat, ipsa Metii astutia à Tullo Rege callidè elusa. Cessat enim omnis simulatio esse simulatio, ubi apparet simulandi propositum. Et licet miraculo primo erat Romanis, qui proximi steterant, ut nudari latera sua sociorum digressu senserunt, Tullus tamen in re trepida consilium captat quasi in arena, suos in prœlium redire jubens, nec opus esse trepidatione, cum suo jussu Albanus exercitus circumduceretur. Nec improsperè suos persuasione non vera solatus est: dum enim animos tollit, quasi ipse mandasset, *spes*, ait Florus, *inde nostris*, *metus hostibus*, *frausque ipsa proditorum irrita fuit*. Num rectè *Grotius*, qui alias in disquirenda doli ac mendacii natura incomparabilem quandam industriam adhibuit, Tulli Hostilii persuasionem salubre mendacium vocitet, aliis disquirendum relinquimus. Non esse pro dolo & mendacio habendam tam utilem publicè ac privatim aut certè innoxiam veritatis dissimulationem, plerique volunt, qui negotia civilia tractant, sententiæ suæ explicationem ad ea & eos porrigentes, ubi ab ultima dominii eminentis ratione quærendum sit auxilium; neque concedendum, ut hoc remedium non strenuum magis quam subsidiarium ad alia producatur, quam necesse est. Addit *Grotius*: neque læsio judicii in hoc genere magna est, quia fermè momentanea, pauloque post aperitur veritas. An autem dominium eminens ad subditorum intellectum, qui nunquam cogi potest, extendi possit, non frustra quæritur?

lib. 1. c. 3. lib. 3. de I. P. B. c. 1. §. 14.

ibidem.

Cæterum Metius Suffetius fœderis ruptor religatus inter duos currus, & pernicibus distractus equis, insigne documentum dedit, ne alius auderet, quæ jure gentium sancta sunt, violare. Alba ipsa diruta, cum prius omnes opes urbis ipsumque populum Romam transferri Tullus jussisset, nec jus solum

lum in Romanos transfusum, ita, ut una fieret resp. quod *Grotius* vult, sed omnia jura amissa esse ab Albanis, apparet ex verbis *Livii*: *Roma*, inquientis, *crescit Albæ ruinis*, *duplicatur civium numerus*, *Principes Albanorum in Patres*, *ut ea quoque pars reip. cresceret*, *Tullus legit*, *& ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adjiceretur*, *equitum decem turmas ex Albanis legit*, *legiones & veteres eodem supplemento explevit*, *& novas scripsit.* Omnis autem argumenti instar in eo est, quod Albani jam ante sub Imperio Romanorum erant ex pactione duelli, ut cujuscunque populi Cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret, quod *Livius* & uberius *Dionysius* exequitur. Et licet oratorum more Florus dulcia unionis & communionis vocabula in animo haberet, non potuit non verum admiscere. *Albam ipsam*, *quamvis parentem æmulam tamen diruit*, *cum prius omnes opes urbis*, *ipsumque populum Romam transtulisset*, *prorsus ut consanguinea civitas non periisse*, *sed in corpus suum rediisse rursus videretur.* Ejusdem generis delinimenta sunt, quæ Romanus Consul apud Appianum de utilitate Albanis quæsita disserit.

lib. 2. de I. P. B. c. 9. §. 9.
lib. 1. c. 30.
lib. 1. c. 24.
lib. 3.
lib. 1. c. 3.

Bellum Albanum excepit Sabinum, ubi ex *Livio* constat: *Principium quæsitum injuriis utrimque factis.* Melior tamen Romanorum causa, si *Alberico Gentili* credendum. quod enim Sabini ad Feronæ Fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehenderunt, non poterant se satis excusare, licet obtenderent, suos prius in lucum confugisse, ac Romæ retentos: cum hæc res ante bis quadraginta annos transacta, longissima præscriptione inniteretur. Locus autem, ubi Romani capti, præstare omnes tutos jure gentium debuit, quod per summam libertatem congregari mortales necesse sit, negotiatores præsertim, quibus passim securitas & privilegia sunt contributa. Verum haud dubiè interior belli causa latebat in consilio occultiori, æmulatione scilicet potentiæ. hinc *Livius* ait: *Fiducia virium Tullus Sabinis bellum indicit*, *genti ea tempestate secundum Etruscos viris armisque opulentissima. Ipsi Sabini*, ita *Livius* in eodem capite, *non parum memores suarum virium partem Romæ ab Tatio locatam*, *externa auxilia conducebant.* Quotiens & ubi aperto Marte aut insidiis, velitatione vel prœlio pugnatum sit,

lib. 1. c. 20.
lib. 2. de Armis Romanorum p. m. 131.
Dionysius p. 133.
lib. 1. c. 30.

non est nostri instituti referre. Unum adjicimus, pugnam ad sylvam Malecusam adeò fuisse atrocem, ut nec fuga Sabinorum sine magna cæde explicari potuerit.

Et quoniam in annotandis belli Sabini præliis nunc sumus, non omittendum esset memorabile prodigium, quod devictis Sabinis acciderat, de quo tamen *Livius* consulendus; ubi & reliqua, quæ gloriose gessit Tullus, diligenter annotantur. Nos istis omnibus recensendis occupari nolumus. Cæterum bellicosus Rex, ita artibus militaribus delectabatur, ut nulla ab armis quies sub illo civibus daretur, donec ipse postquam in urbe pestilentia laboratum est, longinquo morbo implicaretur, quo spiritus feroces simul cum corpore fracti, ante obitum sacris animum dedere monebant. Regnavit autem magna belli gloria annos duos & triginta.

Lib. 1. c. 31.

FORMA IMPERII.

FOrmam Imperii sub hoc Rege eandem, quæ sub Romulo fuit, obtinuisse, nihil est, quod nos dubitare sinit, si acta illius diligenter introspiciamus. Nec contrarium inducit exemplum, quod *Livius* refert de Horatio, qui perduellionis reus ob occisam sororem, provocavit à Rege ad populum; quod & *Senecam*, ut adduceret auctoritatem *Ciceronis* contra statum Imperii absoluti, movisse videtur. Verum *Livius*, se ipsum satis explicat: cum enim lex horrendi carminis cujus ibi mentio fit, à duumviris secundum legem creatis, provocationem permitteret, nec tamen exprimeret, ad quem provocandum esset, Rex Tullus auctor fuit Horatio, ut ad populum provocaret, sperans fore; ut ab illo propter recens meritum liberaretur. Quod autem Hostilius Horatium non absolverit, *Dionysius* hanc reddit rationem; quia scil. Rex manifesti parricidii reum verebatur impunitum dimittere.

lib. 1. c. 26.
lib. 19. Epist.
lib. 1. c. 26.

Idem fere ad locum *Ciceronis* responderi potest, ex conniventia Regum, licet non omnium, potius esse factum, ut provocare liceret, vel fuisse provocatum à duumviris à Rege datis. Suberat interior ratio, quæ Regem monebat, ut supplicium hoc, tanquam rem odiosam, ab aliis irrogari permitteret; & ita facti

lib. 1. de rep.

facti invidia, si qua expectanda, in alios derivaretur. *Livius* ita: *Rex ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus judicii ac secundum judicium supplicii auctor esset, consilium populi advocavit.* lib. 1. c. 26.

ANCUS MARCIUS.

ORIGO.

TUllum Hostilium in Regno secutus est Ancus Marcius, Numæ ex filia nepos. Hujus patrem apud Veteres quoq; ignotum fuisse ex *Seneca* verbis constat: de Servii Matre, di- Ep. 108. centis, dubitatur, Anci Pater nullus, Numæ Nepos dicitur. Num ignobilitas, num aliquid aliud in causa fuerit, ut tanti Regis parens à Scriptoribus silentio transiretur, parum constat. Livius, cujus singularis est planè diligentia in describendis & designandis hominum naturis (subinde enim elogia ingeniorum decenter utiliterque inserit, ut lectorem per quosdam quasi characteres ad recondita & præcipua omnium in republ. actuum invitaret) huic Anco medium tribuit ingenium. *Medium*, inquit, *erat in Anco ingenium*; verum sensu paulo alio, quam Tacitus, qui Galbæ indolem notaturus iisdem utitur verbis: *Ipsi medium ingenium erat*, h. e. potius gnarus erat, quid vi- lib. 1. histor. c. 49. taret, quam quid sectaretur, magis extra vitia, sic se explicat Tacitus, quam cum virtutibus. Noster autem Rex animum habebat temperatum, belli pacisque artibus probè munitum, quod non obscurè indicat *Livius, medium*, inquiens, *erat ingenium* lib. 1. c. 32. *& Numæ & Romuli memor*, h. e. non bello minus quam pace eminebat, quod solis Heroibus proprium, qui armorum gloriam pacis artibus ritè conjungere sciunt. Hinc ut noster medium virtutis tramitem rectè decurreret, prudenter ab initio pacem tentavit, tentatam, deprehendens tempora Tullo esse aptiora quam Numæ, contempsit. Prudenter, inquam, & ad usum Reipubl. si enim fuisset Romulo vel Tullo Hostilio similis in omnibus, non ad id magnitudinis pervenisset resp. Romana, quo pervenit. Nam qui toti bellicosi sunt, solida fundamenta Imperii nunquam jaciunt. Sin cum Numa coluisset pacem solam, illa ipsa civitas consenuisset, accessio alieni insuper Imperii futura.

MO-

MODUS PERVENIENDI AD REGNUM.

QUoniam spes erat in avi mores atque instituta Ancum abiturum, omnium consensu regnum ei delatum est: nec sine ratione. cum Majorum nobilitas non parum ad famam & dignitatem addere possit, ubi Princeps quæritur. Imò à nobili familia ipsum decus publicum non potest non augeri. Hinc ex præclaro quoque stemmate Ancum, quantum ad Patrem, ortum esse, non inepta est conjectura.

RES GESTÆ.

CÆterum Ancus non modo ante experimentum Imperii capax visus, sed & in ipsa administratione probavit, se avitæ gloriæ memorem; dum regno suo nil magis necessarium credebat, quam pacem, ratus, felicitatem majorem Cives habere concordes quam bellantes, in populo præsertim tam feroci. Verum ut voto frueretur suo, consequi haud potuit: dum enim pacis atque togæ consilia meditabatur, improvisa hostium incursione lacessitus est, & ita coactus quædam *vi*
Tacit. l. 1. Ann. 1. *tractare, ut in reliquis quies esset.* Non possumus nobis temperare, quin hic repetamus, quæ *Franc. Bacon. de Henrici Septimi*
p. m. 34. *Regis Ang.* fortuna haud dispari annotat: *Rex*, inquiens, *fiducia plenus, imperium suum in futurum nihil aliud nisi ludum fore, & regni tantummodo fruitionem sine molestiis pro certò sibi persuaserat. Verum Rex in fortunæ suæ supputatione & judicio suo, magnopere falsus est, cum per multos annos variis fluctibus & tempestatibus agitatus erat.*

Bella non nisi necessaria hunc Ancum gessisse tum ex iis constat, quæ supra dicta sunt de singulari amore pacis, tum ex sequentibus *Livii* verbis: *A Latinis*, inquientis, *res repetitæ ac bellum indictum.* Sciverat optimus Rex, ut bellum etiam jure gentium justum esset, non sufficere, ut inter summas utrinq; potestates geratur, sed necesse esse, ut & publicè decretum sit, & quidem ita decretum, ut ejus rei significatio ab altera partium alteri facta sit. Licet enim jus naturæ non præcipiat talem interpellationem fieri, honestè tamen & laudabiliter jure gen-

gentium excogitata est; quod & *Cicero* intellexit, scribens: *Nullum bellum esse justum* (Gentium jure) *nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum sit & indictum.* lib. 1. c. 34.

Formulæ indictionis non modo apud *Livium* in hujus Regis actis, sed & apud alios occurrunt. Quæ loca & alia de belli promulgatione agentia accurate distinguenda sunt, ut intelligatur, quæ jure naturæ debentur, quæve non. sed honesta tamen sunt, quæ jure gentium requiruntur ad effectus illius juris proprios, & quæ præterea ex peculiaribus populorum quorundam institutis veniunt. A more & institutis certorum populorum sunt *Caduceus* apud Græcos, *sagmina & hasta sanguinea* apud Æquicolas primum, & horum exemplo apud Romanos, ubi primum nostrum Ancum hunc morem instituisse *Livius* refert. l. 1. c. 32. Huc pertinet renunciatio amicitiæ, hastæ missio & alia id genus, quæ *Livius* diligenter notavit, præsertim autem *Dionysius* in Anci rebus gestis. Causam cur gentes denunciationem talem excogitare voluerint, accurate explicat *Grotius.* de I. P. B. l. 3. c. 3. §. 9.

Sicut autem haud rarò eventus belli velut æquus judex unde jus staret, docuit, ita & hic monstrabat, quod Ancus nec temerè nec injuste exercitum conscripsisset. Profectus cum exercitu Politorium urbem Latinorum vi *cepit, secutusq; morem Regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hostibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit, & cum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium, Celium montem Albani implevissent; Aventinum montem multitudini novæ dedit.* Livius c. 33. Et hoc Regum Romanorum consilium, quo victos permiscebant victoribus, *Seneca* vocat *Providentiam salubrem*; neque exitio Lacedæmoniis aliud fuit & Atheniensibus, quam quod victos pro alienigenis arcebant. Lib. 2. de ira c. 34. Jure autem an injuria idem hic Rex Fidenatibus, Latinis, Etruscis, Sabinis præsertim arma intulerint, ideò quod à fœdere mortuis Romulo, Numa, Tullo discesserint; fatemur cum *Grotio*, rectè judicari non posse, cum fœderum factorum formulæ apud nullum Historicum extent. lib. 2. c. 16. §. 16. Tellenis Ficanaque captis earumque civibus Romam translatis, Politorium armis repetitum excidio datum est: *ne hostium semper*, ut inquit *Livius*, *receptaculum esset.* Quam inhumanum

aliàs fit, nisi causa utilitatis magna & certa suadeat victori, sævire in res inanimatas ædificia præsertim, nemo ignorat. Hinc oppidum Capsam contra jus belli incensum fuisse, scribit *Sallustius*; licet locus erat Romanis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum, ante neque beneficio neque metu coërcitum; tamen id facinus contra jus belli admissum esse, citatus *Historicus* notat. Quibus in casibus urbes & res hostium sine injuria victor perdere possit, rursus graviter explicat *Grotius*.

in Jugurth. c. 91.

lib. 3. de I. P. B. c. 12.

Hæc in bello memorabilia de hoc Rege extant. Cæterum ejusdem Regis beneficia tempore pacis in populum Romanum collata *Florus* posteritati commendaturus, nostrum Ancum vocat *Ædificatorem*, h. e. valdè studiosum & peritum in ædificiis extruendis exornandisve, eodem sensu, quo *Tacitus*, Germanicum vocat *Præliatorem*. Videns enim Rex noster urbem Romam non satis pro dignitate munitam atque ornatam, eam maximè excolere studuit. *Quapropter mœnia muro amplexus est, & interfluentem urbi Tiberim*, ut *Florus* loquitur, *ponte commisit, aliamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit.* Quandoquidem urbis firmitas adversus casus fortuitos, abstulit tumultuandi turbandique occasiones, quæ in magnis urbibus avidè arripiuntur; aut facilè accidunt. Nec prætereundum, quod *Florus* observat, *jam tum præsagisse animo futurum, ut totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo urbis hospitio reciperentur.*

Ann. lib. 2. c. 37. n. 3.

Lib. 1. c. 4.

Portò ad urbis decus pertinebat etiam honestas civium: cum magni intersit, sinceros atque incorruptos habere cives. inde gravi consilio *carcerem media urbe foro imminentem ad terrorem increscentis audaciæ ædificavit.* In tanta enim multitudine, discrimine rectè an perperam facti confuso clandestina facinora aliter coërceri vix poterant. Repurganda ergò illa fæx populi erat. Et his institutis urbs non crevit modo incolis, sed etiam ager finesque & Imperium usque ad mare prolatum. Tantum enim profici solet, si Regia Majestas, & armis decorata & bonis legibus armata est, summamq; rationem habet, quæ pro religione facit. Quod nec Ethnici, licet à vera religione alieni, non viderunt: & de *Anco Livius* non reticuit.

Liv. lib. 1. c. 33.

Cæ-

Cæterum nec ejus prudentia deerravit in hoc, quod bellicis operibus ut & aliis negotiis prudenter adhibuit idoneos ministros, inter quos eminebat Tarquinius Priscus, vir modestus ac laboriosus, proinde in familiaris amicitiæ jura adductus, ut publicis pariter ac privatis consiliis denique interesset. Summatim Ancus *fortuna famaque & egregiis ministris cuncta patravit*: annos quatuor & viginti Imperii clavum tenens, cuilibet superiorum Regum belli pacisque & artibus & gloria par. lib. 1. c. 34.

TARQUINIUS PRISCUS.

ORIGO.

PErgendum, qua cœptum est via, ad quintum Romanorum Regem Tarquinium Priscum, origine quidem peregrinum, sed qui Romanas artes sub Anco probe didicerat. Patrem habuit Demaratum Corinthium ex Bacchiadarum genere, mercatorem, qui ob seditiones domo profugus Tarquiniis sedem rerum ac fortunarum suarum collocaverat, ductaque ibi uxore duos genuerat filios. Hic noster fratre mortuo Civis Romanus factus, pro Lucumonis nomine Lucii commune nomen accepit, Tarquinii nomen gentilitium ab urbe in qua natus, assumens: Solenne enim erat, Romanorum cuique præter commune nomen esse alterum, scil. gentilitium & à paterna stirpe acceptum, ut hoc loco *Dionysius* testatur. Liberaliter Græcis atque Etruscis disciplinis institutus Regis Marcii familiares ita sibi devinxerat, ut inter patricios facile relatus atque in curiam lectus sit. Præterea ipse quoque *fortunam benigno*, ut *Livius* loquitur, *alloquio, comitate invitandi, beneficiisque, quos poterat, sibi conciliando adjuvabat.* Nam & pecuniam erogabat liberaliter, cum opibus abunde polleret, & si à quopiam rogatus fuerat, omnem gratiam atque auctoritatem suam libentissime commodabat, accepta ab aliis beneficia exaggerabat, offensas verò aut statim dissimulabat, aut extenuando leviter ferebat; ita optimam ejus indolem commendant Excerpta *Peiresciana*. Et cum omnia quæ ad summam auctoritatem viam sternunt, impigre præstaret, tandem etiam tutor liberis Regis testamento datus erat. Maxime tamen animum ad summa natum au-

Dionysius p. 184. — p. 185. — lib. 1. c. 34. — p. m. 521.

Liv. 1, 34. gebat ducta in matrimonium Tanaquil, *summo nata loco, & quæ haud facilè iis, in quibus nata erat, humiliora sineret ea, quæ innupsisset.*

MODUS PERVENIENDI AD REGNUM.

IGitur post excessum Anci, cum prope puberem ætatem ejus filii essent, metuens Tarquinius, ne tandem ipsi ad Imperium vocarentur, id indefesso studio egit, ut ante justam eorum ætatem de creando Rege comitia haberentur. In his postquam orationem ad conciliandos plebis animos compositam habuisset, regnum ei ingenti multitudinis consensu oblatum est, cum plurimis beneficiis jam pridem sibi civium animos demeruisset. Hac electione atrocem injuriam, & à populo Romano & ab ipso Prisco liberis Anci factam, *Livius* dicere videtur, cum scribit: *petiisse regnum ambitiosè.* Idem pronunciare volunt, quæ habet *Dio Coccejanus in excerptis Peirescianis*: suspicandi ansam præbuit plerisque Tarquinius, quod doloso ingenio & pro fortuna atque opibus mutabili præditus esset. An jure præterierit Anci liberos populus, dubitari potest. Tarquinii certe ambitum nemo purgaverit: Si quidem accepti quomodocunque imperii rationem reddere homines didicissent.

Liv. l. 1. c. 35.

lib. 1. c. 35.

p. m. 571.

RES GESTÆ.

ET quoniam Tarquinius domi militiæque sub haud pœnitendo magistro ipso Anco Rege Romana jura Romanosque ritus didicerat, non poterat non spes esse felicissimi Imperii: quandoquidem naturam & conditionem populi rerumque popularium accurate callere, & natas exinde vivendi & similia administrandi rationes usurpare ac dispensare, semper inter artes imperandi est habitum iis, qui notitiam civilis prudentiæ ad usum & tractationem reip. accommodare studuerunt. Quo pertinent etiam instituta regno cuique propria, quorum in administratione semper habenda est ratio; ne quædam virtutes genti ignotæ vitiorum loco censeantur, & ut noxiæ, si ab ingenio eorum, quibus imperatur, sint alienæ, postponantur. Vonones

Liv. l. 1. c. 35.

nones Parthorum Imperio pulsus est, quia Romanas Principum virtutes ad Imperium contulerat: ipse diversus à majorum institutis irridebatur, *prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia, & quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis & honestis.* Tacitus l. 2. Ann. c. 2.§.6.

Ante omnia senatum auxit Patribus centum adjectis; *Senatus*, inquit *Florus, majestatem numero ampliavit.* *Livius: centum in Patres legit qui deinde minorum gentium sunt appellati, factio haud dubia regis, cujus beneficio in curiam venerat.* Sufficiebat quidem prior numerus Reip. sed non Principi, qui non nesciebat, se esse transmarinæ originis, priores senatores aliorum beneficio in curiam adscitos, tantoque se, absentem imprimis ab urbe & in bello occupatum, adversus insidias maximè filiorum Anci futurum securiorem, si verè suos, suaque auctoritate ad eam dignitatem evectos tantoque magis sibi obstrictos in senatu haberet. Nec alio consilio Augustum *magistratuum numerum ampliasse* legimus. Quicunque enim servitio promptus erat, opibus & honoribus extollebatur, ut *novis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quam vetera & periculosa mallent.* lib. 1. c. 5. lib. 1. c. 35. Tacit. lib. 1. annal. c. 2.

Circo idem designavit domi locum, in quo deinde solennes annui ludi facti & magni aut Romani dicti, qui equis & pugilibus commissis ederentur; instituto satis utili Principibus, Civibus, toti denique Reip. Videatur *Lips.* l. 4. Pol. c. 8.

Inter hæc bellum exarsit Latinum, oppidum Appiolorum vi captum; secutum longe gravius cum Sabinis, adeò repente, ut post dubiam primo victoriam haud pares futuri fuerint Romani, nisi Sabinis in castra copias imprudenter contrahentibus, datum fuisset Romanis spatium ad bellem de integro restaurandum. Quo factum est, ut equestrem manum Tarquinius augeret, ratus hanc maxime suis deesse viribus, eaque instructus Sabinos compelleret, ut perditis rebus pacem peterent, quam & obtinuere. Melior enim semper tutiorque certa pax, quam sperata victoria; quicquid alii dicant, qui imprudentiæ Romanos in hoc arcessendos esse censent: cum tamen ipsis etiam, qui victoriam in manibus habent, pax, si prudenter sibi prospicere volunt, nunquam abnuenda sit, neque oporteat sapientem spe incerta fallacique fructum præ- b. 31. 30. 4. Dionys. lib. 3. Liv. l. 1. c. 36.

 sen-

Baudius de Induciis belli Belgici. l. lib. 1. p. m. 32.
In Orat. pro Marco Marcello.
Lib. 1. c. 37.
de I. B. P. l. 1. c. 3. §. 12.
Grotius l. 3. c. 11. §. 15.

ſentium commodorum repudiare, nec ſinere lubricam occaſionem è manibus elabi. Victoria enim in ambiguo, pax in arbitrio deliberantium ſita eſt. Nec fruſtra exclamat *Cicero*, *Incertus eſt exitus, & anceps fortuna belli*.

Tum & Collatini Romanis ſeſe dedidere: formulam deditionis exhibet *Livius*, & ex eo *Grotius*. Et licet ſine conditionibus victori Romano ſe permitterent, neque diſertim vitam ſalvam paciſcerentur Collatini, ſalva tamen iis manere debuit, non jure quidem ſtricto, quo victori omnia in victos licent, ſed æquitatis ratione, quæ vult iis etiam parci, qui ſine conditionibus ſe victori dedunt, aut ſupplices fiunt. Quicquid excipiant ſævioris ingenii homines adverſus hæc æquitatis atque juris naturalis præcepta.

Dionyſ. lib. 3. p. m. 195. 196. vide Diſſert. de Inſignib. Principatus.

Deinde Etruſci domiti: à quibus Priſcus omnia majorum *magiſtratuum & Ducum ornamenta* accepit, quibus externa ſpecies dignitatis Imperii eminet & conſervatur: cum externis illis, cultu & pompa vulgus imprimis capiatur, ut ſupra in vita Romuli dictum. Hinc faſces & ſecures, quæ majoribus à lictoribus præferebantur. Erant autem Bacilli aliquot teretes, ex ulmo præcipue aut betula loro colligati in modum faſcis. His ſecundum nonnullos etiam Romulus uſus; ſed Euſebius Tullum Hoſtilium primum Romanorum Regum, faſces habuiſſe aſſerit. Inde quoque Phaleræ, haſtæ, puræ, coronæ, aliaque præmia, quibus eximia quæque militaris virtus ornabatur. His ita feliciter geſtis Priſcus inſidiis liberorum Anci circumventus interiit in ipſa Regia, anno ferme imperii duo de quadrageſimo.

SERVIUS TULLIUS.

ORIGO.

NOn recedemus à noſtro inſtituto in hoc quoque Rege, licet quædam quæ ſunt alterius annotationis, prætereunda ſint. Fuiſſe traditur Servius Tullius ſervilis conditionis: Matre enim capta, quod plerique volunt, genitus eſt; recepto inter gentes tum more, ut non capti modo, ſed & eorum poſteri ſervirent. Verum ſupra iſtam fortunam ingenium Servio

vio ac virtus fuit; & utriusque magnitudinem Tarquinio Prisco, in cujus familia à matre, ancilla Regia, educatus erat, ita jam tum à prima ætate approbavit, ut inter Patricios primo receptus, deinde Regiæ Filiæ matrimonio dignus habitus fuerit.

MODUS PERVENIENDI AD REGNUM.

TAndem socero Rege scelere Marciorum fratrum interempto, ad Romanæ gentis sceptra vocatus, auctoritate primo Patrum, deinde etiam post Vejentinum bellum rarâ felicitate confectum, publicis etiam suffragiis Rex nominatus est. Quanto autem vilior fuit ei sors nascendi, tanto virtutis tam excelsæ claritudo magis celebrata est, cum longè difficilius sit, ex humillimis & ab omni fortunæ præsidio destitutis initiis, quam magnis clarisque ad magna assurgere.

De cætero, quamvis Regi nostro ab initio non satis perspectum erat, an facta gestaque ejus, præsertim in adipiscendis regni fascibus, laus apud posteros sequeretur, quando apud *Dionysium* Romani ei objectant; *primum eum contra mores & ritus patrios Imperium accepisse, non ex consensu Senatus Populique, sed favore solius plebis delinita largitionibus*: nec falsum id crimen fuisse *Dionysius* subjiciat: dicendum tamen hic quod Titus optimus Imperator dicere solebat, licet non satis intelligeret; *Principatum fato dari*. Cum in tota hujus Servii vita actuque singularis providentiæ divinæ permixta vis inesset, quæ illam gloriæ & principatus cupiditatem, qua à bono fortè honestoque elabebatur, meliori eventu erexit. referas huc etiam, lambentis flammæ prodigium. huc quoque spectant verba *Flori lib. 1. c. 6. ob eximiam indolem uxor Tanaquil liberaliter educaverat, & clarum fore, visa circa caput flamma promiserat.*

l. 9. p. m. 242.

Suetonius Vita Titi c. 9.

Livius lib. 1. c. 39.

RES GESTÆ.

AD potentiam plurimum interesse collectæ multitudinis ordinem & dispositionem civilem, omnes intelligunt, qui in-

interiorem Reipubl. notitiam habent: cum ad rationem corporis nondum sufficiat, si & multitudo & modus, & varietas hominum adsit, nisi disponantur suo quodque loco, & connectantur ordine & aptè distribuantur. Ejus autem beneficii Romanis auctor Servius Tullius fuit, cum censum instituit, id est, *populum per discrimina patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorum descripsit, retulit in censum, digessit in classes, curiis atq; collegiis distribuit.* Quam rem non immeritò *saluberrimam magno futuro Imperio Livius* prædicat: *Dionysius* autem quasi in tabella exhibet. Rudis alioquin & indigesta, quantumvis magni populi moles in argumentum potentiæ nunquam valuisset.

lib. 1. c. 43. l. 4. p. m. 21. vid. Bonb. de reg. Rom.

Imprimis autem, quæ adversum interfectores soceri ausus exsecutusque est, pietatis titulum habere poterant, quando actis in exilium filiis Anci, pietate in socerum & necessitudine Reipubl. se fecisse, in oratione ad Populum gloriabatur. Nec immeritò: cum ea res ad exemplum pertineret, ne quisquam impunè jactaret, Romanum Regem à se interfectum: quod non hodiè solum, sed & olim grande nefas erat; mansitque etiam inposterum inter Leges artesque regnandi, ne aliquod exemplum inultæ in Principem conjurationis exstaret. Cum enim summum Imperium non possit non multorum odiis patere, securitas regentium variis ut muniretur prærogativis necesse erat.

Suberat autem cupido dominandi, quæ pulchris in vulgus vocabulis sua consilia venditabat. Exinde etiam fluebat, quod actiones omnes eo converteret, ut populo placeret, cujus partes contra Patres enixè, licet tandem cum exitio, amplecteretur. Largiendo, succurrendo, inquit *Dionysius*, maximam semper plebis gratiam retulit; nec alia certior aut usitatior emergendi & ad dignitatem regiam assurgendi tunc ratio erat, quam per populi humeros, qui studio adversandi, premendique optimates omnia venalia & prona illi ostentaverat. Ita unius ordinis viribus Senatus auctoritas diminuta. Ipse quoque adversum Patres tandem valebat, libertate populi mirum in modum aucta. In quo tamen imprudenter eum fecisse *Dionysius* judicat, *ut Regiam*, inquiens, *dignitatem populo redderet gratiorem, summæ auctoritati multum ademerat.*

lib. 4. p. m. 223.

P. m. 228.

Idem

Idem Rex præcipuus ex reliquis *juris civilis Romani auctor* celebratur: factis legibus de injuriis, commerciis, contractibus, aliisque, quæ materiam litibus dabant. Maximè autem pacifici & prudentissimi animi specimen edidit in hoc, quod Latinæ gentis civitates in concilium coëgerit, ne intestinis bellis & dissidiis debilitatæ à finitimis barbaris subjugarentur. Æmulus in hoc, laudante *Dionysio*, Amphictyonis filii Hellenis; qui afflictissimam universæ Græciæ libertatem libidini & rapinis barbarorum expositam & penè, ut *Dionysius* existimat, exhaustam, laudabili invento quasi ex orco revocavit. Hujus Herois prudens consilium summâ noster Servius administratione, ut suum quoque nomen posteritati præclaro facinore commendaret, feliciter imitatus est, quando inclytum Dianæ Romæ fanum à civitatibus Latinis ejus instinctu factum, ut omnium confessione caput rerum Roma esset, de quo toties armis certatum fuerat, ibique quotannis convenirent, & si qua offensa populis incideret, ex aliorum populorum arbitrio inter ista Deorum sacra conciliarentur. Exinde quoque sibi laudandum Servium eò magis *Dionysius* putabat, quo præclarius & rectius hoc instituto æternam sibi famam conservare voluerit. Quid enim gloriosius *quam ingenii non virium opibus* laudem quærere. Nec publicis magis auxiliis Servius quam privatis, munire opes sui Imperii studuit; & ne qualis Anci liberis animus adversus Tarquinium fuerat, talis adversus se Tarquinii liberis esset, duas filias Juvenibus regiis Lucio atque Arunti Tarquiniis jungit; consilio sanè optimo & ab altioribus & publicis rationibus repetito. ut enim Principatus variis occasionibus & adminiculis partus servaretur, opus erat *subsidiis* ac *munimentis*, ut *Tacitus* loquitur, propriæ domus suæ. nec enim Principatus in unius tantùm persona ac ætate recumbere solet, sed in liberis ac amicis, quos non armis neque thesauris, sed bona voluntate, imprimis conjunctione sanguinis parari constat. neque enim indecora Regibus ars est, vinculis amorum colligare discordia capita, & reip. consensioni privatas conjunctiones innectere. Eodem consilio Agrippam tribunitia potestate, ut & matrimonio filiæ Augustus ornavit. Verum consilia hominum etiam prudentissimorum non posse semper vel prævidere

p. m. 230.

Livius lib. 1. c. 45.

Sallustius Catil. c. 1.

lib. 1. Ann. c. 3.

 videre

videre vel præcavere ea, quibus providendis præcavendisque destinantur, nec Historici judicium fugiebat, qui subjicit: *nec tamen fati necessitatem humanis consiliis rupit, quin invidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret.*

Livius l. 1. c. 42.

Fastus enim Tarquinii alterius, ut & uxoris animus satiari non poterat, nisi socerum & patrem à Regia sede parricidiali scelere dejiceret. Dicis; annon hoc facile Servius provido prudentiæ oculo perspicere potuisset, si perpensis Tarquinii vitiis moribusque cautè judicasset? sed quis est ille, qui aliquid expeditæ rationis in negotio, cujus eventus provisu difficilis, demonstrare potest? scil. hic ad fatum cum *Livio*, sed sensu non ethnico deducimur, ubi consilia humana deficiunt: quæ sæpè prosperiora essent, si maturius de fato cogitarent.

Nunc ad cædem Servii veniendum, quam nefariam fuisse, atque parricidialem nemo non videt. Data erat illi fides publica à populo, Patribus, ab ipso denique Tarquinio, non solum de incolumitate tuenda, sed & obsequio præstando, & ut sacrosanctus & inviolabilis esset regiæ dignitatis pignore cavebatur. Acquiescebat populus in eo rerum statu, quem *Servius* prudenter ordinaverat, sed ritè ordinata scelesto consilio Tarquinius instinctu conjugis, à qua initium turbandi ortum est, vel ut *Livius* loquitur, *à qua omne malum*, subvertit. Ita nefandum parricidium ab eo commissum, qui gener erat, Rex ab eo dejectus, qui nec potestatem hujus rei, nec mandatum acceperat, vel si accepisset nulla honestatis ratione vel titulo exsequi debuisset. Periit autem Servius anno Imperii quadragesimo quarto.

Lib. 1. c. 46.

FORMA IMPERII.

QUid de forma Reip. sub hoc Rege sentiendum sit, quando alii mixtam fuisse volunt, alii eandem nominant, quæ sub prioribus regibus fuit, paucis videbimus. *Dionysius* satis peritus in hoc negotio arbiter, dimidiam partem à Regio jure ipsum Regem detraxisse & populo concessisse, breviter & pragmaticè judicat: *Tullius,* inquit, *Servius, in constituenda Rep. non eo tantum ad plebem fovendam, visus est proclivior, quod Senatus ac patri-*

p. 223. p. 224.

ciorum potentiam moderatus est, verum etiam quod de Regia potestate detraxit dimidium; & alio in loco: *penes populum arbitrium fuit creandi magistratus tam domi quam militiæ, leges tam confirmandi quam abrogandi, bellum pacemve decernendi.* Ut tribus verbis efferam, aucta erat populi libertas, quæ nihil aliud hic significat, quam monarchiæ & democratiæ conjunctionem, Regis populique Imperium. Sed ubi Patrum atque optimatum potestas, qui populi placita ut auctoritatem obtinerent, confirmare debebant? Fortè mixta erat Resp. ex tribus formis, quod multi volunt. Verum talem unquam datam fuisse remp. quæ ex unius & optimatum & populi imperio constabat, videtur negandum cum viris eruditis. Cum in hac mixtura, populi potestate augescente, *Patrum potestas* nil nisi simulacrum hoc tempore esset. Hinc odia Patrum in Servium Regem, qui populi partes tuebatur, coorta sunt. huc pertinent etiam verba *Grotii*: *vi populi aucta, speciem tantum veterem patrum auctoritas retinuit, cum in incertum comitiorum eventum Patres auctores fieri cœperunt*, ut *Livius* & *Dionysius* notant. Et ne auctoritatem prorsus amitterent, in scelerata Tarquinii consilia consentiebant, quod *Dionysius* clarè indicat, *Tarquinius* Superbus, inquiens, in senatu *plurimum habebat fiduciæ.* Idem Historicus; *molestè ferebant* Patricii Servii *administrationem, videntes diminui Senatus potentiam. Taciti* de hoc regno judicium hic quoque haud omittendum, *præcipuus*, inquit, *Servius Tullius sanctor legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent.*

lib. 1. de I. P. B. c. 3. §. 20. p. m. 65. fin.

p. m. 240.

p. m. 216.

lib. 3. Ann. c. 26. §. 5.

TARQUINIUS SUPERBUS.

ORIGO.

POstremus omnium Regum fuit Tarquinius, cui *Florus* Superbi cognomen ex moribus datum esse refert. Prisci Tarquinii Regis filius nepos ne fuerit, parum liquet. Filium fuisse *Livius* credit, *Dionysius* contra sobolem fuisse non propriam, variis & non contemnendis rationibus astruere conatur: imprimis ostendit temporis supputationem minus congruere illis, qui filium vocare volunt. Ingenium erat ei in omnia sive immanitatis sive turpitudinis flagitia pronum, adeoque polluendæ

lib. 1. c. 7.

lib. 1. c. 46. Dionys. al. leg. loc.

dæ perdendæque reip. natum; cujus notas unicum *Superbi* vocabulum designare videtur; cum superbiâ Principem pravis tyrannidis artibus armatum, auctores rectè describere soleant. Hinc *Livius*: *Superbo cognomen facta indidere, quia socerum gener sepultura prohibuit.* Apud *Florum*, ejus *superbia crudelitate gravior* vocatur. *Aditu quoque difficilis atq; affatu*, ut loquuntur *Excerpta Peiresciana*. Et talis ingenii character, meritò Servio ipsius socero & reliquis suspectus esse debebat, cum exinde plerumque prodeant insana libido, avaritia, ambitio, præsertim sævitia, in quam omnes ceteræ labes in Tarquinio Superbo desinebant. Et sicut malum malo aptissimum, ita Tarquinius moribus dispares (qualis frater ejus, juvenis ingenio miti,) ferre ac pati nequiverat. Proinde etiam altera filia Servii, Tullia nomine, ferox, tota in Tarquinium versa effecit, ut sperneret sororem, & nihil neque ad cupiditatem neque ad audaciam meditari omisit, ut conjungerentur, fratre & sorore per scelus sublatis.

lib. 1. c. 49.
lib. 1. c. 7.
p. m. 575.

MODUS PERVENIENDI AD REGNUM.

Hinc initium turbandi non modo in Regia familia, sed in ipso quoque regno ortum, cum jam à scelere ad aliud scelus uxor spectare non dubitaret: Ipse Tarquinius regnum habere quam sperare malebat. *Vt maturior veniret libertas*, ultimumque regnum esset, quod scelere partum. Quanta enim crudelitate Servium è curia elatum in inferiorem partem per gradus dejecerit; quanta immanitate semianimem Regio comitatu domum se recipientem interfici jusserit, *Historicus* satis exponit. Simul etiam notat illam impietatem Tulliæ filiæ ipsius Regis, quam per patris corpus carpentum egisse, partemque sanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo contaminatam ad Penates suos tulisse, perhibet.

Livius lib. 1. c. 47.
lib. 1. c. 48.

RES GESTÆ.

Quando vidimus, quam sceleratis usus sit Tarquinius consiliis, ut soceri regnum invaderet, circa primordia statim de exitu divinare licebit, cum mala regni principia similis pro-

Livius l. 1. c. 48.

propediem exitus ſequi ſoleat. Neque tamen militaris virtus ac gloria foris ei defuerat, quando bellum cum Volſcis feliciter geſtum, pacem cum Æquis factam, & cum Thuſcis fœdus renovatum eſſe, *Livius* cum *Dionyſio* teſtatur. Gabios etiam, ſed fraude ſuperavit: Sextum quippe filium transfugam ſimulare juſſit, velut à paterni imperii ſuperbia ſibi ac crudelitate metuentem. Habent ei fidem Gabini, & militaribus ſtatim copiis contra Romanos imprudenter imponunt, ignari transfugia eſſe debere ſuſpecta. Sextus, filius Tarquinii, ſummam potentiam ita nactus devincire ſibi plebem & tollere è medio proceres, quosdam in exilium agere, alios bonis ſpoliare feſtinavit, *ut orba* (*Livius* ita judicat) *auxilio conſilioque res Gabina patri Regi Romano ſine ulla dimicatione in manus traderetur.* Dolum mentiti transfugii in Sexto Tarquinio improbum fuiſſe merito cum *Grotio* cenſemus. qui enim ab externis ſive amicis ſive inimicis in alterius populi fidem ſe dat, quin tacite ſe obliget, ne quid faciat adverſus eum ſtatum, in quo præſidium petit, dubitari non debet. Quapropter nec illi rectè judicant, qui Zopyri factum à reprehenſione remotum volunt, cum fides ejus in Regem ſuum tanta eſſe non poſſit, ut perfidiam in eos, ad quos confugerat, excuſaret.

lib. 1. c. 49.

lib. 3. de I. P. B c. 24. §. 2.

Juſtinus l. 1. c. 10.

Deinde ad negotia urbana animum convertens, inclementer plebem exercuit, fabrorum foſſorumque miniſteriis; nam foros in circo, cloacamque maximam, qua totius urbis purgamenta reciperentur, fieri curavit. Maximè autem plebis animos irritavit in eo opere, quod Jovi ſacrum fieri volebat.

Livius lib. 1. c. 56.

Nec cædibus in Senatum abſtinuit, quos ita ad exiguum numerum reduxit, quo minore ab aliis in pretio haberentur, plus ſibi accreſceret reverentiæ. Enervatur enim ſenatus auctoritas, dum ad paucos redigitur, non minus quam ſi in magnum numerum extenditur, cum in utroque Senatorii ordinis dignitas tuto ſtare nequeat.Ettereà morum actionumque non aliam habebat regulam, quam infinitam dominationem: hanc unam ſibi inſatiabiliter parandam vindicandamq; cenſuit: quare ſub Superbo Tarquinio Principe regnandi tam avido, ut inviſa libertas ita periculoſa erat adulatio. Exinde Turnum, qui dicendi libertate apud Latinos auctoritatem ſibi

Livius lib. 1. c. 55.

bi paraverat, callido & inani juris titulo, vel ut rectius dicam, artificioso calumniæ genere è medio tollere properavit. Quin pro mysterio & compendio civilis scientiæ erat, ut neglecta juris honestique regula, maleficia sua aut fraudulentas artes, exemplorum & eventuum nominibus vel instrueret vel excusaret. Quod etiam Historicus innuere videtur, dum scribit: *Socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum periisse dictitans.*

Livius lib. 1. c. 51. 52.

Cæterum in tam atroci tempestate Junium Brutum prudentissimè vitam egisse ex eo constat, quod cum maximos quosq; & sapientissimos & libertatem laudantes non nisi ultima supplicia manerent, stultitiam simulaverit, ut omissa importuna jactatione libertatis, quæ multis causa interitus fuit, commodioribus sese servaret temporibus. Sicuti enim inter æquales simulare, debilis est ingenii, ita temerarii est, simulare cum majoribus nolle. Errores utcunque etiam leves in integra adhuc rep. negligere malum est; at pejus omnibus in corrupta se opponere vitiis, cum non semper urgendæ sint difficultates: præsertim ubi ferendis auxiliis impares sumus, consultius est tacere, quam intempestivè tentando violentiam accelerare.

Malvetius in Idea Tyranni p. m. 28.

Accessit ad tot infanda scelera tandem filii Sexti fœdissima libido, qua Lucretiæ conjugis Collatini pertinax pudicitia violata est. Matrona quidem contumeliæ impatiens sese ferro interemit, sed quantum incomparabili castimoniæ studio gloriæ promeruit, tantum spontanea & ignava morte amisit. Nam neque concessa est αὐτοχειρία quanquam tantopere Stoicis laudata, nec quicquam in ea est generosum. Peccat namque & in se & in Deum, qui vitam sibi à Deo pro magno beneficio concessam tam vili æstimat, ut suo potius quam alieno scelere mori velit. Quæ *Augustinus* habet de *Civitate Dei*, ubi de morte Lucretiæ eleganter disserit, hic addere nimis longum esset.

Livius lib. 1. c. 57. 58.

lib. 1, c. 19.

Quomodo Brutus, cui ad regnum expugnandum omnia nunc opportuna erant, corpus Lucretiæ in forum detulerit, & Tarquinio ejusque filiis accusatis, populo monstraverit occasionem, ut Imperium Regium Tarquinio expulso abrogaret,

Diony-

Dionysius rursus pluribus recenset: additis tempore, loco & die, quibus Tarquinius sceleratissimus cum conjuge ac liberis exulare jussus est. Ut ita exitus Tarquinium consecutus fuerit, qualis imperio funesto congruebat, ignominiosus scil. & deformis.

Cæterum hoc damnati Principis exemplum dignum esset, quod excuteretur amplius; & simul ostenderetur, quo jure contra illum à populo Romano pronunciatum fuerit. Videtur Tarquinium tueri sanctitas principalis fastigii, quæ subditis semper inviolabilis esse debet, & licet ea Principes abuti videantur, obsequium tamen iis deferendum esse, eruditi fere semper statuerunt; imò etiamsi divinis, naturæ & gentium legibus adversa quædam præscribant, non tamen ideò statim iis vis opponenda & destituendi, neque tamen etiam parendum, si conscientiam lædi credamus. *Ferenda*, inquit *Tacitus*, *Regum ingenia.* & alibi; *bonos Imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos.* ita ut mali semper exempli visum sit, *qualiscunque Principis cæde manus subditorum cruentari.*

Verum in examinando jure populi Romani, nulla firmior ratio dari potest, quam hostilis in remp. Superbi animus, quem Historici passim notare videntur: cum nunquam tolerandus sit ille, qui omnium hostis est, atque ea evertere contendit, in quibus constat, incolumitatem omnium versari. Talis enim Princeps esse desiit, nec dignus est, ut Regis nomine salutetur: subditis quidem patientia semper commendata esse debet, non tamen ea, qua evertitur resp. sed qua conservatur. Neque hoc jus subditis reservatum in tali casu, in eos tantum Principes, qui adstricto certis legibus Imperio utuntur, sed & qui plenissimam potestatem, qualem Tarquinium vi & injuria sibi parasse constat, obtinent: par enim eorum est ratio, cum nec sub his nec istis resp. certæ ruinæ periculo everti debeat. Tarquinium igitur Romani jure expulére, ut eum, qui scelere & invaserat Imperium, & dum tenuit, propè totum evertit. Regnavit ille annos quinque & viginti. Quæ bella postea contra Romanos eorumque novam libertatem moverit, *Livius* & *Dionysius libris sequentibus* fusè docent.

XVI.
DISSERTATIO
De
ANNONA
Sub Imperatoribus Romanis.

DE Annonæ adminiſtratione, ſub Imperatoribus Romanis, ad colloquium congreſſumque Academicum, conſignare aliqua fert animus. Nec morabimur diu in nomine, quo omnis fructus annuus, ſive proventus ſignificatur. *Annona* enim, copiam anni notabat: & ſi adjectivum ab initio fuit, quod nonnulli eruditorum ſuſpicantur, refertur ad *copiam*, quæ vox poſtea ſubaudiri cœpit, donec ut in multis factum, fulcro oblivioni tradito, annona per ſe ſubſiſteret. Hinc *annona amicorum*, apud *Horatium*; *annona veneni*, apud *Iuvenalem*, nihil aliud quàm *copiam ejus* rei indicat. Nugæ ſunt apud *Iſidorum*: *Annona tractum eſt à tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur, ſicut Martialis:*

lib. 1 ep. 12. Sat. 9. v. 100. lib. 20. c. 2.

Imperat excelſos frangere nona toros.

A *Nonis* deducit vocem *Suidas*; quod eo die menſis annona diſtribueretur. quam rationem non aſpernantur *Torrentius* ad *Suetonium* & *Adolphus Occo in Numis* aliquoties. Sed *Lipſius in Electis* ridet. Uſus autem obtinuit, ut de omni alimentorum & victus genere, & inprimis quaſi propter excellentiam quandam, de frumento & re frumentaria, Annona acciperetur. Græci quoque poſteriores uſurparunt vocem. In *Procopii* ἀνεκδότοις ἀννώνην reſtituit *Nicolaus Alemannus*, ubi συνάνη corruptè legebatur. Apud *Suidam* reperies: ἀννωνῶν μεταχομιδή· ἡ δὲ λέξις ῥωμαϊκή. *Annonarum vectura. eſt autem vox Romana.* In *Baſilicis* ἄννωναι, ſcribuntur. *Annona autem* (refero verba *Salmaſii*) *numero ſingulari cum dicitur, frumentum ſignificat, & vinum & oleum & carnem & capitum, & alias ejuſcemodi cellarienſes ſpecies. vid. tit. Cod. Theodoſ. de erogatione militaris annonæ. Annonæ verò multitudinis numero enunciatæ panes tantum ſignificant.* Quæ annotatio id dicit, quod

Not. p. 99. 100.

ad Lamprid. Alex. Sev. p. 226.

quod sæpe fit, non id, quod semper. In illo ipso utique *titulo Cod. Theod. l. 20. & 29. annonæ* non solos panes notant. Et in *Codice Justinianeo annonas* itidem explicat *Cujacius*, *panem*, *vinum, oleum, liquamen, laridum, & cetera, quibus vitam toleramus.* Nec reprehendus videtur *Lipsius*, qui *in Militia Romana*, *annonas* pro toto stipendio militum, ὀψωνίῳ στρατιωτικῷ, non solis panibus utique constante, accipi interdum, docet. Non potest fieri, quin subinde in hac dissertatione attingamus ea, quæ quocunque modo ad annonam pertinent; præcipuè tamen ad rem frumentariam, quæ dicentur, volumus referri.

Paratit. ad Cod de annonis & cap. administr. lib. 5. dial. 15.

Omni cœtui, qui in civilem societatem coiit, propositum est, atque adeò esse debet; ut singuli non tantùm vivant, sed beneficio hujus conjunctionis bene vivant ac feliciter, quod sine copia rerum necessariarum fieri nequit. Annona inter ea est, sine quibus ne vivi quidem potest. Hinc vel toti civitati, vel qui ejus regendæ onus suscepere, inter præcipua curarum naturaliter est, ut res omnibus & singulis tam necessaria non tantum in promtu sit, sed ita dispensetur, suppleatur, denique administretur, sicut modus, ordo, ratio utendi fruendique sociali vitæ conveniens postulat. Et quanquam vulgus alias vix communis salutis cura præ rerum privatarum studio, tangitur: annonæ tamen in republica & necessitatem agnoscit, & parabilem copiam expetit, atque adeò ab iis, qui publica moderantur, exigit. *Vulgo una ex republica annonæ cura*, inquit *Tacitus*. Annona salva, ceteras fere rationes servandæ tuendæque aut ornandæ reipublicæ negligit: exprobrante Atheniensibus *Demosthene, in quarta contra Philippum*: εἰ τοίνυν τὸ τῶν ὠνίων πλῆθος ὁρῶντες, καὶ τὴν εὐθηνίαν τὴν κατὰ τὴν ἀγορὰν τούτοις κεκήλησθε, ὡς ἐν οὐδενὶ δεινῷ τῆς πόλεως οὔσης, οὔτε προσηκόντως, οὔτ᾽ ὀρθῶς τὸ πρᾶγμα κρίνετε. *Quando igitur rerum venalium copiam & annonæ in foro ubertatem intuentes, ita acquiescitis animo, ut nihil de civitatis discrimine cogitandum existimetis, neque recte, neque ut par est, de re tota judicatis.* Igitur Principes Romani, non modo, ut inter laudes boni regiminis, sed ut inter præsidia securitatis pacisque, annonæ curam sibi suscipiendam censuerunt. *Hanc curam*, inquit Tiberius. *sustinet Princeps: hæc omissa funditus rempublicam*

4. H. 38. 15.
A. 36.
Tac. 3. A. 54. 18.

blicam trahet. Et inter *munera, quæ Principes Romani sæculo præstare consueverant, Symmachus, affluentiam* annonæ ponit.

Cum enim agriculturæ studium, invalescente luxu ac desidia, omitteretur per Italiam, ingenuisque & honestis cultoribus, catenata servorum turba succederet, externis magis, quàm domesticis præsidiis annona Romana nitebatur, subvecto aliunde frumento. Quæ res periculis obnoxia fuit, vel ob tempestates, vel ob alia annonæ maturius aut copiosius comparandæ obstacula. Tanti imperii tam florentibus temporibus ista labes fuit, quod *Italia externæ opis indigebat, quod vita populi Romani per incerta maris & tempestatum quotidie volvebatur, quod provinciarum copiæ & dominis & servitiis & agris subveniebant:* intentius ista considerante Tiberio apud *Tacitum. At hercule olim ex Italia regionibus longinquas in provincias commeatus portabant, nec postea infecunditate laborabatur: sed Africam potius & Ægyptum exercebant, navibusq; & casibus vita populi Romani permissa est,* sicut iterum *Tacitus* testatur. Periculo autem famis, facile ad seditionem vulgus consternatur. Quo metu Pompejo, de consilio Ciceronis, *annonæ demandata cura, non minus* addidit *gloriæ, quàm pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, Oriens triumphis Occidensque lustratus,* prædicante *Plinio.* Sed Augusto perfecti operis debetur gloria. Is cum nomine Principis cuncta sub imperium accepisset, ut omnis boni exempli, ita hujus in republica provisionis annonariæ solertissimus auctor fuit. Non simplex illi ejus curæ consilium, vel ad instrumenta vitæ civilis, vel ad blandimenta novi status. quod non præteritum arcanorum Principalium scrutatori unico, & proditori laudatissimo.

Appian. 1. B. C. vid Lips. Elect. ., 15. Not. ad Vellej. 2, 94.

3. A. 54.

12. A. 43.

Panegyr 29. adde Cassiodor 6, 18.

Tac. 1. A, 2.

Ad hoc exemplum, optimus quisque Principum serio, ceteri veluti tradito more, tanquam aliquod boni imperii specimen edituri, gaudebant conformari. *Annona* certe *Augusti* & *Augustorum,* inter solemnia, quibus laudes Principum Romanorum in numis consecrabantur, elogia speciose eminet. Possis fortasse hanc curam vere Principalem etiam titulo *Annonæ Augustæ* dedicare, quanquam exemplum hactenus non reperi; sed ad similitudinem ejus formulæ, qua SPES AUGUSTA apud *Guilielmum Brassicanum* in numis Hadriani, PIETAS AUGUSTA apud *Occonem*, QUIES AUGUSTA apud *Goltzium* dicitur in numis. Et

pag. 29. In Tit. V. C. 830. p. 164.

Augu-

Augustam pacem dixerat *Ovidius*, & post eum *Vellejus*. Ceterum Annona Avg. aut Avgg. ita dicebatur, ut *Virtus Augusti*, *Felicitas Aug. Æquitas Aug. Liberalitas Aug. Securitas Aug. Ubertas Aug. Providentia Aug. Moneta Aug. Salus Aug. Justitia Aug. Indulgentia Aug. Clementia Aug. Concordia Aug. s. Augg. Ceres Aug.* quæ cum *Annona Aug.* congruens, interdum conjungebatur. Talis est, numus Neronis: Annona Avg. Ceres S. C. apud *Occonem.* sicut in alio Nervæ numo *Annona* & *Ceres* sese mutuo aspiciunt. *Annona* porrò figura tanquam Deæ, cornu copiæ plerumque sinistra, dextra spicas, easque vario gestu, papavere etiam intermixto, tenebat: additis diversis tanquam insignibus, modio frumenti, canistro, panario, nave, scapha, ancora, gubernaculo, tessera frumentaria, ad formam τȣ̃ ⊥. Quæ & similia, tum *Providentiam Principum* in comparanda colligendaque annona, tum *Felicitatem* eorundem in conservanda & cumulanda, denique *Liberalitatem* in dispensanda, celebrare voluerunt. Quin ipsa illa laudum Principalium nomina, *Providentia, Fortuna, Bonus Eventus, Liberalitas, Fides Augg.* symbolis & figuris ad annonam pertinentibus signabantur: modo ad totum Imperii tempus, modo ad certos & fertiles felicesque annos, nunc ad Consulatus honorem, nunc ad Optimi Principis cognomen accommodandis. In *Augustarum* quoque ornamenta, ut alia Principalis meriti Dearumque variarum insignia, ita *Cereris* & *Annonæ* habitus ac beneficia cessere.

lib. 2. de Pont. eleg. 5. Hist. 2, 126.

V. C. 816. p. 122.

V. C. 849. p. 189.

Curæ autem vere Principalis primordia ab Augusto, ut diximus, repetenda sunt. Quæ enim ante Principum tempora constituta ac provisa sunt, nunc non attingimus. Augustum ergò, ut curam annonæ, extra ordinem susciperet, flagitatio populi adegit anno V. C. DCC XXXII. Caussa inopiæ, pestis: quæ agriculturæ intercessit. *Extra ordinem*, dixi, *exemplo Pompeji*, quod in ore habebat populus. ἐπιμελητὴν τȣ̃ σίτȣ *curatorem frumenti* historicus vocat. Sicut posteà Tiberius *curam administrationis annonæ, quæ arctior inciderat*, ut *Suetonius*; sive *maximam difficultatem annonæ & rei frumentariæ inopiam, Ostiæ atque in urbe mandato vitrici moderatus est*, ut *Vellejus* memorat. Ubi frustra puto *Lipsium* dubitare, an abdicanti Augusto successerit in præfectura Tiberius. Extra ordinem uterque curam Annonæ

Dio Cassius lib. 54. princ.

Tib. 8.

2, 94.

Elect. 1, 8.

 gessit:

gessit: deponendam scilicet, ut primum ea convaluisset. Non possumus ergo probare eum *in Electis* scribentem, *abdicante Augusto, præfectum Annonæ fuisse Tiberium.* Quod præsertim cum eo, quod eadem pagina sequitur, parum convenit: *Successit, ut opinor, Augusto C. Turranius.* Sicut & cetera non satis distingui videntur. *Augustum*, & hujus jussu *Tiberium*, Annonæ extra ordinem præfuisse, nullam idoneam dubitandi caussam repereris. Et Augustus quidem eodem anno instituit, *ut duo ex prætoriis viris, ante quinquennium circiter illo honore perfunctis, singulis annis legerentur,* πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν, teste *Dione Cassio:* ad *curam frumenti populo dividendi*, dixeris cum *Suetonio*, qui inter *nova officia* id excogitatum ab Augusto refert. *Casaubono*, qui hanc curam sustinebat, alio nomine videtur dictus *Minutiæ curator.* Sed nec inscriptio lapidis, quam adfert, id probat; nec aliæ inscriptiones (vide *opus inscript. Gruter. p.* CLXXIII. I. ubi CVRATOR DE MINVCIA. & CCCCVIII. I. ubi CVR. MIN. & CCCLXXXI. I. ubi CVR. AQVAR. ET MINIC. & plenius 3. CVRATOR AQVARUM ET MINICIÆ) hoc potius quàm curam in aliis quoque regionibus urbis circa ædificia & eorum usum demandari solitam ostendunt. adeo ut ne satis quidem constare possit, an quicquam de frumento (certe non solo) ad *curatorem Minuciæ* pertinuerit. Quod enim in nona urbis regione duplex *Minutia* (alii Mimitiam scripserunt) altera *vetus*, altera *frumentaria* dicitur, de ratione hujus appellationis nihil certi habemus: nisi quod in ea frumentum venditum fuisse nonnullis videtur. Nam locum *Apuleji* Lipsio laudatum *ex libro de mundo* libenter ita legerem: *alius ad Minutiam frumentariam venit.* pro *frumentatum.* Vide, an hoc velint, quæ antecedunt & sequuntur.

Sed ad Augustum redeundum est, qui anno V. C. 736. duobus Lentulis Consulibus instituit, *ut qui magistratum gererent singuli singulos ex prætoriis viris, triennio ante illo honore perfunctis, nominarent, de quibus quatuor sorte ducti annonam suo quisq; loco & ordine distribuerent.* ἵνα ἐπὶ τῇ τοῦ σίτου διαδόσει προβάλλωνται καὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀεὶ ὄντες ἵνα ἕκαστος ἐκ τῶν πρὸ τριῶν ἐτῶν ἐστρατηγηκότων, καὶ ἐξ αὐτῶν τέσσαρες οἱ λαχόντες σιτοδοτῶσιν ἐκ διαδοχῆς. His binos lictores, & servos publicos, & scribas, & librarios, accensos præconesque, ex *Frontino Lipsius* tribuit. Nondum *Præfectum annonæ*, pro-

I, 8. lib. 54. pr. c. 37. ad h. c. v. Panciroll. in XIV region. V. R. Dio Cass. lib. 54.

proprio nomine sic dictum habemus. Primum ab Augusto constitutum C. Turranium, cujus *Tacitus* mentionem facit, *Lipsius* putat, argumento non satis firmo ex alio *Taciti* loco, ubi de alio Turranio agi certum est; sicut & vocem *primum* non ad officium (*rei frumentariæ Præfectum*) sed ad ordinem, quo vocantur à Principe amici, pertinere, ipse *in Notis ad illum locum* agnoscit, & in aliis *notis ad Senecæ librum de brevitate vitæ.* Id verum est, non alium ante illum ab initio Principatus Tiberiani memoratum *Turranium*, qui id muneris jam extremo Principatu Augusti gesserat, uspiam nominari. Quod autem anno V. C. 732. *Præfectus frumenti populo Romano dividendi* constitutus sit, frustra & temere ex *Dionis libro supra laudato*, & *Suetonii Augusto*, (unde solita incuria locus plane à proposito alienus affertur) *Julius Cæsar Bulengerus* probare conatus est. Ab Augusto interim *præfecturam Annonæ* primum institutam, tanquam magistratum non temporarium, sed in Republica mansurum, ex priori *Taciti* loco satis constat: licet de nomine primi præfecti nihil certi habeamus. Id quoque non ambigitur: præfectum annonæ, cum binis illis, & posteà quaternis, dividendo frumento constitutis, confundi non debere. Addo: Curatores Annonæ in lapidibus antiquis, non eosdem videri cum præfecto Annonæ, sicut *Lipsius* autumat: sed constituta plenius Annonæ cura, distinctos locis, laboribus, gradibus accessisse. Hinc *curatorem annonæ civilis, curatorem annonæ plebi præbitæ*, & quæ alia sunt discrimina, præsertim in municipiis loco præf. Ann. *curatorem annonæ* in antiquitate legas.

1. A. 7.
14. A. 31.
cap. 20.
c. 54.
c. 52.
De Imper. Rom. lib 5. cap. 14. & lib. 6. c. 2.
Elect. 1. 18.
Inscript. Grut.

Proxima est *præfecti annonæ* descriptio apud *Senecam*: *quod orbis terrarum* (ex nota Romanorum μεγαληγορίᾳ) *rationes administret; quod frumenti publici rationes norit; quod multa frumenti millia illi committantur; quod cum ventre humano illi negotium sit; quod curet, ut incorruptum à fraude advehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur & concalescat, ut ad mensuram pondusque respondeat.* Et nota, quod de pluribus, *quibus erat mandata frumenti cura*, temporibus Caligulæ mentionem faciat, sive Præfectum Urbis & Præf. Præt. de quibus subinde, intelligens, sive alios curatores. Desiderat etiam ad hoc munus *homines frugalitatis exactæ, & laboriosæ operæ.* *Cassio-*

De brevit. vitæ 18. & 19.
VI. 18.

Cassiodorus in *formula præfecti annonæ*, & munus ejus, circa *pistores* præsertim ac *panes*, itemque *suarios* amplius declarat, & dignitatem ejus à *carpento Præfecti Urbis*, à *tribunali* & jurisdictione, *etiam in provincias mandata dimittente*, magnifice describit. Plura ex Cassiodoro aliisque collegit *Bulengerus*. Apud *Symmachum*, *Viri Clarissimi* honore signatur præfectus annonæ. Quomodo ergo ejusdem sæculi scriptorem *Boëtium* his conciliamus, ita scribentem: *Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur: nunc ea præfectura quid abjectius?* Quis ferat tam valide suo sæculo contradicentem, nisi figuram & propositum oratoris spectemus? cui in animo existimem fuisse gloriam illam Magni Pompeji, singularis exempli, *Plinio* dilaudatam, ut ante diximus. cum illa si conferas *præfecturam annonæ*, vilescit ut ut splendidus, quem & *Seneca honorificum ministerium* dixit, ordinarius honos objectu extraordinarii splendoris.

De Imper. Rom. VI. 20. lib. 10. ep. 36. & 48. add. Juven. not. p. 281.
De consol. phil. lib. 5. pros. 4.
Paneg. 29.

Cum præsertim & Præfectus urbis, & Præfectus Prætorii Annonæ curam itidem gesserint. Hinc *Symmachus Præfectus urbi* Imperatorem Theodosium orat, (ex officio scilicet) ut annonariæ rei difficultates expediat: & de olei penuria loquens, *cujus rei*, inquit, *V. C. Præf. annonæ, partium suarum diligens executor, Prætorianæ amplissimæ Præfecturæ, ut ipse asserit, dudum fecit indicium, missis de more Brevibus, quæ angustias patefacerent conditorum.* Ita sub Commodo Imperatore Cleander Præf. Præt. rei annonariæ arbitria sibi insolentius trahens, occasionem rerum novandarum inde machinabatur, apud *Herodianum*: Præfecto annonæ Papirio Dionysio per alia consilia inopiam intendente, ut *Xiphilinus* ex *Dione* refert. Et Philippus Arabs præfectura prætorii abusus est ad imperium Gordiano eripiendum, cum *naves frumentarias avertisset, militesque in ea deduxisset loca, in quibus annonari non posset*: teste *Capitolino in Gordianis*. In *Notitia Imperii* sub dispositione *Viri Illustris Præfecti Urbis* ponitur etiam *Præfectus Annonæ*: & postea *Rationales vinorum, Tribunus fori suarii, Curator Horreorum Galbanorum*. Et sub dispositione *Viri Illustris Præfecti Prætorio Italiæ* numeratur *Præfectus Annonæ Africæ*; sicut sub dispositione *Præfecti Prætorio Orientis* erat *Præfectus Annonæ Alexandrinæ*. Ille Carthagini, hic Alexandriæ sedem habebat, & *officium*: cujus in *Codice utroque* fit mentio. Quod mirum non est, cum

lib. 10. ep. 31.
1, 12.
lib. 72.
cap. 29.

cum & in municipiis ac civitatibus, curatores annonæ, Sitones & Elæones habuerint *officium apparitorum*, de quo *Pancirollus*. De Magistr. munic. c. 12.

Quanquam autem *Præfectus Annonæ* in urbe sub dispositione Præfecti urbis esset, ut dictum est, separatas tamen habuit apparitiones, quas cum aliis commisceri vetuerunt *Imperatores*. lib. 12. C. 1. 59. Apparitores Præfecti annonæ, *annonarios*; Præfecti urbis, *urbanicianos* in Codice Theodosiano dici, annotat *Cujacius*. In *inscriptione antiqua* memoratur Præfectus Annonæ Urbis Sacræ cum Jure Gladii. Op. Grut. p. ccccxxxiii. 4. In basi statuæ, inter titulos *Symmachi* legitur: Præfecto Annonæ Urbis Romæ. p. CCCLXX. 3. Sed quid est *Allectus Annonæ?* sicut *C. Valerius* appellatur in veteri lapide. p. CCCC LXXIX. 6. Nemo hoc explicavit. quanquam *Bulengerus* multa de *Allectu* & *Allectura* collegerit. De Imper. Rom. VI, 45. An, ut Allecti alias sunt susceptores in suscipiendis vectigalibus occupati, & in rationibus perscribendis, ita *Allectus Annonæ* rationes annonarias confecerit, aut ad annonæ curam ab ordinariis annonæ curatoribus, sive annonæ præfecto extra ordinem allectus fuerit? Prius magis placeret; nisi eruditioribus aliter videatur. Nam, quod *Lazius*, De republ. Rom. lib. 2. cap. ult. pag. 280. rationem appellationis ex alio genere *allectorum* (de quibus agit *lib.* 9. *cap.* 1.) repetere instituit, ejus rei non æque apparet caussa & similitudo. Titulares enim illi, ut vocitat, honores ad commoda & jura ex vero honore alias venientia manifesto pertinebant. Quod huc obscurius traxeris. Quid? quod *inscriptio* non *allectum annonæ* tantum nominat, sed addit *Leg.* III. *Italic.* Quæ res magis sententiam meam confirmat: operæ & officii, ut in susceptoribus, quibus ob *allecturam fideliter administratam* gratiam relatam legimus, non compendii tantum & tituli, hanc appellationem esse.

Quæ res nos monet, ut de *Officio* (id est, officialibus ac ministris) *Præfecti annonæ* aliquid annotemus. Et de *lictoribus, accensis, scribis, præconibus* quidem eo minus dubitare possumus, quanto certius est, ut supra vidimus, etiam iis, qui frumento distribuendo ab Augusto destinati erant, hæc ministeria non defuisse; &, jurisdictionem præfecto annonæ demandatam, absq; his explicari non potuisse. De cetero, ut vocabulorum & ministeriorum facta est accessio, non video rationem, quæ vetet credere, officium præfecti annonæ ita instructum ordina-

tum-

tumq; fuisse, ut apud alios non superiores modo, sed æquales & inferiores magistratus in *Notitia Imperii* videmus. *Centurionis ex officio annonæ* mentio fit in *Digestis Scævolæ*: non quasi is præfuerit toti officio annonæ, quod videtur velle *Pancirollus*, sed apparitoribus quibusdam. Haud dubie enim in officio primus fuit, qui *Princeps officii* dicebatur. *Unaquaq; enim officia suos habuerunt Principes, qui primores & priores & capita officii dicebantur.* —— *Unus tamen erat, qui proprie Princeps officii dicebatur, tam in Palatinis officiis quàm in officiis præsidum & rectorum provinciarum*, inquit *Salmasius*. Nec *Cornicularium* abfuisse putem, & *Adiutorem, Commentariensem, Ab actis, Numerarios, Subadjuvas, Epistolares, Referendarios, Cohortales*, de quibus *Pancirollus (in Not. Imp. utr. pag. 28. & seqq.) Bulengerus & Salmasius ad Historiam Augustam* passim, disquirunt. *Frumentarios* autem (*sive ita dictos, quod frumenti publici prosecutionem curarent, sive potius quod annonæ militaris exactioni præessent*, ut censet *Salmasius in prolixa de his dissertatione*) præfecturæ Prætorianæ paruisse, non est dubitandum. Fuerunt alii *frumentarii mensores*, de quibus *Lipsius*. MENSOR FRVMENTI, in veteri inscriptione, Et *Frumentarii mercatores*. In *Gruteriano* opere: MERCATORES FRVMENTARI ET OLEARI AFRARI præfecto Annonæ tabulam marmoream posuerunt. In *eodem* ex auctoritate Imp. loco per curatorem publicorum operum designato templum extruxerunt NEGOTIATORES FRVMENTARI. Et NEGOTIATORI FRVMENTARIO monumentum positum. De quorum opera subinde intelligetur.

l. ult. §. Titius. D. de pign. act. De magist. municip. c. 12.

In Capitol. Marc. Anton. p. 83. & Lamprid. Alex. Sev. p. 208. adde Bulenger. de Imp. Rom. v. 64. ad Spartian. Hadr. p. 28. 29. 30.

Elect. 1. 8.

Grut. op. DCXXXI. 8.

CCCCXXVI. 5.

CXXVIII. 2.

DCXXI. 6.

Wolffg. Lazius sub Præfecto annonæ ponit, *Notarios Annonæ, Opimatores, Tesserarios, Dardanos. Symmachus Notarii* meminit, *cui Imperator mandasset in Africa frumentarios commeatus.* Et *Opimatores* quidem *Lazius* explicat, tanquam opimandæ annonæ intentos. Alii rectius *Opinatorem* scribunt. cujus mentio est apud *Symmachum*, ubi *Juretus* annotat locum *Augustini ex epist. 219.* & addit: *Eo nomine significabatur exactor militaris annonæ, ut in constitutione Arcadii & Honorii in l. 11. de erogat. milit. ann. C. Opinio autem aliquando sumitur de censu vel æstimatione, ut in l. ult. de præd. & omnib. reb. Navic. C. ubi agri opinio dicitur. Inde igitur eo sæculo dicti opinatores. quia opinarentur, id est, æstimarent. quanti species adærandæ forent.* Ad *Trebellii Pollionis triginta tyrannos Salmasius* ita de his disse-

lib. 2. reipub. Rom. c. ult.

lib. 10. ep. 31.

lib. 9. ep. 47.

describit Bulenger. de Imp. Rom. V. 41.

disserit: *Opinatores milites erant, qui ad annonam in provincias mittebantur. Glossæ: opinator, ὁ τῆς στρατιωτικῆς ἀννώνης ἀπαιτητής. eorum mentio in codice. male magnus Cujacius opinatores inde dictos opinatur, quod opinionem, id est, censum agri exigerent. imo opinatores, quod probarent spectarentque annonam, quam exigendam habebant. nam opinator idem, quod probator & æstimator. Glossæ veteres: opinator, æstimator, vel qui conducit aliquid, trutinat & appendit. hæc officium opinatoris quale esset in exigenda militari annona plane ostendunt.* Pag. 300. *Tesserarios Lazius* interpretatur, qui tesseram militibus dividebant, hoc est, annonam gratuito datam. Qua de re etiam *Marcellus Donatus* ad *Tacitum* aliquid annotavit. Sed nondum est in expedito illa interpretatio. lib. 5. Hist. 26 *Dardani* sive *Dardanarii*, inquit amplius *Lazius*, *sub Præfecto annonæ erant, ejusque audiebant dicto.* Noli de officio Præfecti annonæ accipere. quis enim hoc dixerit de genere hominum inviso, aliquando urbe excluso, rursumque admisso? nisi quod coërcitio eorum ad præfectum annonæ spectasse intelligitur. Qua de re postea.

Vere ad Officium Præfecti annonæ pertinet, qui in monumento antiquo memoratur, ADJUTOR PRÆFECTI ANNONÆ. Grut. op. DCXXII, 3. Quos & *Adjuvas* dictos, *Salmasius* ad *Trebellium Pollionem* notat. pag. 336. Unde *Subadjuvæ*, quasi subadjutores. de quibus *Bulengerus*. de Imp. Rom. VI. 49. Inter officia Domus Augustæ, refertur ACTOR À FRUMENTO Domitiæ Aug. apud *Gruterum*. p. DXCIII. 1. Et in militari annona A RAT. MIL. FRU. LEG. XXX. DXVIII. 11. *Fisci* quoque *frumentarii* fit mentio: DXCII 1. ubi *Tabulariis* & *Susceptoribus* locus, de quibus v. Buleng de actorib. III, 25. ad Marcell. 17 p 144. *Henricus Valesius*, *Susceptores*, inquit, *annonam militarem à provincialibus exactam susceptamque in horrea inferebant, & pro illationis modo securitates, id est, apochas accipiebant. ut est in l. 16. Cod. Theodos. de Susceptoribus. Hi etiam Annonam erogabant Actuariis & optionibus juxta breves seu pittacia authentica, quæ actuarii semper parata habebant, in quibus, quo die & quantum esset erogatum, scribebatur. nec antequam pittacia hæc accepissent, Susceptores annonam ex horreis proferebant. Hi breves postea ad sacra scrinia mittebantur, lege* 11. *& 14. Cod. Theodos. de erogatione militaris annonæ.* Hujus loci sunt susceptores specierum annonariarum, & susceptores Canonis sive annonæ populi R. Fuerunt enim multa alia *susceptorum* genera. Adde *Lazium fine libri secundi.*

Sed Præfectus annonæ longius incepto nos abduxerit. Spectanda enim nunc est Augusti & Augustorum cura in comparanda & colligenda annona. Sicilia, Sardinia, Africa, Ægyptus, frumentariæ provinciæ erant, unde Romanis annonæ copia invecta. De Sicilia & Sardinia *Juretus ad Symmachum* testimonia collegit, *Bulengero* descripta, qui & de ceteris annotat. De Africa testimonio est, quod fiducia frumentariæ provinciæ rebus novis studuerunt, & Clodius Macer, jussu Galbæ occisus, & Gildo Comes & Magister utriusque militiæ per Africam, qui classes frumentarias retentavit. Unde *post rei damnationem* (*Symmachi* verba sunt) *adjecta est pro alimentis populi Rom. supplicatio. In metu enim erant, ne obesset commeatibus annonariis medii temporis mora, & perturbatio plebis oriretur.* Quare Judicibus provincialibus demandata cura, ne onusta navigia apud portus morari permitterent. *Quid mihi* (inquit iterum *Symmachus*) *insusurras frugis Africanæ tenues commeatus? Absit ut præsens annus imitetur fortunam superiorum. Intercludet, ut spero, providentia tristes casuum vias, sacris* (Imperatoriis) *auribus edocendis, & castigatione Judicum, quos alimentaria spectat invectio: Nec spem dies obstruit. nam mare adhuc jussu cursibus patet, & nondum in hyemem præcipitat autumnus.* De Judicibus stimulandis etiam alibi agit. Et de Africa iterum: *Quid enim spei reliquum sit, cum provinciis Africanis nec ad victum tenuem frugum tritura responderit, & suppleta ex aliis terris semina vicinus annus expectet? Jure igitur ad æternorum Principum providentiam Provincialium solicitudo confugit.* In supplementum Africani commeatus è Macedonia petitum frumentum *idem Scriptor* docet: *Hinc* (ex prædio ad Tiberim) *libens video, quid frugis æternæ urbi in dies accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adducat commeatus. Nam pane cessante Africa fames in limine erat, quam clementissimus, & ad salutem publicam genitus Imperator prævenit ingestis alieni soli copiis.* Neminem in errorem ducat *Lampridius*, quando de Commodo scribit: *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.* Diu enim ante tempora Augustorum Africanum frumentum subvenisse Romanis, & *Lipsius* ostendit, & *Casaubonus* ad illum *Lampridii* locum monet. Igitur novaverit aliquid tantum Commodus in

lib. 9. ep. 39. de Imp. R. VI, 3. & VI, 15.
Suet & Plut. Galb. l. 4.
ep. 4.
lib. 4. ep. 54.
lib. 10. ep. 31. & 48.
lib. 4. ep. 75.
lib. 3. ep. 55.
in vit. c. 17.

in illa subvectione. *Ægyptum* Augustus *in provinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit*, memorante *Suetonio*: atque *vetitis, nisi permissu ingredi senatoribus, aut equitibus Rom. illustribus seposuit Ægyptum; ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset.* ut est apud *Tacitum*. Qui etiam regimen ejus equiti Rom. traditum refert: *Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, superstitione ac lascivia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere.* Classem quoque Alexandrinam ab Augusto institutam *Lipsius* putat. Unde non incallide Nero de retinendo Imperio jam desperans, deliberavit, an *Ægypti præfecturam concedi sibi oraret.* Claudius postea *nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. nam & negotiatoribus certa lucra proposuit suscepto in se damno* (nota imaginem ejus contractus, qui juniore ævo assecurationis nomine frequentari cœpit) *si cui quid per tempestates accidisset: & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituit.* Cumque annonæ curam solicitissime semper ageret, etiam *portum Ostiæ extruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta. quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrinæ Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Hic est ille dilaudatus *Urbis æternæ & sacræ portus*, quem Poëta signat:

Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamque pharon, porrectaque brachia rursum,
Quæ pelago currunt medio, longeque relinquunt
Italiam.

Ubi vetus *Scholiastes*: *Portum Augusti dicit, sive Trajani: quia Trajanus portum Augusti restauravit in melius* (unde illud, rursum) *& interius tutiorem, sui nominis fecit.* *Portum Augusti* dici certum est: quamquam *Juretus* mallet rescribere portum *Augustum*, quia non ab Augusto, sed à Claudio est extructus. Sed illum facile ab incepto deterrere debuit, consuetudo similis locutio-

[Margin notes: in Aug. 18. — 1. Hist. 11. — Elect. 1. 8. — Sueton. Ner. 47. — Suet. Claud. 18. — Id. c. 20. — Juvenal. satyr. 12. v. 75. &c. — ad Symmach. lib. 3. epist. 55. p. 130.]

nis, qua non *Augustum* modo, quod rarius occurrit, sed *Augusti* dicitur, quicquid est Imperatorium, aut Imperatorem aliquem auctorem habet. *Ammiani Marcellini* locus clarus & consensu codicum indubius est, ubi Tertullus urbi Præfectus seditionibus plebis famem metuentis agitatur innocens: *Nec enim per eum steterat, quo minus tempore congruo alimenta navibus veherentur, quas maris casus asperiores solitis, ventorumque procellæ restantium delatas in proximos sinus introire portum Augusti discriminum magnitudine perterrebant, moxque divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam, perpetuamque fore respondit, dum Tertullus apud Ostia in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare mollivit: mutatoque in austrum placido vento, velificatione plena portum naves ingressæ, frumentis horrea refserserunt.* Apud hunc Ostiensem portum tum alia, tum *mensorum* frumentariorum, & *Caudicariorum*, id est nautarum, qui frumentum majoribus navibus allatum, caudicariis sive minoribus navigiis Tiberi subveherent, ministeria, *corpusque* e. g. *mensorum*, *corpus caudicariorum Portuensium* noscitabantur. Extat insignis *inscriptio vetus* de certamine utriusque corporis per præfectum annonæ Vincentium Celsum composito, unde illa hic legi volumus: *nam. rexit. annonariam. potestatem. urbu. æternæ. ea. æquitate. ut. inter. omnes. qui. ad. eum. animo. litigantis. intrassent. parentem. se. plerumque. magis. his. quam. judicem. præbuisset. tunc. etiam. factum. est. ut. mensores. nos. portuenses. quibus. vetus. fuit. cum. caudicariis. diuturnumque. certamen. vori. compotes. abiremus. ut. utrumque. corpus. &. beneficio. se. &. victoria. gratuletur. affectum.* Corpus quoque *Saccariorum portus Romæ* describitur in *Cod. Theod.*

lib. 19. c. 21.

Pag. Grut. ep. CCCCLXII. 3.

Ad hanc ergo subvehendæ annonæ curam classes illæ pertinent, de quibus plura *Bulengerus* annotavit. Adeo ut ægre tulerint Romani, si de illarum classium navibus aliqua alios ad usus adhiberetur, sicut Neroni ingens conflata est invidia, cum *in publica fame Alexandrina navis nunciaretur, pulverem luctatoribus aulicis advexisse.* Nisi quod præter frumentum (quo præcipue onerabantur) etiam accessio aliqua, ut hodie fieri solet, mercium peregrinarum facta est, id quod vel ex *Suetonii Augusto* colligas. *Navicularii* etiam, qui delegatas species

de Imp. Rom. VI, 6.

Suet. Ner. 45.

Cap. 98.

cies annonarias transferebant, de plena securitate legibus prospectum *codex Theodosianus* docet *tit. de Navicularis & quatuor sequentibus*: ubi & invicem eorum opera ita obligatur, ut subvectio annonaria nullum sentire detrimentum posset. Adde Buleng. VI, 7.

Colligebatur autem frumentum in *Horrea publica*, quæ non tantum Romæ varia erant, ut ostendit *Lipsius*, sed etiam in Portu Ostiensi, & in provinciis passim, de quibus *Bulengerus*. Atque ita rursus curatorum, præfectorum, ministrorum numerus & nomina. Horrea hic accipimus, ubi frumenta reponuntur. alias enim latius patet usus vocabuli, quod Glossæ ἀποθήκας reddunt. de quo genere nobilis locus est in *Alexandro Severo Lampridii*, ubi frustra putamus Historici fidem à *Salmasio* in dubium vocari, si attendas vocem, in *omnibus* regionibus. Fuerunt itaque antea *horrea publica* in Urbe, sed non in omnibus urbis regionibus. ut bene explicat *Casaubonus*. Atque ita in horreis repositæ species annonariæ, *Condita* vocabantur, aut *condita horreorum*, de quibus *Casaubonus* & *Salmasius ad Spartianum* videndi. condita scilicet ad *civilem* & *militarem annonam*. unde *condita militaria* sæpius legas. *Spartianus in Hadriano*: *Laborabat, ut condita militaria diligenter agnosceret.* Quod idem est ac illud apud *Lampridium in Alexandro Severo*: *Annonam militum diligenter inspexit.* Nominatim ea designatur apud *Capitolinum in Gordianis*: *Misithei tanta in Republica dispositio fuit, ut nulla esset unquam civitas limitanea potior, quæ non posset exercitum populi Rom. ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido, atque hordeo & paleis condita non haberet: minores vero urbes, aliæ triginta dierum, aliæ quadraginta, nonnullæ duorum mensium, quæ minimum, quindecim dierum.* Et mox: *Misitheus tantum, quantum diximus, habuerat conditorum, ut vacillare dispositio Romana non posset.*

Elect. 1. 8. de Imp. Rom. VI, 5. cap. 39. pag. 214. In Not. p. 168. pag. 21. pag. 26. cap. 11. cap. 15. cap. 28. cap. 29.

Frumentum & annona, quæ colligebatur & condebatur, partim ex decimis, partim ex tributis & collationibus, sive pensitationibus aliis, partim ex emtione, ad destinatum modum numerumque conficiebatur. De decumis, emtione, vectigali annonæ *Bulengerus* videndus. Et de negotiatoribus frumentariis jam dictum est. apud *Cassiodorum* Theodericus Rex de more veteri negotiatoribus Apuliæ sive Calabriæ, *per* De Imp. Rom. IX, 9. 2, 26.

quos frumenta publicè comparabantur, quosque suis titulis necessarios judicat, egregie prospectum voluit. Adde *Lipsium*. Elect, 1, 8.

In his rebus quantum operæ studiique posuerint Imperatores, crebris Historicorum monumentis edocemur. *M. Antoninus*, inquit *Capitolinus*, *omni frumentariæ rei consuluit.* Et: *De alimentis publicis multa prudenter invenit.* Ubi *Casaubonus* mallet addere *privatisque*: ut magis congruerent, quæ ex oratione Marci *l. 8. D. de transact.* demonstrat. Sed audax fuerit hæc additio. Illud de negligentia Historici conquerendum est, quod ignorare nos voluit, quæ essent illa prudenter reperta. *Idem* de Pertinace: *Annonæ consultissime providit.* De Alexandro Severo *Lampridius*: *Commeatus populi Romani sic adjuvit, ut cum frumenta Heliogabalus evertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Oleum, quod Severus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, restituit. Commeatus* est, ut recte *Casaubonus*, κατάπλυς, & de invecto classibus frumento capi debet. Oleum ad distributionem pertinet. ubi de hoc loco *Lipsius*. Aureliani singularis in hoc genere dispositio fuit, quam ex *epistola ejus ad Flavium Arabianum Præfectum Annonæ* apud *Vopiscum* licet cognoscere: *Inter cetera, quibus Diis faventibus Romanam rempublicam juvimus, nihil mihi est magnificentius, quam quod additamento unciæ omne annonarum urbicarum genus juvi: quod ut esset perpetuum, navicularios Niliacos apud Ægyptum novos, & Romæ amnicos posui: Tiberinas extruxi ripas: vadum alvei tumentis effodi. Diis & Perennitati vota constitui, almam Cererem consecravi. Nunc tuum est officium, Arabiane jucundissime, elaborare, ne meæ dispositiones in irritum veniant.* Imperator *Probus* accepto imperio in prima sua ad Præfect. Præt. epistola militaris annonæ curam commendavit: *Te quæso, annonam & commeatus & quicquid necessarium est, ubique militi pares.* *Ammianus Marcellinus* horreorum in Gallia meminit, *ubi condi posset annona, à Britannia sueta transferri.* Cujus transvectionem quomodo instauraverit, & ab incursionibus hostium tutam reddiderit *Julianus*, *ipse* commemorat *in epistola ad Athenienses*; & *Zosimus*.

In vit. c. 11. — cap. 7. — cap. 21. & 22. — In vit. c. 47. — Vopisc. Prob. 10. — lib. 18. c. 2. — p. 414. Edit. Petav. lib. 3.

Veni-

Veniendum eſt ad diſpenſationem annonæ Imperatoriæ. Quæ partim ad *largitiones*, partim ad *neceſſitates* pertinet. Et largitiones quidem atq; frumentationes gratuitas egregie executus eſt *Lipſius in Electis*. Ceterum largitiones annonariæ ab initio eo pertinent, ut dulcedine otii, cujus hæc non minima pars erat, ſive amore imperii ſingularis Cæſarei ac novi ſtatus animi hominum imbuerentur. Poſtea æmulatione Principum circa artes & laudes popularitatis, ſtudioque munificentiæ & magnificentiæ, & conſuetudo frumentandi, & annonæ varietas, & canonis modus continuari atque augeri cœpit. Majori periculo Reipublicæ, quam commodo. Quod *Auguſtus* mature providerat, ſed omittere non auſus erat. Agriculturæ neglectus, plebis ignavia & procacitas, id eſt, materia ſeditionum perpetua, haud dubie ita alebatur. Ecce ſpecimen in *Vopiſci* Aureliano, qui non contentus priorum Principum liberalitatem imitari, *ſtatuerat & vinum gratuitum populo Rom. dare, ut quemadmodum oleum & carnes & porcina gratuita præberentur, ſic etiam vinum daretur*: quod ut perpetuum eſſet, diſpoſitionem ejus hiſtoricus refert. *Sed multi dicunt, Aurelianum ne id faceret præventum; alii à Præfecto prætorii ſui prohibitum, qui dixiſſe fertur: Si & vinum populo Rom. damus, supereſt, ut & pullos & anſeres demus.* Bene ratiocinatus eſt ſimul Præfectus prætorio, & prodigam largitionem arguit. Ita nimirum ſolet fieri, ut multa, quæ ab initio erant conſilii, & temporis, poſtea ſpecie ordinariæ prudentiæ blandiantur: ingenti fragilitatis humanæ, etiam in ſummis imperiis, ſapientiſſimosque apud viros documento. Plus hæc prodigentia moribus Romanis nocuit, quam ulla unquam liberalitas caſibus temporum profuit. Vano igitur nomine à nonnullis quaſi liberalitas in egenos celebratur. Non tam ſublevavit ea res egenos, quam fecit. Longe alia cautione diſpenſandum eſt, quod pauperibus deſtinatur. Cum præſertim à nonnullis Principibus facinora tyrannidis tali ſimulacro liberalitatis redimerentur, teſte *Plinio*.

Marginal notes: lib. 1. c. 8. — Suet. Aug. 42 — cap. 48. — Paneg. 28.

Panem cœpiſſe diſtribui, cum antea frumentum teſſeris adhibitis erogaretur, tempore Trajani, exiſtimavit *Lipſius*. quem refellit *Salmaſius* argumentis non levibus, & ad Aureliа-

Marginal notes: Not. ad Vopiſc. pag. 373. pag. 374.

num

num ejus moris initium refert. De nomine etiam (dicebantur enim *panes gradiles*) contra *Lipsium* & *alios* disputans, *quod gradibus & in gradibus distribuerentur, sic vocatos esse audias vulgo jactari. & verum quidem hoc est. sed ubi gradus illi? quidam in singulis regionibus urbis gradus erectos fuisse, ubi hæc divisio. alii ad pistrina, quæ in singulis regionibus erant, gradus illos ponunt. sed quis erexit? quis posuit? ad quam rem vero erecti? non enim ab omni ævo Romæ hæc panis distributio celebrata est. cui rei igitur serviebant prius? sed quam multos oportet gradus fuisse, aut quam capacem locum, in quo erecti, tenendæ tantæ multitudini, quæ quotidie ad panes accipiendos conveniebat?* Ostendit subinde prolixe in iisdem gradibus acceptos panes, in quibus olim congiaria, æra, missilia, tesseræ omne genus mittebantur, id est, in gradibus amphitheatri & Circi, ubi & ratio ordinis prompta in distinctis gradibus. nisi quod Constantinopoli in fori gradibus, quos pag. 376. describit postea, ista distributio fieret. Qua re multum proficí videtur ad intelligendas *leges Codicis Theodos. de annonis civicis & pane gradili.*

Quatenus aliis satis pertractata nil attinet repetere, non tempero tamen mihi quin requiram, quidnam sibi velint *pueri & puellæ novorum hominum*, quos Divi Fratres ob conjunctionem Lucillæ & Veri, sive potius fraternam in imperio, *fru-* in M. Anton. *mentariæ perceptioni adscribi præceperunt*, apud *Capitolinum*? *In-* cap. 70. *genuorum* puerorum numerum à Trajano conquisitum novi- Plin. Paneg. 78. mus, qui participes essent hujus largitionis. Sed *novorum hominum* pueros quomodo explicamus, nisi hoc tanquam stipendium, nec tanquam pauperibus, sed liberalitate honorifica obligandis hominibus, erogatum credamus? *Casaubonus* Not. pag. 63. *novos homines* interpretatur, qui nuper ex lege Pii cives facti erant, tanquam *novos cives* dixeris: & qui pro Christianis acin Not. p. 83. cepere *novos homines*, refutat. *Salmasius* his rejectis, *pueros & puellas novorum nominum* reformat. *Primus*, inquit, *Trajanus pueros & puellas alimentarias constituerat, quibus liberalitatis incrementum adjecit Hadrianus. Pius etiam in honorem Faustinæ novas puellas ascribi fecit, quas Faustinianas appellavit. Nunc M. Antoninus & Verus ob conjunctionem & participationem imperii novorum nominum pueros & puellas ascribi præcipiunt. cum enim darent nomina sua, qui ascribendi* erant

erant huic frumentariæ perceptioni, pueri puellæque ideo novorum nominum dicuntur, quod præter illos & illas, quarum nomina non habebantur ascripta, quasq; jam instituerant priores Imperatores, novi isti Marci & Veri jussu ascribebantur. Plausibilis prima specie emendatio, & fortasse vera. Sed si *novorum nominum*, sicut de *Faustinianis Capitolinus* (ita enim vere novorum nominum dicerentur) cur non expressisset illa nomina? Altero enim significatu *nominis*, frigebit sententia. Unum quærendum est, an alimentaria ista compendia semper ad solos egenos & pauperculos pertinuerint? Quod si mutavit, & ambitiose ad alios translatum est; *novi homines* non tam absurde hic legentur. In Ant. Pio c. 8.

Necessitates in dispensanda annona vocavimus, quicquid non est meræ largitionis. Itaque huc pertinent stipendia, salaria, præmia virtutis & operæ, quæ annona constant: tum parabilis rerum ad annonam spectantium copia. Id enim inprimis studebant Principes, ne annona carius veniret, aut plebem fatigaret. Præter annonas civicas gratuitas, (quæ ab Aureliano institutæ, sub Heraclio Imperatore sublatæ sunt) etiam panis è fisco, & vina fiscalia, pretio comparabantur, ut docet ex *l. 5. C. Theod. de pane gradili*, & *ex Vopisco*, *Salmasius*. Not. ad Vopisc. p. 408. Et cum arctior annona incidisset, leviore pretio annona publice veniit, ut postea dicetur: admixta scilicet & interposita emtioni liberalitate Principum. Juliani institutum hoc nomine reprehendit *Ammianus Marcellinus*, *quod popularitatis amore vilitati studebat rerum venalium, quæ nonnunquam secus quàm convenit ordinata, inopiam gignere solet & famem.* lib. 22 c 32. Sed ipse quidem Julianus in *Misopogone* extremo rem exponit, & laude dignam exhibet: Pag. 108 &c. edit. Petav. Quando querelis populi, in magna rerum necessariarum copia, caritatem tamen, & iniquitatem pretii incusantis commotum se, frumenta domestica vili pretio vendidisse ait, ceterosque, ut idem facerent, constituto rebus venalibus pretio, adigere voluisse. quamquam divites legem gravati foris frumentum venderent aliis, neque civibus gratificari cuperent, quod Julianus suo exemplo edictoque demonstraverat. Id esset nihil aliud, quam *τὸ τῆς ἀγορᾶς εἴργειν τὴν πλεονεξίαν*, *avaritiam foro pellere.* Atque in hunc modum

Tom. 2. edit. Paris. orat. 10. p. 306. etiam laudator Juliani *Libanius* factum illud extollit: *Julianum, cum divites pretia rerum per avaritiam auxissent, convocatis agricolis, opificibus, cauponibus, agoranomis persuadere voluisse, ut æquitati animum accommodarent, legemque de pretio frumenti sanxisse, eamque suo exemplo, prolato scilicet in forum frumento, pretio legis vendendo, firmasse; obnitentibus tamen Senatoribus, & suum frumentum occultantibus. Pretium, quod constituerat, fuit, ut XV. modii aureo venirent.* 2. A. 87. Laudatur certe ob simile factum Tiberius apud Tacitum: *Sævitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium, quod emtor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios.* Verum tamen esse judicium *Ammiani*, possumus lib. 3 hist. Eccl. cap. 17. ex *Socrate* discere, qui *popularitatis studio Julianum ultra quam oportebat fieri, minuisse rerum pretia* ostendit: *non considerantem, quid tempori conveniret, & quod multitudo militum provincialibus molesta, copias civitatum absumeret. hinc factum esse, ut caupones & negotiatores, metu legis Julianæ, foro abstinerent, rerumque inopia, cui obviam ibatur, ultro eveniret.* Legendus est omnino locus memorabilis prudentiæ. Sicut enim laudari merentur leges & instituta, quæ cupidinem lucri foro arcent, & pretia rebus, præsertim ad victum necessariis, moderata decernunt: ita ratiocinatores boni temporum, & futurorum eventuum, quid obtineri possit, aut non possit, callidi provisores esse debent, qui rem annonariam tractant. Id quàm arduum sit, omnis ævi experientia comprobat.

Casaubonus cum loco *Ammiani* comparavit exemplum cap. 14. Commodi apud *Lampridium.* nam & Commodus, *inopia Romæ exortâ, quamquam fruges non deessent, occisis vastatoribus annonæ seculum aureum Commodianum nomine assimulans, vilitatem proposuit, ex qua majorem penuriam fecit.* not. pag. 99. & 100. Ostendit, inquam, ad hunc locum *Casaubonus*, non semper satis esse remedii, in proposita sive legibus edicta vilitate rerum: quapropter consultius Lampr. in vit. cap. 22. fecisse Alexandrum Severum, de quo *Historicus*: *Cum vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putarent. illi continuo exclamaverunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille, non quidem vilitatem proposuit* (sive, non tulit legem de pretio minore, aut non minuit pretium lege) *sed jussit, ne quis suminatam* (scropham) *occideret; ne quis lacten-*

lactentem (sive lactantem , ut tum etiam dicebant porcellum minutum pro lactentem , docente *Salmasio*) *ne quis vaccam , ne quis damalionem : tantumque intra biennium vel prope annum , porcina carnis fuit , & bubula , ut cum fuisset octominutalis libra* (id est, octo minutis argenteis venisset , ut *Salmasius* , aut æreis , ut *Casaubonus* putat) *ad duos unumque* (sive unum) *utriusque carnis libra redigeretur.*

Stipendii militaris tum æstimatio facienda est potissimum ex annona , tum pars intelligenda de annona. Quia enim incredibilis annonæ vilitas Romæ & per Italiam fuit , stipendii modus non debet videri malignus aut restrictus ; cum decima diurni stipendii parte omnia necessaria in cauponis & itinere redimi aliquando potuisse constet. Et severiore quidem disciplina militari adhuc valente , frumentum militibus publice dabatur, tum alias ob caussas, tum quod esset pane militari levius , & ad portandum habilius. successit postea panis : in quo etiam ratio levitatis inventa , quantum ad *buccellatum* attinet , qui in *Glossis* ἄρτος ἐλαφρός *panis levis.* De frumento militari videndus omnino doctissimus *Scheelius ad castra Polybiana.* Virtutis autem caussa , modo annona tantum , modo & cetera pars stipendii , multiplicabatur quibusdam. Ceterum de modo stipendii etiam annonarii , extat locus incomparabilis in *Claudio Trebellii Pollionis* : ubi describitur tribuno quidem datum , sed par ducum salariis , salarium. Legendus est *Jacobus Gutherius de officiis domus Augustæ lib. 2. cap. 12.*

Procop. Vandal. lib. 1. cap. 7.

cap. 14. & 15.

Memorabilis est de genio militum defraudato in annona apud *Procopium in Vandalicis* narratio : quam *Grotius* Latine ita convertit : *Panem , quo pascuntur milites , bis in furnum mitti necesse est , atque ita percoqui , diu ut duret , non autem brevi diffluat. inde autem fit , ut ponderi multum decedat. ideoque solet militibus in distribuendo pane castrensi quarta parte minus , quàm alias , ponderis attribui.* Buccellatum ita describitur. *Johannes igitur* (Præfectus prætorio) *id studens , quomodo & ligni minus insumeret , & minores mercedes daret pistoribus , & pondus servaret , crudum adhuc panem in balnea publica , quibus Achilli nomen est , inferens , in eam partem , sub qua ignis ardet , imponi , & ubi mediocriter coctus putabatur , in culeos inditum inferri navibus jusserat. ubi jam Methonam*

Vandal. lib 1.

nam classis venerat, dissoluti panes in farinam redierant, nec eam integram, sed situ corruptam, idque ipsum odore testantem. Hac in milites eodem quo justi panes pretio, mensuris, quas medimnos & chænicas (chænix diurnæ alimoniæ mensura est: medimnus Atticus, sex modiorum Romanorum est; modium autem octo chænices constituunt) *vocant, dividebantur. His male pasti milites flagranti æstate, squallentibus in locis in morbos incidebant, minimoque tempore 500. interiere: latiusque sparsisset se malum, ni intercessisset Belisarius panem imperans distribui, quo ejus regionis homines utebantur.*

Notabile genus stellionatus hic occurrit, sive Stellaturæ. Stellaturam enim dici etiam id genus imposturæ, quod occasione erogandæ militaris annonæ fit, libenter credam *Salmasio*, & locis Scriptorum: sed non semper eam vocis significationem esse, vel *lex vicesima octava Cod. Theodos. de erogatione militaris annonæ*, & *duodecima Cod. Justin. lib.* 12. ostendit. ubi *emolumenti* liciti, *quod tribuni stillatura* (seu stellaturæ) *nomine consequuntur*, mentio fit. *Wolffgangus Lazius* annotat, *Stellaturam* fuisse nomen militaris annonæ, aut symboli annonarii stella signati. *Alciatus ad d. l. Codicis*, & *in Parergis*, *habuisse milites id commodum, ut minore pretio sibi annona ipsa imputaretur* (quam scilicet alias adærari posset) *& hanc stellaturam dictam*, existimat. Cujus sententiam *Gregorius Tholosanus*, & alii, sequuntur. Nonnulli stellaturam pro annonis septem dierum aut earum pretiis accipiunt. ad quam sententiam more suo nugas magnas agit, cum annotat *Ludovicus Aurelianus: Stellaturas appellat* (lex scilicet) *ut puto, à septem stellis seu planetis, qui in hebdomada per septem dies habent sua nomina & imperia. Quod fluxit à dicacitate militum.* Sed pudet referre digna pluribus Anticyris deliria, quibus scatet liber iste monstrificus. Alii pretia vacationum & munerum hoc vocabulo intellecta volunt. Id interim constat, sicut *Cujacius* & *Casaubonus* jam notarunt: Imperatores dicta lege stellaturam non improbasse, sed ut annonæ hoc nomine in emolumentum tribunorum cedentis adæratio, pretium in foro usitatum non excederet, præcepisse.

ad Spartian. p. 25. & 145.

de Repub. Rom. l. 2. cap. 15 p. 208.

lib. 8, cap. 12.

Syntagm. l. V. lib. 36. c 30.

Cujac. ad Cod.

in Tacit. 1. A. p. 123.

Cete-

Ceterum annonæ militari multis modis fraudem factam olim, diligentissimæ legislationes Imperatorum declarant in utroque Codice. Hinc erogatoris fides jurejurando pigneratur: hinc actuarii, quibus alias negotiari cum militibus concessum erat, & optiones, si quid amplius accepissent, quàm pittacia designabant, aut numeris militum datum erat, severe coërciti: hinc tribuni & præpositi providere jussi, ne vitiatæ corruptæque species in pagis horreisque militibus dividendæ remanerent: hinc rectorum officiorumque militarium & provincialium solicitudo adstricta, ne ulla in parte accipiendæ exigendæque annonæ, injuria militibus, aut sociis civibusque, annonam conferentibus fieret. Abrogatis enim oneribus sub prætextu annonæ exigi consuetis, cœnatica vetita sunt: ut recordarentur milites, commoda sua, quæ in annonarum perceptione adipiscuntur, extrinsecus detrimentis provincialium non esse cumulanda. Atque ubi species erogabantur, ne pecunia exigeretur; rursus, ubi ærariæ annonæ constitutæ erant, ne species exigerentur; denique ne adæratæ annonæ ante tempus exigerentur, cautum est. Labores quoque convehendæ annonæ inter milites & provinciales distributi, mutuo levamento fuerunt. Sed & fisci compendia, ex delinquentium, & negligentium erroribus, artificiose quæsita, partem hujus legislationis faciunt; elegantissimæ sane, & ex qua sola fere rationem accuratiorem condendæ dispensandæque militaris annonæ licet condiscere. Unde singulas facti species in istis legibus designatas, qui velit accurate describere, satis habebit, post *Cuiacium* & *Perezium*, quod agat.

In transitu, locum *Suetonii è Galba* licebit considerare: magnæ severitatis exemplum, in re parvula (id enim est Historici judicium) continentem. Galba *militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum, tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simulatque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri, & is fame extabuit.* Dubitat ex hoc loco *vir doctus*, an militibus licuerit frumentum sive partem annonæ suæ vendere. Vel enim hunc sensum esse loci, quod non licuerit vendere: vel hoc reprehendi, quod miles

cap. 7.

R.H.S. dissert. ad castra Polyb. cap. 7.

Galbæ de frumento ſuo tam immani pretio modium vendiderit. Si non licuit vendere, in expeditionibus non licuerit. nam in provinciis & ſtativis licuiſſe, multa ſunt, quæ probare videntur. Revera autem hunc colorem ſeveritatis Galbianæ putem eſſe: quod miles avaritiæ majorem, quàm neceſſitudinis & periculi, ex caritate annonæ (cujus cauſſa parce omnibus & ſingulis præbenda erat annona, ut non niſi defraudando genium ſuum alter alteri poſſet opem ferre) rationem habuiſſet. Ita puniebatur inopia, qui alienæ opis ſpe, tam periculoſo tempore, ſuam annonam lucro argentario jam prorſus inutili permutaverat.

Vocant nos proviſiones Imperatoriæ ad *remedia difficilis* & *arcta annona.* Optimum hic quoque eſt Philoſophi, ut in pleriſque aliis, conſilium: præſervare potius civitatem, ne remediis opus habeat, quam laboranti remedia conquirere. Cum præſertim in diligenti collectione & cuſtodia annonæ, fertilioribus in annis, certum quaſi adverſus inopiam & famem præſidium paratum videatur. Quæ res effecit, ut inexcuſabilem errorem pronuntiet *Scipio Amiratus*, ſi quid in hoc genere ab iis, qui annonæ curam gerere debent, negligatur: id eſt, vel minus, quàm par erat, ad caſus inopiæ reponatur; vel plus, quàm abeſſe poterat proviſu futuri, exportari ſinatur. Sed res eſt, ut ſunt humana, facilior dictu, quàm factu. unicus eſt modus, qui certiora præſidia pollicetur: ſi civitas, aut Princeps, tantum annonæ publice colligat aſſervetque, quantum omnibus alendis civibus, ſi opus ſit, ſufficiat. Sed ubi aut quando hoc fieri potuit, factumve eſt? Exemplum incomparabile proditum eſt Joſephi in Ægypto adminiſtratione, ſacris Annalibus memorata. Romani Imperatores Romæ, & in civitatibus majoribus; in provinciis autem, pro militibus & miniſteriis publicis potiſſimum, id providerunt: ita tamen, ut exempli annonæ Romanæ imaginem apud ſocios vellent extare, in quantum per magiſtratuum avaritiam & fraudes fieri poterat. De cetero ſingulis civibus, ubique fere gentium, in comparanda diſpenſandaque annona magna libertas concedenda eſt. Neque omnia apud negligentes, & in diem vivere aſſuetos, ſatis præ-

Diſſert. ad Tacit. lib. 12. diſſert. 3.

præcaveri possunt. Ne de sterilitate plurium annorum aliisque casibus improvisis dicam. Agriculturæ maximam habendam esse rationem, notius est, quàm ut dici debeat: præsertim illis in locis, ubi rustici ad inertiam proclives non amplius de exercenda terra soliciti sunt, quàm ut necessaria in annum annona suppetat: reliqui quæstus, mediocri industria plus ultra parabilis, prorsus incuriosi. Quæ desidia variis artibus & illecebris emendari, & ad laboris studium transferri potest.

Augustus *magna quondam sterilitate ac difficili remedio venalitias & lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque servitiorum, urbe expulit.* *Suetonius* & *Dio* auctores. Factum hoc sæpius Romæ: & de suis temporibus queritur *Ambrosius*, *quod proxime Romæ factum erat, ejectos esse urbe amplissima, qui jam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremtas affinitates.* Probat hoc remedium *Amiratus*: improbat *Grotius* auctoritate *Ambrosii* graviter hac de re, loco, quo dixi, differentis. Qui probant, ea potissimum ratione ducuntur, quod non teneatur quisquam ad communicationem & commercium ejus rei, cujus ipse indiget. Quamquam ratiocinatio necessitatis, pro ingenio hominum non eodem modo fieri solet. Magna etiam inter peregrinos occurrit differentia. Aliqui videntur recepti in perpetuam communionem urbis; nisi delicto jus manendi imminuerint, aut exilium sibi consciverint. Hos expellere, durum fuerit. Sunt alii, qui magno numero, mendicandi caussa, urbem aliquam implent, tempore arctioris annonæ. Ex iis, ut qui ætate, aut calamitate corporis sibi plane consulere ipsi nequeunt, quantum fieri potest, alantur, humanum est: qui laboribus, non nimiis, sufficiunt, opere faciendo alimoniam mereri, æquum est: qui prorsus valent, & mendicandi consuetudine potius quàm necessitate ducuntur, etiam urbe ablegari, haud iniquum est. Potest incidere, ut tanta multitudo mendicorum se infundat, ut res periculo non careat maximo, facinorosis illi turbæ passim admixtis; ut morborum lues exinde urbem infestare in-

vit. Aug. 42.

3. offic. 7.

I. B. 2. 2. 19.

re incipiat, aut civibus exitium minitetur. Quis non videt summam rationem, quæ turba concurrentium undique varii generis hominum levari urbem oneri imparem jubet, pro necessitate esse? Duo interim semper sunt probe tenenda: primo, quod beneficientiæ in pauperes legem Christiana religio animose & eo usque interpretatur, quo ethnicorum prudentia non ascendit; deinde, quod omnia prius tentanda, quàm peregrini tempore famis expellendi sunt. Laudat *Ambrosius* Præfectum urbis, qui locupletioribus persuasit, ut *collato auro cogerentur frumenta. Ita nec abundantiam urbis minuit, & peregrinis alimoniam subministravit.* Argentoratum inter eas urbes est, quæ in publica vastitate, & fame maxima non modo omnis circa viciniæ, sed regionum longius positarum, per bella hujus sæculi tantum oneris sustinuit, tantum peregrinorum pavit, tam prudenter beneficentiæ suæ rationes dispensavit, ut in æternis ejus elogiis merito is titulus consecrari debeat. Arduæ ejus temporis consultationes: & dignæ, quæ in annales eant, exemplo unico futuræ, quid possit Christiana prudentia, magnitudine animi & misericordiâ sedulo adjuta.

Vid. Magni Theol. Doct. Schmidii p. m. Homil. de Eleemos. & præfat.

Tiberius, ut ad Imperatores revertamur, sævitiæ annonæ opitulaturus, apud *Tacitum*, partem pretii supplevit liberalitate, ut ante dictum est. Etenim pretium tali rerum statu, & aliis modis artibusque temperari solebat. Crebra gaudiis popularibus materies: etiam à Procoss. interdum aliisque magistratibus subministrata. L. Mæsio *municipes. &. incolæ. ob. merita. ejus. quod. annona. kara. frument. denario. modium. præstitit.* tabulam marmoream posuerunt, in *opere Gruteriano.*

2. A. 87.

p. CCCCXXXIV. 1.

Domitianus remedium annonæ quæsivit festinantius quàm consultius: rei caussis non satis perspectis. *Ad summam enim ubertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte.* Ita *Suetonius.* Tulerat eodem tempore legem, de non faciendis eunuchis, *hominibus parcens*, τὴν δὲ γῆν ἀνευνουχίζων, *terram vero castrans*, ut joco vetere dictum est apud *Philostratum.* Et quia res hæc temere decreta erat, *non perseveravit exequi*: non

Domit. 7.

Vit. Apollon. Tyan. l. 6, c. 17.

non permisit enim tantum rogantibus Asiaticis, sed præcepit vineas colere, referente *Philostrato in vita Scopeliani Sophistæ.* Unde etiam discas, curam annonæ obtentui fuisse, ceterum vini usum suspectum Domitiano fuisse, ne vulgatus mobiles populorum animos ad seditiones & turbas incenderet. Reperias tamen de cetero loca & tempora, ubi nimium vinearum studium agriculturæ obesse queat, ut legibus temperari debeat.

M. Antoninus Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex urbe donavit. Testis *Capitolinus.* Sub *Commodo annonam vastasse, qui tum rempublicam gerebant*, frustraque remedium ex *vilitate proposita* quæsitum, jam ante dictum est. Potentius remedium ex pœna, id est, *cæde ac proscriptione eorum, qui omnia vastabant*, *Lampridius* refert. Hoc est enim genus hominum, quod pœnis quidem nunquam satis coërcitum, & vetari plerasque apud civitates & retineri solet. Dardanarios vocant *Paulus* & *Ulpianus* Jureconsulti: qui annonam incendebant, excandefaciebant, flagellabant, vexabant, ut veteres loquuntur. Describit hos, & ad vendendum frumentum, *moderata tamen pretii quantitate*, compellit Rex Athalaricus apud *Cassiodorum.* Cohortationibus gravibus ejusmodi σιτοκαπήλους emendavit aliquando *Basilius*, teste *Gregorio Nazianzeno*, & *Ambrosius* summa contentione eos ad officium reducere conatus est *in Officiis*; ubi & inventa profligat, quibus facinus suum prætexunt οἱ καταπραγματεύοντες τῆς ἐνδείας, *famem quasi negotiantes sive quæstui habentes*, ut est apud *Gregorium*; οὐ θεραπεύοντες τὸ ὑστέρημα τῶν δεομένων, ἀλλ' ἐπιτείνοντες καὶ αὔξοντες τὸ πάθος, interprete *Niceta*; *non levantes inopiam egentium, sed ultro augentes*, varieque suum lucrum ex alieno incommodo captantes: superstitione autem injecta exterruit Aspendios olim frumentarios Apollonius Tyaneus apud *Philostratum.* Plerumque interim tam infamis avaritia non nisi malo domatur. Cum autem in magna coëmendi libertate, & obviis rerum honestarum titulis, quibus suam quisque avaritiam præscribit, non adeo promtum sit decernere, qui dardanariorum invidioso nomine infamari debeant: optimum fuerit, in annonæ caritate, mandare singulis annona abundantibus, ut

in Pi. Anton. cap. 11.

In Commod. c. 14.

lib. 9. ep. 5.

In laud. Basil. orat. 20. tom. 1. edit. Paris. pag. 341.

Lib. 3. c. 6.

In comment. p. 778.

lib. 1. cap. 11. & 12.

moderato & tolerabili pretio vendant; & aspernantes, eoque ipso suum crimen prodentes mulcta cogere. Ita enim spongias humentes recte exprimi dixeris. Non iniquum hoc esse exemplis & rationibus probat *Natalis Comes fine libri vicesimi Historiarum sui temporis.* Atque hæc quidem inter ejusdem civitatis cives, & uni imperio parentes homines facilius fieri possunt. Sed ubi vicina circum loca alia ditione tenentur, ægre res expeditur. Licet id cernere in *annonæ caritate extrema, & qua majorem tota Europâ nunquam fuisse constabat,* anno 1315. Tum enim in multis Brabantiæ locis *granaria erant plena, sed ad loca maritima, ubi major erat caristia, portabantur.* sicut ex *Divao* & *Hocsemio* memorat *Haræus.* Tom. 1. p. 305.

Hinc demensum cuique suum in diem attribui, non veteris tantum solertiæ est, sed recentioris etiam consuetudinis. Anno 1591. (referente *Harao*) in *Italia, & maxime Romæ, eousque fames panisque inopia creverat, ut Judæis, meretricibus, exteris multis, & inutilibus ejectis, sedecim unciæ panis in singula capita distribuerentur, tandem octo tantum. Quod antequam jussu Pontificis promulgaretur, ablata sunt populo arma: non enim illud citra tumultum fieri posse putabatur.* De eodem anno, eademque calamitate, paulo aliter *Thuanus, novendecim uncias panis, dein cum classis* in Siciliam frumento advehendo missa *nondum compareret, tantum decem dietim in singula capita admetiendo distributas esse.* Addit: *In Veneta ditione prudentia Senatus prospectum, ut quamquam in summa annonæ angustia plebs sublevata fuerit.* Sed & anno superioris sæculi sexagesimo nono Senatus Venetus (referam verba *Natalis Comitis*) *ad omnia remedia diligentissime confugit, ut qui semper optime de plebe mereri studuit; jubet artifices ordinarios panis conficiendi facere pro viribus: dat frumenta ex horreis publicis: quæ, quoniam non apparebant, tantæ penuriæ posse facere satis, addita est tertia pars venalis panis miliacea. divenditus est panis nauticus alioquin in usus classium reservatus: promissa publice per præconem ingentia præmia frumentum ab exteris regionibus in urbem importantibus. nullum genus humanitatis, charitatis, misericordiæ prætermissum est à Patribus, pauperibus quoquo modo sublevandis. Concessa est facultas cuique conficiendi panis venalis.* Sed quid non excogitat avaritia? cum farinæ publicæ certum moderatumque pretium

Lib. 100. p. 129.

Lib. 20. histor. extr.

tium esset statutum, præfecti rei farinariæ amicis tantum quibusdam suis vendebant, ut postea pane carius divendito fierent lucri participes. Sed & divites alii, occultato frumento, panem confectum, quasi Lonico advectum (cum tamen in ponte Rivi Alti adhuc calens à furno exponeretur) magno pretio vendebant. Insignis quoque & providentiæ in convehendo undique frumento, & humanitatis ac beneficentiæ in pascendis advenis, peregrinisque concurrentibus in urbem, exemplum de Florentinis narrat *Leonardus Aretinus.* ubi & inter multa tenuioribus indulta, lex lata est: *ne quis, nisi certa forma de ære alieno conveniri posset. Satis enim premi caritate ipsa multitudinem existimavit civitas.* Histor Florent. lib. 7. pag 147.

Interdum in partem subsidii, quando prudentia & industria togata, cujus hoc proprium munus est, non potest, quo vult, pertingere, fortioribus consiliis & manu defendendis locus est. Ita Veneti, cum sæculo post natum Christum tertiodecimo, Ducis locum tenente Laurentio Theupolo, frustra finitimas civitates, per memoriam acceptorum beneficiorum, & communis humanitatis genium obtestati essent, ut frumentatione concessa, penuriæ urbis subvenirent: indignitate rei commoti legem tulerunt: *ut omnes, qui intra Fanaticum sinum & Padi fluminis ostia negotiandi caussa ultro citroque navigarent, vectigal Reipublicæ penderent; ad quod persolvendum, & ad mercem ipsam æstimandam Venetias accederent.* Quæ lex, ut staret, armis adversum obluctantes tuenda fuit. Auctor *Petrus Justinianus.* Histor. Venet. lib. 3.

De legibus ad leniendam incipientem aut prævisam annonæ caritatem latis ferendisque, quibus colligendæ dispensandæque annonæ rationes describi, luxuriæ omni obex poni, convivia prohiberi solent possuntque, nolumus sermonem ordiri. In ipsa fame, ingeniosa plerumque est necessitas: sicut ostendunt, quæ attulimus. Summam exhibent etiam *Capitula Caroli & Ludovici Imperatorum duobus titulis libri primi.* Prior lex est: *De hoc si evenerit fames, clades, pestilentia, & inæqualitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio, ut non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia. Et in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet, prout potest,* Tit. 118.

& suam annonam non nimis care vendat; & ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ. Altera lex hanc provisionem continet: *Consideravimus itaque, quia per plurima loca fames valida esse videtur, ut omnes Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Optimates, & Comites, seu Domestici, & cuncti fideles, qui beneficia, regalia, tam de rebus ecclesiasticis, quàm quæ & de reliquis habere videntur, unusquisque suo beneficio suam familiam nutricare faciat, & de sua proprietate propriam familiam nutriat. Et si Deo donante super se & super familia sua, aut in beneficio, aut in alode annonam habuerit, & venum dare voluerit, non carius vendat, nisi modium de avena denar. II. modium de hordeo contra denar. IIII. modium unum de sigele* (secale, sigala, Gloss. Roggo) *contra denar. IIII. modium unum de frumento parato contra denarios VI. Et ipse modius sit, quem omnibus habere constitutum est: & unusquisque habeat æquam mensuram, & æquales modios.* Sæpe conjunguntur cum nominibus memoratis *Domestici*: qui villis fiscalibus & fundis dominicis præfuisse, & omnes reditus curasse videntur: notante *Bignonio*. Præcesserat autem hanc legem alia, *de emptione tempore messis, caussa cupiditatis & turpis lucri, prohibita.*

Tit. 132. | ad form. Marc. lib. 2. p.

Ceterùm remedia levandæ annonæ, & inopiæ supplendæ, cum cura annotarunt ad *Tacitum*, & *Amiratus* longa dissertatione, quam supra laudavi; & qui non consiliator modo prudens rebus arctis, sed industrius auxiliator præfuit, Vir omnigena laude Principi ac civibus suis diu salutaris CHRISTOPHORUS FORSTNERUS *Cancellarius Montisbeliardensis*. cujus vere Tacito dignæ *Notæ*, gravitate judicii, experientia observationis, libertate prudenti, & singulari quodam genio disciplinæ civilis, longe lateque præcellunt.

ad 12. A Tacit. cap. 43.

Ut autem optimis Principibus, & procurasse & sublevasse annonam, inter præcipua curarum fuit: ita Caligula tyrannico facinore *nonnunquam præclusis horreis populo famem indixit*, apud *Sueton*.

cap. 26.

Corollarii loco examinanda hæc adjicimus:

LEgis Regiæ nomen sero, res sub Augusto cæpit. Lex Augusta non recte diceretur. Dio lib. 53. non de privilegio

vilegio tantum Augusto, quod nonnulli vocant, seu soluta legibus civilibus potestate, sed de αὐτοκρατορίᾳ sive potestate αὐτοκρατορικῇ, omnia jura majestatis complexâ, agit. Legis Regiæ formula de Imperio Vespasiani, genuina est. Ea opus fuit, finita Cæsarum domo. Mentio Caligulæ & Neronis, qui ut tyranni occiderant, cur non facta sit, non obscurum est. Galbæ, Othonis, Vitellii rebellione incertum & vagum fuit imperium. Id ἀναρχίας tempus. Instaurato ergo imperio Cæsareo Monarchico, formulam legis regiæ concipi, summa ratio fuit, ut dictum est. Qui putant primos Cæsares, inde ab Augusto, non habuisse jus regium, sive omnia jura majestatis, ut vocant, illi nihil in antiqua Historia intelligunt; & simulacra ac inania rerum à vero jure nequeunt discernere, id est, sunt τῆς πολιτικῆς πραγματείας ἄπειροι. Capitulatio Cæsarea hodie καταχρηστικῶς vocatur Lex Regia. Legem Regiam Romanorum nec abrogatam esse, neque abrogari potuisse, & adhuc obtinere, qui dicunt, partim nihil ad id, quod volunt, dicunt; partim omnis historiæ & politices aut ignorationem aut dissimulationem produnt.



XVII.
DE
LEGIONE ROMANA.

VIdebitur superflua forte adjectio, cum Romanæ vocabulum, Legioni adjicimus: etenim & res & vox Romana est, non alterius gentis, nisi quod juniores Scriptores, qui vetera militiæ vocabula,

câbula, noviſſimis bellis accomodare aggreſſi ſunt, *Hermannus Hugo*, *Hugo Grotius*, *Daniel Heinſius*, *Famianus Strada*, majores exercitus partes (vulgari vocabulo *regiments*) Legiones haud rarò nominant.

Caput. I.

De Vocabulo.

Varro *lib. IV. de L.L.* in militaribus vocabulis: *Legio*, inquit, *quod leguntur milites in delectu.* Unde *Iſidorus lib.9. c.3. Legio ab electu vocata, quaſi lecta.* Sine *delectu* enim *manus armata non convaleſcit. Joh. Saruber. lib.6. c. 2. de nug. cur.* Quâ in re Romanorum incomparabilis fuit diligentia.

Græci frequentius τάγμα dixere, quæ vox tamen valde generalis eſt. quod fatetur *Lexicon Græco-Lat. vetus*: Τάγμα, *Legio, agmen, globus, factio.* Onomaſticon Latino-græc. vetus: *Legio*, φάλαγξ, τάγμα, παράταξις. *rudiore minervâ.* nam *phalanx* propriè Macedonum eſt, ſicut *caterva* Gallorum, *Legio* Romanorum, notante *Iſidoro* loco dicto.

Livio & diminutivum *legiuncula* placuit de reliquiis acciſarum legionum loquenti.

Legionarius miles, Legionariæ cohortes paſſim occurrunt.

Nicolaus Machiavellus de arte militari lib. 2. de Legione ita loquitur: *Omnes populos in conſtituendis exercitibus, aut militia ſua, ordinis aliquam rationem habuiſſe, atque ejus præcipuum quoddam membrum conſtituiſſe: quod licet nominetenus alii aliter mutaverint, parum tamen, quoad numerum inter ſe diſcrepaſſe, compertum eſt. Siquidem omnes iſtud ex ſex vel octo hominum millibus compoſuerunt. Hoc membrum Romanis vocabatur Legio, à Græcis Phalanx, à Gallis Caterva, ab Helvetiis, qui quidem ſoli hoc ævo ex antiqua militia umbram quandam retinent. vocatur Regimentum, quod nobis aciem ſignificat, licet ſinguli illud poſtea in turmas atque agmina ſubdiviſerint, & ex arbitrio ordinaverint.* Hæc ille partim ex *Veget. II, 2.* non imperite: licet in quibuſdam παχυλώτερον.

Cap. II.

CAP. II.

De Numero militum in legione.

HAbet hic locus tricas non modicas: quæ extricari penitus ne in hunc usque diem potuere. Sicut enim, variatum esse numero, pro diversis temporibus, dubio caret: ita, quando & quomodo singulæ mutationes acciderint, haud æquè in expedito est. Apud *Suidam* legas indefinitè. Λεγεὼν, παρὰ Ῥωμαίοις, ἑξακισχίλιοι στρατιῶται. Legio, *apud Romanos, sex millia militum.* Ut Isidorus l. c. *Legio, sex millium armatorum est.* Rotundum numerum hic affectari videmus. *Hesychius* accuratius numerare voluit: Λεγεὼν πλῆθος στρατεύματος ἢ τάγματος ἐξ χιλιάδων ἑξακοσίων ἑξήκοντα ἕξ. *Legio est multitudo armatorum sex millium sexcentorum sexaginta sex.* Sed neque sic id exprimitur, quod simpliciter & semper verum est.

Romulus, ut ab initio ordiamur, *Legionem tribus millibus armatorum* constituerat, teste *Plutarcho:* conditâ urbe, Romulus juventutem in ordines militares descripsit. ἕκαστον δὲ σύνταγμα, πεζῶν τρισχιλίων ἦν καὶ τριακοσίων ἱππέων, ἐκλήθη δὲ λεγεὼν, τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. Erant autem singuli ordines peditum trium millium, equitum trecentorum. MMM. CCC. Quia autem electi erant ex omnibus bellicosiores, *Legio dicta.* quæ postrema ἐκ παραλλήλου cum superioribus jungenda sunt. *Livius* tacuit Legionis primam constitutionem, de *centuriis tribus equitum* tantum mentione facta, post consociatum cum Tatio regnum. quo tempore *Plutarchus* duplicatas Legiones ait, *ut una constaret peditum senis millibus, equitibus sexcentis.* De Legione primum 3000. constante consentit *Varro:* Milites, quod trium millium primò legio fiebat, ac *singulæ tribus Tatiensium, Ramnensium, Lucerum, millia singula mittebant.* Sed quod de duplicato numero Plutarchus addit, *Henrico Savilio*, quantum ad illam ætatem, grande & absurdum videtur. Putat igitur, Plutarchum, sui potius quàm Romulei ævi consuetudinem in oculis habuisse. Neque *Lipsius*, qui tueri Plutarchum vellet, potuit hunc scrupulum tollere.

Marginal notes: in Romul. p. 24. Edit. Wechel. — Liv. 1. 15. — in Rom. p. 30. — L. 4. de L. L. v. Milites. — de Milit. Roman. p. 349. Edit. Amsterod. — de Mil Rom. l. 2. dial. 5.

Quomodo ad 4000. numerum pervenerit Legio, ignorare se dicit, nisi quod de Tullo militiæ artifice conjicit, tanquam

quam numeri aucti auctore. *Savilius* in conjectura sua amplius profecit, allato *Dionysii Halicarnassensis testimonio*, qui de Servio Tullio ait: Τετράφυλον ἐποίησε τὴν πόλιν εἶναι, τρίφυλον οὖσαν, τέως. - Καὶ οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς στρατιωτικὰ, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικὰς, ἐποιεῖτο. Apud *Dionys. Halic. lib. IV. p. 372.* Scriptæ sunt decem Legiones τάγματα στρατιωτικὰ, ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον, *unaquaque 4000. armatorum constans.*

Ad *quinque millium* numerum veniendum est à 4000. Hæc
Polybiana Legio vocari solet, eo quod Polybii ævo potissimum
Edit. Casaub. usitata fuerit. *Polybius* enim *lib. 2. p. 112.* πεντάκις μὲν χιλίους καὶ
διακοσίους πεζοὺς, ἱππεῖς δὲ τριακοσίους ἔχον ἕκαστον στρατόπεδον. Unaquæque Legio quinque mille ducentos pedites, trecentos e-
pag. 257. quites habet. Libro sequente, paulo distinctius. Τὸ δὲ
στρατόπεδον, πεζοὺς μὲν λαμβάνει περὶ τετρακισχιλίους ἱππεῖς δὲ διακοσίους. Ἐπὰν δέ τις ὁλοσχερεστέρα προφαίνηται χρεία, τοὺς μὲν πεζοὺς ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ ποιοῦσι πεντακισχιλίους, τοὺς δ' ἱππεῖς τριακοσίους. *Legio pedites habebat circiter 4000. equites verò ducentos, si verò usus postulaverit, pedites in unaquaque Legione legunt 5000, equites au-*
p. 467. *tem sexcentos.* quæ exponuntur lib. VI. *Livius lib. VIII. c. 8.* de
bello Latinorum: *Scribebantur quatuor ferè Legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas Legiones trecenis.*

Jam ad sex millia progrediendum est. *Sex millium & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit Legionem, cum anteà quatuor millium fuisset, unde etiam appellabatur quadrata,* inquit
in sex mil. *Festus Pauli Diaconi.* *Servius* ad Æn. VII. *Legio habebat sex mil-*
p. 478. Petr. *lia virorum.* *Vegetius l. 2. c. 2.* *Romani Legiones habent, in quibus*
Dan. *singulis* (ita lege) *sena millia militare consueverunt.* Quod de quadrata Legione Festus dixerat, ex Polybio lucem capit: quatuor millibus constitisse Legionem quasi ordinario numero: nisi usus ampliorem & extraordinarium numerum postularet. tum enim ad 5000. ventum. Id possit forte Lipsio responderi, inclementius in Festum invehenti l. d. Ceterum exempla 6000. in Legione Mariana & insecuto ævo habemus apud eundem *Lipsium & Savilium.*

Apparet hinc, *Suidam* antea rotundum numerum, *Hesychium* accuratiorem spectasse. Atque hic numerus permansit

per

per Imperatorum tempora. Igitur huc respiciunt fere interpretes antiqui & juniores, cum illud Sanctissimi Servatoris dictum de duodecim Legionibus militiæ cælestis seu Angelorum explicare conantur. quamvis ad id, quod dicere vult Christus, intelligendum, non opus est definitione certi numeri, sed sufficit hoc sensu accipere: Si vim vi repellere animus fuisset, facile pro duodecim imbellibus sectatoribus & discipulis, quorum unus jam in proditorem desciverat, à Patre meo potuissem impetrare duodecim Legiones militiæ cœlestis seu Angelorum, quorum quanta sit virtus adversus hostes, neminem latere sinunt divinis consignata testimoniis miracula. Uti autem voluit vocabulo Latino Judæis sanè notissimo, & numerosis militiæ partibus exprimendis per celebritatem eximiam aptissimo. Πολυπραγμονεῖν vero τὰς ἀγγελικὰς τάξεις καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων καὶ στρατειῶν ἐξαλλαγάς, nec loci nec consilii est. qualia cum se intelligere jactat *Pseudo Ignatius*, eo ipso suppositi modestissimo & piissimo Martyri alieni partus convincitur.

Math. 26. 53. Epist. ad Trallianos.

Illud quoque aliquam nonnunquam parit difficultatem, cum Legiones nominantur quidem, sed non sunt plenæ, i. e. vel bello diminutæ, vel dimissis alio cohortibus quibusdam. Ita fieri potuit, ut Interpretes Ciceronis septem Legiones cum XV millibus compararent. Ita apud *Vellejum l. 2, c. 112. Semiplena Legio* & c. 80. *duodecim semiplenæ legiones* memorantur.

Cap. III.

De partibus Legionis.

Legio habet sexaginta centurias, manipulos triginta, cohortes duodecim, & turmas ducentas: inquit *Isidorus l. 9. c. 3. Servius ad XI. AEn. secundum antiquum morem in legione erant triginta signiferi: Legio autem habebat septem cohortes, sexaginta centurias, licet in his rebus accessio temporis, Ducum varietas semper mutaverit militiæ disciplinam. Vegetius lib. II. c. 6. Sciendum est autem, in una legione decem cohortes esse debere.* Prima habet *pedites* 1105. *equites loricatos* 132. *& appellatur cohors milliaria.* Secunda *cohors habet*

p. 668.

bet pedites 555. equites 66. Tertia similiter. Ut & quarta, & ceteræ omnes. *His decem cohortibus* (ita addit) *Legio plena fundatur, quæ habet pedites 6000, equites 726. Minor itaque numerus in una legione esse non debet. Major autem interdum esse consuevit, si non tantum unam cohortem, sed etiam alias milliarias jussa fuerit suscipere.* Hæc *Vegetius.*

Celeberrima hæc Legionis in *decem cohortes* divisio apud *Polybium*, præcipuum scilicet Romanæ militiæ annotatorem, non reperitur, quod miratur *Savilius.* *Cincius* apud *Gellium* itidem: *In legione*, inquit, *sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.*

l. XVI. c. 4.

Huic divisioni legionis in cohortes celeberrimæ (quid enim frequentius, quàm numero cohortium ipsas Legiones & totius exercitus multitudinem signari?) objicit se Vir Summus *Claudius Salmasius*, & *in opere posthumo de re militari Romanorum, cap. 2.* contendit, *Decem cohortes neque in Polybiana, nec in Cæsariana Legione locum invenire.* Digna est, quæ legatur dissertatio. Cui tamen præclarè respondit doctissimus & longiori vita dignissimus *Hermannus Schelius in dissert. ad castra Polybiana cap. XV. de cohortibus Legionis antiquæ.*

Cohortis ipsius partes sunt *centuriæ.* Unius scilicet cohortis, *sex centuriæ seu tres manipuli*, duas centurias hastatorum, duas Principum, duas triariorum intellige. quam distributionem ejusque usum notabiliter explicat *Schelius cap. cit.* *Salmasius* quidem existimat, *ex quo cohortes primæ milliariæ factæ sunt, ceteras cohortes quinque tantum centurias habuisse.* Sed refellit eum *Schelius* ex cohortis Hyginianæ pedaturis, ubi quamvis cohortes primæ duplum numerum, ceteræ tamen omnes sex centurias habent.

Not. in Hygin. p. 19.

Liceat in transitu disquirere id, quod *Salmasius* tradit: apud *Polybium* σημαίας & σπεῖρας semper idem notare, & manipulum idem esse, quod cohortem. Nescio an ex *Suida* sumserit, qui ait: σημαία, σπεῖρα, τάγμα, ταυλὸν ἐςι. Sed ne putemus hæc simpliciter accipi debere, sequentia faciunt, ubi σημαίας Romanorum σίγνα *Signa* explicantur. σπεῖραν autem idem significare, quod latine *cohors* significat, *Salmasius* dixerat paullo ante & explicaverat. *Polybius* equidem, cum genera

de re milit. Rom. c. 2. p. 15.
V. σημαία.

genera militum in decem partes dividi dixisset, addit: καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημαίαν. non quasi hæc prorsus unum idemque significarent. Repugnat tota sequens descriptio, quæ non semel ad absurdum deduceretur. Τάγμα quidem & τάξις generaliter sæpe significare, & modo pro Legione, modo pro cohorte, modo pro signo sive duabus centuriis, accipi, dubio caret. Sed hic quoque *Suidas* lucem præfert: & olim quidem latius significasse vocabulum, postea τάξιν, ρκε. viros notare, & qui antiquitus ταξίαρχος vocaretur, ἐκαλονλάρχην vocari cœpisse: σημαίας ἢ τάγματος duos esse præfectos seu Centuriones *Polybius* dicit. σπείρας autem duas esse centurias nec dicet, nec dicere, si sibi consentanea vellet edere, potuit. Sed hæc ἰδοὺ πάρεργον. V. τάξις.

Cap. IV.

De diversis generibus militum in Legione.

CUm milites jam conscripti & sacramento rogati erant, iterum convocabatur Legio certo die locoque. Tum tribuni minimos natu & pauperrimos legebant in *Velites* (γροσφομάχοι Græcè appellabantur) proximos his, τοὺς ἐφεξῆς τούτοις, εἰς τοὺς ἁστάτους καλουμένους in *Hastatos*, uti vocant: *τοὺς δ' ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις εἰς τοὺς Πρίγκιπας, florentissimos autem ætatibus in Principes.* Τοὺς δὲ πρεσβυτάτους εἰς τοὺς τριαρίους; *natu verò majores in Triarios.* Ita *Polybius* qui & numerum addit: Triarios quidem, in quavis Legione invariato numero 600. principes 1200, hastatos totidem: Velites ut expleatur numerus 4000. quod si Legio pluribus quàm quatuor millibus constet, ceterorum quidem numerum pro portione augeri. Triariis exceptis. Addatur *Livius lib. VIII. c.8.* *Suidas* descripsit ita: Πρίγκιπες οὕτω καλοῦσι ῥωμαῖοι ἡλικίας. Τοὺς γὰρ νεωτέρους καὶ πενιχροτέρους, γροσφομάχους καλοῦσι εἶτα τοὺς πρίγκιπας. Τοὺς δὲ πρεσβύτας, τριαρίους. καὶ τοὺς ἁστάτους καλουμένους, οἵ εἰσι πρότεροι τῶν πριγκίπων, καὶ αὗται μὲν ὀνομασίαι. Locus hic est confusus: ut omnes vident. Nam ante, εἶτα τοὺς πρίγκιπας debebat poni ἁστάτους καλου. κτλ. ordo lib. 6. p. 468. voc. πριγκ.

ætatis eſt : velites, haſtati, principes, triarij. Et velites quidem Marius ſuſtulit ex Romana legione, omnesque graves armatos fecit. quando igitur poſt ea tempora levium cohortium mentio fit, non velites Legionis, ſed auxilia intelligi debent, in quibus ſolis levis armatura locum aliquem retinuit, legionaria omni militia ad gravem armaturam translata. docente amplius *Schelio*. Conditio quoque omnium horum generum, quæ antea diſcrepabat, tum æquata, & in Tacticis quædam mutata ſunt.

Not. in Hyg. p. 15.

De re milit. Rom. cap. 1.

Magnam rem poſtulat iterum *Salmaſius*, quam ſibi vult concedi: in militia Cæſarum ſive poſt commutatam à Mario militiam, *nomina Haſtatorum, Principum, Triariorum abolita & deſita fuiſſe*. Unde hoc probatur? *Unus erit Varro*, inquit *Salmaſius*, *pro centum teſtibus. Is in lib. IV. de L. L. ubi explicat illa vocabula antiquæ militiæ*, Haſtatos, Principes & Triarios, diſerte ſignificat deſita eſſe & à more, qui tunc obtinebat, aliena. *Haſtati*, inquit, *dicti, quod primi pugnabant haſtis. Pugnabant*, dixit, *non pugnant*. Etſi poſſis opponere ex *eodem lib. IV. Varronis: Præſidium eſt dictum, quia extra caſtra præſidebant in loco aliquo, quo tutior regio eſſet. præſidebant*, inquit, ergo tempore quo ſcripſit, idem non fiebat. quod nemo concesſerit. Jam ipſe Cæſar *de Bell. Civ. lib. 3. c. 53. Centurionem ab octavis ordinibus ad primipilum traducit. & cap. 64. Omnes cohortis primæ centuriones interfectos* refert, *præter principem priorem*. quæ nec dici nec intelligi poſſunt citra reſpectum ejus diſcriminis, quod tractamus. *Vegetius* in primis adeundus *lib. II. c. 15. & 16.* Qui etiam *c. 7. ad præſentes* (ſui temporis) *matriculas* provocat. Parum quidem præclare *Salmaſius de Vegetio* ſentit, eumque confuſorum paſſim temporum & negotiorum, ſummæque negligentiæ accuſat. Sed nec deſunt, qui aliter ſentiant, nec univerſe talia & in omnibus locis poſſunt admitti. Notandum præterea quod *Vegetius* pauciora ex commentariis Catonis, plura ex Principum, Auguſti, Trajani & Hadriani, tum Frontini libris deſcripſerit. Etiam illud *Salmaſio* obverti poteſt, quod *Inſcriptiones*, quas ipſe citat in *cap. VI.* ejuſdem operis, pertinent utique ad Cæſarum tempora. In iis autem fit mentio *Haſtatorum*. Nondum igitur deſita fuerint hæc nomina ævo Varronis, aut ſtatim poſt Marium.

pag. 66. & 67.

Cap. V.

Cap. V.

De equitibus Legionis.

Apud *Julium Cæsarem* equitatus non semel legionibus opponitur, & seorsum nominatur. Sed & sub Regibus & libera Republica unaquæque Legio suos habuit *equites. trecentos* nimirum, ut *Polybius* annotat, & *Livius* loco ante laudato. lib. 6. Hos trecentos equites dividebant in ἴλας seu εἴλας, *turmas* decem, singulis triginta equos continentibus. Legio autem *Vegetij*, de qua supra, habebat 660. equites: ubi primæ cohorti quatuor turmæ: reliquis singulis duæ attribuebantur. Unde quia equites cohorti inserti innexique erant, talis *cohors equitata*, *Hygino*, & aliis dicitur.

Neque tamen ita res in vado est. Nam si conferantur inter se, quæ *Polybius lib.* 1. *lib.* 3. *lib.* 6. tum quæ *Livius* diversis in locis habet: non satis consonare videbuntur. cum primo quidem *trecentorum equitum legionariorum* numerum valde antiquum & à Romuli temporibus usitatum statuant, & tamen Polybiano ævo ducentos tantum equites assignent in unam, etiam numerosiorem, legionem. Quâ de re uberrima est disputatio *Salmasii capitibus duobus postremis operis posthumi de militia Rom.*

Illud ex prima constitutione rei militaris Romanæ satis apparet: omne robur militiæ, Romanis, in pedite fuisse: cui eques vix pro portione decupla responderet. Causa ab initio, quod difficilius parabantur & instruebantur equites. Ita Cyrus, *teste Xenophonte*, totum eduxit exercitum Medici militis, antequam ei pronum fuit, equitatum, id est, alteram virium partem comparare. Vide omnino *lib. IV.* παιδείας. Sed ratio & tempus multa mutavit, etiam apud Romanos. Ita cum adversus hostes equitatu validos eundum fuit, equitum quoque numerus exaugebatur. Imo sub Constantinopolitanis Imperatoribus militia equestris numero præstabat peditatui.

Ceterum equites, ut à Legione, ita etiam à cohorte denominabantur. In Inscriptione antiqua, *opere Gruteriano pag. DLXXIV. 5. Peditibus & equitibus, qui militant in cohorte II. Alpinorum & in VIII. voluntariorum civium Romanorum, qui peregrinæ conditionis probati erant, civitas & jus connubii data sunt.* In alia in-

pag. DLX. inscr. 4. p. DXLVIII. inscr. 8.

inscriptione *Eques cohortis X. pratoria* memoratur. *Item eques R. legionis XXII.* Quando additur, Eques *Romanus*, non modo munus militandi equo, sed dignitas etiam seu ordo equestris notatur. Multi enim merebant equo, qui non erant ex ordine equestri Romano.

Cap. 9. & 20. de re mil. Roman. Not. in Hyg. p. 67.

Et *Salmasius* quidem, existimat. *singulis Legionibus trecentos equites Rom. ut in veteri Rep. Rom. ita Cæsarum temporibus adjunctos & ab auxiliis distinctos fuisse.* Sed doctissimus *Schelius* ostendit I. *vetere quidem Rep. Alas fuisse socios Latini nominis tam pedites quam equites, & hac significatione pedites equitesque alarios, item cohortes alarias à Legionariis distingui consuevisse.* II. *Ubi autem Socii Civitate donati æque ac Romani legiones dedere, alariorum quidem peditum nomen ab illis ad auxiliares & externos transiisse, at equitum alariorum illis mansisse, sed cum externis commune: nam legionibus in Italia aut in provinciis scriptis, alas equitum adjunctas esse, Italici, Provincialis, aut etiam externi sanguinis, non verò Romani aut equestris. neque enim equestrem ordinem cum civitate vulgatum esse, neque equites Romanos sufficere potuisse tot legionibus, quibus tum gerebatur Resp. Inde jam rariorem, si modo ullum equitatum Rom. præsertim diminuto vehementer bellis civilibus equitum numero.* III. *Sub primis Imperatoribus alas iterum & alarios equites distinctos esse à prætorianis, singularibus, & cohortibus equestribus. Alariorum autem peditum extenuata memoria, cum cohortes appellarentur, alarum vocabulum equites sibi proprium vindicasse, non quidem legionarium aut Romanum, sed tamen honestissimos provincialium & qui in vicem legionarii addebantur fere legionibus.* Probat hæc ex locis Taciti, tum ex silentio Scriptorum de *justo Legionis equitatu.* IV. *Illos equites Romanos in singularibus aut prætorianis, aut si forte in aliis militantes statim ad præfecturas admotos esse.* Licuerit hæc repetiisse ex *Schelio*, qui primus omnium, ut plura alia, ita hæc ad antiquæ militiæ veram historiam exegit.

CAP. VI.

De Ordinatione Legionis in acie, sive de acie Legionis.

LEgionem constitisse ex *hastatis*, *principibus* & *triariis*, ante dictum est. In acie igitur, hastati primo loco, proximo prin-

principes, post hos triarij collocabantur. Sicuti *Livius lib. VIII. cap.* 8. diligenter describit. idque vel ex proverbio, *rem ad triarios rediisse*, apparet. *Vegetius* quidem *lib. I. cap.* 20 & *lib. II. c.* 8. *lib. III. c.* 12, & 13. *Principes* primo loco, *hastatos* secundo, tertio *triarios* ponit. Loquitur scilicet de temporibus minus antiquis, id est Cæsarum Romanorum. Quare *Salmasius*, *non solum*, inquit, *ordinatione sive ordinandi modo distabat Legio Scipionis à Cæsaris Legione, sed etiam ipsius ordinationis, ut ita dicam, ordine, & ordinandorum in acie locatione. Ordinatio est ratio, qua in acie ordinanda disponitur Legio per majora aut minora corpora, quæ totidem sunt veluti partes ac membra totius ordinationis.* Sequitur deinde: *quod Legio Polybiana per manipulos, Cæsariana per cohortes ordinabatur.* 2. Olim intervalla erant inter ordines: in Cæsariana confertæ cohortes. 3. Capite sequenti tractat de ordinationis ordine, ostenditque in veteri quidem legione, *antesignanos* fuisse hastatos & principes, *postsignanos*, Triarios: in nova autem, Triariis ad primas cohortes sive ad principia & principales milites translatis, pedites fuisse antesignanos levis armaturæ milites, qui pugnam ordiebantur. Sicut antepilani olim erant hastati & principes, eo, quod ante Pilanos i. e. triarios pugnarent. quod postea mutatum sit. Sed doctissimus *Schelius* ostendit: *antesignanos*, *Cæsari* non minus quam *Livio* esse prima signa, primam aciem, primum agmen militum gravis armaturæ; Dividi enim aciem εἰς δύο τάξεις, προμάχυς καὶ βοηθύς, in Antesignanos & postsignanos; aciem & subsidium. Videnda est omnino tota ejus disputatio. Adeundus etiam *Modestus* de vocabulis ad rem militarem pertinentibus. Inprimis *Virgilij* locus non est obliviscendus, qui de acie Legionis diligenter conceptus est *Georgicorum II. v.* 279. & 280.

de re mil. Rom. c. 3.

in Not. ad Hygin. p. 40.

Et sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto.

Longam vocat legionem à longa fronte, per primam, mediam, ultimam aciem, & cornua explicata. Scholiastæ antiqui & novi hîc muti sunt. Neque *Lipsius*, cum hunc locum laudat, aliud, quam de intervallis notat. vid. *Veget. lib. II. c.* 15.

de Mil. Rom. lib. 4. dial. 1.

CAP.

Cap. VII.

De Auxiliis Legionis.

de L.L. lib. 4. AUxilium, inquit *Varro in militaribus, appellatur ab auctus, cum accesserant, qui adjumento essent, alienigenæ.* Festus: *Auxiliares dicuntur in bello socij Romanorum exterarum nationum, dicti ex Græco vocabulo αὔξησις, quod nos dicimus rerum crescentium auctionem.* Græcis interdum dicuntur ξενικὴ δύναμις, ξενικὰ τέχη, peregrinæ seu externæ copiæ, externa munimenta. De his clarius & melius *Lipsio*, *Savilius* exposuit, hac summa: An- de mil. Rom. p. 324. &c.
„ tiquum auxiliorum usum sub Regibus: Liberæ Reip. tem-
„ poribus per aliquot sæcula solos Latinos atque Hernicos
„ suppeditasse auxilia gravium armatorum; leves enim ex a-
„ liis nationibus admissos: ascitos bello Marsico Latinos &
„ Italos in jus civitatis, non auxiliarium nomine amplius mi-
„ litâsse, legionariæ militiæ prærogativa auctos: Augustum
„ aliosque inde Imperatores, provincialibus quoque in legio-
„ nariam militiam ascitis, auxilia revocasse, sed ex sociis ex-
„ ternisque, *nullo nationum discrimine.* Hinc est quod in *Tacito*
„ habemus Auxiliarios *è Trans-Rhenanis, Gallis, Britannis, Numidis, Lusitanis, Batavis, Thracibus &c.* Excessere modum insequentes Imperatores, id est, externos, &, ut ipsi vocabant, barbaros armis & armorum disciplina adversus Rom. Imperium, quod ab exteris tandem dilaceratum est, instruxerunt. Adducitur præsertim locus *Vegetij è lib. II. c. 2.* Ante bellum ergo Marsicum, ordinarie socii ex fœdere tantundem peditum, cum equitum duplo armabant. Vocabanturque *cohortes* peditum, Alæ equitum. Extra ordinem aliter factum, exemplis docet *Savilius*, qui tandem summam putat: *Legionem Imperialem ejusq́; auxilia constitisse* 12000. *hominum, seu* 6000. *peditum Legionariorum, &* 600. *equitum*; 4800. *auxiliarium peditum,* 600. *equitum auxiliar.* adducto loco *Vegetij è Libro III. c. 1. Hyginus* interdum auxilia, *supplementorum* vocabulo indicat. Levem armaturam legionariis ferè opponi supra notatum est. Inde Græci solos legionarios ὁπλίτας, auxiliares cohortes levis armaturæ ψιλοὺς appellabant. Apud *Suidam* legas: ψιλοὶ τάξις ἐστὶν ἀγωνιστάτη, ἥτις προβάλλεται ἔμπροσθεν τοῦ στρατοπέδου, τῶν

γυμνῶν

γυμνῶν καὶ ἀόπλων. αὐξίλια δὲ οἱ ῥωμαῖοι τὰ τοιαῦτα τέλη προσαγορεύουσι. τὸ τῆς βοηθείας ὀξὺ καὶ περὶ τὰς χρείας εὐκίνητον οὕτω προσαγορεύοντες. Mox: ψιλοὶ, οἱ μὴ καθωπλισμένοι. ἐν καιρῷ δὲ τῆς μάχης τῷ παρατυχόντι, ἢ λίθῳ, ἢ ξύλῳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ ὀργάνῳ χρώμενοι. ἢ τοξόται, παρὰ τὸ σκευῇ ψιλῇ χρῆσθαι. Diverſa per farraginem, ut ſæpius, hic componit Lexicographus: ex quibus illud tantum huc pertinet, quod de σκευῇ ψιλῇ dicit. Unde & *Heſychius*, exempli cauſa σφενδονιστὰς καὶ τοξότας habet *funditores & ſagittarios*. Levis armatura intelligitur, non inermes homines, niſi per tropum comparationis cauſa, ita dicuntur. Ὁπλίτας idem Suidas accuratius explicat. Ὁπλίται λέγονται οἱ βαρυτάτῃ ὁπλίσει κεχρημένοι κατὰ τὸν μακεδονικὸν τρόπον. ψιλοὶ δὲ, οἱ κουφοτάτῃ κέχρηνται. οἱ δὲ πελτασταὶ μέσῃ πως κέχρηνται σκευῇ. Videatur omnino *Arcerius ad AEliani Tactica p. 104. & ſeqq.*

CAP. VIII.

De caſtris Legionis.

QUoniam Conſul Romanus ordinariè duabus legionibus rem gerebat, hicque exercitus erat; hinc factum eſt, ut *Lipſius*, *Savilius* & alii de caſtris duarum legionum, quæ & *ſimplicia* appellantur, ſermonem & typos formarent: *duplicia* caſtra, ad quatuor legiones accommodarent. Reperiuntur tamen & caſtra unius Legionis. Apud *Cæſarem* memorabilia ſunt exempla. Neque dubium eſt, quin ex duarum legionum caſtris, & unius Legionis caſtra poſſint intelligi: cum ſatis conſtet, Romanos in caſtrorum metatione maxime unam rationem & quaſi perpetuam probaſſe. *E Cæſare* repetenda eſt hiſtoria unius legionis, cui Cicero præerat, in caſtris ſuis oppugnatæ *lib. V. de B. G. c. 38. & ſeqq. Eodem libro* Craſſus, Fabius, L. Roſcius unius legionis caſtra habuerunt, ut & caſtra Labieni (*c. 56. & 57.*) huc pertinent. *Lib. VI. (c. 32.)* Q. Tullius Cicero Legioni XIV. caſtriſque præficitur, oppugnaturque. *c. 37. & ſeq.* *Virgilius* etiam legionis unius caſtra ad morem ſui ſæculi adornavit, *AEneid. IX. v. 174. & ſeq.* ubi interpretes non minus muti ſunt, quam ſupra ubi acies Legionis in *Georgicis* eſt deſcripta.

Ceterum de forma & ordine castrorum crucem fixit eruditis locus *Tacit I. Annal. c.61.* ubi Germanicus Cæsar ad locum cladis Varianæ delatus, tribus legionibus, sextum post cladis annum justa persolvit. Verba *Taciti* sunt (*c. 61.*) *Prima Vari castra lato ambitu & dimensis principiis trium legionum manus ostentabant.* Ad quæ *Lipsius : quo argumento ex principiis colligebatur manus trium legionum? Quia quoties plures legiones unis castris, principia sua cuique legioni descripta, in quibus aquila & signa.* Ita, *Principia majora. In Analectis ad lib. V. de Mil. Rom. Dial. 7.* ita interpretatur: *Cum principia dimensi essent, repererunt tribus legionibus locum.* *Savilius* quoque existimat : *Ex mensura principiorum inveniri posse numerum legionum* : extenso scilicet in latitudinem spatio principiorum. *Quæ toto cælo*, inquit doctissimus *Schelius*, *& à mente Taciti & à more Romanorum distant. Quis enim legit unquam, tot in castris Romanis principia fuisse, quot legiones, aut cum tres sub uno Cos. legiones, tunc metationem latiorem & divisa per vias principia? Inaudita hæc & absurda sunt. Jam hoc quoque parum probabile est, dimensum principia Germanicum. quid demum dimetiretur? an ut sciret, cum quot legionibus Varus cecidisset? at nemo hoc illa ætate ignorabat. an ut locum ubi tetendissent, inveniret? at illum ipsum adhuc castra ostentabant. Hæc enim Taciti mens est: ostentasse etiam tunc expugnata ante sex annos, & disjecta Vari castra Romana compositionis modum & rationem, & præcipue lato castrorum ambitu, id est, circa vallum undique & in principiis ex disciplina Romana dimensis, sedem legionum. Per omnem enim castrorum ambitum cohortes legionariæ, & ad principia duæ cohortes primæ tendebant: tertia in prætentura cum tres legiones essent*, docente *Hygino.* Quæ paraphrasis *Schelij*, nulla causa est, cur repudietur.

de Mil. Rom. p. 404.
Not. in Hyg. p. 15. & 16.

Ceterum præter typos castrorum apud prædictos Scriptores & *Xylandri Polybium German. Herm. Hugon. Walhaus.* Videantur schemata *Schelij Hygino & castris Polybianis adjuncta.*

CAP. IX.

De armis & telis Legionis.

NE hîc verbosi simus, facile nobis persuadet accuratissimus *Schelius*: qui in *dissertationibus* suis *ad castra Polybiana & Hygini, caput XIV.* totum conscripsit *de telis Legionum, & Salmasio*,

masio, γρόσφους seu *hastas velitares*, ὑσσοὺς, *pila*, δόρατα, *hastas* longiores, longe aliter, quam hactenus eruditi omnes acceperant, interpretanti ea respondet, quæ detrectari nequeunt. Arma hæc ipsa diligenter & propemodum curiose describit *Polybius lib. VI.* ex *Vegetianis* præsertim *Institutionibus*, & *Stewechianis* ad eas curis illustrandus. Progredimur igitur potius ad

Cap. X.

De Comparatione veteris & novæ militiæ in legione.

Quantum in ipsa Romana militia mutaverit tempus, partim ex ante dictis, partim ex Scriptorum, quos laudavimus, disputationibus abunde potest perspici.

Quædam tamen omni ævo retenta & ad nos propagata, non est dubium. Talia quædam sunt in acie præsertim ordinanda, & in castris metandis. Ita intervalla & spatia, consistentibus in acie militibus antiquitus usurpata, eundem usum præstare, quem olim præstabant, *Machiavellus lib. II. de arte militandi*, uberius ostendit. Imo vix repereris hodie cujus non aliqua meditamenta aut specimina in veteribus agnoscas: licet nomina discrepent. *Crucis*, *stellæ*, *aliarumque formarum* nomina audias, quæ postea ad rhombos, ad cuneos & similia Tacticorum schemata facile reducas. Gravis quoque & levis armaturæ discrimen, & conjunctio, omnis ævi usibus accommodata est. In stataria quoque, & mobili pugnandi ratione, res una observatur olim & hodie. Plura tamen circa rem mutata videas. Nihil dicam de dilectu, de exercitatione & disciplina militum: quæ omnia apud antiquos meliora, & Reipublicæ bello tutandæ utiliora. Inventus quoque pulvis pyrius, & sclopporum tubi ac fistulæ totam quodammodo rationem militandi in Europa commutarunt. Accedamus propius ad Legionis rationes. in qua olim equites peditibus immixti, & ad suos quisque pedites relati erant. Nova militia equestrem militiam à pedestri, quantum ad constitutionem exercitus attinet, plane separavit. Aliæ & seorsim constituendæ sunt Legiones equestres, aliæ Legiones pedestres. Et superiore quidem sæculo plerumque Legiones

equitum & peditum majore & ad antiquum modum pæne accedente numero militum describebantur. Quo magis inde ad nostra tempora acceditur, numerum imminutum esse videmus. Vidit nostra ætas, parvas legiones, & pro harum modo, cohortes, centuriasque. retento tamen præfectorum & officialium, quos vocant, numero, qui in majoribus fuit. Quæ res multum ad victoriam habere momenti visa est. Hic enim longe magis dici potuit, quod *Livius* de Romana numerosiore militia legionaria dixit: *acies distinctior, ex pluribus partibus constans: facilis partienti, quacunque opus est, facilis jungenti.* Gladios sæpissime mutavit usque in hunc diem, nova militia: nisi quod illi, qui cæsim punctimque ferire possunt, diu placuerunt. illis autem, qui acinace gaudent, vix hoc persuaseris. novissimus tamen usus docuit; acinaci, gladios longiores, quibus punctim hodie utuntur, tuto opponi posse. Ut caput galea, pectus & tergum laminis ferreis muniatur, in pedestri & equestri militia omni ævo placuit. & ubi obsoleverat, revocatum est hoc armaturæ genus. Ita Carolum IX. Sueciæ Regem, populares historiæ celebrant instauratorem hujus disciplinæ, valde ad victoriam efficacis in ea natione, quæ semper animis abundabat, nec minus fortiter, sed majore interdum incommodo, corpore improtecto pugnabat. Pila, proprium Romani militis peditis telum, ab usu novæ militiæ plane recesserunt. apud plures nationes etiam scuta & clypei. Hastarum veterem formam non agnosco in nova militia; quæ tamen amat hastatos. quorum duo sunt genera valde celebria, *lanceæ*, & illud hastarum genus, quod *piques* vocant. Et lancea riorum quidem equestris militia (*Lanzirer*) duobus ab hoc proximis sæculis magni æstimabatur. postea omissa ac neglecta est. Qua de re insignis & longa est querela *Walhausii.* Et sane, ut Lanceariorum opera ad multas insignes victorias viam apertam, aciesque hostiles dissipatas esse, historiæ nos docent: ita vera & unica causa desuetæ hujus militiæ, est difficultas. Nisi enim exercitati valde fuerint hi milites, non efficient, quod dixi. Exercitatio autem illa artem desiderat; neque ex tempore proficit. ipse quoque apparatus equitum armorumque accuratior requiritur. Quare

Lib. IX. c. 19.

Kriegs-Kunst zu Pferd. c. 1.

Quare Nobiles fere cum suis domesticis hanc militiam explebant. De pedestri genere hastatorum (qui extra ordinem, accelerandi itineris causa, nonnunquam equo vehuntur) *Pontus Heuterus* ita annotat: *Militarem quoq; disciplinam Maximilianus* (Imperator I.) *novis inventis restituit atque excoluit, phalangemque Macedonicam ex hastatis peditibus coactam, Romanamq; legionem, nonnullis mutatis, referentem, ac fermè inter Germanos, pedestrem militiam obsolescentem magno succedentium Principum (ut eventus docuit) commodo ac bono in veterem ordinem redegit. Hastas pedistres ad justam longitudinem revocavit, atque ut sine ferro, XVII. cum ferrea cuspide ad minus XVIII. haberent in longitudine pedes, atq; è fraxino arbore fierent, voluit. Equestres verò lanceas, sine ferro, XII. cum eo, XIII. ad minus pedes esse jussit: Germanosque pedites adeo harum usu exercuit, ut necdum hodie ulla natio, eo armorum genere iis comparari possit. Etenim ante Cæsaris Maximiliani tempus Germani peditis nullus erat exteris usus: sed urgente bello, Principes ac Respublicæ pedite oppidis & agris excito utebantur, qui exigua aut aliquando nulla mercede militabant, confectoque bello, positis armis domum redibant.* Quod de comparatione phalangis Macedonicæ dixit, melius quadrat, quam hastata legionis militia. vid. *Æliani Tactic. cap.* 14. *Cuirassarij* sive *Corazzij* equites non carent, cum quibus comparentur in vetere sub Impp. militia cataphracta. Hi an præferendi sint Lancеariis seu Hastatis equestribus (de nobilis illius militiæ genere loquimur) disputarunt duo magna experientia militari præditi Scriptores, *Georgius Basta*, & *Jo. Jac. Walhausius.* ille Corazzios præfert: hic Lancearios.

Austriac. lib. VIII. cap. 18.

- - - Nec nostrum est tantas componere lites.

Novum genus militum est, quod vulgo (Drageons) *Dragonios* vocant. Apud *Curtium* sane *Dimachæ* ita describuntur: *Graviora arma portantes in equis; ubi res poscit, desiliunt & pedestris acies est.* In militia M. Alexandri sc. In Romanis ordinarium militum genus hoc non habemus. Sed aliâ, nec una ratione, pedites equitibus immixtos (de quibus videndus elegantissimus & eruditissimus Commentarius *Hermanni Hugonis de militia equestri antiqua & nova lib. IV. c.* 6.) tum extra ordinem festinandi agminis aut alia causa, pedites equis impositos, & si usus posceret, vel utrovis modo, vel è pedibus militaturos.

Cap. XI.

De Officiis & Ministeriis in Legione.

PEr farraginem hujus generis nomina annotabimus. *Hermannus Hugo in militia equestri* distinxit Magistratus supremos, medios, & infimos. *lib. V. c. 2. 3. 4. Tribuni* Legionis & *cohortium* erant, de quibus *Lipsius* & *Savilius.* quorum etiam *Tribunus turmæ* legitur, quem pro præfecto sumi, *Herman. Hugo* putat. *Laticlavij* & *Angusticlavij* nominantur Tribuni apud Historicos & in Inscriptionibus vett. Adde *Jul. Cæs. Bulengerum de Imperio Rom. lib. 5. c. 4.* Apud *Gruter. p. 580. Inscriptione 3.* memoratur *Tribunus Laticlavialis præf. Leg. XIII.* Legatus *Leg. p. VII. num. 3. Centuriones* ubique obvij. *Seviri Equitum,* honorato gradu, apud Historicum. In opere *Gruteriano p. 454. Inscript. 4.* legitur *Sevir equitum Romanorum legionis III. pag. 412. Inscript. 2. Sevir turm. 2. Equit. R. p. 436. Inscr. 7. Sevir turmæ V. eq. Rom. Trib. Laticl. Leg. I. adi. pag. 1093. inscr. 7. Tribunus antesignanorum p. 517. n. 3. Sevir. turm. V. Eq. Rom. trib. mil. leg. III. Aug.* IIIIIIV... *turmis ducendis p. 348. n. 1. Aquilifer leg. III. Ital. pag. 651. inscr. 3. Signifer, Leg. III. Gem. p. 80. inscr. 4. Signifer cohortis III. vrb. pag. 530. inscr. 4.* Signifer in centuria nominatur *p. 1109. inscr. 10. Præfectus Leg. X. pag. 194. inscr. 2. Præf. Castr. Leg VI. Victric. p. 1110. inscr. 11. Præf. cohorti p. 349. inscr. 3. Præf. levis armaturæ p. 370. inscr. 1.* Ita *Præfectus equitum, fabrum, &c. Optio centurionis p. 46. inscr. 10. Optio Leg. II. Ita p. 542. inscr. 8. Optio cohortis p. 80. inscr. 59. Optio signiferi Leg. XIII. Gem. p. 80. inscr. 4. Tribuni optio in centuria p. 551. n. 3. Optio Tesserarius cohortis II. pr. p. 445. n. 10. Armorum custos Leg. XIV. p. 568. num. 11. Buccinator Leg. V. Alaudæ pag. 559. n. 7. Campidoctor cohortis p. 565. n. 5. Doctor cohortis p. 80. n. 2. Collega Centurionis p. 54. n. 6. Cornicen p. 571. n. 8. Cornicularius Leg. XIII. p. 17. n. 9. Tribuni pag. 269. n. 5. Curator Alæ pag. 444. n. 1. Curator veteranorum Leg. IV. pag. 557. n. 3. Decurio Alæ, Balistariorum, &c. Dux emeritus ex cohorte XIII. pag. 539. n. 4. Evocatorum* varias appellationes in iisdem Inscriptionibus invenias, *Exsignifer. Leg. III. Ital. p. 1159. num. 15.*

Fecia-

Fecialis Leg. pro. pr. 1107. *n.* 4. *Imaginifer Legionis XIII. Gem. p.* 562. *n.* 1. *IIV. Leg. X. p.* 345. *n.* 10. *Librarius Legionis p.* 80. *n.* 8. *Magister Eq. Al.* 1. *p.* 542. *n.* 7. Ita *Magister equitum & peditum, utriusque militiæ. Medicus cohortis*, addito numero. Ordines duxit, ordinem accepit in Leg. *Pilus prior p.* 571. *n.* 3. *Primipilus legionis p.* 747. *n.* 1. *Procurator centurionis p.* 541. *n.* 6. *Protector & notarius p.* 626. *n.* 8. *Quæstionarius p.* 546. *n.* 6. *Scholarum curator p.* 170. *n.* 3. *Scriba subcornicularius p.* 1108 *n.* 4. *Scriba veteranus, Scriba armamentarius &c. Speculator Legionis p.* 169. *n.* 7. *Strator, Suboptio, Tesserarius &c.* Quæ officia & ministeria Imperatorum temporibus magis magisque multiplicata fuerunt, & hic exempli tantùm causa attinguntur, explicata partim à Scriptoribus militiæ Romanæ, partim à *Julio Cæs. Bulengero, & Henrico Valesio in notis pereruditis ad Marcellinum, Pancirolo ad notitiam Imperii*, aliisque sparsim.

Quot Legiones ab Augusto ad tuendum Imperium dispositæ, quot ab aliis Imperatoribus adjectæ, vide partim apud Commentatores *Taciti ad libr. IV. Annal. c.* 5. & *Lipsium in admiranda magnitud. Romana lib.* 1. partim apud *Jul. Cæs. Bulengerum de Imper. Rom. lib. III. c.* 5. *& Panciro l. ad Notit. Imp. Orient. c.* 35. ubi & *marmor Capitolinum* exhibetur.



XVIII.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA DE FACTIONUM IN REPUBL. ROMANA CAUSIS.

Cum illud semper mihi curæ fuisset, humanissime Lector, ut illos potissimum authores familiares mihi redderem, qui, unde mihi meæque Reip. quod imiter, capiam, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod

quod vitem, plurimùm conferrent: ex latinis quidem T. Livio potiorem neminem duxi. Cujus historiam, Romanæ facile principem, cùm penitius inspexissem, utramque mihi, decadis præsertim prioris, paginam fecisse videbantur certamina illa & factiones Optimatum & plebis in Rep. Romana. Neque verò insequentia tempora hac labe vacuà fuerunt: Sed anniversarium hoc & fatale erat victoris populi malum, ut foris bellum feliciter, domi certamina & contentiones infeliciter exerceret. Inde occasio mihi nata, dissertationem quandam de hac peste conscribendi, Dnn. que commilitonum censuræ, Academicæ exercitationis gratiâ, subjiciendi. Quamvis vero tenuitas mea, rudisque tractatio ab incepto me detinere conabatur, facile tamen à benevolo Lectore veniam me impetraturum sperabam, præsertim cum primitias has esse studiorum meorum confessus fuero, meque & moneri & doceri paratum esse vel à quolibet. Et debebant quidem proponi, 1. Caussæ horum certaminum, 2. proposita, consilia, destinata utriusque partis. 3. Effectus, eventus, exitus talium certaminum. 4. remedia. *Sed quia materia ubertas in ordinem angusti temporis, quo nunc includor, se redigi non patitur, hac vice* Caussas Factionum in Rep. Rom. *breviter attingam.*

§. 1.

SEcundam hanc populi Romani ætatem, & quasi adolescentiam fuisse, cum tantis sese fatigarent contentionibus Optimates & plebs, ideoque quandam adhuc ex pastoribus feritatem, quiddam spirasse indomiti, tradit *Flor. l. 1. c. 22.* Verum haud difficulter, quòd harum seditionum causam, agrestes novi populi mores, nec satis adhuc subactos & mites facit, per eas, quæ florentissimis temporibus accidere, nec pauciores istis, & asperiores multò (de quib. hic ipse aliiq;) refutatur, ut

ut rectissimè ad hunc locum annotat *Clariss. Freinshemius.* Quoniam verò *Livius*, proprius hac in re Doctor, optimè eas & perspexisse, & dijudicasse videtur, meritò illum præ cæteris hic audiendum existimo, adhibitis tamen & aliorum testimoniis. Sed ut distinctè de his disseram, duplices eas facio, *remotas & propinquas.* quarum definitiones, quoniam non incommodè huc transferri possunt, vid. apud *Lips. lib.6. pol. c. 2. n. 4.* Inter *remotas* pono 1. *fatum.* 2. *Reip. formam, non optima harmonia mixtam.* 3. *Ætatem, & mores θυμικὲς.*

§. 2. Quis autem negabit fatum hic primo esse spectandum, præsertim cum Gentiles etiam agnoverint? Hanc enim *Deorum iram* vocabant prudentiores. Qui ineptius loquebantur, *invidiam Deorum* accusabant, cum interim satis constare posset, Deum per factiones istas, civitatum mores punire & castigare. De qua re nunc nihil addemus.

§. 3. Alteram à fato causam dixi Reip. formam non optima harmonia mixtam. Satis jam constat, ejectis Româ Regib. omnia ad Patres rediisse, attestante etiam *Livio statim ab initio lib. II. Libertatis*, inquit, *originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod diminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia jura, omnia insignia primi Coss. habuere.* Sed nec immeritò, quippe eorum ope & auxilio profligati erant reges, & constituta libertas. Postquam verò Valerius Cos. qui in expellendis quoque tyrannis fuerat occupatus, in suspicionem affectati regni venisse se animadvertit, ne eundem cum Tarquiniis rebus suis exitum daret, subitò popularis factus est, submissisque fascibus in concionem ascendit. *Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam populi, quam Cos. majestatem vimque majorem esse*, ait, *noster* II,7. Posteà contentionibus plebis, Valerii Publicolæ sive inconsultam sive blandè assimulatam humanitatem paulatim amplius interpretantis, impugnata Aristocratia, non nisi magnis seditionibus, & communicata plebi magistratuum dignitate, in mixturam cum Democratia coaluit: In qua tamen temperatione, modo hæc, modo illa pars prævaluit, sicut ait *Dn. Præses in Annot. 1. cap. 1. lib. 1. Annal. Tacit.* Itaque haud frustrà vociferatus est C. Claudius

apud *Liv. III. 65. Ita demum liberam civitatem fore, ita æquatas leges, si sua quisque iura ordo, suam majestatem teneat.*

§. 4. Ætatem tertiò & mores θυμικὺς egregiâ quadam paraphrasi describit *Sallust. Cat. 6. Romani,* inquit, *domi militiaque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam, parentesq; armis tegere, post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant.* Et paulò post. *Eâ tempestate* (principio libertatis) *cœpere se quisq; magis magisque extollere, ingeniumq; in promptu habere.* Nec mirum! nam ut *Seneca in Hippolyto,*

Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.

Cum itaque prima adversus exteros arma pro libertate corripuissent Romani, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria & imperio, lacessentibus assiduè usquequaque finitimis, factum inde est, ut plurimùm vitam in castris, & armorum strepitu degerent, maximamque gloriam putarent, inter primos in acie conspici, devictisque hostibus insultare. Quòd si verò domum aliquando rediretur, eadem altos hos animos gloriæ cupido vexabat, & quietem ipsis insolitam & quasi tædiosam magnopere aspernabantur. ergò, dum foris otium fuit, ne omnia simul languescerent, domi contentiones serebant, & gloriam, quam apud hostes non possent, per discordias civiles quærebant.

§. 5. Hactenus de *causis remotis*, nunc ad *propinquas* progredior: & 1. ad eas, quæ ad Optimates pertinent. Occurrunt autem tres; *Ambitio, Superbia, Crudelitas.*

§. 6. De *ambitione* prius, quippe proprium Oligarchicorum sive Optimatum hoc vitium; Qui, ut *Theophrastus in aureis suis characteribus* habet, Homeri versuum solum hunc tenent,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

aliorum omnium nihil sciunt; quique sermonibus his utuntur; Oportet in unum coacti deliberemus, & turba hac forensi nos liberemus, aditumque illi ad magistratus præcludamus. Hinc est, quod non solum apud Romanos, verùm alias etiam quam plurimas gentes ab ambitione ingentia certamina

na & ſeditiones extiterunt. Sit exemplo Corcyræa ſeditio & ex ea univerſa Græcia commota, qua tempeſtate varii generis deteſtanda facinora fuerunt perpetrata. Extat locus *Thucydidis hiſtoria tertia*, quem *generoſiſſ. Enenckelius* ita reddidit: *Quorum omnium cauſſa fuit potentatus ab avaritia & ambitione amulatio, unde & in certamina magnâ alacritate deſcenderunt. Nam qui rerum in civitatibus potiebantur, ſpecioſum utriq; pra ſe titulum ferentes, libertatem hi multitudinis exaquandæ, illi moderatum Optimatum ſobriumque imperium, Remp. cujus ſe agere curam ſimulabant, in medio poſuerunt.* Sed ut ad Romanos, à quibus parumper digreſſi ſumus, redeamus: eorum concordiæ, ſi rem altius conſideraveris, vel præcipue nobilium ambitionem obſtitiſſe deprehendes; qui omnes eò curas intendebant, ut imperium & honores penes ſe ſolos eſſent, plebemque ab omni Reipubl. munere arcerent: ſicut nobilis hac de re locus eſt apud *Liv. lib. IV. ſub init.* cum tribuni rogationem promulgarent, ut populo poteſtas eſſet, ſeu de plebe ſeu de patribus vellet, Coſs. faciendi: quo Optimates ipſi teſtantur, millies ſe morituros potius, quam ut tantum dedecoris admitti patiantur. Quæ Decemvirorum ambitio fuerit, magiſtratum contra leges retinere cupientium, dicat idem noſter, *lib. III. 35. Poſtquam comitia decemviris creandis in trinum nundinum indicta ſunt. tanta exarſit ambitio, ut primores quoque civitatis (metu credo, ne tanti poſſeſſio imperii vacuo ab ſe relicto loco haud ſatis dignis pateret) prenſarent homines, honorem ſumma ope ab ſe impugnatum, ab ea plebe, cum qua contenderent, ſuppliciter petentes &c.* quæ illorum ambitio & impotentia in ingentem ſeditionem exarſit, nec aliter, niſi abrogato decemviratu, componi potuit. Quanta poſteà vi & quam varii generis callidis conſiliis majeſtatem ſuam tueri conabantur Optimates, cùm tribuni adverſus ambitionem illorum, & opes undiquaque validiſſimas, nec fruſtra metuendas, inter alias (de agris puta & pecuniis) hanc etiam legem promulgaſſent, ne tribunorum militum comitia fierent, Coſs. que utique alter ex plebe fieret? *Cuncta ingentia*, inquit *Hiſtoricus lib. VI. 35.* quæ *ſine certamine maximo obtineri non poſſent. Omnium igitur ſimul rerum, quarum immodica cupido inter mortales eſt, agri, pecuniæ, honorum diſcrimine propoſito conterriti patres cum trepidaſſent, publicis privatisq;*

consiliis nullo remedio alio, præter expertam multis jam ante certaminibus intercessionem, invento, collegas adversus tribunitias rogationes comparaverunt. Satis scilicet callebant, hîc si victi fuerint, nihil fermè restare, quo meliori jure præ ceteris honores ambire possent. Sed nec hoc solum cavebant Patres, ne eadem plebi cum illis ad honores jura paterent, verùm si qui in eam qualicunque modo translati fuerant, fremebant, sicut locuples testis est *Liv. IV.* 54. ubi, cùm quæstores ex plebejis creatos narrasset, ita inquit: *Patres non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere, negare, si ea ita sint, liberos tollendos esse, qui pulsi majorum loco, cernentesq; alios in possessione dignitatis suæ, Salii Flaminesq; nusquam aliò, quam ad sacrificandum pro populo, sine imperio ac potestatibus relinquantur.* Imò nec hîc subsistentes, ultra progrediebantur, stimulante ambitione. Namque, ubi tempus premendi plebem, recuperandique jura advenisse putabant, quæ anteà concesserant, eripiebant: Tunc enim adeò submissos non infimorum solum, sed Principum etiam plebis animos faciebant, ut non modo ad tribunatum militum inter patricios petendum, quod tanta vi, ut liceret, tetenderunt, sed ne ad plebejos quidem magistratus capessendos petendosque, ulli viro acri experientique, animus esset, possessionemque honoris usurpati modò è plebe per paucos annos, recuperasse in perpetuum patres viderentur. Hinc igitur videmus, haud immeritò *Sallustium Cat.* 10. hanc nobilium ambitionem quotidie magis magisque crescentem inter primas corruptæ Reip. causas posuisse, eamque, quasi materiam omnium malorum accusasse. Verumenimverò frustra de hac apud eos quereris, quibus semel est persuasum, rem esse pulcherrimam

Αἰὲν ἀριστεύειν, ϗ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

§. 7. De ambitione satis: ad *Superbiam* accedo, quæ crudelitate gravior est bonis, teste *Floro lib. I,* 7, 4. sed quid miramur hinc manasse seditiones, cum liberis Rebuspublicis superbia potentium ab omni ævo gravis visa fuerit? Testetur id suo exemplo Alcibiades apud *Thucyd. lib. VI.* Ὅσα αὖ ἐν τῇ πόλει χορηγίαις, ἢ ἄλλῳ τῳ λαμπρύνομαι, τοῖς μὲν ἀστοῖς φθονεῖται φύσει, πρὸς δὲ τοὺς ξένους, ϗ αὕτη ἰσχὺς φαίνεται. Rursum ibid. Οἶδα δὲ τοὺς τοιούτους ϗ ὅσοι ἔν τινος λαμπρότητι προέσχον ἐν τῷ καθ' αὑτοὺς βίῳ λυπη-

ρὺς

ρὸς ὄντας· τοῖς ὁμοίοις μὲν μάλιστα. ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ξυνόντας. Hoc potius mirum videtur, quod Optimates, cum Tarquinios tam graves ſuperbiæ, aliorumque facinorum pœnas dediſſe conſtaret, ſibi hac in re non aliquatenus temperaverint, modeſtioriq; gradu inceſſerint. Nunc verò ſub aliquibus exemplis audiamus, quomodo hæc illorum arrogantia Reip. ſtatũ commoverit, quantasque turbas excitaverit. *Livius*, ſtatim ubi primam ſub libertate ſeditionem deſcribit, *lib. II. cap. 23. & ſeqq.* in crudelitatem maximè, ſed & ſuperbiam Patrum cauſſam eſſe conjectam affirmat. Plebs etenim, inquit, cum vigente diſcordia ab hoſte quoque Urbs circumveniretur, exultare gaudio, *ultores ſuperbiæ Patrum adeſſe* dicere *Deos*. Sub Decemviratu certamina, quis non ex Decemvirorum ſuperbiâ conflata eſſe credat? *Hi namq; cottidie*, ſcribit idem III, 36. *coibant remotis arbitris: indè impotentibus inſtructi conſiliis, quæ ſecreto ab aliis coquebant, jam haud diſſimulando ſuperbiam, rari aditus, colloquentib. difficiles, ad idus Majas rem perduxere. Idus tum Majæ ſolennes ineundis magiſtratibus erant. Initio igitur magiſtratus primum honoris diem denunciatione ingentis terroris inſignem fecere. Nam cum ita priores Decemviri ſervaſſent, ut unus faſces haberet, & hoc inſigne regium in orbem, ſuam cujusque vicem per omnes iret, ſubito omnes cum duodenis faſcibus prodiere. centum viginti lictores forum impleverant, & faſcibus ſecures illigatas præferebant. nec attinuiſſe demi ſecurim, cum ſine provocatione creati eſſent, interpretabantur. Decem regum ſpecies erat: multiplicatusq; terror non infimis ſolum, ſed primoribus Patrum, ratis cædis cauſſam ac principium quæri. ut ſi quis memorem libertatis vocem aut in ſenatu, aut in populo moviſſet, ſtatim virgæ ſecureſq; etiam ad cæterorum metum expedirentur.* Huic igitur impotentiæ & ſuperbiæ non niſi magna animorum concitatione obviam iri potuit. Quot enim dies ea tempeſtate verbis & contentionibus terebantur? quàm infeſtæ habitæ in foro orationes tyrannidem ipſis exprobantes? quàm exacerbatæ contra eos in curia dictæ ſententiæ? quam varia & à Patribus & à Plebe ſubminiſtrata conſilia de abroganda Decem horum Tarquiniorum (Superbos verè appellaveris,) poteſtate? Quæ certè contentiones, ſi diuturniores fuiſſent; finem imperio Romano impoſituræ videbantur. Petant aliquando cum patribus connubium, quod

 Decem-

Decemvirorum legibus prohibitum erat, tribuni, quantum inde exoriturum certamen, quantâ vi restituros Patres, quos contra eos ex illorum ordine concitaturos armaturosque Viros sint, cognoscent: Ita ut non immerito prodeat Canulejus aliquis & hanc illorum superbiam ita ad plebem criminetur; *Quantopere vos, Quirites, contemnerent Patres, quam indignos ducerent, qui una secum urbe intra eadem mœnia viveretis, sæpe equidem & ante videor animadvertisse, nunc tamen maximè, quod adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt: quibus quid aliud quam admonemus cives nos illorum esse; & si non easdem opes habere, eandem tamen patriam incolere?* postea: *Hoc ipsum, ne connubium Patribus cum plebe esset, non Decemviri tulerant pauci his annis pessimo exemplo, cum summa injuria plebis? An esse ulla major aut insignior contumelia potest, quam partem civitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid est aliud quam exilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? ne affinitatibus ne propinquitatibus immisceamur:* & quæ ibi plura in hunc modum leguntur. Plebs igitur his commota verbis, spiritus sumit, nec certaminibus & contentionibus, priusquam Patrum superbiam rogatione Tribunorum victam esse vidisset, desistit. Perpetua autem, & acria inter Nobilitatem & plebem extitere certamina, quòd illi humilitatem hujus contemnerent, hæc autem contumaciter superbiam illorum impugnaret: Id quod etiam memorabilis illa de C. Flavio historia apud *Liv. IX, 46. & Val. Max. II. 5. 2.* indicat.

§. 8. Restat crudelitas, quæ verissimo *Ciceronis* judicio (3. *Offic.*) maximè hominum naturæ est inimica; ideoque facile, cum quid de iis crudelius statuitur, exacerbantur accenduntarque. Hæc, ut jam antea dixi, primæ seditionis primaria fax & origo fuit. Affirmat id *Florus lib. I, 23. 1.* his verbis: *Prima discordia ob impotentiam fœneratorum: quibus in terga quoque serviliter sævientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit.* Et *Livius II, 23. Civitas secum ipsa discors inter Patres plebemque flagrabat odio, maximè propter nexos ob æs alienum. Fremebat se foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus* (Optimates intellige) *captos & oppressos esse, tutioremque in bello, quam in pace, inter hostes, quam inter cives libertatem esse.* Rursus quantopere certabatur, cum crudeli & audaci facinore Genutius tribunus plebis domi

mi suæ à Patribus occideretur, adeò ut plebs nihil sibi aliud agendum ac cogitandum palam profiteretur, quam quomodo crudelitati Patrum esset resistendum? Quæ, cùm Appius milites, quòd odio ducis vinci voluissent, virgis cæsos securi percuteret, inter Patres & plebem contentio extitit? Hâc ipsi, inter alia, propter hoc judicium diem dicente; Illis majestatis suæ vindicem defendentibus. Ad Decemviros eamus (juvat enim eos ut Ambitionis, Superbiæ, & Crudelitatis exemplar proponere) qui, ut ait *Liv. III, 36. in humiliores libidinosè crudeliterq; consulebant, hominum non causarum toti erant, ut apud quos gratia vim æqui haberet, judicia domi conflabant, pronunciabant in foro: si quis collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita discedebat, ut pœniteret non prioris decreto stetisse.* Quarum hinc verò irarum, jurgiorum, contentionum, certaminum, seditionum causæ fuerint, partim jam supra dictum est, partim copiosiùs ex *Livio* peti possunt. Extat, si ultra progrediemur, iterum apud *Eundem VI,* 34. crudelitatis Patrum in plebem, & hinc enati certaminis exemplum: *Quanto magis*, inquit, *prosperis eo anno bellis tranquilla omnia foris erant, tantò in urbe vis Patrum in dies miseriæque plebis crescebant, cum eo ipso, quod necesse erat solvi, facultas solvendi impediretur. Itaq; cùm jam ex re nihil dari posset, fama & corpore judicati atq; addicti creditoribus satisfaciebant, pœnaq; in vicem fidei cesserat.* Et primò quidem leges Patribus adversæ promulgabantur, contra quas renitente admodum Nobilitate, Tribuni magis magisque urgebant inceptum. Rogabant etiam Patres: *An placeret fœnore circumventam Plebem, ni potius, quam sortem creditum solvat, corpus in nervum ac supplicia dare? & gregatim cottidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobiles domos? & ubicunque Patricius habitet, ibi carcerem privatum esse?* Nec finis his contentionibus, priusquam in leges ab Optimatibus concessum fuerat, quæri potuit. Neque verò factis tantùm, sed & verbis plebis animum irritaverant; unde postea discordiarum semina. Nota est Posthumii apud *Liv. IV,* 49. & seqq. malum suis militibus minitantis vox: Quæ, quantum domi certamen, in castra perlata seditionem excitavit! Ipse militum tribunus (fecerat verò omnia acerbis quæstionibus, crudelibusque suppliciis asperiora) lapidibus coopertus est. Sed brevi-

brevitatis habenda nunc est ratio, & à tribus his publicæ Romanorum concordiæ turbamentis, & velut scopulis, quibus Patres illidebantur, ultra progrediendum.

§. 9. Ante omnia vero, si id, quod res est, fateare, *plebem, illiusq; turbulentos Tribunos*, multò plures & graviores lacerandæ dissidiis Reip. ansas præbuisse dices. Taceo nunc Patricios Romanos quia interdum irâ & studio partium flagrabant, hoc ipsum quærentes; Illos potiùs, qui horum causas procul habent, testes adducam. Eminet primùm memorabilis Q. Fratris apud *Cicer. VI. de legib.* ita differentis sententia: *Mihi quidem tribunicia potestas pestifera videtur, quippe quæ in seditione, & ad seditionem nata sit, cujus primum ortum. si recordari volumus, inter arma civium, & occupatis & obsessis Urbis locis procreatam videmus. Patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit. Florus* rotundè sanè III, 13. 1. *Seditionum, omnium causas Tribunicia potestas excitavit; quæ specie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur.* Quid de tribunis prudentissimus *Dio?* οὔτε γὰρ, inquit lib. XL, ἐμετρίαζον, οὐθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐποίουν, ἀλλ' ἐπ' ἀλλήλους παρωρμῶντο, πολλὰ μὲν δαπανώμενοι, πολλὰ δ' ἔτι πλείω μαχόμενοι. *Neque moderati sanique quicquam agebant, sed tumultuabantur invicem turbabantq;, tum largitionibus multa, tum pleraque certaminibus gerentes ac cædibus.* Quid, quem hactenus toties laudavimus, *Livius?* mansuetum malum, & per aliorum quietem malorum exoriens, plebem & plebicolas appellat *III*, 16. Ultimum hoc, sed gravissimi scriptoris, habeto. *Ex tribunicia potestate omnes discordias esse accensas. Sallust. in orat. Philipp. cont. Lepid.*

§. 10. His itaque præmissis disquirendum nobis videtur, quænam igitur ex plebis parte præcipuæ causæ fuerint, tanta certamina procreantes. Quarum tres annotavimus; *Mobilitatem, Lasciviam, Intemperantiam sive Licentiam.* De quibus ordine.

§. 11. Mobili esse ingenio vulgus, quis fere scriptorum est, qui non conqueratur? Sufficiat ex innumeris unus *Corn. Nepotis in Timoth. c. 2. n. 5.* locus. *Populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ.* Præ aliis verò pop. Rom. vitium

tium hoc innatum fuiſſe author eſt *Herodian. Locus* extat *lib. VII,* 7. quem elegantiſſimus Politianus ita reddidit; ubi ſimul in cauſam hujus labis inquirit author. *Nam etſi ubiq; vulgus ſemper ad res novas leviſſimum, tamen Romana plebs imprimis, quæ ex magna variaque, etiam peregrinorum multitudine conſtat, longè cæteris mobilior eſt.* Facile igitur lubricus hic plebis animus ad novandas res impelli potuit, præſertim cum nunquam authores & Duces defuerint, qui omnem ferè ſuam operam in id impenderunt, ut ſeditioſis ſuis concionibus nunc detinerent plebem, nunc concitarent. Quoties enim legimus Tribunos iſtos comitia turbaſſe, pro Tribunis militum applaudente populo Coſs. poſtulaſſe: rurſum nunc hoc, nunc illud, prout inconſtans quædam animum cupido inceſſerat, à Patrib. maximo certamine efflagitaſſe. Ita ut optimo jure Quintius Cos. in plebis mobilitatem invectus eſſe videatur. *Proh Deorum fidem! quid vobis vultis? Tribunos plebis concupiſtis; concordiæ cauſa conceſſimus. Decemviros deſideraſtis: creari paſſi ſumus. Decemvirorum vos pertæſum eſt, coëgimus abire magiſtratu. manente in eoſdem privatos ira veſtrâ, mori atque exulare, nobiliſſimos Viros honoratiſſimoſq; paſſi ſumus: Tribunos plebis iterum creare voluiſtis, creaſtis. Cos. facere veſtrarum partium, etſi Patribus videbamus iniquum, Patricium quoque magiſtratum plebis donum fieri vidimus. Auxilium tribunitium, provocationem ad populum, ſcita plebis injuncta Patribus: ſub titulo æquandarum legum noſtra jura oppreſſa tulimus & ferimus. Quis finis erit diſcordiarum, ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc eſſe patriam licebit? Liv. III, 57.* Hæc ſanè pleraque à flexibili multitudinis animo promanabant, quo à ſe, utut libuit, formato turbarum ſigniferi Tribuni modo ad reſiſtendum, modo ad oppugnandum Patres utebantur: Cui malo non niſi contentionibus, remedio in præſenti aſpero quidem, ſed ſalutari tamen, ſubveniri potuit. Quid? quod niſi tantopere in coërcendis vagis populi animis laboraſſent patres, quis crederet, unquam Reipublicæ Romanæ gratum & exoptabile concordiæ lumen effulgere potuiſſe?

§. 12. Negotium populo Romano melius, quam otium committi ſapienter dixit Appius Claudius. Negotium namq; (ut explicat *Valerius Max. lib. VII, c. 2.*) *nomine horridum, civitatis*

noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitiis reſperſit. Nec eleganter minus, quam verè *Salluſt. Cat.* 10. *Qui labores, pericula, dubias atq; aſperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miſeriæque fuere. Quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas?* inquit *Florus III*, 12. Scilicet otium & cæterarum rerum abundantia, laſcivos reddebat plebis animos; unde & certamina magno ſtudio quæſivere. Inſigne hujus rei exemplum *Liv. II, c.* 52. ſuppeditat; Ubi cum urbem hoſte & fame afflictam, imminentibus poſtea malis defunctam, omnibuſque proſperis rebus affluentem narraſſet; hæc verba ſubnectit: *Ex copia otioq; laſcivire rurſus animi: & priſtina mala poſtquam foris deerant, domi quærere, tribuni plebem agitare ſuo veneno, agraria lege; in reſiſtentes incitare Patres, nec in univerſos modo, ſed in ſingulos.* Certe, quam plurimos urbanos motus laſcivas ex ſecundis rebus vulgi tribunorumque conciones excitaſſe ſatis conſtat: Nonne Canuleij in curia proloquentis, ſe, niſi ſuas leges tanquam victoris Patres accipi ſinant, delectum impediturum, oratio ex hoc fonte promanavit? itemque C. Terentilli Arſæ Tribuni, per aliquot dies ſuperbiam Patrum ad plebem criminantis: Quam effrenem petulantiam non niſi contentionibus reprimere & retundere Optimates potuerunt. Hinc etiam videmus rectiſſimè monuiſſe Appium Claudium; non ſtatim pronis auribus eſſe accipienda, de quibus in ſeditionibus populus conqueratur: *Non enim miſeriis,* inquit apud *Liv. lib. II,* 29. *ſed licentia tantum conciri turbarum, & laſcivire magis plebem, quam ſævire.* Neque verò Romanis tantùm otium laſciviam, laſcivia certamina peperit: Aliis etiam gentibus hæc exitio fuerunt. Reſpiciamus ex. gr. Heraclienſium Remp. apud *Juſtin. XVI*, 4. Maximè verò bellicoſis: Unde Alcibiades Athenienſibus ſuis bellum Sicilienſe ſuadens, ita orationem ſuam concludit apud *Thucyd. lib. VI.* locum adſcribam ex interpretatione illuſtris Enenckelii. *Univerſè autem ego ita cenſeo, civitatem negotiis aſſuetam, ſi in otium convertatur, quam proximam exitio fieri: eoſq; homines quam tutiſſimè degere, qui præſentibus inſtitutis legibusque, licet fortè pejoribus, Rempublicam ſine certaminibus adminiſtrent.*

§. 13. Supereſt, ut de *Intemperantia ſive licentia* plebis aliquid

liquid proferamus: negari enim non poteſt ab hac vel plurimas in foro Romano diſceptationes originem ſuam traxiſſe. Quirites enim exutis regno tyrannis nihil magis, quam libertatem ſibi tuendam eſſe exiſtimabant; vulgus eam licentiâ metiebatur: Itaque Imperatores ſuos lapidibus obruere, hoſtem vincere nolle, imò vinci velle, Cos. faſces frangere, clariſſimos Principes voluntati ſuæ adverſantes exilio mulctare, & quæ his ſunt affinia, ſtolida plebs libertatem putabat; quæ ſapientes licentiæ notâ infamant. Porrò, ſi quid ab Senatu Tribuni petierant, ſpecie juris adæquandæ libertatis cum Patribus, illisque rogatio minus ex animi ſententia proceſſiſſet; circumſtare quotidie forum multitudo licentiâ accenſa, Coſs. imperia detrectare, fremere, Patrum ſuperbiam falsò criminari, nec prius clamoribus & contentionibus deſiſtere, quam ſe non ſine fructu ad certamina ruiſſe cerneret. Neque verò, etiam ſi rogationes ſuas acceptas eſſe vidiſſet, præſentibus contenta fuit: mox namque, ubi occaſionem majora poſtulandi oblatam ſibi cognoverat, eâdem intemperantiâ utebatur. Non eſt. ut longè quæſita exempla protraham, illuſtria tam de intemperanter dictis, quam factis in promtu ſunt, & videri poſſunt quaſi in compendio, quæ *Florus I,22.* tradit. Apud noſtrum, *II,24.* quæ plebis licentia? Premebantur ab hoſte Romani, tum alius alium confirmare ne nomina darent, cum omnibus potius, quam ſolos morituros: Patres militarent, Patres arma caperent, ut penes eoſdem pericula belli, penes quos præmia eſſent. Inflammatis his vocibus ſingulis, contentiones inter Patres & plebem quotidie magis creſcere, & more ignis latius vagari, donec ſciſsâ tandem Rep. plebs in Sacrum montem ſeceſſit, quæ non niſi facundâ Menenij Agrippæ oratione ſedata reduci potuit, Ut alia nunc taceam, quæ Tribunorum, cum abrogato Decemviris magiſtratu plebejis reſpirandi facultas daretur, intemperantia fuit? quam crudeliter in eos animadverterunt? Modò exilii causâ ſolum vertere juſſerunt, modò bona illorum publicaverunt, modò in vincula deduxerunt; quid? ita ſe geſſerunt, ut Patrum nonnulli ſibi ipſis (metu credo, ne familiæ ſuæ macula inureretur) ante dictam à Tribunis diem

mortem consciverint. *Ingens inde*, inquit historicus III,59. *metus incesserat Patres, vultusque jam iidem Tribunorum erant, qui Decemvirorum fuerant, quum M. Duellius Tribunus plebis inhibito salubriter modo nimiæ potestatis: Et libertatis, inquit, & pœnarum ex inimicis satis est: itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quemquam sum passurus. Nam neque vetera peccata repeti jam obliterata placet, quum nova expiata sint decemvirorum suppliciis: & nihil admissum iri, quod vim tribuniciam desideret, spondet perpetua Coss. amborum in libertate vestrâ tuendâ cura.* Sanè nemo obviam iturus tantæ licentiæ videbatur, nisi prius satietas pœnarum Tribunos cepisset. Perspicimus itaque hîc, verissimè *Bodinum in methodo historica* plebem χαρακτηρίζειν; ubi eâ nihil stultius, nihil intemperantius, & cum in bonos exarserit, nihil furiosius esse asseverat. Fateor quidem, facinorosa multa perpetrasse Decemviros, sed quæ moderatiorem tamen Tribunorum pœnam requirerent. Grande exemplum, quod indicavimus. Ecce rursum, *lib. IV. ab init.* nostri scriptoris, insigniter ebullientem Tribunorum, duas unâ vice adversas Patribus leges promulgare conantium, intemperantiam? Quibus cum Patres pro viribus resisterent, atque tum forte ob appropinquantem Urbi hostem ad nomina danda populum hortarentur, prodire ausus est Canulejus, vociferans; *Nunquam eos se vivo delectum habituros, antequam ea, quæ promulgata ab se collegisque essent, plebs scivisset:* Cui verissimè responderunt Coss. *Certum habere, majores quoque, si divinassent, concedendo omnia non mitiorem in se plebem, sed asperiorem alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram: primo quamlibet dimicationem subituros fuisse potius, quam eas leges sibi imponi paterentur. quia tum concessum sit de Tribunis, iterum concessum esse. Finem non fieri posse. in eâdem civitate Tribunos plebis & Patres esse: aut hunc ordinem, aut illum magistratum tollendum esse, potiusque sero, quam nunquam obviam eundum audaciæ temeritatique: illine ut impune primo discordias serentes concitent finitima bella, deinde adversus ea quæ concitaverint, armari civitatem, defendique prohibeant? & cum hostes tantum non accerserint, exercitus conscribi adversus hostes non patiantur?* Sed quid hîc miror plebem, cum tamen adversus ipsos Tribunos eadem intemperantiâ & licentiâ grassati fuerint: A. Virginio & Q. Pom-

Pomponio diem dicebant, denisque millibus æris gravis condemnabant, quia gratificantes Patribus, rogationibus tribunitiis intercessissent. Quod ægre ferens inclutus ille Heros M. Furius Camillus palam sceleris plebem arguebat; quæ jam in suos versa non intelligeret se pravo judicio de Tribunis intercessionem sustulisse: intercessione sublatâ tribunitiam potestatem evertisse. Nam quod illi sperarent, effrenatam licentiã ejus magistratus Patres laturos, falli eos; si tribunicia vis tribunicio auxilio repelli nequeat, aliud telum Patres inventuros esse. Omnia verò hujus popularis licentiæ exempla recensere nimis longum foret. Interim verissimum maneat: Vix ullam in foro Romano inter Patres & plebem extitisse contentionem, cui non hæc immixta, sive potius præcipua causa fuerit.

§. 14. Hæc igitur sunt præcipua civilium certaminum validissimas Romanorum opes concutientium semina. Ubi tamen observandum, *unius discordiæ diversas interdum fuisse causas.* Ita e. g. quis negabit, primam concitationem præcipuè ab crudelitate Patrum, plebem ob æs alienum in vincula ducentium, descendisse? Nihilominus tamen concurrebant & alia, utpote ex parte plebis licentia & lascivia, quæ inflammatos jam animos magis instigarunt. Difficile itaque fuerit, hujus aut illius certaminis ubique propriam aut unicam proferre causam.

§. 15. Sed antequam scriptioni nostræ finem imponamus, lubet præcipuos quosdam oligarchicos spiritus, nobilesque factiosos, ut & tribunicios sive democraticos concitatores in transitu attingere, ut appareat, quibus Roma infelix civium suorum erga se invicem dissidia debeat.

§. 16. Jam quidem palam est, superbam illam & crudelem *Appiorum progeniem* ex nobilibus agmen duxisse. *Notissimum* enim *est* (utar verbis Suetonii Tib. 2.) *Claudios* (sive Appios) *omnes, duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum urbe Ciceronem plebejo homini, atque etiam natu minori in adoptionem se dedit, Optimates, assertoresque unicos dignitatis ac potentiæ Patriciorum semper fuisse, atque adversus plebem adeo violentos ac contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus ad populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit:*

nuerit: nonnulli in altercatione & jurgio tribunos pulsaverint. Possemus per seriem ostendere, quinam ex hac familia Viri oligarchico fastu civitatis concordiam turbaverint, si concisæ scripturæ modus pateretur. Conatur quidem Appius Claudius Crassus crimen, suæ familiæ semper intentatum, honestâ specie prætexere in illa concione apud *Liv. VI*, 40. qua duo semper crimina familiæ suæ objecta esse dicit: *Claudia genti jam inde ab initio nil antiquius in Rep. patrum majestate fuisse, semper plebis commodis adversatos esse.* quorum prius neque negare se, neque inficias ire fatetur; posterius magno studio retundere satagit. Sed quæso, Appi, quomodo hæc cum figuratis facundiæ tuæ schematibus congruunt, quæ Sempronius apud *Liv. IX*, 34. de gente tua Quiritibus prodit, occasione desumta, quod Appius Claudius Censor malè dissimulato oligarchico suo studio, circumactis decem & octo mensibus, quod Æmilia lege finitum censuræ spatium temporis erat, nulla vi compelli, ut abdicaret se magistratu, potuit. Ubi ita inquit: *Hac est ea familia, Quirites, cujus vi atque injuriis compulsi extorres patria Sacrum montem cepistis; hac, adversus quam tribunicium auxilium comparastis: hac, propter quam duo exercitus Aventinum insedistis: hac, qua fœnebres leges; hac qua agrarias semper impugnavit: hac connubia Patrum & plebis interrupit: hac plebi ad curules magistratus iter obsepsit: hoc est nomen multò, quam Tarquiniorum infestius vestræ libertati.* Dices fortasse, eum odio gentis, quæ flagellum quoddam lasciviențis plebis, & obex popularis licentiæ fuerit, ita in eam debacchatum esse. Esto, affectibus suis longius abreptum hæc dixisse. Sed idem ille *Livius*, cui vos nec beneficio, nec injuria cogniti estis II, 56. familiam vestram jam tum *superbissimam* & *crudelissimam* à libertatis amatoribus & vindicibus creditam esse contendit. Quid? nonne insequentibus quoque temporibus in Tiberio ab Augusto in dominationis successionem adoptato, *veterem & insitam Claudiæ familiæ superbiam,* à qua paterno & materno sanguine demissus erat, Romani formidabant? *Tacit. I. Annal. c. 4.*

§. 17. Iret nunc in theatrum M. Coriolanus hostis tribuniciæ potestatis; tunc Cæso Quintius, quo duce sæpe pulsi foro tribuni, fugataq; plebs est. Nec Posthumius Regillensis, & quem

quem ipſum nomen accuſat, L. Manlius Imperioſus, aliaque libertati plebejæ gravia nomina taceri deberent. Ab his poſtea eundum eſſet ad tribunicios ſpiritus; in quorum catalogo Sicinii, Genutii, Volerones, Terentilli, Virginii, Icilii, Licinii, Duellii, Canuleji, Metilii, cæterique, immodico libertatis ſtudio ad ſeditionem uſque turbulenti homines, deſcribendi eſſent.

§. 18. Verum, quia id temporis injuriâ, ut ab initio monui, fieri non poteſt, hic ſubſiſto. Tuum erit, benevole Lector, ut quicquid hic congeſtum vides, eâ, quâ par eſt, humanitate ſuſcipias. Annitar, ſi DEUS vitam & otium conceſſerit, ut inſtructius hæc expoliantur. Tu interim, ô æterne Deus, conatibus noſtris annue.



XIX.
SCIPIO POLYBII
EX
FRAGMENTO PEIRESCIANO.

Præfatio.

Cum in familiari colloquio ex Viro ampliſſimo, Dn. JOHAN. HENRICO BOECLERO, *in illuſtri Argentorato Profeſſore publico celebratiſſimo, h. t. Rectore Magnifico, magno Patrono, Fautore ac Præceptore meo ſumme venerando*, ſæpe intellexiſſem, quanta eſſet Polybii Hiſtorici præſtantia & gravitas, non potui non incendi cupiditate noſcendi, quæ extarent de tanti operis reliquiis. Et oſtendit mihi ille quidem liberali manu, non tantum magno Caſaubono edita; ſed etiam Peireſciano auſpicio, operâ doctiſſimi Henrici Valeſii publi-

publicata fragmenta; in quibus me rapuit inprimis Scipionis hoc elogium, quod nunc profertur: Latine quidem magna ex parte ab illo ipso, quem nominavi Præceptorem, conversum: postquam is, occasione versionis Valesianæ de variis interpretandi rationibus, sermonem & exemplum orsus est; à me autem quibusdam annotationibus ad hunc Academicum differendi morem accommodatum. Si quid erudito Lectori in his probabitur, Præceptori meo deberi volo. si quid nec erudite, nec accurate positum deprehendetur, meæ ætati ut condonetur, quanta possum ope rogo. Græca quo minus adscriberem, summa compendii & festinationis ratio imperavit.

SCIPIO POLYBII

ex Libr. 31. *nov. vers.*

CUm verò ipsa narrationis series & tempora mē constituerint apud hanc familiam (*Æmilios intelligit*) promissa superiore libro, in gratiam eorum qui aliquam cupiditatem habent cognoscendæ historiæ, nunc implere constitui. Ostensurum enim me receperam, unde & quo modo in tantum profecerit, ac expectatione celerius Romæ cœperit exsplendescere Scipionis gloria: tum etiam qua ratione Polybius in consuetudinem amicitiæ ejus tam familiariter se insinuaverit, ut non Italiam modo Græciamque fama eorum pervagaretur, sed longinquas apud gentes quoque summa animorum studiorumque conjunctio celebraretur. Et quemadmodum quidem principio alter alteri conciliari cœperit atque commendari, ex commodato librorum usu, secutaque de illis collocutione, ante demonstravimus. Procedente autem consuetudine, cum, qui evocati Romam erant Achæi, per oppida Italiæ distribuerentur, Fabius & Scipio, Lucii filii, Prætorem adeuntes, ut Scipio Romæ maneret, perfecerunt. Quo facto, aucta in majus familiari consuetudine, forte fortuna evenit,

venit, quod dicam. Progressi enim una omnes quondam domo Fabii, hic quidem ad forum, in alteram autem partem cum Scipione Polybius, deflexerunt. Inter ambulandum Publius voce ad placidam lenitatem composita, quid verò ita, Polybi, inquit, duo cibum una capimus fratres, tu vero continenter disseris, omnesque interrogationes & responsiones ad illum vertis, me autem præteris? nisi quod satis hinc apparet, eandem te de me sententiam fovere, in qua & alios esse cives intelligo. Lenem enim me lentumque, ut audio, pleriq; existimant, multumque à Romanis studiis diversum: eo quod foro operam dare non soleam. cum familiam, unde ortus sum, tali patrono minime, longe autem alio indigere viro dicant. Quæ res non minimum mihi dolorem affert. Polybius miratus adolescentem, in hanc orationem ingressum (neque enim plus annis octodecim habebat) ne per Deos, inquit, Scipio, ista vel fare, vel in animum omnino admitte. Neque enim vel contemptu vel neglectu tui ego ista facio (multum id quidem abest) sed, quia major natu est frater, ideo & ab illo ordior, & ad illum finio, quæ in argumentum sermonis atque consultationis veniunt: illum denique specto, quod eadem te sentire cum illo existimem. In eo autem admiratione dignissimus mihi videris, quod probro ducis, illis, qui ex hac familia originem ducunt, justo remissiorem haberi. Magnæ enim indolis specimen hinc licet capere. Et ego sane lubens me tibi dediderim, atque ad dicenda faciendaque, quæ majoribus tuis digna sunt, adjutor extiterim. Nam quod ad studia attinet, in quibus magnam vos animi contentionem video adhibere, non deerunt, qui & tibi & fratri promte navabunt operam. Hujus enim generis magnam animadverto ex Græcia huc confluere copiam. In iis vero, quæ te nunc solicitum habent, & de quibus sermonem orsus es, nemo quisquam, me aptius, puto, studia & labores suos tecum sociaverit. Loquentis adhuc Polybii dextram avide amplexus Scipio, utraq; manu prendit, ac, videam vero, inquit, illum diem, cum relictis rebus omnibus, me curare, & contubernio æstimare in animum induces! Eo certe principio statim & familia me & majoribus meis dignum arbitrabor. At Polybius, sicut perspecto adolescentis studio

& ardore lætabatur, ita cum familiæ excellentiam & opulentiam virorum reputaret, diverſe animo afficiebatur. Ceterum, poſtquam ita inter eos conveniſſet, nunquam à latere Polybii diſceſſit adoleſcens, cunctaque ejus conſuetudine leviora habuit. Atque ex eo tempore, cum inter ipſa negotia continenter documenta ſui alter alteri dediſſent, accepiſſentque, ad paternam plane neceſſitudinem & unicum cognationis affectum coaluerunt. Primum ex honeſto certamen, temperantiæ gloriam concupivit; ſi hac laude omnes poſt ſe æquales relinqueret. Ingens & arduum id decus, neque non inſidiis hoc temporis expoſitum, inter corruptos ac in deteriora lapſos plerorumque mores: dum alii in puerorum, alii in fœminarum amores effuſi, quidam acroamatis & compotationibus dediti, Græcorum in hoc genere ſtudia à bello Perſico ſtrenue æmulabantur. Ea certe in id genus rebus juventutis luxuria inceſſerat, ut non paucis adoleſcentulum, quem amaſſent, talento emtum conſtet. Inprimis autem per hæc tempora vulgo hæc ſtudia conſpiciebantur: cum, quod everſo Macedonum Imperio, haud dubie ſumma rerum penes Romanos eſſe videretur; tum quod opibus copiiſque variis ex Macedonia Romam translatis, apud privatos pariter & publicè felicitas ſeculi præfulgeret. At Scipio diverſam vitæ rationem ſecutus, cum omnibus cupiditatibus reſiſteret, æqualiterque & conſtanter mores ſuos per omnia regeret, annis prioribus circiter quinque modeſtiæ ac temperantiæ laudem apud omnes inſignem ſibi comparavit. Poſt quæ, nullo interjecto ſpatio, quanta in pecuniis tractandis animi magnitudine & integritate alios præcelleret, oſtendere concupivit. Qam ad rem tum genitoris diſciplina convictuque pulchre incitabatur; tum præclaros à natura ad honeſtum impetus acceperat. Sed nec pauca evenerunt, quæ ad tale ſtudium ultro ei adjumento eſſent. Hæres enim mox magnarum opum relictus à Patris adoptivi matre, eademque patris naturalis Lucii ſorore, uxore autem Avi per adoptionem, Scipionis cognomento Magni, quæ diem ſuum obierat, primum hoc ſui animi experimentum dare conſtituit. Conſueverat autem Æmilia (id enim nomen mulieri erat) amplo paratu in ſolennibus matronarum pompis

pis uti, quippe quæ cum Scipione tum maximè florente ætatem egisset. Præterquam enim quod eximiè culta, pilento ornato procedebat, canistra etiam & pocula cum cetero sacrificali apparatu, ex argento, est cum ex auro, in celebriores conventus eam sequebantur. nec disconveniebat ancillarum servorumque numerosior comitatus. Quo ille cultu universo, statim à funere Æmiliæ, matrem donavit. Ea jam pridem divortio digressa à Lucio, vitam parum pro splendore generis tolerans, cum hactenus egressus solenniores vitasset, forte tum sacrificio publico & celebri, cum Æmiliæ instrumento, mulionibus, bigis, carpento processit. Attonitæ ergo tali spectaculo matronæ, Scipionis bonitatem, animique magnitudinem laudibus ferebant, manibusque in cœlum sublatis bene ei precabantur. Præclarum hoc, nec immerito, ubivis sane videatur: nisi quod Romæ eo admirabilius apparet, quo minus quisquam cuiquam de suis aliquid sponte donat. Ab hoc famæ, quæ ex virtute consurgit, primordio, ad multum gloriæ processit: fœminis præsertim loquacius & effusius sua studia promentibus. Subinde Scipionis Magni filiabus, patris adoptivi sororibus, dimidium dotis debebat exsolvere. Pater enim, filiarum utrique XL. talenta destinaverat: cujus summæ partem dimidiam maritis earum mater statim numeravit, alteram partem moriens in ære alieno reliquit; quod à Scipione Patris sororibus persolvendum erat. Cum autem jure Romano debitas mulieribus dotis nomine pecunias annua, bima, trima die pernumerari oporteret (nam supellectilem & instrumentum domesticum decimum intra mensem præstari mos est) Scipio statim mensario præcepit, ut sororum utrique XXV. talenta mensibus decem proximis repræsentarentur. Accedentibus ergo Tiberio Graccho, & Scipione Nasica, maritis fœminarum, quas dixi, ad mensarium, &, si quid Scipio de pecuniis mandasset, interrogantibus, ille, ut acciperent, monuit, atque utrique viginti & quinque talenta de scriptura adnumeravit. Illi errare eum autumantes, non totam sibi pecuniæ summam in præsens deberi per leges, sed tertiam tantummodo partem, ajebant. Cum iterum asseveraret mensarius, non aliter sibi à Scipione mandatum, vix fidem adhiben-

tes juvenem ipſum adire inſtituerunt, cujus de errore jam ſuſpicabantur, nec injuria. Neque enim Romæ quiſquam, non dicam L. talenta, niſi intra triennium, ſed ne unum quidem talentum ante præſtitutam diem numeraverit. Tantum unuſquiſque diligentiæ, in ſummis; lucri, in tempore ponit. Cum veniſſent ad Scipionem, & ſuper mandatis menſario datis requiſiviſſent, iſque de omni pecunia ſororibus numeranda ſe præcepiſſe oſtenderet, falli eum de argento dixerunt, cujus curatio & uſus multo adhuc tempore ipſi ſecundum leges relinqueretur. Scipio, nihil ſibi horum ignotum præfatus, cum alienis quidem ex forma legum, cum propinquis autem & amicis, quanta fieri poteſt, ſimplicitate & gravitate agendũ reſpondit: atq; univerſam à menſario pecuniæ ſummam eos accipere juſſit. Quibus illi auditis, magnitudinem animi in Scipione admirati, ſuam autem minutam induſtriam, quanquam nemini de cetero Romanorum concederent, contemnentes, taciti domum regreſſi ſunt. Mortuus poſt biennium pater naturalis Lucius, ipſum cum fratre Fabio reliquerat bonorum heredes. nam filiorum ceteros partim in adoptionem dederat aliis, partim quos domi in ſpem generis alebat, fato amiſerat: neque adeo præter duos, quos dixi, quibus ſua relinqueret, habebat. Scipio autem, perſpiciens fratrem Fabium re familiari minus lauta eſſe, tota hæreditate, cujus ſumma ſexaginta amplius talentorum erat, ceſſit, ut vel hac demum ratione ſibi eum adæquaret. Cum hoc factum laudibus omnes ferrent, ipſe luculentius etiam aliud ſui animi ſpecimen edere cœpit. Volebat frater gladiatores in honorem patris præbere, ſed magnitudini impenſarum ſuccumbebat. Scipio itaque dimidiam partem de ſuo contulit: cum ad XXX. talentorum ſummam, ſi quis ſplendidius facere ſpectacula velit, ea res aſcendat. Hujus quoque facti famâ latè proditâ, cum mater deceſſiſſet, tantum abeſt, ut recipere, quæ tam liberali manu in eam, ſicut ante demonſtratum eſt, contulerat, in animum induceret; ut ſororibus ſuis & illa, & omnem reliquam matris ſubſtantiam, unde lex nihil ſane illis addicebat, tribueret. Translato igitur denuo ad ſorores Æmiliæ inſtrumento apparatuque, pompis ſolennibus deſtinato, renovari cœpit iterum gloria

gloria magni & suorum studiosi animi in Scipione. Atque his quidem ab ineunte ætate studiis Scipio ad modestiæ & virtutis laudem contendit. cujus rei causa sexaginta circiter talentis insumtis, neque enim minus de suo est largitus, haud dubiam consecutus est bonitatis & elegantiæ famam. id quod non tam magnitudine pecuniarum, quam opportune largiendo. & gratiam dextrè collocando confecit. Temperantiæ autem fructu potitus est, nullo quidem sumtu facto, sed dum multis se variisque voluptatibus abstinuit. unde & hoc ei lucri accessit, ut corpore sano & habitiore uteretur per omnem vitam, largaque adeo solidarum voluptatum præmia, quod præmaturis abstinuisset, perciperet. Supererat vel præcipua, tum in omni Republica, tum inprimis Romæ, fortitudinis laus: ad quam comparandam multâ prorsus industriâ & exercitatione opus esse judicavit. Huic igitur studio ejus, eximium quoddam adjumentum fortuna subministravit. Erat inter Macedonicorum Regum instituta, fortiter venari, locisque per Macedoniam opportunis cogi solebant feræ. Quæ loca & alias, & toto belli tempore diligenter ac intacta asservabantur; omnique adeo ferarum genere plena erant. Confecto autem bello, cum Lucius reputaret, præclaram esse, & juvenili oblectationi convenientem venandi exercitationem, venatores Regios Scipioni totamque negotii venatorii potestatem tradidit. Qua ille accepta, regnum sibi videbatur consecutus: totumque illud tempus, quo exercitus post victoriam in Macedonia substitit, huic studio impendebat. Cum enim hujus rei maxima ei facultas suppeteret, vigorque ætatis, & naturæ propensio accederet, instar generosi canis, constanti ardore venationibus inhiabat. Quare & Romam pervectus, ascito hujus studii æmulo ac socio Polybio, quantum reliqui juvenes judiciis & salutationibus dabant, assidue forum terentes, favoremque multitudinis hoc pacto aucupantes; tantum Scipio venationi intentus, cum semper aliquid splendidum ac memoratu dignum factitaret, alios gloria longe anteivit. Illi enim laudem consequi, nisi civium aliquem læderent, non poterant. cum aliter mos judiciorum non soleat ferre. Hic vero, nemine prorsus offenso, fortitudinis gloria apud omnes ce-

lebratus, famam superare factis certabat. Igitur brevi tempore tantum æquales anteivit, quantum Romanorum nemo, quod memoria proditum sit: quamvis viam insisteret ad gloriam, plane ab aliorum proposito omnium diversam, si mores ac instituta Romanorum spectemus. Verbosius autem hactenus, quæ ad studia Scipio ab ineunte ætate animum adjunxerit, executus sum, quod & senioribus voluptati, & junioribus usui futuram crederem hanc commemorationem. Inprimis consilium mihi fuit, fidem iis, quæ insequentibus libris de Scipione dicentur, præstruere; ne dubitandi causa superesit cognituris deinde res ejus, propter admirabiles eventus; neve fortunæ tribuendi, quæ ratione & consilio gesta sunt, ob ignorantiam caussarum, quibus singula acciderunt. nisi quod oppido pauca ad fortunam & casum referre fas est. Atque istis quidem, per modum digressionis ab re proposita, commemoratis, nunc ad ordinem suscepti operis revertor.

ANNOTATA.

Scipio Polybii *inscribitur hoc elogium. Polybius enim stilo signandam sibi paulo diligentius Scipionis consuetudinem judicavit: cujus non minima laus ad ipsum rediret, exemplo in omne ævum nobili convictionis ac disciplinæ, qua indoles excellens adolescentis ex viri præclari sermonibus, moribus, contubernio, ad omnis sapientiæ & virtutis gloriam latissimo profectu exuberavit. Ut hoc quoque delicato sensu,* Scipio Polybii, *&* Polybius Scipionis, *laudari mereatur. Velleji* (lib. 1. c. 13.) *locus notus est*: Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit: semperque aut belli aut pacis serviit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit. *Quam dissimiles sunt, ac degeneres ab indole & proposito Scipionis, qui nobilitatem generis, ignorantia & contemtu omnis doctrinæ metiuntur: literisque in ipso regno suo convitium more barbaro faciunt! Quid aliud Scipio redivivus, quam pro eximia eruditione sua, inter otii meditamenta,*

menta, novam sed veram fabulam, titulo ab Euripide jam celebrato scriberet?

Qui evocati Romam erant Achæi) *Mille erant amplius Achæi, qui victo Perseo Romam evocati sunt anno Olympiadis* CLIII. *primo vel secundo. V. C.* 586. *vel* 587. *ad dicendam caussam, quod Romanis parum favissent in bello. Erat caussa eorum miserabilis; nullo enim Romanorum odio, sed amore patriæ id consilij ceperant, sicut potes intelligere ex* Eclog. Polyb. 71. *cumque totiens legationibus missis peteretur, ut causa eorum cognosceretur, neque iniquum peti Senatus Romanus videret, factum tamen est ut vel aliis consiliis res impediretur* (vid. Eclog. Polyb. 105. 122.) *vel astu parum laudabili subverteretur vel pertinacia traheretur.* Eclog. Polyb. 137. *In his eximia sors fuit Polybij nostri, quod ceteris per Italiam distributis, ipse Romæ remansit, quod* hoc loco *narrat: & domi præ ceteris desideratus est. quod* Eclog. 122. *memorat: & post 17. custodiæ talis annum, iis quos fatum non absumserat (trecenti circiter superfuerunt) reditum ea qua valebat apud Romanos gratia impetravit. vid.* Plutarch. *in Cat.* & Pausan. Achaic. *Ipse autem Romæ mansit, & in 26. annum post dimissas Achæorum reliquias supervixit. Ceterum in hac re artes minime Romanas agnoscere licet.*

Eo quod operam foro dare non soleam.) *Inter studia Nobilitatis Romanæ id erat. Describit graviter* Fab. Quintil. de caussis corrupt. eloq. cap. 34. *Modus tamen laudari meretur. de quo Suetonius in Tito (cap. 4.)* Foro operam dedit honestam magis quam assiduam. *Inprimis in accusando: ubi* Cicero *audiendus* 2. de offic. 14. *Atq; de hoc genere potissimum exaudienda videntur verba Polybij:* ὅτι κρίσεις οὐχ αἱρῶμαι λέγειν.

Lenem enim me lentumque, ut audio, plerique existimant) *Διάληψιν hanc, sive opinionem aut judicium vulgi,* Diodorus *quoque* Siculus in Excerptis Peirescianis, *verbis* Polybium, *ut sæpe, imitantibus refert:* καίτοι γ᾽ ἐν ἀρχαῖς πρὸ τῆς φιλοσοφίας ἅψασθαι, ἔσχε παρὰ τοῖς πολλοῖς ὡς νωθρὸς ὢν τὴν ψυχὴν, καὶ τοῦ βάρους τῆς οἰκίας οὐκ ἀξιόχρεως διάδοχος, καὶ προστάτης. Quanquam ab initio antequam Philosophiam attigisset, segniore plerisque ingenio esse videbatur, nec idoneus, qui tantæ dignitatem familiæ, successione ad se delatam, sustineret atque tueretur. *Adde* Suidam, voce *διάληψις: quam* Polybio *familiarem agnoscit demonstratque.*

Nam

Nam quod ad studia attinet -- non deerunt, qui & tibi & fratri navabunt operam.) *Videtur hic in alios transferre* Polybius *curam docendi Scipionis. At* Diodorus in Excerptis, *Polybium et in Philosophia Præceptorem dat:* ἔδωκεν ἑαυτὸν πρὸς τὰς ἐν φιλοσοφίᾳ λόγους, λαβὼν ἐπιστάτην πολύβιον τὸν Μεγαλοπολίτην τὸν τὰς ἱστορίας συντεταγμένον. *Et* Suidas καθηγησάμενον Σκιπίωνος Ἀφρικανοῦ *vocat. Scilicet, quæ ad literas pertinerent, & variam eruditionem, aliis Magistris delegavit Polybius: at prudentiam, artesque belli & pacis ipse sibi tractandas sumsit. In has enim toto animo conversus, usuque multiplici eruditus, nunquam ad aliena aut minora obhæsit. sicut tam efficacis doctrinæ specimen, scripta ejus passim demonstrant. Imo hæc ipsa* Polybii *narratio, non aliud sinit nos suspicari, cum se & Scipionem* ἐπ' ἀυτῶν τῶν πραγμάτων πεῖραν ἀυτῶν διδόντας ἀλλήλοις *prædicat, ne quis, cum* Sebastiano Maccio, *vilitatem nescio cujus pædagogi somniare instituat. Annum ætatis* 18. *agebat tum Scipio, literis jam probe eruditus, cum Philosophis se Græcis daret, & Polybium ad rerum publice privatimque præclare gerendarum disciplinam expeteret.*

Inter corruptos ac in deteriora lapsos plerorumque mores (*Locus eximius de luxu Romano, & educationis vitiis. Diligenter autem describit* Polybium, Diodorus. *Polybius, quam difficile fuerit hoc tempore continentiæ laudem adipisci, ostendit,* διὰ τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον ὁρμὴν τῶν πλείστων. οἱ μὲν γὰρ εἰς ἐρωμένους τῶν νέων, οἱ δ' εἰς ἑταίρας ἐξεκέχυντο· πολλοὶ δὲ εἰς ἀκροάματα καὶ πότους, καὶ τὴν ἐν τούτοις πολυτέλειαν, ταχέως ἡρπακότες ἐν τῷ περσικῷ πολέμῳ τὴν τῶν ἑλλήνων εἰς τοῦτο τὸ μέρος εὐχέρειαν. Diodorus *ita exequitur:* πολλὴ γάρ τις ὁρμὴ πρὸς τὰς ἀναιδεῖς ἡδονὰς. καὶ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀκολασίας τοῖς τότε νέοις ἐνεπεπτώκει. οἱ μὲν γὰρ εἰς ἐρωμένους, οἱ δὲ εἰς ἑταίρας, οἱ δὲ εἰς ἀκροάματα παντοδαπὰ, καὶ πότους καὶ καθόλου τὴν ἐπὶ τούτοις πολυτέλειαν ἐξεκέχυντο. ἐν γὰρ τῷ περσικῷ πολέμῳ χρόνον πλείονα διατρίψαντες, ταχέως ἐζήλωσαν τῶν ἑλλήνων τὴν περὶ τοῦτο τὸ μέρος εὐχέρειαν, ἄλλως τε καὶ χρημάτων εὐπορηκότες, καὶ χορηγεῖν ἀξιόχρεων τὸν πλοῦτον ἔχοντες ταῖς πρὸς τὰς ἡδονὰς δαπάναις. *Quæ posteriora etiam ex Polybio sumta sunt. Et quantum ad intemperantiam juvenum, quæ inciderat eorum animis, exemplum in* Polybio *præcesserat:* καὶ τηλικαύτη τις ἐνεπεπτώκει περὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἔργων ἀκρασία τοῖς νέοις, ὥστε πολλοὺς μὲν ἐρώμενον ἠγορακέναι ταλάντου. *Quibus verbis subjectam, non sine ratione censet doctissimus* Henricus Vallesius, *sententiam Catonis, quam*

ex

ex 31. Polybii *libro* Athenæus *refert* libr. 6. *Querebatur enim*, Romam inferri peregrinas delicias; ita ut vas ſalſamentorum Ponticorum trecentis drachmis quidam emant; μειράκια δ' εὔμορφα ὑπερβαλλούσης ἀγρῶν τιμῆς. pueros autem ſpecioſos majore, quam agri ſolent venire, pretio.

Annis prioribus circiter quinque modeſtiæ ac temperantiæ laudem apud omnes inſignem ſibi comparavit] *Græca ita habent*: πλὴν ὅ, γε Σκιπίων ὁρμήσας ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ἀγωγὴν τοῦ βίου καὶ πάσαις ταῖς ἐπιθυμίαις ἀντιταξάμενος, καὶ κατὰ πάντα τρόπον ὁμολογούμενον καὶ σύμφωνον ἑαυτὸν κατασκευάσας κατὰ τὸν βίον, ἐν ἴσως πέντε τοῖς πρώτοις ἔτεσι πάνδημον ἐποιήσατο κατὰ τὴν ἐπ' αὐτὸ ἀξία καὶ σωφροσύνη δόξαν. *Apparet poſtrema corrupta eſſe. illud enim* ἐπ' αὐτὸ ἀξία, *nihili eſt. Non dubito quin ex* Diodoro *legendum ſit* ἐπ' εὐταξίᾳ. *quod & doctiſſimo viro* Henrico Valeſio *melius videtur. quàm* ἐπ' αὐταξίᾳ, *ſicut ab initio hanc vocem excogitaverat. Compara totum locum Diodori*: ὅτι ὁ Σκιπίων ὁρμήσας ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ἀγωγὴν τοῦ βίου, καὶ πάσαις ταῖς τῆς φύσεως ἐπιθυμίαις, ὥσπερ τισὶ θηρίοις ἀντιταξάμενος, ἐπ' οὐδ' ὅλοις πέντε ἔτεσι περιεποιήσατο πάνδημον καὶ συγκεχωρημένην τὴν ἐπ' εὐταξίᾳ σωφροσύνην. Quinquennium *illud Cl.* Henricus Valeſius *interpretatur à tyrocinio & ſumta virili toga, uſque ad annum ætatis viceſimum, id eſt*, τὴν ἐφηβείαν. Polybius, *primos quinque annos vocat. poſſit videri repetendum eorum initium à conſuetudine cum Polybio arctiore, quando decimum octavum ætatis annum agebat Scipio. Sed res ipſa priores* τῆς ἐφηβείας *annos annumerari poſtulat. Ex his autem pubertatis annis. de toto vitæ propoſito, ſpes metuſque peti conſueviſſe, monſtrat* Valeſius *ex* Cœliana Tullii *& loco* Polybii *noſtri* (lib. 6.) *quem etiam* Suidas *deſcripſit voce* ἔφηβος: ἡ δὲ ἐφηβεία κανὼν ἦν ὀρθοῦ βίου καὶ ὑγιοῦς.

Quanta in pecuniis tractandis animi magnitudine & integritate alios præcelleret] *Lubet hic comparare* Polybii *&* Diodori *ſententias. Polybius loco, qui Latine exhibetur*: μετὰ δὲ ταῦτα κατὰ τὸ συνεχὲς ὥρμησεν ἐπὶ τὸ περὶ τὰ χρήματα μεγαλοψυχία, καὶ καθαρότητι διενεγκεῖν τῶν ἄλλων. Diodorus: ὥρμησεν ἐπὶ τὴν μεγαλοψυχίαν, καὶ τῇ περὶ τὰ χρήματα ἐλευθεριότητι διενεγκεῖν τῶν ἄλλων *Pauca immutavit in Polybianis, imitatione erudita, & quæ ſapientiam auctoris æmularetur. Inprimis enim exquiſite* Polybius μεγαλοψυχίαν *&* καθαρότητα, περὶ τὰ χρήματα *conjunxit. nec defuit* Diodoro *elegantia*

singularis ratio, cum ἐλευθεριότητα περὶ τὰ χρήματα *appellaret, & μεγα*λοψυχίας *voce, qua neuter aptiorem invenit, interpretaretur:* ἔοικεν ἂν ἡ μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν. *ut ex* Aristotele *id repetamus. 4. Eth. 3. Et, quanquam alia virtus sit, qua pecunias tractat: sine magnitudine tamen animi nemo præstat, quod Scipio, in ulla pecuniarum opumve ratione. Sequitur in* Polybio: πρὸς δὲ τοῦτο τὸ μέρος καλὴν μὲν ὑποδοχὴν εἶχε τὴν μετὰ τοῦ κατὰ φύσιν πατέρος συμβίωσιν, καλὰς δ' ἐκ φύσεως ὁρμὰς αὐτὸς ἐπὶ τὸ δέον. Πολλὰ δὲ αὐτῷ καὶ ταὐτόματον συνήργησε πρὸς τὴν ἐπιβολήν. *Quæ Diodorus flosculis quibusdam oratoriis, ut alia alias, aspergere conatur in hunc modum:* πρὸς δὲ τοῦτο τὸ μέρος τῆς ἀρετῆς, εἶχε μὲν καὶ τὸ ἦθος τοῦ κατὰ φύσιν πατρὸς Αἰμιλίου, πρὸς μίμησιν κάλλιστον ἀρχέτυπον. καὶ καθόλου τὴν μετ' ἐκείνου συμβίωσιν πεποιημένος, προείχεν ἤδη τι τῶν πολλῶν, καὶ προὐπετύπωτο. οὐκ ὀλίγα δὲ αὐτῷ συνήργησε καὶ ταὐτόματον, παρεχόμενον ἀφορμὰς τοῦ ταχὺ περιβόητον αὐτοῦ γενέσθαι φιλαργυρίαν. Et ad hoc quidem virtutis genus optimum habuit patris Æmilii exemplum. quippe dum ejus consuetudine familiariter per omnia utitur, præceptam quasi & expressam habebat præcipuarum rerum disciplinam. Sed nec fortuna distulit occasiones suppeditare, quibus alienus ab amore habendi animus viri, fama promulgaretur.

Præterquam enim quod exim. cult.] *Locus notabilis de paratu illustrium fœminarum in pompis solennibus. Quem* Suidas *pauculis inflexis ita descripsit,* voce ἀπήνη. Χωρὶς γὰρ τοῦ περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ἀπήνην κόσμου καὶ τὰ κανᾶ καὶ τὰ ποτήρια, καὶ τἆλλα τὰ πρὸς θυσίαν ἀργυρᾶ πάντα καὶ χρυσᾶ συνεξηκολούθει κατὰ τὰς ἐπιφανεῖς ἐξόδους, Αἰμιλίᾳ τῇ τοῦ Σκιπίωνος γαμετῇ. *Addit* Polybius *mox* τὸ ζεῦγος (junctum vehiculum Livius *lib.* 34. *c.* 1. *vocat, illas bigas, &* τοὺς ὀρεωκόμους. Diodorus *contentus est, verbo designasse,* περικοπὴν κόσμου. *ubi in margine quidem annotatur: MS.* προκοπήν. *Sed* Polybius *quoque* τῆς Αἰμιλίας περικοπὴν καὶ χορηγίαν *dixerat. occurritque exemplum hujus significationis apud* Suidam, *præter* Polybii *locum hunc quem describit, & per* ὕπαρξιν *explicat, etiam aliud* voce περικοπή. ὁ δὲ προῆγε ποιήσας εὔσταλον τὴν ἀκολουθίαν καὶ τὴν περικοπὴν τῆς ἐκδημίας. *ubi non dubitandum quin* περικοπὴ τῆς ἐκδημίας *sit* numerosior comitatus, *cui modus positus memoratur. De carpentis matronarum vel ex* Livio *constat: ubi Cato, voluisse eas* carpentis, festis profestisque diebus per urbem vectari (34. 1.) *ostendit:*

ſtendit: quod etiam obtinuerunt. Atque huc etiam Mulæ carrucariæ *pertinent, & οἱ ὀρεωκόμοι i. e. ἐπιμεληταὶ τῶν ἡμιόνων. κανᾶ in apparatu ſacrificali, apud* Pollucem, *& alios habes. Unde τὰ κανᾶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς πάντων ἐτίθεσαν: & αἱ παρθένοι κανηφόροι, & τὸ κανηφορεῖν apud Scriptores obvia.*

Pater enim filiarum utrique XL. talenta deſtinaverat] *Adſcribenda & hic doctiſſimi* Henrici Valeſii *animadverſio. μ' τάλαντα.* Legendum eſſe apparet πεντήκοντα, quod verba ſequentia prorſus evincunt. Error ex notis numeralibus eſt: quippe ν' quod 50. ſignificat, in mſſ. libris fere ut μ exprimi ſolet. quinquaginta autem talenta duodecies ſeſtertium efficiunt more Romano: quam pecuniam dotis nomine Scipionis filiabus datam eſſe ſcribit Polybius. Ex quo apparet, errare eos, qui decies ſeſtertium legitimam ac certam inter Senatores Romanos dotem fuiſſe exiſtimant.

Cum autem jure Romano debitas mulieribus dotis nomine pecunias, annua, bima, trima die pernumerari oporteret] *Cauſa tota hæc eſt: Pater utriq; filiæ quinquaginta talenta dotis nomine ſpoponderat ſe daturum. Ex ejus igitur voluntate, mater utriq; genero dimidium ſummæ præſenti pecunia numeraverat: dimidium moriens in ære alieno reliquerat: quod Scipio, adita mulieris hereditate, exſolvere ipſis debebat: Sed ex Jure Romano, ut quidem Hiſtoricus ait, non niſi annua, bima, trima die. Ille autem totam ſummam intra decimum menſem proximum repræſentavit. Quod hoc jus Romanum?* Henrici Valeſii *hæc eſt annotatio:* Hujus Legis alibi, quod ſciam mentio nulla extat. Idem autem valuiſſe exiſtimo, & ſi extraneus dotem promiſiſſet, ut annua, bima, trima die ſolvenda eſſet, niſi nominatim aliud conveniſſet. poterat enim ex pacto dies prorogari l. 19. D. de pact. dot. quod ſi nulla conditio appoſita fuiſſet, annua, bima, trima die numerabatur ex Lege XII. tabularum, ut opinor. At ſupellex intra decem menſes à contracto matrimonio præſtari debebat ex iiſdem Legibus, teſte Polybio. cujus Legis ratio hæc videtur fuiſſe, quod ob neceſſarios familiæ uſus ſupellectilis præſtatio differri non debuit. ex his intelligendus eſt jocus Deillii apud Senecam in ſuaſoriis, qui, cum Athenienſes tempus ab Antonio peterent ad pecuniam conferendam, quæ ipſis im-

perata erat dotis nomine, neque impetrarent, dixit: Et tamen scito illos tibi annua, bima, trima die debere. *Ita scilicet correxerat locum suasor.* 1. Cujacius Observat. *lib.7.c.20. quod & Cl.* Gronovius *in sua editione secutus est. Formulæ ipsius explicationem adscribam ex literis* Nobilissimi & Amplissimi Viri D. D. Rebhanii Jureconsulti, sui Collegii Senioris, Codicis & Feudal. Placit. Professoris celeberrimi, Patroni venerandi, ad Magnificum & Amplissimum Præsidem hujus dissertationis *datis*: Annua bima, trima, quadrima die quid promittere, in jure est formula vulgaris & adjectio, quæ in omnibus negotiis, ubi quis ad quid præstandum obligatur, locum habet. e. g. in ultimis voluntatibus, ut in l. 3. §. 13. ff. de Statu lib. testator Stichum liberum esse jubet, si annua, bima, trima die denos aureos hæredi dederit. Item in l. 19. ff. de legat. 1. ibi, quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, annua, bima, trima die hæres meus dare damnas esto. add. l. 50. ff. d. 1. & locus in primis elegans est in l. 49. §. 1. ff. eod. de legat. 1. Nihilque aliud significabat, quàm majoris summæ partialem solutionem (diem enim hic annum significare etiam ex l. 19. ff. de pact. dotal. ibi, quinto anno, & passim apparet & notum est) *zu gewissen fristen, terminen zahlen.* confer l. 54. ff. de cond. & demonst. Unde semper æquæ exsolvendorum portiones intelliguntur l. 3. pr. ff. de ann. legat. Ita usurpatur formula hæc in stipulationibus l. 8. §. 3. ff. de pign. act. in Empt. vend. l. 6. §. 1. ff. de contrah. empt. Inprimis vero in dote promissa exsolvenda, eademque soluto matrimonio restituenda. vid. l. 1. §. 2. ff. de dote prælegat. ubi notandum, quod dos nisi simpliciter & pure stipuletur (quo casu statim & in solidum exigi poterat) annua demum die h. e. lapso anno debebatur & exigi poterat; interdum etiam bima, trima, quadrima die, prout contrahentes in casus hos convenerant, ut videre est ex l. 19. ff. de pact. dot. inprimis vero l. un. C. de rei uxor. act. Cujus ratio differentiæ consistit in diversitate actionum, ubi enim stipulatio intercesserat pura, dabatur condictio certi ex stipulatu, quæ stricti juris: altero vero casu dabatur actio rei uxoriæ, quæ bonæ fidei, & beneficium competentiæ. quod condictio certi excludebat, bono mariti admittebat. Inprimis

mis autem notandum hanc adjectionem tum locum habuisse, ubi res, quæ pondere, numero & mensura constabant, h. e. fungibiles, in promissionem fuere deductæ: non autem ubi species sive corpora l. 30. ff. de Leg. 1. & l. un, §. 7. C. de R. V. act. conf. Ulpian. in fragm. Tit. 6. §. 5. *Hactenus quem laudavi, Præceptor meus venerandus Dn. D. REBHAN. Memorabilis interim habendus est hic Polybij locus de præstanda dote, ex antiquo jure Romano: quem ceu indubitabilem descripsit* Diodorus ; *&* Senecæ *locus ante productus haud parum confirmat.*

Tiberio Graccho & Scip. Nas.] Plutarchus in Gracchis *ita laudat* Polybium *Auctorem*: καὶ Πολύβιος μετὰ τὴν Σκιπίωνος ἀφρικανοῦ τελευτὴν, τοὺς οἰκείους φησὶν ἐκ πάντων προκρίναντας τὸν τιβέριον, δοῦναι τὴν κορνηλίαν, ὡς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀνέκδοτον καὶ ἀνέγγυον ἀπολειφθεῖσαν. Et Polybius post mortem Scipionis Africani, propinquos, ait, ipsius prætulisse omnibus Tiberium, & Corneliam ei dedisse, tanquam quæ à Patre nulli collocata aut desponsa esset. *Ubi dixerit hoc Polybius, quæri potest.* Hic certe Polybii locus, *inquit Henr. Valesius*, manifesto arguit, utramque à Patre saltem desponsam esse. *Ait enim hic Polybius Africanum L. talenta* utrique filiæ dotis nomine promisisse. *Pergit Valesius*: Itaque de Plutarcho quid dicam non habeo. Nisi forte utrumq; simul verum est, & à patre desponsam Tiberio Corneliam esse, & post obitum patris à propinquis rursus eidem desponsam de novo, quasi antea desponsa non fuisset, vel potius ratam esse habitam Patris Sponsionem, atque ita tollitur omnis difficultas. *Tollitur in re difficultas*; *si ita dicamus : non tollitur in verbis* Plutarchi: *ubi* τὸ ὡς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀνέκδοτον καὶ ἀνέγγυον ἀπολειφθεῖσαν, *quomodo ad similitudinem potius, quam ad veritatem, sive asseverationem referri debeat, non sinit nos ignorare* Livius lib. 38. cap. 57. Huic Graccho minorem ex duabus filiis (nam major P. Cornelio Nasicæ haud dubiè à Patre collocata erat) nuptam fuisse convenit. Illud parum constat, utrum post mortem Patris & desponsa sit, & nupserit.

Utrique viginti talenta de scriptura adnumeravit] In Græco est: ποιεῖν τὴν διαγραφὴν. *Quod* Valesius *reddit*: è mensa numerare, *auctoritate* Harpocrationis *&* Suidæ: *ubi* τὸ διαγράφειν *per* τὸ, διὰ τραπέζης ἀριθμεῖν *exponitur. Recte quod ad rem attinet,*

net, neque aliud scriptura *hic notat, quam* Scripturam mensæ. *Romani enim pecunias apud mensarios collocatas habebant. Notus est* Comici *locus* (Phorm. act. 5. sc. 7. v. 29. & 30.) illud mihi
Argentum jube rescribi Phormio,
P. Quod ne ego perscripsi porro illis quibus debeo?
Perscriptiones (*qua voce utitur* Cicero Epist. ad Attic. 4, ult.) *vel plerumque id notant, ut pecunia quæ antea alij debebatur, nomen mutet, &, ut novo Creditori debita, perscribatur: vel opponuntur tantum præsenti & numeratæ pecuniæ.*

Unde lex nihil sane illis addicebat] *Ad Legem Voconiam respicit Historicus, de qua eximia pleraque annotavit* Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis in erudito commentario, de SCtis & LL. *Add.* not. Henr. Valesii ad h. l.

Erat inter Macedonicorum Regum instituta] *In Polybio erat*: τῶν ἐν μακεδονίᾳ βασιλικῶν. *Sed ex* Diodoro, *qui hinc descripsit, corrigendum est*, βασιλέων.

Tantum Scipio venationi intentus] *Itaque Henr. Vales. ad Scipionem nostrum indubie refert illa* Polybii, *quæ Suidas in voce* διάληψις *describit*: διὰ γὰρ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἐπὶ τοῦτο τὸ μέρος ἐπιθυμίαν, ἦν ὑπὲρ αὐτοῦ διάληψις ὡς οὐδὲν προὐργιαίτερον ποιουμένου κατὰ τὸν βίον τοῦ κυνηγετεῖν. Quod enim nimia in hanc rem cupiditate ferretur, opinio de eo erat, nihil eum in vita, venationi præpositurum. *Sed Scipio non ad inanem voluptatem, sed ad laborem & bellandi studium venationem retulit, more antiquorum Heroum. Unde &* Oppianus *Poëta, venatorem suum, velut ad Martios labores armat ornatque.*

Corollarii loco.

Q. I. *An legem Oppiam apud* Livium (*lib.* 34, 1. &c.) *potentius suaserit retinendam* Cato, *aut abrogandam disputarit Valerius tribunus plebis? Respondens stabit à partibus Valerii.*

Q. II. *An Ædilibus sumptuariam legem exerceri postulantibus, Tiberius bonis argumentis contradixerit, apud Tacitum* 3. *A.* 53. & 54? *Omnino probanda videtur ejus oratio.*

Q. III. *De lege Voconia, cujus paulò ante mentio facta est, libet amplecti* Augustini *sententiam* 3. C. D. 21. *judicantis*: Inter secun-

ſecundum & poſtremum bellum Carthaginenſe, lata eſt etiam illa lex Voconia; ne quis hæredem fœminam faceret, nec unicam filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari poſſit, ignoro.

Q. IV. *Nobilis eſt digreſſio* Polybii de proditoribus lib. 17. in excerptis Peireſcianis: *ubi oſtendit*, 1. qui proditores immerito vocentur. 2. qui verè proditores ſint. 3. quæ eos Nemeſis conſequatur. *Immerito qui vocentur proditores, his Exemplis oſtendit. Poſſe enim fieri, ut aliquis rebus adhuc florentibus, auctor ſit ineundæ cum Rege aut Republica ſocietatis; neque proditor tamen haberi debeat. Sicut nec illum hoc crimine notari fas eſſe, ait, qui neceſſitate temporum adductus, cives ſuos ab inſtituta cum aliis ſocietate avocat, & ad nova fœdera traducit. Ita Ariſtænetum Achæos ab Philippi ſocietate ad Romanorum amicitiam feliciſſimo cum ſucceſſu traduxiſſe. Demoſthenem igitur invidiâ proditionis immerito onerare magnos totius Græciæ viros, Cercidam & Hieronymum, & Eucampidam in Arcadia; Meſſenæ, Iphiadis filios, Neonem & Traſylochum; Argis, Myrtim & Teledamum & Mnaſiam; in Theſſalia, Daochum & Cineam; apud Bœotos, Theogitonem & Timolaum: non aliam ob cauſam, quam quod Philippi Macedonis ſocietatem erant amplexi: cum tamen Arcades præſertim ac Meſſenii, Philippo, cujus ope à dominatu Spartanorum liberati erant, non parum deberent; longeq; aliud Athenienſium urbi, quam ſuis Civitatibus exiſtimarent expedire. Demoſthenem igitur, cum ſemel hauſiſſet animo ſententiam, univerſos oportere Græcos Athenienſium civitatem ſpectare, quoſcunque videbat ſuis ipſos rebus conſilium capere, proditionis crimine infamaſſe. Denique conſilia ejus & nimiam adverſus Philippum contentionem, Athenis pæne exitio fuiſſe, cum aliis civitatibus multum illi viri, quos diximus, profuiſſent. Ardua quæſtio, ſed tueri lubet* Polybii *ſententiam contra Demoſthenem.*

Q. V. *Polybius in fragmentis libri* 8. *Theopompum valde reprehendit tanquam de Philippo Macedone nimia & falſa locutum. Quanquam autem Theopompi maligna judicia vulgo male audiant (vide etiam* Photii Biblioth. Cod. 276.) *ea tamen, quæ de Philippo eum ſcripſiſſe Polybius memorat, ſatis videntur defendi poſſe.*

Q. VI. *Dubitari poteſt, quid velit ſibi Senatus Romanus, quando Ætolis conditione latâ*, διδόναι τὴν ἐπιτροπὴν περὶ πάντων τῶν καθ' αὐτοὺς, ut permitterent ſe ac ſua omnia in fidem ac poteſtatem Roma-

Romanorum, *definire, cum rogaretur, noluit*, ἐπὶ τίσι δεῖ διδόναι τὴν ἐπιτροπὴν, quarum rerum arbitrium permitti intelligeretur? *Putem nihil aliud Romanos, quam hoc voluisse significare, sine exceptione deditionem intelligi. Polyb. Excerp. Legat XV.*

Q. VII. *Idem scilicet significabat etiam Romanis*, in fidem populi R. se permittere, σφᾶς αὐτοὺς ἐγχειρίζειν εἰς τὴν Ῥωμαίων πίστιν. δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὴν πίστιν. *Quod apud* Polybium *Excerpt. Legat.* 13. *ita explicatur:* παρὰ δὲ Ῥωμαίοις ἰσοδυναμεῖ τὸ, τε εἰς τὴν πίστιν αὑτὸν ἐγχειρίσαι καὶ τὸ, τὴν ἐπιτροπὴν δοῦναι περὶ αὐτοῦ τῷ κρατοῦντι. *Adde* Liv. 36, 28. *Ubi cum Phaneas legatus Ætolorum distingueret*; non in servitutem sed in fidem tuam nos tradimus: *non admittitur distinctio, & in fidem traditi, explicantur,* dediti. *Videndum ergo an satis bene consentiant* Grotio *tradita de I. B.* 1, 3. 21. & 3, 20. 50. *Id animadvertere quidem licet, Scriptores interdum subtiliter loqui, & distinguere, ut aliud sit:* in fidem & potestatem venire; &, in fide & amicitia esse. *Quod apud* Cæsarem, & *alibi observes.*

Q. VIII. *An Romanorum Consuetudo, rebus secundis, moderatos se prebentium; adversis autem, pacem ex. gr. à Perseo oblatam respuentium, probabilis sit? apud* Polyb. Excerpt. legat. 59. *Sententiam* Polybii *sequi lubet, qui probat, addita hac ἐπιχαίρει. εἰ δὲ καὶ δυνατὸν ἐν ἐνίοις καιροῖς εὐλόγως ἄν τις ἐπαπορήσειεν.* An verò quibusdam temporibus satis id locum habere queat, non immerito aliquis subdubitaverit.



XX.

ULPII CRINITI NERVÆ TRAJANI, ET FLAVII CLAUDII VITÆ COMPARATÆ.

PRO-

PROOEMIUM.

QUoties Trajani facta & imperium considero, toties posteritatis sortem lugere soleo, quod cum leviora multa ex prima ætate ad nos transmisisset historia, tanti Principis gesta per partes tantum ostenderit. Itaque dissertationem publice habendam scripturus, nullum mihi nobilius argumentum fore credidi, quam si viri hujus patriæ suæ vere patris, vitam moresque sparsim traditos colligerem, & velut in unum contracta specie oculis animisque legentium subjicerem. Ad quod me primo institutum impulit, admirabilis Oratoris nostri Plinii, non minori gravitate, quam prudentia dictus ille Trajano panegyricus; in quo eximias Optimi Principis virtutes digna oratione persecutus est: nec sane abnuo plurimum illum mihi & certe tantum, quantum alii omnes, in hoc opere adjumenti attulisse; quippe qui totum nobis civilem Trajanum (pauciora enim sunt quæ de militari dicit) multa sapientia & variis acuminibus proposuerit; ut qui non ex tam nobili scripto moderatum & civilem principem agnoscere velit, plane cæcutire eum necesse sit. Verum sicut plurimam ille mihi operam, ita tamen non omnem præstitit. accessere huic *Eutropius, Xiphilinus, Zosimus, Constantinus in excerptis, Victor, Eusebius.* admisimus etiam quædam ficta ex *Damasceno & Gotfrido Viterbiensi*; præcipuorum historicorum autoritate muniti, qui rebus gravibus antiquitatis fabulas nonnunquam intermiscere non absurdum putarunt. Sic condendæ historiæ materia congesta, unum adhuc supererat, extruendi modus: hujus rei ut exemplum quoque mihi caperem, *Plutarchum* secutus,

cutus, post cognitam ejus tractandi rationem, politicæ magis commentationi quam historicæ narrationi similem, illud etiam experimento didici, nihil satis grate sine comparatione dici. Quare tantum præceptorem imitatus, alteram quoque partem disputationi meæ addere constitui. Peragranti autem mihi historiæ Romanæ monumenta, bis publicus status maxime corruptus visus est; Domitiani semel temporibus, quem inde Trajanus; iterum Galieni, quem Claudius mox correxit. Præter ceteras itaque virtutes, quas uterq; communes habuerunt, illud quoque non inter minima numerandum putavi, quod ambo nutantem Remp. firmavere. His ego rationibus motus, cum Claudium potissimum elegissem, quantum per mutilas historias licuit, cum Trajano nostro contuli, & quibus illi similis quibus dissimilis fuerit, breviter explicavi. Adjuvere me in hoc studio *Trebellius Pollio & Zosimus*, qui pauca quædam de hoc tam memorabili Imperatore, quem Senatus *patrem, amicum, bonum Senatorem, & vere Principem* judicaverat, dixere. Gravis, fateor, materia & longe meo ingenio major: ea tamen ipsa difficultate fretus, minus dubitavi hanc potissimum mihi exarandam sumere, quoniam dubitare non debui, facilem me veniam apud æquos judices esse impetraturum. Lectoris itaque benevolentia fretus, aggredior nunc argumentum ipsum, Trajanique virtutes & imperium persequor, mox de Claudio etiam dicturus.

CAP. I. ULPIUS CRINITUS TRAJANUS, è mediocri quidem familia, nullisq; majorum imaginibus insigni, paucorum vero hominum in Remp. meritis adeo clara, ut nulli Romæ secunda esse queat, aut haberi, ortum suum traxit. Pater ejus Trajanus, vir insignis, fortibus factis, ut

ut primus ex gente ſua Conſul P. R. renunciaretur, meruit. ex hoc noſter prognatus, patriam indignam pæne tantis virtutibus nactus eſt. Non enim Italia, nec Roma; ſed Hiſpania, ſed Tudertinum, ignobile, niſi Trajanum genuiſſet tantum futurum Imperatorem, & aluit & educavit. Vulgo autem tum nobilior juventus in Græciam ſapientiæ amore pertracta certatim proficiſcebantur; ſed plerumque inde reverſi lingua promti, actu erant vecordes: plurimi enim in ea terra optima præcipiebant, peſſima faciebant. Noluit itaq; Trajanus literis primos annos tribuere, ſed quod alii legendo ſcribendoq; illud ipſe tempus dedit militiæ præparamentis. quare ab ineunte jam ætate antiquitatis decora ſibi proponens, eorum exemplum, eorum acta ſtrenuus imitator ſequitur: corpus animumque ſtatim ad Remp. capeſſendam inſtruit, labore exercet vires, venationibus, equitando, pugnando, nihil eorum quæcunque olim profutura erant omittit. Inde cumprimum anni permiſere in militiam abiit; ubi ita ſe ſtrenuum & obſequentem præbuit, ut teneris adhuc annis legionem ducendam acceperit, quam quidem dignitatem non ut ceteri geſſit, quia non ut cæteri conſecutus eſt. Jam enim uſu pæne invaluerat, ut 2.
ſicut cæteræ res, ita & honores venales eſſent. Habebat Senator filium delicate educatum? coṁendabat eum Duci aut Legato; nonnunquam contubernio æſtimandum dabat, nec ut diſceret ab illo militum animos noſcere. regere exercitus, bella adminiſtrare, verum ne haberetur duriuſcule, ſed omni periculo eximeretur. ſic ubi ſemeſtre tempus caſtra vidit filius, auro argentoque Ducis corrumpebant animum, ut licet in immerentem, omnia tamen dignitatis munia conferret. Primus his honoris gradus concedebatur legionis imperium. hoc aſſecuti totos ſe in luxum vertebant; inviſebant ſubinde parentes, liberos, conjuges, in caſtris negligenter verſabantur. ſomno vinoque quotidie onerabantur, nec quidquam tam ſceleſtum, tam turpe erat, quo non maculabantur. Longe vero aliter Trajanus noſter: is honores quos virtute meruerat, fortibus factis indies auxit, vereque oſtendit virtutem ſæpe anteire ætati. quippe adoleſcens adhuc ſuam dignitatem adeptus non juveniliter tamen eam aut negligenter adminiſtravit: ſed jam

tum scilicet magnum præmeditans Ducem, omnia viri firmitate perlustravit, ne Legatis Dux, consiliariis Imperator servire quondam cogeretur.
3. Ipse igitur sua industria omnia inquirere, noscere provincias, noscere exercitus, discere militum animos, comprimere seditiosos, laudare fortes, stimulum ignavis addere. Nec ingenia sic modo hominum scrutabatur, sed accuratissima quoque cura investigabat regionum situs opportunitatesque locorum, ne subito deprehensus trepidare cogeretur. qua quidem industria id effecit, ut nusquam inde per tot bella, tot prælia insidiæ eum premerent. Videtur hac in re princeps noster Philopœmenem secutus, *qui* (ut *Livius* eum laudat) *noscendo regionum situs eo pervenit, ut nulla ei nova in tali re cogitatio esset.* Quare credere ferme cogor, invictam virtutem esse, & ubi ad robur quoddam pervenit, nulla invidia superari. Princeps certe noster tot tantisque meritis munitus, cum Romam, claris tum viris infestam, rediisset, non modo non in periculo fuit, sed Prætoria insuper dignitate ornatus est. quo ipse munere fungens, cum Cœlio Taciano equite Romano Adriani tutelam in se recepit: inde ordine progressus ad consulatus quoque fastigium ascendit: ex quo (ut conjicere licet) Hispaniam provinciam sortitus, cum grave in Germania bellum oriretur, nec quisquam ad id corpore animoque satis valeret, ipse potissimum electus, ferme totum bellum fama confecit. licet enim & plurimum terroris miles imperio assuetus, Ducisque virtute instigatus, attulerit, acrius tamen hostes Imperatoris nomen, quam ullam militum vim expavere.
4. Hanc ego expeditionem quoties considero, vix satis digne mirari possum, nec adhuc mihi constat, majorem tum moderationis, an fortitudinis laudem sit adeptus. Danubius intercedebat duobus castris, utrasque ripas gelu conjunxerat, adeo ut transire cum toto exercitu posset: certa fuerat victoria: pavebant hostes, fugituri, si Romanos in sua regione conspexissent: sed petebant pacem, detrectabantque pugnam. Itaque Trajanus licet gloriosè vincere potuisset, maluit tamen pœnitentes benigne servare, paceque data sine prælio inde abscessit. Quare occiso jam Domitiano, successor in ejus locum lectus Nerva, cum contemni senectutem suam

ſuam & orbitatem ab ſeditioſis militibus vidiſſet, nullum digniorem imperio quam Trajanum exiſtimans, in Capitolium aſcendit, atque ibi clara voce, in conſpectu (ut rebatur) ſumi DEI: *Quod felix fauſtumq; ſit*, inquit, *Senatui P. R. mihique ipſi* M. ULPIUM CRINITUM TRAJANUM NERVAM, *adopto.* Poſtero inde die Senatui commendavit eumque Cæſarem appellari voluit. Hac certe adoptione nihil Reip. fecit utilius. Multum ſane P. R. præſtiterat, cum Tyrannicum dominandi morem ſua moderatione lenivit, nihilque abſq; primoribus egit; multum, quod patribus promiſit, nullum ſenatorem ſuo juſſu iri occiſum, plus quod jurejurando confirmavit; nihil denique grandius, nihilque laudabilius quam quod dicta factis approbavit. Omnia tamen ea tum magna tum Auguſto & Cæſare digna, ad hanc adoptionem collata vileſcunt, quæ vere ſalutaris deficienti Romano Imperio fuit. Sub Trajani enim, ut graviſſimus ſcriptor *Florus* loquitur, civili moderatoque regimine, *imperium quod inertia Cæſarum per ducentos ferme annos, quaſi conſenuit, atq; decoxit; iterum movit lacertos, & præter ſpem omnium ſenectus Romanæ majeſtatis, quaſi reddita juventute reviruit.* Quare cupide illo à ſenatu cooptato atque in Cæſarum numerum aſſerto, literas ad eum, cum Agrippinæ forte in Galliis, quæ Colonia hodie dicitur, eſſet, Nerva dedit, in quibus ita ſcriptum accepimus:

Telis Nerva tuis lacrymas ulciſcere noſtras.

quod ipſe ut filium decuit, ſumma fide atque pietate poſtea exſecutus eſt. Signum imperii prænuncium hoc referunt. 5.
In ſomnis viſus ei vir fuit grandis natu, purpura atpue corona ornatus: (ſenatus eo tempore ita pingebatur) hunc anulo ſigillum primo in ſiniſtram, mox dextram juguli partem impreſſiſſe; annuentibus ſcil. diis, brevi ejus fore imperium, cui nunc ſigillum commiſiſſent. Licet enim multos inveniri haud ignorem, qui ſomnia, quæcunque illa ſint, pro nihilo ſpernant: ego tamen non penitus à Curtio meo abierim, qui divini quiddam animo ineſſe, ſæpe futura eum præſagire, imminentiumque rerum ſpecies per ſomnum oſtendere judicat. Trajanus certe ſomnium habuit, quod vere ei imperium portendit, multaque hic alia cumulare poſſem exempla, ſi lex hi-

storiæ, & institutum meum ferret. Nunc priusquam seorsim digeramus optimi Principis gesta, de ejus virtutibus pauca prius explananda. Fuit autem Ttajanus vir pace belloque optimus, nulla unquam vi, nulla potentia corruptus, præcipuum moderationis & fortitudinis exemplum, cui nec civilitas unquam auctoritatem, nec severitas amorem demsit; quas ille virtutes ita semper inter se miscuit, ut lætissima omnibus temperies existeret: nec enim severitatem unquam nisi coactus adhibuit, civilitatem ita moderatus est, ne principis hinc corrumperetur auctoritas. Agebat cum amicis quasi privatus, invitabat ad cœnam, provocabat ipse sermones, audiebatque dicentes: cum civibus reliquis ut parens inter liberos versabatur moderate & pie: lætabantur mutuo aspectu, ipsaque assiduitate Principem magis mirabantur. Præter dotes enim animi, quas plerumque vulgus negligit, corpore & habitu ipso maxime erat venerabilis. firma eum statura atque erecta, promissa cæsaries, senectutisque insignibus decorata ornabant, decens erat incessus, gravis & civilis pariter vultus dispositio: quibus ille virtutibus, ut pariter charus suis atque
6. venerandus esset, effecerat. Hæc ei apud suos veneratio, major tamen apud hostes auctoritas erat, quippe cujus nomen tantum auditum pro clade fuerit. Quare Decebalus superioribus victoriis superbus, ubi Trajano Imperatore bellum geri animadvertit, tanto timore perterritus est, ut statim omissis ferocioribus consiliis, pacem peteret: Germani quoque (de quibus supra diximus) Romanos jam spernentes, Trajani prudentia fracti, omnem salutis spem in hostis clementia collocarunt. Tanta scil. fortitudinis ejus fama fuit, ut nemo nisi desperata venia confligere cum eo ausus sit. Omnia itaq; impetu quodam pertransiens, Romanum orbem, quem priores tueri satis putarunt, ad Indiam usque amplificavit. Tres expeditiones ductu suo confecit, duas in Dacos, tertiam in Armenios, quas nunc ordine persequemur: Labente enim per inertiam Cæsarum populi Romani virtute, qua totum ferme orbem terrarum sola subjugaverant, provinciis, præcipue autem ferocioribus istis, crudaque adhuc cervice jugum subeuntibus neglectui esse, & reverentiam penitus amittere cœperant.

Domi-

Domitianus quidem vana divinitatis imaginatione insolens, spernit hostes, & minaci vultu, curruq; sublimis vectus, quasi statim ante prælium triumphaturus, nihil præter muliebrem mollitiem & timidum animum ad bellum attulit. Quare 7.
non modo nihil movit hostes, sed insuper spem ipsorum auxit; quippe qui scirent non cum Romanis sed Domitiano sibi pugnandum esse, nullamque gentem exuta virtute invictam manere. nec fefellit ipsos opinio; victi enim Romani nescio an de cæsis forsan civibus suis & indigna P. R. pace facta triumpharunt. Superbiebant hac de causa ubique populi Romanæ ditioni subjecti, non diutius quam expediret in fide mansuri. Daci paraverant opes, quæ populo gentium Domino pares essent; & jam tantæ erant, ut timeri à Romanis possent. Id vero Trajanus maxime indignum ratus, ne latius malum serperet, accelerat rem, bellumque Decebalo, qui potentior quam socius P. R. esse cœperat, infert. Nec Decebalus quidem ad id subsidia sibi belli congessit ut Trajano regnante deficeret, armisque sub illo libertatem suam tueretur; sed expectare volebat mollem, ignavum simillimumque Domitiano Principem, ut cum eo potissimum pugnaret, quem virtute longe antecelleret. Quare tum deprecatus Trajanum est, ut averteret inde bellum, Decebalumque & Burros socios pace bona sine sanguine frui pateretur. Sed non meruit pervicax nominis Romani hostis veniam; dimicare atque experiri virtutem suam jussus cui tantopere confideret; facile inde appariturum, quantum Romanus Daco præstet. His in castra relatis, præcisa omni veniæ spe, ferro decernere hostis statuit, in quo prælio longè superior evasit Trajanus, nisi quod plurima ei vulnera hostes virtutem ab desperatione mutuantes inflixerunt; adeo ut panni deficerent, quibus saucii obligarentur. Erat autem Trajanus humanissimus civilissi- 8.
musq; princeps, nec in pace modo hanc laudem, sed & in bello sectabatur; nunc cum lacera suorum corpora, & honestas plagas, nec fasciculos ægris sufficientes vidisset, nec vesti pepercit suæ, quin, ne quidquam vulneratis deesset, discinderet. quo facto adeo ille sibi omnium animos devinxit; ut inde Ducem milites per aspera & invia ferme loca sine murmure, sine

ſine querela ſequerentur. Nulli enim, cum ubique perſequeretur Decebalum, ſeditioſa aut ferox tantum vox excidit; donec tandem ad regiam Dacorum perveniens, parteque jam capta, ægre ſupplici pacem dedit. Præcipua in hac oppugnatione Lucii opera fuit, qui ab altera parte adortus hoſtes, magna ſtrage edita, cum primus tranſcendiſſet muros, maxime Decebalum terruit, ut primos ſuos pilatos ad Trajanum mitteret, qui veniam erroris poſcerent, promitterentque, Decebalum quicquid imperaſſet victor, obedienter facturum. Potuiſſet quidem Trajanus, cujus jam clementia apud omnes erat celebrata; ſine triſti crudelitatis nota hujus Regis ſupplicio ceteros deterrere. non tamen pœnitentem quenquam perdere auſus, caſtella diruere quæ in aliena terra molitus eſſet, machinas, artifices, transfugas tradere, eoſdemq; hoſtes atque amicos quos P. R. habere juſſit. Has Decebalus conditiones invitus quidem ſed fortunæ vi coactus accipit; & ad victorem deductus, ut ſupplicem decuit, proſtratus ad pedes eum veneratus eſt. Sic proſpere confectis rebus non tamen gloriatus fortuna ſua Trajanus, nec ſuperbior factus ad ſenatum confirmandæ pacis cauſa legatos mittere jubet: tantum ſcil. minime ſibi arrogandum exiſtimans, ut bella pacemque P. R. ſuo arbitrio tractaret. His ubi ſenatus datus eſt, junctis manibus, depoſitisque armis ſervorum more patres deprecati ſunt; inde receptis iiſdem in leges quas Trajanus præſcripſerat confirmata pax eſt. Hoſtibus ſic fractis atque pro amicis receptis in victorem grata converſa civitas, meritum virtute triumphum unanimi conſenſu non rogata detulit. triumphavit itaque de Decebalo Trajanus, mox cum eodem de victoria certaturus.
9. Malus enim diuturnitatis cuſtos metus eſt, nunquam in fide ſervientes continuit diu; ubi occaſionem nactus eſt vincula rupit. Decebalum quoque hunc pacis, ut ipſi videbatur, acerbitas, ut aliis neceſſaria ſeveritas ad rebellionem concitavit: ubi enim primum reparavit vires ſuas, mortem ſervituti præferens, pacem aliquo modo duriuſculam ne belli quidem metu frangere dubitavit: caſtella alienis regionibus impoſuit, Jazygum terram, populos ſemper Romanis fidos, qui nunquam Dacorum partibus adhæſerant, oppugnavit,

vit, partemque eorum cepit, arma quoque ceteraque belli ſub-
ſidia contra fœdus paravit. Quare iterum Decebalo ab ſena- 10.
tu hoſte judicato, ipſe hanc expeditionem ſibi conficiendam
ſumpſit. Et Decebalus quidem, ſi aperto marte certandum
foret, multum ſe inferiorem ex ſuperiori clade didicerat: pa-
rum itaque nunc virtuti ſuæ fiſus ad clandeſtina ſe conſilia la-
trunculorum more contulit, bellumque quod impie ſuſcepit,
magis impie geſſit. Percuſſores ipſe in principem transfuga-
rum ſpecie tectos immiſit, ſatis gnarus, in hoc uno viro o-
mnem verti victoriam: hunc ſi ſuſtuliſſet, ceteros velut cor-
pus truncum dempto capite huc illuc, ſine ſpiritu, ſine nomi-
ne errantes, facile ſuam futuros prædam. nec multum abfuiſ-
ſet, quin optimum principem per inſidias peſſimus hoſtis ſu-
ſtuliſſet; niſi unus ex ſicariis, ut nihil magnum ſatis tecte agi-
tur, triſtitia credo vultus, & fronte magnarum cogitationum
manifeſta ſuſpectus, tormentorum dolore, impium facinus pro-
didiſſet. Hoc ſcelere Decebalus detecto, nihil ſibi amplius
pudori ducit, fraudibus fraudes cumulat. Longinum ſimula-
tione colloquii deceptum ad ſe pertraxit, quæſivitque ex cir-
cumvento; quid conſilii Trajano, quæ belli ratio futura eſſet,
quomodo ſe aggredi aut quid facere ſtatuiſſet. Erat autem
Longinus vir conſtantis animi, vitam citius, quam fidem per-
diturus: quare nullo nec metu nec ſpe permoveri potuit, ut
arcana enuntiaret, omnia miro ſilentio texit. Iratus hinc De-
cebalus, in carcerem condi captivum juſſit, literasque ad Im-
peratorem dedit, ut hac mercede recepta, fœdus ſecum feri-
ret. ſed maxime laborandum Trajano erat, ne perfidiæ præ-
mium pacem ſe habere Daci arbitrarentur. Ad hunc itaque
modum reſpondit, ut intelligerent hoſtes, non ſe quidem
tanti viri ſalutem negligere, quippe qui gregarium etiam ma-
gni æſtimet; non ita tamen reſtitutum eum velle, ut quid aut
ſe aut P. R. indignum committeret. His litteris acceptis cum
internecinum ſibi bellum denuntiari Decebalus videret, omni
id ratione profligandum ratus, fortem diu ſeſe præſtitit. Lon-
ginus quoque audita reſponſione principis, ultimam fidem
morte firmare volens, hauſit imperterritus venenum. Traja-
nus vero Legati ſui cæde, & perfidia hoſtis irritatus, ponte

ſtravit Danubium; opus ſcilicet vere auguſtum molitus, quo oſtendit, quantum conſilium atque animi conſtantia valerent quantaque facilitate res natura impeditas expedirent. Flumen in anguſtum primo cogitur iter, latius inde panditur & eo majori vi atque mole, quo ex anguſtiore loco ſe diffundit, rapit undas. Ibi Danubium ponte conjunxit Trajanus; onus immenſi laboris viginti ferebant pilæ; & licet divina ope vix expleri poſſe profunditas aquæ videretur; omnia tamen pertinacia militum Ducisque crebra adhortatio vicit: fabricatus pons eſt, tranſportavit in hoſtium terram Trajanus exerci-
11. tum; inde caute magis quam propere bellum geſſit. Licet enim vir eſſet maximis virtutibus præditus & antiquis plane Heroibus comparandus, nunquam tamen felicitati fortitudinique ſuæ confiſus rem temere fortunæ commiſit, ſed omnia bella ratione maxime adminiſtravit : in hoc potiſſimum ducis ipſe & militis officium præſtitit; hujus virtutem an prudentiam magis mirer neſcio. Dacos enim, præterquam quod fortitudine erant celebres populi, perpetuum quoque cum Romanis bellum diſciplinam ſervare docuerat: cum his igitur tam doctis tam ſtrenuis hoſtibus pugnabat Trajanus; conſilio erat opus ut vinceret callidos; fortitudine, ut ſuorum animos accenderet. licet enim & plurimum Ducis verba apud milites valeant; parum tamen illum poſſe jam dudum compertum habeo, qui verbis magnificus, rerum militarium expers eſt. Quare Trajanus Ducis facinoribus milites inſtigandos ratus, ſe aſpicere, ſuum imitari exemplum jubet. quo tantum ipſe præſtitit, ut non temere major in alio bello gregariorum etiam virtus fuerit. pugnabant læti, gratulantes ſibi de vulneribus, cicatricesque ſuas ut decora corporis ut gemmas oſtentantes invicem atque jactantes: amica inde & victoriam ſpondens æmulatio exiſtebat; quolibet ſua munera ſuaque geſta primis annumerari cupiente; nec tuta jam pæne Imperatoria virtus erat; ad hanc quoque aſcendere, hanc exæquare contendebant: & vicit quidem longe Dux milites ſuos, princeps cives: annitebantur tamen, ſperabant; nec periculo propterea cuiquam fuit, majores res quam ſua conditio caperet, geſſiſſe: laudabat ipſe virtutem & vividos ſpiritus attolle-

tollebat, ut bonorum præmiis mali quoque & ignavi allicerentur. Huic igitur Duci his militibus tam diu obstitisse Decebalum quis non miretur? Ægre enim & post multa demum pericula, prodente Dione, victus est; qua ipsa ille pertinacia gloriam victoris auxit: quippe apparuit inde quas gentes quosque viros Trajanus debellasset. Decebalus ipse quandiu spes supererat regium animum retinet; ubi vero omnem regionem, ipsam denique arcem suam captam cognovit, timens ne victoris ludibrium fieret, voluntaria morte imminenti se malo subtraxit: sed nec ab mortuo ira abstinuit, decisum caput fœdifragi Romamque delatum est. Occiso ita Rege, captaque 12.
regia, Dacia arbitrio se victoris permisit, provincia facta, coloniaque custos fidei feroci populo imposita est. Thesauri inde atque regiæ vestes repertæ, quas Decebalus per captivos partim in Sagetia flumine partim in sylvarum latebris atq; montium condiderat; indeque ministros arcani, ne erumperet res, trucidari jussit. Particeps hujus consilii omniumque celandorum gnarus Bicilis Decebali familiaris fuit; hic quo lenior sibi captivitas esset, pretiosissima quæque victori hosti prodidit. Inde reverso in urbem Trajano, cum Syriam quoque suis auspiciis à Palma devictam accepisset, plurimi in eum honores collati: inter alios in statua vir erat laurea ornatus, sinistra telum, dextra puerum victoriæ insignia porrigentem, tenens; cujus adhuc effigiem numismata passim referunt. Non multo inde post Armeniis bellum intulit, majestatem P. R. violasse prætexens, quod à Parthis non Romanis regem accepissent: revera autem ob gloriæ cupiditatem susceptum Dio autumat. nec erraverit forsan qui ex utraque hac causa bellum natum dicat. Indignum enim populo gentium Domino visum Parthos sibi prælatos, facile conjicere quilibet potest. nec negare omnino licet, eum Trajanum honorem quoque aliquo modo petiisse: maximos n. viros honoris cupidissimos fuisse, nemo est qui dubitet. Sic Alexander orbis domitor superbiæ paruit; invictusque armis Cæsar hujus vim non sustinuit. Trajanus noster licet non plane fregerit, moderatus tamen cupiditates suas, nec unquam propterea aut se aut P. R. indignum quid commisit; neque Armeniis bellum intulisset; nisi

Romanos ab illis sperni vidisset. Quare plus apud omnes auctoritatis habuit, & hostes ideo magis eum veriti sunt, quia facile perspexerunt; semper invictum Trajanum esse, nec vi aut armis, nec voluptatibus frangi; quæ plus plerumque magnis Ducibus, quam ulli militum impetus nocuere. Principes hinc Armeniæ, quos Satrapas vocare solent, obviam ei venientes equum, homines submissa cervice venerari edoctum, aliaque digna tanto Principe dona attulerunt. Quibus ille acceptis sine prœlio Sattalam Elegiamque venit: bonos ibi præmiis, pœnis malos affecit. Henichorum præcipue in honore habuit; Parthamasiramque, qui nomen Rom. spreverat, punivit; captaque Armenia quemque pro meritis aut laudavit
13. aut vituperavit. Ob has res gestas undique nomina conquirens senatus, quibus tantum Principem ornarent, & *Optimi*, & *Parthici*, Nisibi Parthisque captis, invenerunt. Duo hæc cognomina Xiphilini vestigia secutus in hunc locum collocavi: ceterum, vero propius est mox ab initio principatus *Optimi* cognomen accepisse; quippe cujus jam Plinius in paneg. suo meminerit, qui *se nondum de biennio loqui* ipse testatur. utcunq; sit, certe his duobus titulis omnes boni Principis virtutes, omne imperium patres complexi sunt. Quid enim est quod non in se hæc nomina contineant? Pacem spectas? omnes eas artes *optimi* cognomen in se habet. bellicas laudes Parthicum indicat: licet enim Parthorum tantum regio hoc illi cognomen paraverit, ob virtutes tamen magis quam victoriam inditum ei fuisse certum est. Optimi vero qui ad bellum proprie traxerit, propterea quod bellum gerens adeptus est; valde profecto ille meo quidem judicio errat: non enim tam continuæ victoriæ & res præclare gestæ, quam civilis moderatio hujus viri admirationem adeo auxerunt, dum perpetuis imperiis assuetus nunquam tamen superbior factus est: & confirmat id ipsum Panegyrista, cum, *quid tam civile tam senatorium,* inquit, *quam illud additum à nobis* OPTIMI *cognomen.* clarius adhuc Dio, cum *Optimi* magis quam *Parthici* cognomine gloriatum scribit; utpote *ex quo natura ejus moresque suavissimi magis quam arma cognoscerentur.* ex quibus satis patet, pacis hic non belli artes Senatum spectavisse. Hæc tanti Ducis æstiva fuerunt

runt nullo periculo, nulla clade funesta. inde in hyberna legiones deduxit, ubi maximo terræ motu conflictatus est, de quo deinde dicemus. Ineunte vere Trajanus statim in hostilem terram ingreditur, satis scil. gnarus minus decere fortem Imperatorem æstiva brevia, longa hyberna. Circa Tigrim, hic enim fluvius transeundus Trajano erat, regio est; infrequens lignis navibusque comparandis materia: itaque Trajanus Annibalem secutus, naves, quas Nisibi ædificari jussit, plaustris transvexit, fluviumque cum toto exercitu transgressus est. In hujus maxime fluminis transitu videre Trajani constantiam licet, qui nullo periculo, nulla hostium vi deterritus transportavit exercitum. In altera ripæ parte oppositæ copiæ vetabant Romanos transire; quas Trajanus navium copia abundans partim vi partim consilio abegit. Terribilis Barbaris species videbatur, tanta navium militumque manus, hujus potissimum Ducis consiliis adjuta, quæ plus in eo bello quam ullum militum robur perfecere. Cum enim prohiberi suos ab opposito præsidio Trajanus vidisset, exercitum, quo plurimum valebat, ita partitus est, ut pars quasi trajecturæ hinc inde vagarentur, pars pugnando sustinerent hostes, reliquæ prioribus statim admoverentur: maxime tamen libero campo quasi ad ostentandam navium multitudinem comparato territi hostes loco cesserunt, apertum post se Trajano flumen relinquentes. Transiisse victoria fuit. inde lætum auspicium captans hostes aggreditur, Adiabenemque omnem in suam potestatem redegit, cui regioni Gaugamela mox & Arbelam addidit, vicos viles maxime tamen Darii clade nobilitatos. Inde Babylonem usq; nullo prohibente hoste processit; interno malo consumtis Parthis, ne tum quidem externi hostis metu seditione finita. Quare factum ut nemo Parthus Romano capienti urbes regionesque obstiterit, sed impune omnes terras provinciasque ceperit. Ex Justino satis constat Babyloniæ muros non vulgari modo conditos, nec in illorum ædificatione calcem aut arenam Semiramidem adhibuisse, sed hujus materiæ vice, bitumen, quod ibi passim ex terra exæstuat, interstratum. Hæc Epitomatoris narratio: Dio vero lacum bituminis fuisse refert, illumque calcis usum præbuisse,

14.

15.

tum quoque ostium ejus à Trajano visum, idque plane pestiferum esse, quod si longius extenderetur, plane inhabitabilem eam regionem facturum; nunc in se revolutum velut in cisterna concludi, ac in sua quasi sede contineri. Addit ibi auctor consimilem se huic in Asia vidisse, periculumque in avibus fecisse, an ferre odorem possent, verum adeo fuisse pestilentem, ut statim interirent, solis castratis hominibus nihil
16. nocere; quæ vero causa sit, se nescire sponte profitetur. Sed ne interrumpatur vinculum historiæ, in expeditione nunc Trajani pergemus. Jam Tigrim transierat, jam Babylonem vincendo pervenerat; unicum impedimentum Euphrates erat. hunc itaque trajecturus, Tigri conjungere primo voluit: sed cum majorem isto cognovisset, timens ne innavigabile flumen redderet, destitit incepto; Messanamque Tigris Insulam (Attambalus ibi imperabat) cepit; Ctesiphontemque ingressus Imperator & Parthicus iterum nominatus fuit. Inde rubrum quoque mare transire statuit, nulloque obsistente hoste, omnibus ab tergo populis devictis, ad Oceanum usque venit. ibi vero cupido eum cepit in Indiam trajiciendi: vox etiam ejus refertur, cum in eam terram navigare quendam vidisset, *si Juvenis essem in Indiam trajicerem*: ut ego arbitror, vel rerum memorabilium cupiditate, vel gloria adductus, ne minor videretur Alexandro, cui se jam quoq; comparare audebat, idque sæpius profitebatur. Licet enim non in Indiam venerit; soli tamen Daci ferocissimi barbarorum populi vel toti Orienti haud injuste comparari possunt. Quare coronatis litteris, senatus, acceptis numerum devictarum gentium non inveniens, decrevit ut tot triumphos, tot festos dies, quotquot vellet, a-
17. geret. *Sed difficilius est* (Flori sententia utor) *provinciam obtinere quam facere.* Hoc quam vere quam prudenter dictum sit, satis suo exemplo hic noster expertus est. quippe in Indiam illi proficiscenti Alexandroque in æde ubi ultimum diem obiit parentanti, nuntiatur, victas ubique gentes nec dum imperio assuetas maximo tumultu rebellionem parare, præsidia passim trucidare, servitutem exuere, jugumque Romanum spernere. Nec contemnebat ullos hostes Trajanus, ut qui sciret quanta sæpe inde bella, quantæ clades acceptæ fuerint: itaque orienti

enti malo, antequam vires nancisceretur, occurrendum ratus, duos Legatos ad compescendos tumultus Maximum Luciumque dimittit, quibus longe diversa sub iisdem auspiciis militantibus fortuna fuit: sed adversam Legato, secundam Duci adscribemus. victus enim occisusque Maximus nescio negligentia sua, an fortuna sic de industria quasi admonente absentem Imperatorem, ut fragilitatis humanæ semper memor, nunquam superbiret: & certe utile est hominibus, *si secunda adversis*, iterum Flori verba sunt, *quasi radientur*. nimis quam facile vicissitudinis rerum humanarum in prosperis nos capit oblivio, & perpetua felicitate fruentes, nil nisi divinum sapimus, id quod plurimis, præcipue autem Alexandri Juliique Cæsaris patet exemplis. Hæc itaque Maximi fortuna fuit, 18.
melior Lucii sors est. Ille multis præclare gestis Nisibim recepit, Edessamque expugnatam incendio, ut ceteros terreret, perdidit: Seleucia inde ab Alexandro & Ericio Claro capta, Romanoque dolori immolata est. Jam Trajanus ipse advenerat, ut nomine suo pavorem hostium augeret, nec fugiebat ipsum, quantum Partho ferociæ, quam leves animi inessent, quacunque aura huc illuc verti, semperque societates suis utilitatibus metiri. itaque ne hi quoque fidem frangerent, arte agendum, regemque iis, qui Romanis dignitatem suam deberet, dandum ratus, Ctesiphontem urbem ingreditur, frequentique non Parthorum minus quam Romanorum concilio coacto in cathedram ascendit, atque ibi clara voce cum multa de rebus ab se gestis, & procul dubio de beneficiis suis populique Rom. in Parthos collatis disseruisset; *Quod felix faustumque sit,* inquit, *P. R. Partho, mihique ipsi, Parthamaspatem ego vobis Regem designo*; inde diademate imposito imperare Parthis jussit. Hinc Arabiam petens Agarenos aggreditur: urbs ea parva & exilis nec ulla rerum copia valida est, terra in qua posita, pleraque deserta: & tum ipsa oppidanis agri cælique sui durities saluti fuit; quippe fervidissimo anni tempore lignis, aqua, & omni caloris levamine oppugnatores destituebantur. Decussa quidem muri pars erat; sed irrumpere conantes equites male multati redierunt. Quare Trajanus illos pertinacia 19.
vincere tentans, qua sæpe magistra maximas res gessit, ipse ordines

dines ducit regia prius veste, ut quis esset lateret hostem, deposita. Sed quid tantum virum satis occultaret? ipsa dignitas oris longe lateque Principem ostentavit; tunc Barbari quoque auctoritate vultus commoti, cum ex eo Trajanum cognovissent, omnia in eum tela miserunt, certa spe freti hunc si sustulissent, perpetua se inde libertate fruituros. accessit quoque circumsessis ex casu auxilium: ingens tempestas cum fulgure ac frequenti tonitru coorta, summovit Romanos; tum cænantibus ingens vis muscarum multam molestiã creavere. Contra homines dimicare fortitudo, contra fata bellum gerere furor est: nunc cum Trajanus invitis superis se pugnare vidisset, obsidionem solvit. minime scil. turpe sibi existimans, *fatis cedere*. Non multo post in morbum incidit, quo ingravescente, licet denuo in Mesopotamiam ducere exercitum statuisset, hujus tamen violentia coactus novam belli aleam subire non sustinuit. Hæc bella, hæ victoriæ fuerunt, à Principe nostro non auspiciis sed ductu, non manu minus quam consiliis confectæ, quibus etiam meruit, ut pôst mortem suam triumpharet, sicut Dio tradit, in Divi Adriani successoris vita. Debuit quidem populus Rom. plurimum in eo bello & militum virtuti & Ducis prudentiæ; maximas tamen res disciplina perfecit, quam si in militia demseris, omne consilium omne robur evanescet. Quapropter Princeps

20. noster maxima laude mihi dignus, nec profecto inter minima operum illud numerandum videtur, quod militum licentiam inhibuit & correxit. Nihil enim magis tum turbatum, nihil laxius erat quam militare regimen; & jam milites consueverant Imperatores dare, imo quod majus est, cogere; eo denique temeritatis processerant, ut (quod Nervæ acciderat) poscere bonos ad necem, contra negantem ferociter agere, vim etiam minitari auderent. Ælianus & prætoriani quidam milites principes hujus mali erant. hos itaque Trajanus puniturus ad se vocavit, quasi eorum opera in bello usurus, quos omnes variis postea criminibus oneratos passim trucidavit: militumque disciplinam, quæ superioris ætatis negligentia pæne omnis collapsa fuerat, quasi de novo instituit. Et est illud præcipue memorabile in nostro Principe, quod in quaque

quaque re optimos sibi sequendos sumpsit, ut enim supra in noscendis locis Philopœmenem imitatum ostendimus, qui facile in hac laude primas meruit, ita nunc in militari disciplina severissimum ejus præcipue ubi hostis aderat, exactorem Julium Cæsarem præceptorem habuit: sic & postea dicemus, quomodo Augusti in civilitatis moderationisq; laude æmulus aut victor extiterit. Sed nunc ad militarem disciplinam redimus; in cujus exordio omnes Imperatores admonendi sunt, 21. ut curam hanc curæ habeant, discantque tandem meliores, & hunc ipsum Trajanum nostrum sequi; qui jam optimus ab senatu dictus, ab alio tamen discere minime sibi turpe putavit; meliorisque (sic enim moderatus Princeps alios dicebat) exemplum suo actu exprimere. Quid enim traditur de Julio Cæsare, quod non idem de nostro verum sit? Habet de suo Suetonius, quod iter faciens milites se observare jusserit, ut subinde subtrahendo fatigaret serius sequentes; quod ubi hostis in propinquo esset nec itineris nec prælii tempus denunciarit, sed paratos semper atque intentos esse jusserit; sæpissime sine caussa id fecerit, præcipue, pluviis & festis diebus. nonne vero eadem de nostro Xiphilin. *cum milites in via instituisse* scribit? non præceptis credo (parum ea apud militares viros possunt) exercitia & actus quærunt. Ergo nunc circumsistere; nunc discurrere in cornu; nunc militari gradu, nunc tardius progredi jussit; aut vibrare tela, aut pugnam committere, vel alacri discursu campos metiri, & si quæ sunt similia, jussit? imo & in hoc Cæsarem suum imitatus videtur; quod ut ipse hostium numerum auxit, ita hic rumores, ut paratiores haberet milites, mentitus est. Sed ne severum 22. tantum putes, eundem civilissimum scias, nec tamen hac in parte Cæsaris indulgentiam secutus est; qui lasciviendi nonnunquam licentiam militibus dedit: Valeriorum sibi potius & Poplicolarum facta proposuit. Ad horum ipse exemplum commilitonum, sic enim vocabat, tentoria perlustravit; invisens ægros, iisque solatium atque opem ferens, adeo ut deficientibus quondam pannis, vestes, de qua re supra jam diximus, discinderet. Severitatem vero maxime mitigabat, quod adhortator ipse & particeps laboris aderat: inibat præ-

lia, componebat arma, Imperatoris denique exemplo milites docebat, quæ ipsos vita deceat. videres Principem generis humani inter medias militum catervas quietem capere; nullo accersito silentio, nulla culcitra somnum invitante, egebat cum militibus, sitim laboremque cum illis patiebatur, ubi castra movenda erant, primus in agmine conspiciebatur, pedibus iter faciens. Has ob virtutes quantam omnium venerationem atque amorem sit consecutus, vel ex eo satis apparet, quod per tot dura bella nullus unquam miles seditiosè egit, imo tanta eorum præcipue in Dacico virtus fuit, ut eques quidam incisa salutis spe prælium repetens post multas hostium strages non inultus tandem ceciderit. In bello vero quantæ celeritatis atque felicitatis fuerit, vix satis digne explicari potest. brevi tempore maxima confecit itinera, adeo ut in Germania bellum gerens, Parthos terrere posset. Hinc & Panegyrista noster *rapuisse legiones* dicit; vix vocabula inveniens quibus tantam velocitatem exprimere posset. Fortuna præterea semper prospera usus est. excipio tamen hic Antiochiam Agarenosque, ubi à fatis magis quam hominibus afflictus videtur, experiri scil. volentibus, an ut secunda, ita & adversa ferre posset.
23. Antiochiæ autem hybernabat Trajanus, cum subito terra mugire, inde conquassari cœpit: nutabant primo ædificia, nutabant templa mox ruitura: cum ad Trajanum vir venit humana tum specie tum statura augustior, qui eum, postquam dignus imperio atque contra omnia mala invictus visus est, per fenestram ex urbe duxit. Cæterum hanc cladem non Antiochia tantum, sed omnis ferme orbis terrarum sensit. Agente enim tum ibi Principe generis humani, omnium populorum legationes, vel qui lites habuerant, in ea urbe convenerunt, nonnullos etiam lucri spes, nonnullos ludorum deliciæ eo pertraxerunt. His partim mutilatis, partim terrore affectis domum redeuntibus, ita ad omnes ista strages pertinuit, ut non Antiochia, sed Romanus orbis terræmotu afflictus videretur. Maximum tamen malum concussa civitas experta est. pars occisi, pars vulnerati, omnes parte aliqua calamitatis erant affecti. Narrat inter alia *Xiphil.* memorabile illud: sedata tempestate virum audacter ruinas urbis

bis transcendisse, auditaque vivæ mulieris voce filium & seipsam proprio lacte sustentantis, perfossa ruina utrumq; servasse; postea alium quoque vivum repertum puerum mortuæ matris mammas sugentem. Memorant præterea historici, aquas nunquam antea visas fluxisse, & solitos iis alveos exsiccatos fuisse. Hic terræmotus Antiochiæ factus est, cum ibi forte Trajanus moraretur. Agarenorũ vero urbem obsidens ne caperet, fatorum rursus vis obstitit, nulla enim morttali credo opera victus cessisset, nisi divinis monitis deterritus parendum sibi existimasset. Clades quoque duæ sub ejus imperio à Judæis acceptæ. tumultuantes enim Andrea Duce, magnum Romanorum Græcorumque numerum concidunt, & corporibus illudunt, humanaque carne vescuntur: vivos etiam quosdam feris objiciunt; alios serris medios discindunt: tanta denique crudelitate in omnes sæviunt, ut in prælio & ex captivis ducenta viginti millia perierint. Iterum Artemione Duce, Cyprum Ægyptumque transgressi ad ducenta quadraginta millia concidunt. Sed vana sine viribus est ira, nec temere suscipiendum bellum, cui finiendo par non sis; fortiter id indixisse parum est, nisi & fortiter perfeceris. Judæi quoque ingenti prælio moverunt Romanis bellum, à Lucio vero devicti, graves hostibus pœnas dederunt. Atque hæc illa sunt, quæ Trajanus manu & auspiciis confecit, quibus etiam meruit, ut ab nonnullis Alexandro æquaretur. Is quidem licet gentes nationesque quam plurimas sub suum imperium brevi tempore redegisset, aliorum tamen domitor sibi ipsi serviit. noster vero, quo plura quotidie caperet, eo magis animum coercendum ratus, affectus semper in potestate habuit, neque unquam victoria elatus aut superbe aut avare subditis imperavit. Talis ergo in bello Trajanus fuit, vir maximis quibusque comparandus, pace vero longe & seipsum & alios vicit; foris enim ut diligentissimus extitit, ita domi lenitatem maxime civilitatemque exercuit. quas mox infra virtutes, ubi ægram Rempub. ab eo sanatam explicaverimus, persequemur.

24. (margin, beside "dum sibi existimasset. Clades quoque")

Jam enim inde ab Tiberio depravatis publicis moribus, nemo amplius honesta & turpia discernebat. Totus quidem in eo Vespasianus, totus Titus erant, ut ad pristinam virtutum se- 25.

veritatem homines revocarent: verum immanissima Domitianus bellua omnia rursum confudit, adeoque sub eo Principe omnis generis vitia invaluerant, ut Nerva optimus civilissimusque Princeps, ob senectutem tamen contra inveterata mala parum firmam, sine publici status correctione regnare coactus fuerit. Sed, ut ego arbitror, industria id fatorum factum est, ut eo citius ad Trajanum res deveniret, qui satis corrigere priorum principum indurata scelera valeret, quique ea reverentia efficeret, quæ nullus aliorum terrore potuisset. Hic igitur ubi ad gubernacula venit, imperium quod alii tyrannicum habuere, civile & amabile, reddito senatui populoque pristinæ potestatis jure, præstitit. Satis scilicet gnarus non Rempubl. propter Trajanum sed Trajanum propter Rempubl. natum, sæpeque [animo, sed puro & simplice Tiberii illud simulatoris repetens, *bonum & salutarem principem senatui servire debere & universis civibus & plerumque etiam singulis.* Primo potentiæ collegam Nervam patrem habuit: hic nova adoptione securus, cum omnia filio se debere intelligeret, vivus statim cum illo partiri honores non dubitavit; consors tribunitiæ potestatis fit, secundum consulatum accipit, cum omnibus ornamentis principalibus: Cæsar dicitur, Imperator dicitur, Germanicus dicitur, nec cupiens nec affectans, malebat enim privatus esse, nec suscepisset certe imperium nisi omnia, quæcunque non tueretur, ruitura vidisset. Ad imperium igitur ratione maloque publico motus cum pervenisset, quædam pessimi exempli priorum principum avaritia invecta
26. correxit, quædam aliquo modo dura lenivit. Delatores omnium primum ut publ. pestem & perniciem generis humani omniumque infestæ dominationis scelerum & ministros & auctores urbe expulit, horum sanguine gaudio civium & ultioni tot innocentium capitum litaturus. Supplicium autem eorum tale fuit: retorto collo cum execratione bonorum per frequens theatrum ad mare ducti sunt, sequebatur eos populus, omnis ætas, publicorum latronum interitu oculos pasturi, ibi in laceras naves omni remigio destitutas impositi, ventis Deoq; ultori scelerum puniendi dati sunt. Quare cum portu statim egressa vaga hinc inde navigia maris ludibriis exposita

jacta-

jactari; laborare quædam tempestate, quædã ad durius suppliciũ servantia reos quoquo velint avehere omnes vidissent, immodica lætitia & affectus populi non diutius continebantur; quin statim apud illud ipsum mare gratias principi agerent, diversitatemq; temporum mirarentur; quod qui amici modo Imperatorum audissent, nunc tanquam scelestissimi hominum tempestatibus omnibus traderentur. Hæc quidem res præsentem securitatem spondebat: verum & bonum principem in futurum providere decet. itaque noster, quoniam facile videbat, in civitate felicitatis malis cooperta, plures Domitianos quam Trajanos futuros, ne & mali imposterum peccandi materiam haberent, legem majestatis vere avaritiæ instrumentum omniumque scelerum complementum sustulit. Nil enim antea tam vile, tam exiguum erat, quod non ex hac lege capitale fieret, si modo delator adesset, adeo ut imaginem principis (venia sit verbo) in latrinam intulisse, aut statuam ejus vendidisse fraudi miseris hominibus fuerit. Has itaque ineptias si removeret ab judiciis, non sperabat futuros, qui eas omnium odio reducere auderent; verum quo stabilior ea res esset, patris iterum firmavit legem, qua sanxit, ne servo liceret dominum accusare. Fuit id quidem antiquum, & jam pri- 27.
scis temporibus notum statutum, ne servili odio facile crederetur: verùm Tiberius novas artes, nova quotidie dominationis flagitia excogitans illud quoq; reperit, ut servi Dominos accusaturi manumissi, pristinos heros ad judicium postularent, Verum is non in perniciem Reipubl. ingeniosior quam noster pro salute fuit; neque enim pristinum tantum morem restituit, sed & novæ cavit fraudi, ne & post vindicationem ira servorum in dominos valeret. Hæc plane iniqua tollebat Trajanus, duriora ad æquitatis formulam redigebat. nimis illi videbatur asperum, *sanctissimas necessitudines velut intercedente vigesima scindi*, patremque & filium alienos fieri. Nerva quidem primum cognationis gradum jam exemerat: Trajanus vero parum id esse existimans, secundum quoque abstulit; conditionemque Nervæ remisit, si modo in patris potestatem filius esset reductus: addidit his etiam illud, ut parva & exilis hereditas hoc onere liberaretur. Quare factum, ut jam nemo

vigesimam afferens ingemuerit; gratulabantur sibi potius, o-
ptabantque debere, quoniam magnarum opum argumentum
hoc onus esse cœpit. Præterea cum nihil utilius fore videret,
quam si quæ ubique gererentur, cito Romæ pernosci possent,
publicos cursores instituit, quod munus saluberrime à nostro
usurpatum, posteri principes, ut sæpe fieri solet, in insolentiæ
& avaritiæ satellitium verterunt. Atque hæc pleraque Tra-
jani instituta fuerunt, quæ ut firmius servarentur, non dubi-
tavit, quoties Romæ esset, medios inter belli terrores ipse
judiciis præsidere; disceptantiumque orationes audire, com-
pescere turbulentos, in malos animadvertere miti pœna, o-
mniaque judicis munia obire. Erat autem in audiendo pa-
tientissimus & humanissimus, in dicendis sententiis clementis-
simus, non turbulentior cuiquam vox aut immodestius ver-
bum nocuit; compescuit tumentes populos, æmulas civita-
28. tes ratione conciliavit. Discant ergo, ex his nostri principes,
non decere se voluptatibus, aut inter feminarum greges simi-
li mollitie Sardanapali more tempus consumere, imperii debe-
re curas agere; propterea natos, propterea in tanto fastigio col-
locatos esse, ut quasi ab alta turri latius Reipubl. prospicerent.
Turpe enim profecto imperantibus, omnia per præfectos aut
consiliarios gerere, quibus fide sæpe sua utilitas charior. *Æquius*
quidem, fateor (secundum Marci sententiam) est, *ut princeps mul-
torum optimorumq; amicorum consilium sequatur, quam multi boniq; ami-
ci unius principis voluntatem:* detestor tamen Claudios illos, qui-
bus *non amor, non odium, nisi indita & jussa.* eligere principem
decet ex omnibus sententiis optimam, addere quæ è republ.
videbuntur; & ubi rem probe consultaverit, mature perfice-
re. Trajanus noster præcipuis rebus administrandis ipse præ-
fuit, maxima bella ductu confecit, domi in senatum venit,
magistratus suscepit, rogavit sententias; omnia consulis mu-
nia peregit. Annonæ quoque maximam curam habuit, novo
etiam pistorum collegio reperto firmatoque; mare mercato-
ribus clausum aperuit, fecitque tantam rerum vilitatem, ut
omnia ubique nasci viderentur; frumenti cum maxime ut
magna copia esset prospexit, coëmit ex fisco, quicquid ubi-
que gentium superfluum ager tulit; idq; omne Romam con-
vectum

vectum est, ut inopibus velut à terrarum matre necessaria quæque subministrari possent. Senatus itaque cum videret, quam bene Trajani humeris sederet imperium, semper eum in officiis, semper consulem simul & principem esse cupiebat: ipse vero parcissime eum honorem recepit. Intra viginti enim ferme annos quibus imperabat, sex tantum consulatus gessit; quatuor apud Plinium legimus, quintum vero & sextum suscepisse talis prodit inscriptio, à Cl. *Boxhornio* Histor. Aug. Editore sub fine part. 3. prodita. 29.

Anconæ.

IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ. TRAJANO. Optimo. Aug. Germanic. Dacico. Pont. Max. Tr. Pot. XVIIII. Imp. VIII. Cos. VI. P. P. providentissimo. Principi. Senatus. P. Q. R. quod. accessum. Italiæ. hoc. etiam. addito. ex pecunia. sua. portu. tutiorem. navigantibus. reddiderit.

Utrumque autem quando susceperit, aut quid in eo gesserit certo non constat: de primo supra dictum, alterum à Patre accepit Germaniæ præsidens, tertium & quartum cum Romam revocatus à bello rediisset, in quib. plurima moderationis suæ specimina edidit, quæ nunc cum ceteris ejus virtutibus conjungemus. Non autem is ut Augustus, quem præceptorem ab Trajano habitum diximus, iniquis cædibus & proscriptionibus satiatus, clementiæ civilitatisque studium affectavit: nec sine discrimine omnibus pepercit, ut nec omnes promiscue damnavit: mitis quædam erat severitas & non dissoluta clementia. animadvertit in malos, bonos vere honore affecit, sanabilia etiam ingenia à deploratis distinxit, illa servavit, hæc ut putrida membra à corpore Reipubl. abrupit, metu contagii: neminem vero (Constantinus in excerptis auctor est) morte multavit; semper promissi sui & jurisjurandi memor; *neminem suo jussu iri occisum.* Quare cum sæpius insidiis peteretur, non dubitavit reis ignoscere, aut leviori eos pœna afficere: parenti publico nihil inconvenientius

tius ratus, quam sanguinem subditorum effundere; per viginti autem ferme annos quibus imperabat, unicus tantum senator & hic inscio Trajano damnatus est. Quanta præterea clementia pœnitentes foverit, Lusius Quietus Maurus satis ostendit. Is Maurorum alæ præfectus, licet turpiter se & nequiter gerens ignominiose dimissus esset; quoniam tamen in Dacico primo bello, cum Maurorum iterum auxiliis res Romana egeret, ipse spontaneus miles multa egregia gesserat, non dubitavit eum virtutis præmiis, id est, plurimis honoribus ornare; quibus ægram superiori ignominia mentem adeo accendit, ut posteriori Dacico bello multa præclariora ederet: donec tandem in Oriente eo virtutis procederet, ut prætoriam quoque & consularem potestatem mereretur.

30. Sed nunc ad civilia Trajani facta progredimur; quæ ut non describenda, ita delineanda suscepimus. Omnibus itaque se æqualem præstitit, nullus tumor animo, nulla superbia menti inerat: senatu principem minorem putavit; nihil nisi eorum consensu gessit: rationem expensarum reddidit, & cum in Dacos ire vellet, ad senatum prius retulit, ut bellum contra Decebalum juberent; tum demum hoste judicato, fœdifragos adortus superavit; victisque pacem ita concessit, si à senatu impetrassent. Legibus quoque, quas alii quasi superiores spreverant, in comitiis se subjecit; candidatusque consulatus ægre post multas Senatus preces factus, juravit in verba consulibus solennia, principibus ignota, ut *si sciens fefellisset caput domumque suam Dii perderent.* inde deposito honore denuo juramento confirmavit, se *nihil contra leges fecisse.* In consulatu vero ipso quam moderate quam civiliter sese formavit? Non fastidio ille laboris primo statim die aut mense proposito edicto dignitatem abdicavit, sed per totum annum, ut unus ex senatoribus gessit; interfuit senatui; sententias dicere jussit: imprimis ut pristinam sibi libertatem resumerent, nec servituti non necessariæ succumberent, ultro precatus est.

31. Has igitur ob virtutes, ob hæc facta maximos sane honores novosque titulos merebatur: verum paucissimos ipse recepit. Obstitit privatis gratiarum actionibus; honores, quos majores sua conditione putabat, recusavit: non templa sibi statui, non flamine coli,

nec

nec aureas nec argenteas statuas poni; nihil denique divini, quodque humanam sortem excederet, sibi consecrari dedicarive passus est. Quo magis vero fugiebat honores, eo plures, ut plerumque fieri solet, consecutus videtur; longe enim honestiores, æneæ illi suæ privatisque simillimæ statuæ, quam Domitiano aureæ mediæque inter Deos collocatæ erant, imo & hoc ipsum redditæ libertatis signum videbatur, inter privatas æqualis materiæ principis imaginem videre. Hoc sc. ad Augusti exemplum fecisse arbitrandus est, de quo Suet. *Templa quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere: in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore. Atq; etiam argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes: exque iis aureas Cortinas Apollini Palatino dedicavit.* Hoc de Octavio suo laudat Sueton. qui honoribus impletus, cum quantum sæpe noceret superbia, suo exemplo didicisset, iis potuit abstinere: sed quanto majore laude Trajanus dignus est, qui nunquam vitia secutus, virtuti statim sese dedidit? Solebant autem alii Principes vel Reges cultu majestatem sibi parare, suspici se ita & à vulgo sanctius observari credentes, si insignibus imperii ipsos se venerabilès effecissent; noster vero modice & senatorie agens maximam admirationem apud omnes meruit: videres Principem pop. Rom. id est, orbis terrarum, à bellis revocatum in patriam, ut magnum aliquem Ducem à victoria redeuntem, pedibus incedere, tarde & moderate ut multitudo circumsistentium patiebatur; videres circumseptum non militum satellitumque turba, sed patrum equitumque flore; senatum osculo excipere, equitum præcipuos sine monitore, nomine compellare; clientes benigne accipere, & quasdam familiaritatis notas intermiscere; Palatium denique non ut regiam sedem, sed ædes publicas ingredi; habitum vel consulis vel senatoris cujusdam: adeo enim nulla principali pompa in publico versans erat ornatus, ut non facile nisi gravitate oris cognosceretur. Hac continentia effectum, ut, quod alii principum ambitione consumserunt, hic noster liberalitati magnificentiæque dederit. Multa per Italiam proficiscens civitatibus donavit, plurimas immunitates concessit, collationes remisit, militibus

32.

donativum, congiarium civibus divisit. Erat tum longe alia facies cum publicus parens suis civibus, quam cum impius olim dominus gementibus subditis ad leniendas injurias aliquid raptarum pecuniarum distribuebat. fiducia & innocentia lætus princeps dabat; accipiebant illi cum gratulatione & votis. Non infantia cuiquam sua, non absentia, aut corporis valetudo nocebat, incidi omnes in publicas & annonarias tabulas, nec preces eorum sustinens expectare, jussit: ceteris, quibus conditio sua præstituto die adesse negasset, accipere, quando commodum esset, monitis, minus scilicet bono liberalique principe dignum existimans: beneficentiam suam certo tempori alligare; debere quin etiam intercedere casibus, & fortunæ occurrere, necessitatemque benignitate levare. Maximam ergo hinc laudem, non minorem tamen spe-
33. ctaculis largiter exhibitis meruit; quæ adeo benigne præbuit, ut omnes antecessores suos, sicut ceteris in plerisque ita & hac in laude superasse, nemo sit qui dubitet. Maximos quidem olim sumptus Domitianus, maximos Nero histrio simul & princeps in ludis edendis fecerant, omnes tamen ii & molles & effeminati pro natura dominantium fuerunt: noster autem vel maximam inde gloriam adeptus videtur, quod nihil enerve, nihil fluxum in ejus theatro visum est. Gladiatores dedit post primum Dacicum bellum, spectaculum ad pulcra vulnera & honestam mortem incitans. In his quamvis omnia P. R. magnitudine digna videbantur, maximo tamen gaudio cives pios afficiebat principis aspectus; qui non, ut aliorum superbia fecerat, cavea inclusus suis ludis præsedit; sed medius inter senatores copiam sui omnibus præbens, nihil ad populi lætitiam augendam prætermisit: admonuit ultro ut peterent ab sese quicquid placeret, nec petita illis denegavit; gavisus scilicet totiesque materiem novæ laudis præberi sibi existimans; quoties benefaciendi occasionem accepisset. Altero inde Dacico bello prospere confecto spectacula centum viginti tres dies fecit: feræ & mansuetæ bestiæ sæpe mille, sæpe decem millia cecidere; gladiatorum quoq; quinq; millium paria uno tempore dimicarunt: nihil deniq; virilis exercitii erat quod

quod omittebatur, Post hæc, plurima & maxima ædificia publice extruxit; in quibus celeritatem an amplitudinem magis mirer nescio: porticus populari delectationi, cultui Deorum ædificavit delubra, quæ opera ea velocitate sunt absoluta, ut non arte facta, sed quodam munere Deorum sua templa juvantium ab rudi materia in ædificia conversa viderentur: portus quoque fieri curavit, vias munivit, paludes Pontinas lapidibus stravit, & publicis ædificiis circumsepsit; pontes etiam quam magnificentissimos struxit; inter quos primas facile obtinere potest ille Danubio impositus, de quo supra jam diximus. Inter urbana vero opera maxime Circum ab eo positum mirari soleo: quem etsi ita ædificasset, ut populo Romano dignus esset; omnibus tamen illud præfero, quod primus ipse Senatorum & Principum in Circo æquavit locum. Habuit Cæsar suggestum, retinuit Augustus; ceteri, excepto uno aut altero, quasi cavea inclusi, præ nimia superbia, aspici quoque ab suis hominibus contra majestatem putarunt: Nerva quidem maximæ civilitatis vir fuit, verum breve imperium & turbatus Reipubl. status facile eum ab his averterunt: Trajano primum post sedatum domesticum malum, exterosque devictos, fortuna non invidit, ut his quoque magnificentiæ monumentis gloriam suam augeret. Omnibus itaque perfectis, quasi complementum ceterorum operum columnam maximam collocavit, tum ut ibi sepeliretur, tum ut ædificia ab eo facta circa forum, *quod vel* (ut recte Cassiodorus judicat) *sub assiduitate videre miraculum est*, ostenderet. columna autem in loco montoso posita est & tam alte in terram defossa, ut vix dimidium emineat, cetera omnis pars sub terra conditur. Ita totam urbem exornavit Trajanus, nec erga singulos minus beneficus fuit; bonos in maximo semper honore habuit; longe scilicet ab dominantium ambitione alienus, *demptum* (Curtii verba sunt) *sua gloriæ existimantium, quidquid cedit alienæ.* potius Livianum senem, qui *latus ad suam gloriam alios ascendere videbat*, secutus est. Quare & Sossio & Palmæ & Celso non dubitavit statuas ponere. fidelisque Quæstoris diligentiam in senatu allegare, tertium denique consulatum privato dare, quem ipse recusasset; satis superque

honorum in Principatu se accepisse, nec necesse habere dignitatem per se maximam consulatibus augere existimans. Plinium quoque, qui Panegyricum suum solennis gratiarum actionis loco Trajano dixit, post præfecturam statim ærarii, consulem designavit; aliosque multos maximo honore affecit: donavit illis quam plurima, nunc elegantissima prædia, nunc pretiosam supellectilem, aut alium Principalis pompæ ornatum. Ita enim ab omni luxu atque superbia procul erat remotus, ut cum venderet multa supervacua, priorum olim avaritia conquisita, plura tamen donaret: circumferebatur ingens tabula rerum venalium, in qua dies, leges, conditiones inscribebantur; licebantur cives, emebant, utebantur; nihil inter privatum & principem intererat: quam laudem ut in omni-
55. bus rebus, sic præcipue in frugalitatis studio sectabatur. Ædes non ultra magni alicujus Consulis aut Imperatoris modum, habitus senatorius erat; in publicum enim quam magnificus, tam parcus in privatis fuit. Sic paupertate magistra effectum, ut nihil quicquam ad se raperet aut contumeliis facile crederet: nullam unquam vim testamentis intulit, neque ut parum gratum aut sui officii imemorem damnavit eum, qui non principem scripsisset heredem. accusare licuit fiscum, imo vincere, paruit princeps civium judiciis; & suà quæque dominis reddidit: nihil magis optans, quam sanguinem quoq; impie occisis refundere. Suram vero Trajani amicitia validum, cum invidia fortunæ ejus, quotidie apud principem ut parricidam & impias insidias sacro capiti struentem amici calumniarentur, ipse gnarus aulicorum perfidiæ, calumnias adeò sprevit, ut ad Suram veniens, ultro dimissis corporis custodibus, medicum accusati, ad se vocatum curare oculos jusserit, mentoque raso lotus apud illum cænaverit. sic detecta fraude, cum postero die solito more calumniatores rediissent, *Sura si me occidere voluisset certe heri fecisset*, illis respondit. quo audito, cum intelligere Trajanum, quid ageretur, sensissent, impio incepto destiterunt. Quantum autem tribuerit huic homini non vivo solum sed jam mortuo, vix satis digne explicari potest; non enim contentus publica sepultura affecisse, statuam etiam posuit variisque honoribus ornavit. Discere hoc exem-

exemplo licet, quanta fide atque facilitate amicitias coluerit, quas exulantes ille reduxit in aulam; nunquam ambitio, nunquam avaritia ad suorum sanguinem optimum principem impulit; invitavit ad cœnam; visitavit ægrotos; &, quod majus est, solemnes dies cum illis aliaque pietatis officia celebravit: candidatos vero consulatus osculo excepit: quæ res Senatui, præter alia quæ eo die Principi acclamata sunt, hanc quoque vocem expressit: TANTO MAJOR TANTO AUGUSTIOR. Vera & huic tantum principi conveniens acclamatio; qui quo magis ab culmine suo atque alta illa (ut ita dicam) specula descendit, eo magis ascendisse visus est. *Nam cui nihil ad augendum fastigium* (ut recte Panegyrista noster inquit) *superest, hic uno modo crescere potest, si se ipsum submittat securus magnitudinis suæ.* Sed properandum est, ne justæ disputa- 37.
tionis paginas nostra excedat oratio. Ad studia litterarum nunc devenio, quæ nulla in eo fuisse jam supra diximus: verum eo mirabilior, quod nunquam humanioribus litteris imbutus, Philosophorum præcepta actu ipso expressit, quibus ut sapientiæ doctoribus summos semper honores habuit; laudabant & ipsi ejus acta, eumque boni viri titulum tueri posse, dicebant non qui recta scit, sed qui recta agit. Quare ne pauperibus subsidia ad liberales artes deessent, publicis sumptibus Bibliothecas extruxit, ut acciperent ex iis, unde res pulcras penitus perdiscerent, sibiq; & Reipubl. prodesse possent. Fecerunt forsan talia & mali principes: verum si rem penitius introspexeris, omnia simulatione plena reperies. noster autem vel maxima laude ideo mihi dignus videtur, quod nihil fucatum, nihil subdolum ejus vel dictis, vel factis inerat; sed simplex quædam & sine fraude mala veritas elucebat. Ergo facile Trajano creditum est, nec unquam verba principis à mente dissentire Patres metuebant: omnes libere loquebantur, & superiores non tam principes, quam impios dominos subinde execrabantur; de suo vero imperatore idem publice quod privatim, idem intra ædium parietes quod in foro lo-
quebantur. Sic erga cives suos se Trajanus exhibuit, nec in- 38.
iquior erga provincias fuit. Ægyptus cum fame laboraret, languidius exundante Nilo; non longius ab auxilio quam à

prin-

principe aberat. igitur ubi ventosa gens & populum gentium victorem ab se ali semper gloriata, inopiam suam invita tunc & vix propriis calamitatibus credens, fateri coacta est, paratas statim copias offendit; quae quasi creditae quondam aliis, nunc sibi redderentur. vidit ergo tum superba natio se non populo Romano necessariam, sed pop. Rom. sibi utilem esse; vereque de urbe Roma respectu orbis terrarum dici, quod senex Menenius apud Liv. de Senatu respectu civitatis effatus est: Illam, sicut ventrem, in medio positam digerere velut sanguinem, & in venas dispertiri, suisque membris vitam communicare, sine illa salvum & inconcussum orbem terrarum non futurum; varia bella, varias clades, si caput tanto corpori demeretur, orituras. Verumenimvero ut nihil in terris & hac vitae contagione perfectum datur, ita & maximis vitiis commaculatum principem nostrum fuisse inficias ire non possumus. fuere autem ea amor puerorum & ebrietas. Multos exoletos aliosque deperisse certum est; imprimis autem (nam hos historici produnt *Xiphilinus & Constantinus in excerptis*) Pyladem histrionem & Arbandum Ægbari regis filium, insigni forma excellentique statura juvenem, quem tantum apud principem nostrum valuisse legimus, ut parenti suo facile iratum & bellum contra eum parantem placaverit. Vini vero cupiditatem quod attinet; huic vitio, licet minime excusandus, eo tamen aliquo modo prospexisse *Victori* vidétur: quod mandavit suis: *ne lar-*
39. *gius se cœnante imperata quisquam faceret.* Inter narrandum jam mihi occurrit elegantissimus ille locus, quo Julianus, in aurea illa de Cæsaribus Romanis fabula, salse Trajani vitia perstringit: cum in concilium Deorum venientem, ita Silenum dixisse fingit. *Hoc tempore maxime summa cura, & diligentia adhibenda Domino Jovi est, ut ei servetur Ganymedes*, vel, si *Cunaeo* magis interpreti, quam *Carolo Cantoclaro* credimus; *ut Ganymedes pocula conservet.* qua diversa explicatione tum amores ejus tum vinolentia notantur. Egregia hactenus Trajani facinora & turpia vitia narravimus: nunc tristia quoque, quæ ejus imperium habuit, sumus dicturi. Ea autem hæc ferme sunt. Uno terræmotu quatuor Asiæ, Elea, Pitane, Myrina, Cyme, duæ Græciæ Opuntiorum Oritorumque urbes subversæ. Iterum alio tres Gala-

Galatiæ civitates dirutæ. *Oroſius* ſeptem, quatuor illas Aſiaticas & tres Galatiæ urbes ſimul collapſas ſcribit; ſed rectius haud dubie *Euſebius*, teſte *Scaligero*, qui imprudentiam *Oroſii* hac in re notat. Romæ quoq; ſub ejus imperio aurea Neronis domus incendio conflagravit; & Pantheum fulmine concrematum. Omnibus tamen his tetrius, omnibus truculentius, quod 40. tam atrociter Chriſtianos homines perſecutus eſt. Sub ejus imperio Simon Epiſcopus Hieroſolymitanus centum viginti annos natus, quem ipſa ætas ab omni ſupplicio vindicaret, poſt multos cruciatus, flagellationes, & verbera, tandem cruci affixus Chriſtum Salvatorem ſuum, ut vita ſemper ſic morte ſecutus eſt. Ignatius quoq; Antiochenæ Eccleſiæ præpoſitus cum Romam perduceretur ob Chriſtianam religionem, beſtiis eſca datus eſt. Ubi quanta divini viri fortitudo fuerit, ipſius Epiſtola qua petiit ab Romanis, ne ſe martyrum laude indignum judicarent, teſtatur. Alexandrum quoque, quem nonnulli ſub Adriani, *Viterbienſis* rectius (ut ego arbitror) ſub Trajani imperio interfectum, Evariſtumq; truculenta morte periiſſe ſcribit, cum *Euſebii Epitomator Haymon* obiiſſe tradat. Utcunque ſit, certe maxima fuit perſecutio, in qua multa millia ceciderunt: nullis tamen Diaboli artibus Evangelii doctrina ſublata eſt, plures ſemper remanebant; neque occulte Chriſtum ſuum coluere, ſed gratulantes ſibi ad ſupplicia corpus ultro obtulere. Qua conſtantia (ut Conſtantinus in excerptis ex Antiocheno tradit) permotus Trajanus, cum ad occidendos Chriſtianos non ſufficere præfectorum manus videret, vetuit quemquam hujus criminis aut accuſari aut puniri. ad quam clementiam eum primum moviſſe exiſtimamus Plinium Panegyriſtam noſtrum, qui tum Bithyniæ præpoſitus de Chriſtianorum religione ad Trajanum ſcripſit, ſimulq; conſuluit, quid impoſterum ſibi faciendum eſſet; nihil enim eos homines contra mandatum Cæſaris peccare, præterquam quod Ethnicorum Diis nulla ſacra faciant, & antelucanos hymnos cantent, quibus Chriſtum ſuum ut Deum venerentur: præterea ſevere diſciplinam regere, homicidia, furta, adulteria, ſcorta apud eos illicita, quieteque agere. Quibus epiſtolis perlectis ſtatim novum animum, novumque conſilium ſumpſit, ita Plinio

nio ſuo reſpondens: *Non inquirendum hoc genus eſſe, ſed oblatos puniendos.* Magna moderatio viri, quæ nec in media perſecutione latere poteſt. Hiſpani certe, qui Chriſtianos ſeſe jactitant, longe ſunt Ethnico hoc inferiores; non enim delatos modo puniunt, ſed & non accuſatos à latebris ſuis protrahunt: quæ etiam res memorabilem iſtam vocem *viro præcipuo Ludovico Vivi Hiſpano cum in c. 52. l. XVIII. Auguſtini* de Civ. Dei notas ſcriberet, expreſſit. UTINAM MODERATIONEM HANC
41. SEQUEREMUR HODIE CHRISTIANI. Hæc igitur ſunt quæ de vita moribusque Trajani dicenda putavi: ſupereſt ut luctuoſiſſimam nunc ejus totique orbi terrarum funeſtam mortem perſequar. Aqua intercute laboravit, cujus morbi cauſas varias produnt: alii quotannis ex inferioribus Trajani partibus multum ſanguinis profluxiſſe, tradunt: eo vero anno ſiſti primo cæptum morbi materiam præbuiſſe: alii apoplexia correptum autumarunt; ipſe venenum ſibi datum putavit. Mortuus eſt Selinunte decimo nono imperii anno, quod oppidum inde Trajaniano nomini poſteritas conſecravit, ut Trajanopolis vocaretur. Poſt mortem inter Divos relatus, oſſa aurea urna condita in urbe, quod nemini ante Trajanum contigit, ſita ſunt: ejusque memoriæ tributum, ut non aliter ſuo tempore Eutropius (vixit is *Valente* Imperatore annos poſt Trajanum plus CCXL) principibus acclamatum ſcribat, quam FELICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAJANO. Habebunt hic viri Principes atque Magnates unde virtutis ſibi incitamentum ſumant; dum vident, nunquam poſteros bonorum laudes reticere; vivere atque ſpirare in eorum animis ſalutares Reges; hosque mirari, hos ſuſpicere ſolere, quos publico bono regnaſſe ſciunt. Sperabunt ergo eadem ſibi poſſe contingere, & certe ſperent, de poſterorum pietate ne dubitent, quæ nunquam defraudavit bonos principes, ſi modo, quod ego omnium Imperatoriarum virtutum fundamentum complementumque judico, quodque de ſe dixiſſe Trajanum cum amici ut nimis civilem increparent, *Eutropius* ſcribit, TALES IMPERATORES SINT PRIVATIS,
42. QUALES SIBI PRIVATI OPTARENT. Laciniæ nunc loco addere liceat, quæ Damaſcenus de Gregorio Pontifice fabulo-

bulose scripsit. Hunc, cum sacrificans per forum Trajani iret, ardentissimis precibus Deum orare cœpisse, ut data venia, solutaque pœnis anima Trajanum ad se recipere, æternæque vitæ participem facere vellet; mox divinitus talem accepisse responsionem. *Preces tuas audivi, & veniam Trajano do. tu vero deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras.* *Vuerbiensis* rem totam additis aliis fabulis, inficetis quibusdam & incultis versibus inclusit; quos licet non adeo memoratu dignos sciam, cum tamen, quæcunque de Trajano disperse extant, colligere constitutum sit, facilem me huic rei veniam apud æquos judices impetraturum spero. Versus autem ii tales sunt.

Trajano jam defuncto post tempora multa,
Gregorio Papa, Romana potentia functa,
Trajani Regis gesta vetusta legit.
Prælia gesturus pergebat ab urbe monarchus,
Pontis apud Tiberim properans dum transiit arcus,
Obvia stat vidua, mota querela sonat.
Heu (ait illa) meum rediens ulciscere natum,
Nam morior, dum sic video cervice necatum,
Hoc scelus imperium vindicet, ecce caput.
Cæsar ait: pugnabo prius, curabo redire:
Illa refert; si non redeas quo vindice fiet?
Quam laudem Deus hic te meruisse sciet?
Rex satis iratus jubet ut vindicta feratur;
Post abiit, sed non rediit, quia Marte necatur;
Unde virum laudem plus meruisse patet.
Hoc pietatis opus dum Gregorio memoratur
Ingemuit, pro morte viri multum lacrimatus,
Orat ut alma Dei dextera parcat ei.
Dum jacet in precibus, stans angelus increpat illum,
Scis quia non habuit baptismatis ille sigillum?
Quomodo tu lacrimis dona neganda petis?

Ast homo tu paucis opus expetis hoc pietatis,
Quo semel indulto non amplius ista petatis,
Trajanus requiem, te rogitante, capit.
Excessit præsul, sed non permansit inultum,
Angelico pulsu femur ejus tempore multo
Claudicat, & pœnæ corpore signa tenet.

Habes hic, benevole Lector, quidquid Trajanus omnium, Juliani sententia, clementissimus Princeps bello paceque præclare gessit; tu quæ parum à me concinne tibi dicta, vel plane omissa videbuntur, tuo judicio addes vel corriges; facile mihi interea veniam daturus, si in tali viro describendo juvenis hallucinor, *qualem* (ut cum Aurelio Victore loquar) *vix ægreque exprimere valuerunt summorum virorum miranda ingenia.*

VITA
FLAVII CLAUDII CUM ADJUNCTA COMPARATIONE TRAJANI.

1. ATque Trajani quidem vitam exposui, paullo illam fusius, quam mihi describere in animo fuit: Claudii vero cum comparationis, &, ut ita dicam, politicæ commentationis causa addatur, quæ ad hoc tantum institutum facient, afferemus. Sunt autem duo Reipublicæ tempora; itaque & clarorum virorum, præcipue bene imperantium, duplices artes esse debent, quibus bellum pacemque commode tractare sciant: quas ut tranquillæ facilius, ita turbidæ res magnificentius multo ostentant. vere hic materia; vere virtutis exercendæ latissimus campus panditur. Quare Principum horum gesta considerans, magis eos mirari multoque ceteris anteponere soleo, quia turbatum publicum statum strenue & sapienter correxerunt. Quod ut Trajanus fecerit, jam supra diximus. Claudius vero plane sicut ille, seditiosos è me-

è medio sustulit, Remp. bonis legibus firmavit, easque summa diligentia custodivit. Gallienum primo prodigiosum non principem sed Dominum, non Regem sed tyrannum, licet minime ambitiosus, publicæ tamen utilitatis caussa, alienum auctorem secutus, ab imperio depulit. Aureolum vero hostem ab Senatu judicatum eo usque persecutus est, donec apud pontem, quem postea Aureoli dixere, eum adeptus judicio militum interemit; sæpe scil. animo repetens; quod primo principatus die ab cuncto senatu sibi mandatum esset. CLAUDI AUGUSTE, TU NOS AB AUREOLO VINDICA. Hic stimulus maxime nostrum ad persequendum acriter tyrannum accendit. non enim pater ut dubiis rebus subveniret, ut seniles lacrimas ulcisceretur mandavit: Respubl. veluti stans ante Claudium egit cum illo, ut sic Princeps esset, si libertatis vindex, si pristini status restitutor existeret. hoc ille sibi exequendum ratus non Romam modo à tyrannide armis vindicavit, sed & ejus vitia legibus correxit. quare factum ut plus illi pax, quam bellum; plus occisus Aureolus, quam vivus laboris attulerit. Sanxit autem constitutiones plurimas & optimas, quas utinam nobis non invidisset, præter unam aut alteram, temporum iniquitas, utilissimas haud dubie res tanti viri scripta suppeditassent. Incidit autem in ea tempora Princeps noster, ubi maxime virtutibus bellicis indigeret Respubl. ut enim supra Domitiani mollities & femina digni mores, ita nunc Gallieni luxuria adeo terrorem illum Romani nominis sustulit, ut omnes in eos ferrum acuerint. externi & intestini hostes lacerabant Rempubl. nec Æmilianus jam aut seditiosi pauculi milites, nec Daci turbaverant publicum statum. barbari Gothi, & hirsuti Scythæ, aliæq; multæ gentes, vix antea in Romana terra visæ trecentis viginti millibus armatis, & duobus, sive ut Zosimus tradit, sex millibus navium, vacuam in Italiam irruerunt, vastantes eam atque diripientes, tyranni regiæque feminæ (pudor) sed tenebant exercitus. Tetricus Gallias, Tetricus Hispanias, hoc est quid aliud, quam Reipubl. habebat vires. Zenobia sagittarios possidebat. arma militaria Gallieni & sævitia, & prodigalitas, &

2.

bella civilia fregere, nihil integrum, nihil non corruptum in Romana Rep. inveniebatur. In his tamen tantis angustiis positus viros ipso aspectu terribiles, sicut & alios hostes, fortitudine, autoritate, consilio, fortuna vicit, quæ qualia in Trajano fuerint, jam supra dictum; ad Claudium nunc devenio, in quo, ut vere Trebellius judicat, Trajani virtus erat. Ingentis hic ad pericula animi, fortis in conflictu dexteræ fuit, & pertinacia in labore, roburque quoddam induratum conspiciebatur. Qualis illa responsio? quam Aurelio pacem roganti dedit: *Hac petenda à Gallieno fuerant, qui consentire moribus tuis poterat, aut timere.* Digna Principe vox *non consentire malis posse*; contendere veluti cum voluptatibus, contendere cum affectibus suis; cernere alios deliciis frui, avaritia conquirere quæ per luxuriam effundant, exquisitis delectari cœnis, malis libidinibus teneri: ipsumque eadem concupiscere, impune eadem facere posse, certare tamen secum, omnesque cupiditates magnanimitate superare. Maximi sane animi indicium hoc dictum, nisi majoris forsan illud: *Neque posse timere*, videre certa pericula, nunc bella, nunc insidias, videre civiles contra se armari manus, & jam pæne jugulo imminere gladium, nondum tamen timere, persequi tyrannos, profligare hostes, fortiter contra omnia fortunæ mala perstare. Hæc unde ei audacia venerit quæris? unico tibi verbo rem magnam expediam; *innocentia* erat, qua eo pervenit, ut jam malis consentire non posset. hæc veluti magistra, hæc parens tantæ fortitudinis fuit. scivit scil. Claudius, quo acrius reip. hostes persequeretur, eo acrius bonos eum defensuros. malorum enim odio bonorum amicitiam profitemur. Tali ergo principis nostri animo, egregie corporis vires responderunt: Sæpe enim equis aut mulis dentes labefactavit, semel etiam juveni cuidam iratus omnes uno ictu excussit: semper in militia operis fuit patientissimus, ut qui nunquam per tot bella laboris pertæsus legatur. Autoritate vero non minus apud hostes quam suos valuit: Aureolum certe Claudii imperatoris nomen tantum auditum ita terruit, ut ferox ipse, & magni exercitus dux, non dubitaverit, necdum expertis viribus, Oratores ad eum mittere,

qui

qui fœdus sibi veniamque impetrarent. Suis vero quam carus pariter & venerandus fuerit, judicia senatus & aliorum principum testantur: quorum aliquot exempla nunc referemus. Valerianus in quadam ad Zosimionem epistola ita scribit. *Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus; virum devotissimis quibusque ac fortissimis veterum præferendum*: salarium quoque ei ex fisco decernit, quod quotannis ei pendere præfectumSyriæ jubet. Decius vero tribunum Claudium *Optimum juvenem, fortissimum militem, constantissimum civem* appellat, quibus ille titulis omnes mihi boni viri numeros absolvere videtur. Imbellem quis mihi virtutem dicat? potentium sæpe arma terruit. non optimi cujusque carnifex Domitianus, aut ebrius semper & crudelis Gallienus contra eam insurgere ausi sunt, Trajano ille, hic Claudio, viris veterum quibusque præferendis, summos semper honores habuerunt. Quare Gallienus, cum propter luxuriam sibi irasci optimum ducem comperisset, ad Venustum scribit, &, ut quacunque sibi ratione Claudium placaret, precatur, dona se ei misisse addit, parentemque & amicum nominat, tum quoque invidens alienæ virtuti imperator, cum eam maxime ornaret. Senatus vero quanta cum veneratione eum amaverit, acclamationes nos docent, cum nimio affectu victi temperare sibi non potuerunt; quin amorem licet non sine invidia principis publicis his vocibus testarentur. CLAUDI DUX FORTISSIME HABEAS VIRTUTIBUS TUIS, DEVOTIONI TUÆ. CLAUDIO STATUAM OMNES DICAMUS; CLAUDIUM CONSULEM OMNES CUPIMUS. QUI AMAT REMP. SIC AGIT; QUI AMAT PRINCIPES, SIC AGIT. ANTIQUI CONSULES SIC EGERUNT. FELICEM TE, CLAUDI, JUDICIO PRINCIPUM, FELICEM TE VIRTUTIBUS TUIS, CONSULEM TE, TE PRÆFECTUM. VIVAS VALERIE; AMERIS A PRINCIPE.

Hæc autem ut sibi acclamarentur, non manu magis forti quam prudentia meruit; vero scilicet heroici spiritus temperamento: quo efficitur, ut nec fortitudo in audaciam, nec cautio in timiditatem degeneret. Consilium maxime fuit, 4.

quo Gothorum tantas copias parva manu devicit: diligentia, qua naufragia priorum Principum collegit; qua omnes exitus ita obſepſit, ut vix Gothicæ cladis ex tanta multitudine nuncius ad ſuos domum penetraverit: nunquam temerarius ipſe rem facile fortunæ commiſit; glorioſius ratus, conſilio quam prœlio hoſtes vincere: hoc enim & rudem & barbarum ſæpe præſtare, illud non niſi viri ſapientis eſſe. rarò itaque acie pugnavit; ubi tamen neceſſitas aderat, non timuit pro Rep. pericula ſubire. Quare ſecuta, ut ſolet, virtutem fortuna, Claudio ejusque legatis, ſicut & Trajano, propitia ſemper adfuit, nunquam enim per tot bella inter tot rerum diſcrimina aut ipſe aut ejus milites cæſi ſunt: niſi quod rebus ſecundis negligentiores ſemel facti, dum prædis avertendis ſtuduerunt, duo millia à paucis fugientibus barbaris interfecti ſunt: quæ tamen ignominia virtute Imperatoris mox deleta eſt; capti enim rebelles Romam ad pœnam miſſi ſunt. Alias ſemper (hac excepta, ſi ita appellari poteſt, clade) fortuna Romanis partibus favit. Imprimis nobilis eſt Gothica victoria, quam dignam putavimus, ut Claudium ipſum de ea ad Brocchum amicum ſuum ſcribentem in medium proferremus; ejus autem epiſtola talis eſt. *Delevimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia navium merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis: ſpathis & lanceolis omnia litora operiuntur. Campi oſſibus latent tecti: nullum iter purum eſt; ingens carrago deſerta eſt. Tantum mulierum cepimus, ut binas & ternas mulieres victor ſibi*
5. *miles poſſit adjungere.* Ob has igitur virtutes, has victorias non tantum Trajanum, quantum Claudium à ſuis amatum honoratumque fuiſſe, Trebellius judicat: & ſane ſpecioſe id defendi poteſt. Ille enim Adriani judicio poſt mortem triumphavit, huic à P.R. publicis ſumptibus in Capitolio ante Jovis Optimi Max. templum ſtatua aurea decem pedum poſita: huic omni cenſente ſenatu è ſimili materia clypeus in Curia ſuſpenſus: huic denique totius generis humani ſuffragiis columna cum palmata ſtatua ſuperfixa librarum argenti quingentarum in roſtris collocata. Neque adulationem hanc aut ſervitutem quis mihi dixerit; brevis ſimulatio eſt, nec modum tenere ſcit, ultra hominis ætatem non durat. ſolus amor

& poſt

& post obitum sidus manet. jam vero quanta ea sunt quæ reddidit optimo Principi senatus? una statua, aut clypeus, aut columna digna scil. tantis virtutibus pretia fuerunt. nonne P. R. hos illi honores vel pro reparato tantum imperio, vel pro servata majestate sua debuit? ego certe non dubito quin durante adhuc rep. eadem, agens eadem fuisset consecutus. magna enim merita, magna præmia poscunt. Multa sunt 6.
quæ dixi; plura adhuc quæ restant. ut enim bello fortissimus, sic pace moderatissimus exstitit, sagique gloriam togæ laudibus vicit. Ante omnia, quæ & supra maxime in Trajano laudavimus, clementiam civilitatemque studiose coluit, nec justitiæ interim immemor. quas ego tres virtutes in primo statim togati principis limine merito conjunxi, ut quæ solæ felix imperium, felicem principem efficere queant. Quid enim salvum, quid æquum nisi clementia magistra administrari potest? aut quid tandem stabile putamus, nisi cum illa commisceatur justitia, unicum rerum publicarum vinculum, quo contineri plerumque pulcherrimus imperii ille contextus solet? Recte itaque noster utramque virtutem alteram altera ut ita dicam temperavit; ne legum rigor severi & tristis, aut nimia lenitas indulgentiæ ei maculam aspergeret, quæ tyrannide plerumque est perniciosior. Stultis namque, aut errore lapsis, vel quorum de correctione nondum desperabatur, quasi negligeret, indulsit; magisque invenisse bonos videri volebat quam fecisse; ut dum probos simularet, probos efficeret. Fures vero judices palam aperteque damnavit. Utrumque prudenter; servari illos decuit ac sanari, hos puniri, homines enim sumus, omnes peccamus; humanum igitur est veniam errori dare; mederique vitiis: quod si tollas in imperio, quando gladii finis erit? qui licet multos quotidie rapiat, plures semper rapiendos relinquet, adeo, ut puniendorum te citius, quam peccantium numerus deficiat? supplicia enim sæpius repetita vilescunt, & sicut quanto plures ramos desecas, tanto plures repullulant; ita delinquentium cohors sub ense crescit. Verum diligens hic, ne nimium 7.
extrahatur lenitas, adhibenda cura: medicos imitari decet; qui quandiu salutis spes est, fomenta adhibent; ubi vero immedica-

medicabile vulnus apparet, tum demum, ne longius serpat malum, ut rescindatur summopere suadent. Deinde peccantium quoque discrimen habendum, neque eadem pœna afficiendi, qui in privatos aut unum tantum caput, & qui in Rempubl. delinquunt. illos tractari mitius, hos severius decet, & ut omnes salvi sint, in exemplum tamen magis quam ultionem, unus cædendus est. Quare & noster fures judices publicos hostes, & qui humanæ societatis vincula solvere conarentur, publice damnavit. nullus hic clementiæ locus est, neque miserationem merentur, qui nullius unquam boni viri miserti sunt, qui suam conscientiam, omnium bona & sanguinem, justitiam, patriam denique ipsam auro venalem habuerunt. nihil enim inter injustum judicem & proditorem interesse existimo, quam quod hic uno veluti ictu, ille aulatim Rempub. uterque tamen subvertant. Nunc alio me vocat numerosa Principis gloria, quasi satis jam de ejus clementia dixissem, qui nunquam sustinuit in cadavera licet pessimorum hominum sævire; qui devictum occisumque Aureolum aperte patriam oppugnantem non dubitavit honeste sepelire, pontemque, ubi ultimum diem obiit, ejus
8. memoriæ consecrare. Verum materiæ amplitudo de hac mihi re silentium injungit, ad alia nunc & moderationem Claudii, haud immerito cum Trajani comparandam, transire cogor. Solebant autem alii Principes vel tyranni, ut ipsi eminerent, meliores supprimere, bonos otio abstrusos sepultosque à Reipubl. curis amovere; malos vero in lucem protractos ostendere, ut horum ex comparatione Princeps æstimaretur. Noster vero Trajani exemplo, sua conscientia & factis fretus, gaudebat non cum vitiis sed virtutibus suorum civium certare, & sua quemque in laude vincere: magnis ergo viris nunquam ob res præclare gestas invidit, neminem suis laudibus aut Cæsar aut privatus defraudavit. Aurelianum fortissimum ducem præcipue mirabatur, quod facile epistola, qua eum ad bellum Gothicum conficiendum adhortatus est, testatur. Nihil unquam contra Senatus autoritatem fecit, sed ut bonum civem & Principem decuit, eo se minorem putavit, quotiens hostem aggredi statuisset, ad patres retulit,

ut

ut bellum contra hunc aut illum juberet: neque Aureolum tyrannum judicavit, nisi missis prius ad senatum litteris, ad populum edictis. Victis vero nunquam insultavit: neque post res præclare gestas honores aut rapuit aut superbe efflagitavit; petiit à senatu priscorum Consulum more, ut meritis suis vicem redderent; neque unquam majora sua conditione dedicari sibi permisit. quare factum, quod etiam Trajano contigit, ut post mortem maxime honores creverint, tumque demum optimus princeps coli cœperit, ubi obstare & intercedere suorum affectibus amplius non posset: sic quo minus gloriam petebat, eo majorem ipse consecutus est, nullo tempore perituram, quæ scil. est in judiciis hominum; hunc columen, hunc salutem Romanæ rei fuisse dicentium. In cetero autem cultu popularem fuisse, facile nobis tum militaris ille & severus animus Claudiani corporis habitator, tum ipsius oris majestas persuadet: illi enim longo sibi satellitum agmine & familiæ ferme natione auctoritatem quærere conantur, quorum plerumque mollissima facies & feminei oculi, artes denique his omnibus deteriores reverentiam penitus destruxerunt. Trajani vero, & Claudii, dignitatem illam oris, & majestatem corporis muliebri pompa fœdare dedignantur: atque illius quidem gravitatem jam supra ostendimus: hunc vero non minus plenus vultus, statura erecta, oculi denique ardentes decorabant, facile virum principem, facile heroem ostentantes; quæ tamen corporis ornamenta multum animi magnitudine & innocentia vicit. Cumprimis autem in eo memorabile est, quod nunquam in amicos obliquus fuerit, sed, sicut Trajanus, extulerit, foverit. Solebant alii Principes, (quod adhuc in Turcico imperio usu receptum est,) proximos suos, ne seditionis materia in regno relinqueretur, occidere: forsan apum morem secuti, quæ, ne in factiones agmen transeat, ubi optimum Regem bello probarunt, ceteros internecant. Sed miseros mortalium, quorum salus aliorum sanguine paranda est! ne credant Primorum cæde effectum iri, ut sine minore ipsi periculo regnare possint; imo tanto minus tutos sese futuros sciant, quo magis alios de sorte sua solicitos præstabunt. Securitas enim mutua se- 9.

curitate pacifcenda eſt. Melius multo noſter amicis in munimentum corporis uſus eſt. honoravit princeps amicos, ſic & amici principem: amavit illos; magis hi illum: parum enim gratus mihi videtur Principis amicus, niſi qui ut pub. bonum tantisque quotidie muneribus onerantem omnes obligantemque magis amat. Sic itaque Claudius Trajani virtutes æquavit; vitia vero effugit; laſciviam illius caſtimonia; ebrietatem continentia rependit. Præclaræ utique principis virtutes; quas utinam Trajanus quoque habuiſſet, nihil gentili ad perfectam boni Imperatoris laudem defuiſſe putarem; verum duo illa vitia, amor puerorum & vini cupiditas cetera decora labefactarunt, quibus ſi princeps eſt correptus, impoſſibile pene dixerim, quin ejus mala ad reipubl. quoque detrimentum pertineant. quid enim flagrans aut cupidus animus exoleto ſuo facile denegabit? aut quomodo ebrius Imperator Reipubl. curas aget? excuſet ſane Trajanum *Xiphilinus*, quaſi, licet his vitiis deditus, nihil tamen turpiter aut nequiter fecerit. ego vero contra reor, amatorem victam circumferre mentem; teneri (venia ſit verbo) à ſcorto, ut, quocunque velit, circumagi poſſit. Sed quid verbis opus eſt ubi res ipſa loquitur? Arbandi ſatis ad probandum exemplum: juſtum tum, ut arbitror, bellum contra patrem ejus ſuſcepit Trajanus; cur ergo invictum, quæſo, enſem cinædi preces inhibuere? non turpe hoc, non contra Rempubl. eſt? verum hæc eo à me ſcripta ſunt, ut cognitis vitiorum malis, ex comparatione virtutum bona æſtimarentur; quantum ſcilicet purus & ſobrius, & qualis Claudius fuit princeps Reip. prodeſſe poſſit, qui ſuis ſemper affectibus imperare. & animum in poteſtate habere ſciat. His ille ingenii dotibus, his animi artibus inſtructus, ultimo demum vitæ tempore ad imperium venit. & hoc in ambobus noſtris Principibus miſerabile eſt, quod primum ætatis ſuæ florem, licet ſemper tacitis votis ad imperium expetiti, in privata tamen vita conſumere coacti fuerint, cum Domitianus, & alia monſtra magis quam Imperatores, in Rempublicam ſuis mox vitiis perdendam juvenes irruperint. Claudii vero cumprimis ſortem lugere ſoleo, quod optimus Princeps, *qui* (Trebellii

Pollio-

Pollionis verba sunt) *si diutius in hac esset commoratus Republica, Scipiones bonos, & Camillos, omnesque illos veteres, suis virtutibus, suis consiliis, sua prudentia reddidisset*; jam exacto pæne ætatis spatio duobus tantum annis imperium tenuerit. Verum hoc utcunq; sit, illud me juvat aspicere, quod hi Imperatores, licet per brevissimum tempus ad gubernacula sederint, omni tamen posteritati præclaris constitutionibus & virtutis monumentis profuerint. Quare nunc te Trajane & te Claudi, non annos vestros, sed virtutes; non ætatem sed merita metiens, minime dubito FELICES appellare. FELICES VOS, FELICEM REMP. FELIX TRAJANE OPTIME Princeps, FELICIOR CLAUDI: qui cum optimus fueris, multos à tua familia optimos extituros Imperatores per oraculum scivisti. FELICES VOS judicio Senatus. FELICES VOS consensu posteritatis. FELICES VOS virtutibus vestris. Vobis similes nostra ætas Principes videat: vigeat antiqua virtus, vigeat innocentia!



AXIOMATA QUÆDAM EX MATERIA DISPUTATIONIS EXCERPTA.

1 Hispanorum virtus plurimum pace belloque Romanæ rei profuit. Cap. 1. Trajan.
2 *Græci, gens lingua magis quam armis strenua.* Ibid. Liv.
3 Meditamenta magnorum Ducum, venari, equitare, pugnare. Ibid.
4 Paupertate magistra stant severi mores, opibus dilabuntur. 2.
5 Virtute honores parandi, egregiis factis augendi. Ibid.
6 Virtus sæpe antecurrit annos. Ibid.
7 Non magis boni Imperatoris est novisse militum animos, quam regionum latebras perscrutari. 3.
8 Invidiæ molem virtutis robur superat. Ibid.
9 Laudabile & reipubl. plerumque utile est, per omnes digni-

gnitatis gradus ad summum honoris fastigium ascendere. Ibid.

10 Fama plurima in bellis profligat. Ibid.

11 Plus boni Imperatoris consilium quam militum vis valet. Ibid.

12 Æqua pax victoriæ præponenda. 4.

13 Principum domus ab orbitate vindicanda, si natura negavit filium, dabit electio. Ibid.

14 Inter omnia Nervæ facta Trajani adoptio longe fuit maximum & reip. utilissimum. Ibid.

15 Signis sæpe quibusdam aut somniis fata futura prænuntiant. 5.

16 Magni animi eum esse oportet, quem non potentia corrumpat. Ibid.

17 *Virtutes velut temperamento quodam inter se miscendæ sunt.* Ib. Victor.

18 In civilitatis studio maxime adhibenda ratio, ut teneatur mediocritas, quæ est inter nimium & parum. Ib.

19 Nimia civilitatis affectatio contemptum parit. Ibid.

20 Vulgus plerumque animi & ingenii vires negligit, corporis majestatem attollens atque suspiciens. Ibid.

21 Magnis virtutibus insigne robur addit ipsius vultus gravitas. Ibid.

22 Duo bono Imperatori necessaria sunt: suorum amor & reverentia. Ibid.

23 Bonorum Imperatorum etiam nomen terret. 6.

24 Plerisque heroibus impetus quidam in perficiendis rebus est. Ibid.

25 Non minus boni Imperatoris est, ductu quam auspiciis bella conficere. Ibid.

26 Sola virtute auctoritas & paratur, & retinetur. Ibid.

27 Timidissimus quisque ante pericula est ferocissimus. Ibid.

28 Victoriam virtus parat, sine illa nemo felix. 7.

29 Inertia dissolvuntur imperia, quæ longa industria collegit. Ibid.

30 Barbaris plerisque fide utilitas carior est. Ibid.

31 Suspi-

31 Suspicax monarchia semper in potentiores obliqua est. Ibid.

32 *Desperatio sæpe in virtutem vertitur.* Id. Just.

33 Ducis civilitas militum obstringit fidem. 8.

34 Pœnitenti hosti parcendum. Ibid.

35 Unius aliquando hostis supplicio cæteri sunt deterrendi. Ibid.

36 Magni animi vir prosperis rebus efferri nescit. Ibid.

37 P. R. plerasque gentes armis devicit, æquitate subegit. Ibid.

38. *Malus diuturnitatis custos metus est.* 9. Cic.

39 Durum & superbum imperium rebellionis sæpe caussa fuit. Ibid.

40 Fortibus viris libertas vita est carior. Ibid.

41 Maxima bella Principi conficienda, minora Legatis relinquenda. 20.

42 Ubi aperto Marte res non procedit, insidiis pugnatur. Ibid.

43 Sicariis uti, indigna militari viro res est. Ibid.

44 Bellum impie susceptum, impie plerumque geritur. Ibid.

45 *Princeps Reip. suæ vitalis veluti spiritus est, quem omnes trahunt.* Ibid. Senec.

46 Nihil magnum satis tecte agitur. Ibid.

47 Scelera plerumque homines ad nova flagitia impellunt. Ibid.

49 Virum vere constantem nec metus, nec spes movet. Ibid.

50 Perfidi non tanquam hostes, sed ut latrones bonis persequendi sunt. Ibid.

51 Res natura impeditas expedit *consilium & constantia.* Ibid.

52 Optimi quique Duces caute quam propere, consiliis quam impetu bella maluerunt conficere. Ibid.

53 Pauci heroum temeritatis notam effugerunt. 11.

54 Duo à bono Imperatore maxime requiruntur, consilium promtum & exequendi robur. Ibid.

55 Duces non orationis modo splendore, sed & forti exemplo milites accendere decet. Ibid.

56 Cicatrices decora corporis & fortitudinis testimonia sunt. Ibid.

57 Boni honorandi, ut mali ad virtutem accendantur. Ibid.

58 Hostis pertinacia victoris gloriam auget. Ibid.

59 In mortuos quoque nonnunquam quædam victori licent. Ibid.

60 Omnia victori cedunt. 12.

61 Romani non ingrati in magnos Duces fuerunt. Ibid.

62 Aliæ plerumque bellorum caussæ, alii prætextus sunt. Ibid.

63 Magnis viris familiare malum gloriæ cupido est. Ibid.

64 Plerosque Duces quos *nulla mali vincit species, perdunt nimia bona & voluptates immodicæ.* Ibid. Liv.

65 Maximi quique duces equis cumprimis delectati sunt. Ibid.

66 Boni Principis est plus pacis quam belli artibus gloriari. 13.

67 Militares viri superbi plerumque & feroces, raro civiles artes sciunt. Ibid.

68 Boni Ducis non est diu in hybernis morari. 14.

69 Viribus robur addit consilium. Ibid.

70 *Primi in omnibus prœliis oculi vincuntur.* Ibid. Tacit.

71 Civile odium grave plerumque est. 15.

72 Antequam in bello progrediamur, ut ab tergo omnia tuta sint providendum est. 16.

73 Gloriæ cupido ubi semel animos hominum incessit, sine modo paratur. Ibid.

74 *Facilius est quædam vincere quam tueri.* 17. Curt.

75 Nuper subacti hostes rigida cervice subeunt jugum. Ibid.

76 *Nihil tuto in hoste despicitur, quem si spreveris valentiorem negligentia efficies.* Ibid. Curt.

77 Orienti malo occurrendum est. Ibid.

78 In prosperis nimis quam citò sortis humanæ nos capit oblivio. Ibid.

79 Prodest imbecillitati humanæ, secundæ interdum fortunæ seriem adversis distingui. Ibid.

80 Par-

80 Parthi temporarii, feroces, crudeles ſunt, quocunque pendentes animos fortuna fert, ſequuntur. 18.
81 Pertinacia ſæpe magiſtra, quæ invicta ante viſa ſunt vincuntur. 19.
82 Reges in prœlium ituri prudenter inſignia deponunt. Ibid.
83 Ubi infauſta omina præceſſerunt, temere pugnandum non eſt. Ibid.
84 Omnia bella duabus maxime rebus geruntur, *manu & conſiliis.* Ibid.
85 Sine diſciplina militari nihil agitur, omne robur, omne conſilium evaneſcit. Ibid.
86 In quaque re optimus deligendus Dux eſt. 20.
87 Antiquum & cum generis humani damno conjunctum malum eſt, nolle ab aliis diſcere. 21.
88 Moderatus animus nunquam ſuperbe ſe ſuper ceteros effert. Ibid.
89 Non culta oratione, ſed virili exercitio militaris animus eruditur. Ibid.
90 Principis exemplum maximum diſciplinæ momentum eſt. 22.
91 Bonus Imperator immiſcere ſe militum exercitationibus poteſt incorrupto Ducis honore. Ibid.
91 Celeritas non minima belli virtus eſt. Ibid.
93 Viri vere fortis eſt neque ſecundis efferri, neque adverſis à gradu dejici.
94 Cæſis corporibus illudere barbarum eſt. 24.
95 Sine viribus præparatis bellum nequaquam ſuſcipiendum. Ibid.
96 Trajanus Alexandrum bellica laude ſi non vicit certe æquavit. Ibid.
97 Plerumque qui aliis dominantur ſibi ſerviunt. Ibid.
98 *Minimum decet libere, cui multum licet.* Ibid. Sen. in Troad.
99 Felicitas ſæpe reges ad ſuperbum avarumque imperium impellit. Ibid.
100 Rariſſima virtus eſt, ſi quis pace belloque bonus ſit. Ibid.

101 Se-

101 Senectus in principe facile contemnitur. 25.
102 Plus reverentia quam terror valet, Ibid.
103 Qui imperium suum rigoris respectu minuunt, tempore plerumque & securitate augent. Ibid.
104 Semper id reges cogitare decet non populos urbesque propter ipsos conditas, sed eorum dignitatem tuendæ reipubl. inventam esse. Ibid.
105 Reip. sæpe utile est magnis magistratibus non unum præesse. Ibid.
106 Bene imperaturi signum est, recusare imperium. Ibid.
107 Ad suscipiendum imperium maxime bonos instigat publica calamitas. Ibid.
108 Delatores scelestorum imperiorum ministri sunt, nunquam boni iis utuntur, 26.
109 Plebis affectus semper immodicus est, aut timet nimium, aut nimium lætatur, Ibid.
110 Boni Principis est, diu post se Reipubl. prodesse. Ibid.
111 Non peccata modo, sed omnis peccatorum materia præcidenda est. Ibid.
112 Lex olim majestatis omnium flagitiorum & principalis avaritiæ instrumentum complementumque fuit. Ibid.
113 Recte olim factum, quod servili odio in indiciis non fuerit creditum. 27.
114 Maxime laborandum viro Principi est, ne gravatim cives onera ferant. Ibid.
115 Saluberrima magnis imperiis res, cito pernoscere posse quidquid ubique geratur. Ibid.
116 Res publico bono inventas malitia sæpe in perniciem vertit. Ibid.
1117 Non inter minima Principis munia numerandum judiciis præsidere. Ibid.
118 Judicis boni est patienter audire, clementer sententiam dicere. Ibid.
110 Nihil Principe tam indignum est, quàm voluptati indulgere. 28.
120 Deus ideo in tantum fastigium principes collocavit, ut latius prospicerent quæ utilia quæ perniciosa futura sint, Ibid.

121 Apud Præfectos auro sæpe fides venalis est. Ibid.

122 *Quid fieri debeat cum multis tracta, quid fieri velis cum paucis, aut ipse potius tecum.* Veget. Ibid.

123 Ab initio consulto, & ubi consulueris mature facto opus est.

124 Maxime annonæ curam princeps habeat. Ibid.

125 Non vera clementia est cæde & proscriptionibus lassata crudelitas. 29.

126 *Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abscisam.* Senec. Ibid.

127 Raro hanc legem Princeps injungere sibi aut potest aut debet, neminem occidere. Ibid.

128 A vitiis ad virtutes transeuntes ut boni præmiis ornandi sunt. ibid.

129 Virtutis præmium honor est. Ibid.

130 Princeps legum imperiis est subjectus. 30.

131 *Adsuescat Imperator cum imperio calculum ponere.* Plin. ibid.

132 Principis est amplissimos honores repudiare, civiles recipere. 31.

133 Plerumque qui minime quærunt honores maxime consequuntur. Ibid.

134 Proprio quam alieno sapere plerumque damno malumus. ibid.

135 Prudens, quem alienum malum doctiorem fecit. Ibid.

136 Gloriosum viro Principi est non multa pompa, sed oculorum acie & majestate vultus cognosci. 32.

137 Boni Principis signum est domi civibus, foris milite esse circumseptum. ibid.

138 Quod mali luxuriæ, boni dant liberalitati. Ibid.

139 Principi maxime laborandum, ne quis liberalitatis suæ expers sit. Ibid.

140 Maximum liberalitatis decus ipsa dandi promptitudo.

141 Spectacula exhibere concessum, modo nihil in iis fluxum nihil enerve videatur. 33.

142 In aliis rebus severum quodammodo principem non recuso, spectaculis verò præsidens comis sit & beneficus. ibid.

143 Gaudent boni quoties liberalitatis ipsis exercendæ occasio data est. ibid.

144 Digna Principe vox est, *urbem se marmoream reliquisse quam lateritiam acceperit.* 34.

145 Superbi Principis est aspectum etiam sui civibus invidere. *ibid.*

146 Dominantes magis sæpe Præfectorum ingentes victoriæ angunt, quam clades. 35.

147 Boni Principis est non contundere vividos spiritus, sed fovere & attollere. Ibid.

148 Luxus & superbia muliebria vitia sunt, procul ab iis abesse & virum & Principem decet. Ibid.

149 Princeps de suo civibus donet, in publica pecunia tenax sit. Ibid.

150 Princeps pauca in ornanda domo consumat, magnificus sit in publicum. 36.

151 Paupertas plurimarum virtutum, præcipue innocentiæ magistra est. ibid.

152 In procurandis fisci utilitatibus minime Principem decet esse severum. ibid.

153 *Fortuna comes invidia.* Ibid. Vell.

154 Aulici plerique ad calumniandum maxime parati; ubi materia data est vix satis apertum os, vix lingua promta videtur. Ibid.

155 Pauca credere, cavere in omnibus regium est. ibid.

156 Præcipuum principis opus est amicos parare. Ibid.

157 In amicum quandoque se Princeps ex Imperatore per familiaritatis officia submittat. Ibid.

158 *Princeps nulla magis re crescere potest, quam si seipsum submittat securus magnitudinis suæ. ibid.* Plin.

159 Sapiens non scientia sed rerum actu censetur. 37.

160 Maxima boni Principis laus est artes liberales omni ratione juvare. *ibid.*

161 Prima principis virtus est nil fraudis causa simulare. *ibid.*

162 De bono principe *eadem homines secreto loquuntur quæ palam. ibid.* Seneca.

163 Princeps terrenus veluti Deus est, prospicere semper debet, ne quis egeat. 38.

164

164 Ægyptiorum ventosa & insolens est natio. *ibid.*
165 Civitas imperii sedes, subditorum veluti mater & tranquilli status est conservatrix. *Ibid.*
166 Nihil perfectum in terris datur, omnis virtus vitiis est commixta. *ibid.*
167 Nihil truculentius à Trajano factum quam persecutio in Christianos. 40.
168 Qui in religione variant nequaquam gladio sunt sed rationibus convincendi. *ibid.*
169 Virtuti non magis [quam] soli latere contingit, emicat semper, semper lucet. *ibid.*
170 Æqui moderatique principis bona malaque ad rempubl. pertinent. 41.
171 *Bonorum mors vita sæpe clarior, ubi anima naturæ cessit, ipsa se virtus magis magisq́; extollit. ibid.* Sallust.
172 Posteri suum cuique decus rependunt. *ibid.*
173 Tales Imperatores se privatis præstent, quales si privati essent ipsi optarent. *ibid.*
174 Fabulæ interdum delectationis gratia in historiis habent locum. 42.
175 Trajani res gestæ ita amplæ magnificæque fuerunt, ut vix exprimere valuerint summorum virorum miranda ingenia. *ibid.*
176 Trajanus clementissimus, Juliani sententia, princeps fuit. *ibid.*

Excerpta ex Claudij comparatione.

177 Bonum civem duplici scientia decet esse instructum, qua bello paceque rempubl. juvet. 1.
178 Res asperæ fulgorem quendam virtutibus addunt. *ibid.*
179. Tria sunt quæ turbatam rempubl. tranquillam efficere queunt, seditiosorum supplicium, optimarum legum rogatio, sancitarumque conservatio. *ibid.*
180 Tyranni aliquando jure occidi possunt. *ibid.*
181 Seditionum & turbarum auctores gladio tolluntur, earum vero vitia legibus corriguntur. *ibid.*

182 Omnem principem & libertatis vindicem & optimi status reparatorem esse decet. *ibid.*

183 Præcipuæ in rege contemptus causæ ignavia & luxuria. 2.

184 Nulla res æque rempubl. corrumpit ac contemptus principis. *ibid.*

185 *Vanis & inanibus magis sæpe miles, quam justis formidinis causis movetur. ibid.* Curt.

186 Quatuor potissimum rebus hostes vincuntur, *fortitudine, autoritate, consilio, fortuna. ibid.*

187 Fortis viri est non timere in adversis, acris in conflictu dexteræ, constantis in labore roboris esse. *ibid.*

188. Omnes cupiditates magnanimitate superantur. *ibid.*

189 Innocentiæ studio eo pervenit princeps, ut malis consentire nequeat. *ibid.*

190 Virtus ubi ad robur quoddam pervenit, inexpugnabile munimentum est. *ibid.*

191 Alienas sæpe virtutes tyranni ornant, quas ipsi oderunt. *ibid.*

192 Plerisque affectibus cogendi quædam vis inest. *ibid.*

193 Prudentia heroici spiritus temperamentum est. 4.

194 Providentia cum fortitudine juncta efficit, ut nec hæc in audaciam præceps ruat, nec illa in timiditatem degeneret. *ibid.*

195 Nihil temere fortunæ committendum. Ducem respicere magis quam prospicere decet. *ibid.*

196 Non gloriosum minus Duci est consilio, quam gladio vincere hostes. *ibid.*

197 Armis sæpe barbari vicerunt, consilio non nisi sapientes. *ibid.*

198 Pro republ. pericula subire nemo prudens vir dubitat. *ibid.*

199 Fortuna virtutis plerumque comes est. *ibid.*

200 Res secundæ negligentiam sæpe pariunt. *ibid.*

201 Post magnas victorias præda sæpe inter milites virtutis causa utiliter distribuebatur. *ibid.*

202 Simulatio nullum modum tenet, citoque detegitur. 5.

103 Amor vel ad perpetuitatem fidelis est. *ibid.*

104 Vir-

204 Virtuti nullum dignum præmium est, nisi factorum conscientia. *ibid.*
205 Singularis virtus, singulare præmium poscit. *ibid.*
206 Clementia, civilitas, justitia primæ principalis fastigii virtutes sunt. 6.
207 Justitia unicum reip. vinculum est, qua mali coërcentur, sicut boni defenduntur. *ibid.*
208 *Malo principem sub quo nihil, quam sub quo omnia liceant. ibid.* Xiphil.
209 Optimum correctionis genus est correctionem dissimulare. *ibid.*
210 Nullam errori veniam concedere ferum & inhumanum est. *ibid.*
211 Tyrannis nunquam occidendi materia deest. *ibid.*
212 Supplicia multitudine ipsa vilescunt. *ibid.*
213 Crebris suppliciis plerumque scelera crescunt. *ibid.*
214 Clementia desperatæ indolis homines tegere non debet. 7.
214 Qui in rempubl. peccant severius tractentur, ceteri habeantur mitius. *ibid.*
216 Nullum supplicium ultionis sed exempli causa fiat. *ibid.*
217 Justitiam qui violat reipubl. nexum solvisse videtur. *ib.*
218 Judicia qui vendere, nihil non auro venale habere audent. *ibid.*
219 Injustus judex & reipubl. proditor eadem ferme pœna afficiendi sunt. *ibid.*
220 Tyrannis familiare dominationis illud arcanum; eminentia capita resecare. 8.
221 Bonum principem juvat cum virtute, non vitiis suorum civium certare. *ibid.*
222 Principis animus procul ab omni invidia sit remotus. *ib.*
223 Non minus fortis est consulere victis, quam feroces vincere. *ibid.*
224 Honores nec rapiendi, nec superbe efflagitandi sunt. *ib.*
225 Vera gloria non in statuis sed hominum judiciis consistit. *ibid.*

226 Mortalem se & hominum officia fungi Princeps sciat, procul ab suo cultu divina removeat. *ibid.*

227 Graves & militares viri corpus muliebri pompa fœdare dedignantur. 9.

228 Molles & ignavi Principes, corporis plerumque ornatu majestatem sibi parare conantur. *ibid.*

229 Natura venerabile plerumque aliquid corpori heroum indidit. *ibid.*

230 Corporis gravitatem animi magnitudine superare vere regium est. *ibid.*

231 Tyrannicum & impietate plenum est sub publ. securitatis prætextu proximos suos occidere. *ibid.*

232 Misera conditio eorum quibus, ne ipsi pereant, multi perdendi sunt. *ibid.*

233 Illis cumprimis timendum qui timentur. *ibid.*

234 Præclare illi suæ securitati consulunt, qui civibus in munimentum corporis utuntur. *ibid.*

235 Amicus Principis magis etiam imperatorem suum amare debet, quam imperator amicos. *ibid.*

236 Amore flagrans aut vino oneratus animus reipubl. consulere nescit. 10.

237 Amatoris mens victa est, totus ab alterius arbitrio pendet. *ibid.*

238 Vitia ideo sunt explicanda, ut turpitudo reliquos deterreat, & ex contentione virtutis decus appareat. *ibid.*

239 Omnis princeps sibi cumprimis imperare & animum in potestate habere discat. *ibid.*

240 Vera felicitas virtute paratur. 11.

COROLLARIUM, id est, enodatio textus Aristot. qui extat l. 2. pol. ab initio.

ΕΠΕΙ δὲ προαιρέμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς, ἡ κρατίςη πασῶν τοῖς δυναμένοις ζῆν ὅτι μάλιςα κατ' εὐχὴν, δεῖ κ̀ τὰς ἄλλας ἐπισκέψασθαι πολιτείας, αἷς τε χρῶνταί τινες τῶν πόλεων τῶν εὐνομεῖσθαι λεγομένων. κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν ὑπό τινων εἰρημέναι, κ̀ δοκῦσαι καλῶς ἔχειν, ἵνα τό τ' ὀρθῶς ἔχον ὀφθῇ, κ̀ τὸ χρήσιμον.

ἔτι

ἔτι δὲ τὸ ζητεῖν τι παρ' αὐτὰς ἕτερον, μὴ δοκῇ πάντως εἶναι σοφίζεσθαι βουλομένων, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ καλῶς ἔχειν ταύτας τὰς νῦν ὑπαρχούσας, διὰ τοῦτο ταύτην δοκῶμεν ἐπιβαλέσθαι τὴν μέθοδον.

QUONIAM conſtituimus explicare de communitate civili, quæ omnium ſit optima iis, qui quam maxime ex ſententia vivere poſſint: alias quoque Reſp. ſpectare oportet, & quibus civitates quædam, quæ bene temperatæ dicuntur, utuntur. & ſi quæ aliæ ſint. à quibus explicatæ, hoc eſt, deſcriptæ (philoſophis) & bene ſe habere videntur: cum ut, & quod rectum & quod utile, perſpiciatur: tum etiam, ut quærere aliquid ab iis diverſum, ne videatur prorſus eſſe oſtentare ſe volentium: ſed quia illæ, quæ nunc ſint, non recte ſe habeant, propterea hanc rem ſuſcepiſſe videamur.

ARiſtoteles omnis ille ſcientiæ perſcrutator ſubtiliſſimus, cum in primo Politicor. libro ſocietatis initia, familiam nimir. & vicum penitus jam pertractaſſet, in altero ad vere civilem prudentiā progreſſus, elegantiſſima ſane methodo præcipuas ejus temporis reſp. critice ſibi examinandas propoſuit; ut, quicquid in quaq; re optimum, quicquid utiliſſimum futurum ſit, perſpecto, omnia in ſuum opus conferret. quod inſtitutum ipſius autoris exordium prolixius explicat; ubi de omni ſcriptoris politici officio, quem finem is ſibi propoſitum habere, & quomodo eum adſequi debeat, prudenter diſſeruit. qua de re, quantum nobis ipſe Philoſophus materiæ ſuppeditabit, dicere nunc eſt animus.

Ante omnia autem, qui de civitatibus ſcribere cupiunt, id primum ſpectare decet, ne ſine certo ſcopo aut fine errantes, temere ſtatim præcipiant: ſed ab initio ſibi proponant optimam ex omnibus rempubl. condere. Quæ præſtantia omnis conſiſtit 1. in honeſtate, ut bonis legibus & conſtitutionibus munita ſit civitas, ſine quibus nulla ſocietas durare poteſt. hoc unicum illud eſt vinculum, quo continentur maxima imperia. 2. conſiſtit etiam in utilitate; quibus duobus omnis politicæ prudentiæ ſcopus abſolvitur, ut recte ſcilicet cuncta, & publico ex bono gerantur. Cum autem omne civilis ſcientiæ fundamentum ex circumſtantiis pendeat, diligentiſ-

gentiſſima cautione utendum eſt, ne omnia, ſemper, omnibus conducere credamus, ſed noſtræ reip. noſtro cœtui, noſtro tempori aptemus. Aliud libertati prodeſt, prodeſt aliud dominationi. Oriens regnari vult: talis maxima occidentis pars eſt, ut nec totam libertatem pati poſſit, nec totam ſervitutem: recte quædam bello conſtituuntur, quæ pace tolli aut neceſſitas, aut communis ſuadet utilitas. Atque hic duplex ille politici viri finis eſt; ex quo naſcitur tertius, quem vulgo ex Ariſtot. αὐτάρκειαν ſive ſufficientiam vocant. quo termino, ut publ. commodum ab omnibus promoveatur, & ex eo pro cujusque indigentia, æque diſpenſetur, volunt: ad optimam enim rempubl. requiritur, ut omnes ex voto vivere poſſint. Atque hactenus ſatis de fine. de ratione nunc, quomodo eum conſequamur, dicturi ſumus. Media autem tria ſunt, Collectio, applicatio, inventio. De ſingulis Philoſophus tractat. cum enim de fine antea dixiſſet; ſcripturum nimirum ſe *de cõmunitate civili, quæ omnium ſit optima iis, qui quam maxime ex ſententia vivere poſſint,* pergit inde, & ad hoc inſtitutum adipiſcendum *alias quoq; reſp.* inquit, *ſpectare oportet, & quibus civitates quædam, quæ bene temperatæ dicuntur, utuntur, & ſi quæ aliæ ſint, ab aliquibus explicatæ, hoc eſt, deſcriptæ (Philoſophis) & bene ſe habere videntur: cum ut & quod rectum, & quod utile perſpiciatur: tum etiam, ut quærere aliquid ab his diverſum videamur.* Tres itaque bene formandæ reipublicæ modi; inter quos primum locum obtinet collectio. Exemplaris ea & veluti hiſtorica eſt; cum varias reſpubl. nobis ob oculos ponimus, ut noſtram ex his felicius conſtituamus. Hic verò maxime diligentia adhibenda, ne promiſcue omnes in exemplum accipiamus, ſed quæ bene temperatæ dicuntur, id eſt, quæ & ratione præſtantiæ, & ratione utilitatis ſunt inſignes. Ut autem tales inveniamus, ſecundo ſubſidiis erit opus, uſu nimirum & litteris. Licet enim multæ civitates egregie ab initio conſtitutæ videantur, poſteà tamen experientia ſæpe compertum eſt, acute multa ingenium humanum excogitaſſe, quæ in actu ipſo minime ſuccedunt. quanquam nec Philoſophorum præcepta prorſus negligamus, ſcientes, & his in tali ſtudio relinqui locum: omnia tamen non minus uſu quam ratione

tione censenda judicamus. quod nisi fiat, Platonica magis Idea quam vera πολιτεία existet. His paratis ita subsidiis, judicium tertio erit addendum, non temere quæcunque in recte constitutis imperiis reperiuntur, in nostram civitatem transferenda, sed dilectus prius habendus est. Cum enim, licet in bonis rebuspublicis, multa tamen vitiosa reperiantur, ea tantum imitari oportet, quæ bene se habere, & ad nostrum statum accommodata videntur: id est, eligenda sunt idonea, confutanda ab nostro scopo aliena.

Exemplarem hactenus & præparatoriam veluti viam, quatenus Philosophi verba concessere, absolvimus: sequitur nunc altera, ut scilicet recte collecta, bene deinde applicentur. Quæ applicatio 1. habet collationem, qua utilia & honesta cum utilioribus & honestioribus contenduntur, nec modo quid bonum, sed quid inter bona & aliis rebuspubl. seorsim & ad nostram conjunctim sit optimum, quæritur. 2. habet etiam translationem. parum enim profecto plurima collegisse, optima invenisse prodest, nisi & ea, quæ utiliter collatio dispexit, in nostrum veluti agrum & systema perfectæ reipubl. transferantur.

Ex his nascitur tertius ille & ultimus modus, inventio novorum ad civiles utilitates præsidiorum. Imitatio ea est, cum ex aliis constitutionibus ad novas sanciendas occasionem sumimus; & versatur 1. in meditatione, commentatione & concoctione earum rerum, quæ multa industria collegit, selegit, comparavit, applicavit. Deinde in excogitatione & solertia. hic apex, hoc fastigium civilis sapientiæ: quod primo cernitur in acri illa rerum provisione; quando subtili meditatione eo pervenimus, ut de futuris velut de præsentibus dicentes, quasi vaticinari videamur: deinde in extemporali ista consulendi facultate, cum nullo periculo deprehensi ex quaque re consilium capere scimus.

Atque hactenus quidem explanavimus quæ proxime ex auctoris verbis manant: restat ut de eo quoque dicamus, quod obiter insinuat Philosophus. simul enim hic informat judicium, qua cautione sit utendum judicaturo de optima forma reipubl. Debere eum 1. liberum esse ab omni famæ præ-

judicio, non ideo civitatem bene dicere formatam, quia omnes dicunt, ſed quia plurimum & robore & honeſtate valet. Quare & ipſe Ariſtoteles, ubi de optima ſocietate ſcribere conſtituit, non dubitavit celeberrimas ſibi communitates proponere, quid recti quidque vitii ſingulæ habeant, ediſſerere. Debere 2. nec opinioni ſuæ indulgere ſcriptorem, quæ interdum longe poſſit eſſe ab ipſo uſu remota.

Sed & omnem politicam ſophiſticationem ab eo abeſſe vult: quando ſcilicet quorundam libido eſt, aliorum tantum ſententiis contradicere, omnia damnare, ſemperque illud repetere, non recte hoc non ordine factum eſt: qua autem ratione fieri debuerit nuſpiam oſtendunt. Longe aliter hac in re verſatur Philoſophus. hic ubi cuique reipubl. ſua vitia oſtendiſſet, ſtatim quid melius conſtitui potuerit addit; quod facile ii obſervabunt qui huic auctori perlegendo ſuam operam impendunt. Ego diſputationi meæ nunc finem impono, Deoque omnis prudentiæ fonti gratias ago, qui me, ut in cæteris omnibus, ita & in hoc ſcribendi genere benigne adjutum voluit.



XXI.

SYLLOGE MISCELLANEORUM.

I.

NUllo fundamento nititur quod Hieronymus lib. 13. Coment. in Iſaiam ad caput 47. autumat MAGOS de quibus Matth. 2. *ex artis ſcientia Domini ſtellam vidiſſe*: itemque quod alibi *à dæmonibus ea de re edoctos fuiſſe* credibile putat.

2. Nomen כיון *Ciun* apud prophetam Amos 5, 26. videtur *LUNAM*, divino cultu affectam, notare.

3. Sed cur LXX. interpretes & B. Lucas in ſermone S.

Ste-

Stephani *Act.* 7, 43. Ρεμφὰν ex *Ciun* fecere? Anceps est conjectura, de qua videbimus in ipsa disquisitione.

4. Moloch gentilium numen seu Ammonitarum Deus, ut in Sacris dicitur, præcipuè Solem significare videtur.

5. Lipsius in Physiologia Stoica meliorem Stoicis mentem tribuit, de fato, quam habebant.

6. Ex prædictionibus quorundam Astrologorum, eventum prænunciatum sortitis, e. g. Theagenis apud *Sueton.* Aug. 94. Thrasylli apud *Tac.* 6. A. 21. Ascletarionis apud *Suet.* Domit. 15. & similibus, nihil de certitudine artis colligi potest.

7. Sententia eorum, qui ex Psal. 28, 9. statuunt de fulmine partum Cervæ promovente, & faciliorem reddente, videtur juvari per locum Job. 39, 1. 2. 3.

8. Tertulliani sententia, qua censet (lib. de jejun. contra Psychicos c. 5.) *Carnes non tributas hominibus ad esum, sed indultas humanæ incontinentiæ*, erronea est.

9. Quid sentiendum sit de communi opinione, cum dicitur, Septentrionales gentes, parandis imperiis aptiores esse, quam conservandis?

10. Figmentum est quod traditur de Pyrrho rege, eum splenecticos impresso leniter dextro pede restituisse.

11. Nugis accensenda sunt non Philosophiæ, Artemidori ὀνειροκριτικὰ cum similibus.

12. Quæ vulgo circumfertur narratio de Margaretha Hermanni Comitis Hennebergensis uxore, tot liberos uno partu enixa, quot dies annus habet, gravibus argumentis impugnari potest, quoad fidem historicam.

13. Formulæ divinitatis, quibus nec Christiani Imperatores abstinuerunt, metaphorice & ita tolerari accipique possunt, ut cultura excedens hominum dignitatem supremo numini servetur.

14. Johannis Baptistæ cibus *Matth.* 3, 4. ἀκρίδων voce appellatus, sine dubio de locustis, non de plantis aliisve rebus capi debet. Frustra ergo ἐγκρίδας vel ἀκρέμονας vel ἀχράδας substituere satagunt.

15. Machiavelli & eorum opinio qui causas prodigio-

rum referunt ad ſpiritus quoſdam, qui in aëre ſint, & humanis caſibus afficiantur, erronea eſt.

16. Commentum eſt, quod Scriptores novi orbis tradunt, de fonte in inſula Bojuca, cujus aquæ potæ, ſenes faciant rejuveneſcere.

17. Quis primus ſit autor Cuniculorum militarium pulvere pyrio inſtruendorum & incendendorum ambigitur vulgo, dum alii *Franciſcum Georgium Senenſem*, alii *Petrum Navarium Cantabrum* nominant. Sed revera *ille* hunc docuit artem, cujus primum ſpecimen Navarrus edidit, prope Neapolin in arce Luculliana.

18. *Conſecratio Conſtantini Magni*, cujus in veteri numiſmate imago & inſcriptio habetur, non eſt accipienda de divinitate à mortalibus collata; ſed ut ſymbolum beatæ immortalitatis, a Deo donatæ.

19. *Philippus Cluverius* in German. antiq. lib. 1. cap. 29. falſo exiſtimavit, Germanos veteres unum, verum, æternum DEum in Trinitate, coluiſſe ſub Solis, Lunæ atque Ignis nominibus.

20. Fabulæ Poëticæ multum fidei hiſtoricæ in ſe continent.

21. Futura contingentia nec angeli ſine revelatione ſcire poſſunt.

22. Gigantes fuiſſe, fruſtra dubitatur: quamvis hiſtoria eorum multis fabulis ſit contaminata.

23. Quid ſignificet nomen *Saphenat-Paneah*, Joſepho à Pharaone tributum, Gen. 41,45. hodie propter intermortuam linguæ Ægyptiæ notitiam certo nequit definiri.

24. Quæ *Philo lib. 1. vit. Moſ.* habet *de magnitudine & pondere uvæ Cananææ*, hyperbolica videntur.

25. Non videtur aſpernanda *Laonici Chalcocondylæ* ſententia qua *lib. 5. hiſt. Turc.* ſtatuit *bombardas plurimum quidem impetus habere ſed minus virtutis.*

XXII.

XXII.

EXCERPTA CURTIANA.

AD usum disputationis publicæ, his paginis consignavi, excerpta quædam Curtiana, prout ex singulis libris se potissimum offerebant. Dilectissimus mihi est, & semper erit ille scriptor: itaque ne nunc quidem ab eo volui discedere. Tractatio simplicissima, imo nulla est. excerpere enim res per se memorabiles constitui, non autem explanare recondita. memor sum virium mearum, & instituti, cui ista simplicitas sufficit. Omnis mihi spes est in lectorum, & auditorum, quos ad hoc exercitium invitamus, æquitate. Rudimenta sunt studiorum, nec ultra datur nunc progredi. Vale, quisquis es, Lector Benevole, & mihi fave.

EXCERPTORUM CURTIANORUM.

I.

Consilium & Oratio Charidemi, in qua Darii & Alexandri exercitus judicio militari inter se comparantur.

Lib. III. Cap. 2.

SAtis elegans à Curtio nobis describitur oratio, in qua Charidemus comparationem instituit inter exercitum Darii & Alexandri; judiciumque suum accurata & probabili demonstratione rationum explanat. An autem Historico liceat, orationes, digressiones, aliaque talia, proprie ad historiam non pertinentia inserere; alii satis copiosè scripserunt; inter quos etiam *vir longè Doctiss. Gerard. Joh. Vossius in tractatu de arte historica* consulendus est.

Et quia formam deliberationis habet hæc pars historiæ, non erraverimus, si ante omnia personam Consiliarii, illiusque officium consideremus. Fuit Charidemo *Fides* eximia in Regem Hospitem ac Patronum: Fuit *tempestiva consilij maturitas*, in ipso rerum articulo, cum adhuc regredi liceret, adhibita: Fuit *prudentia & peritia rei militaris*; de qua tota oratio testatur: Fuit impavida, utinam non nimia, *Libertas*. Reliquis enim amicis & purpuratis solita vanitate spem regis inflantibus, ille percontanti magna cum libertate, suæ sortis & regiæ superbiæ oblitus, veritatem confessus est; maluitque potius cum rege; quàm cum ipsius fortuna loqui: ideoque consuluit quæ optima, non quæ suavissima visa sunt. Itaque ab initio statim *errorem* regis Darii notat: dum Darius omnem spem *in multitudine militum*, non in virtute reposuerat: cum tamen vis belli non metienda sit splendore apparatuum & numero militum, sed exercitatione & usu bellandi. Ac si probè consideramus multitudinem, reperiemus eam per se non vires habere, sed pondus; & esse sæpius impedimentum majus, quàm auxilium. Hinc est, quod Charidemus Alexandri exercitum nec turba nec sarcinis prægravem, infinitæ & inconditæ Persarum multitudini longe anteponit.

Altera comparatio est virtutis & disciplinæ militaris. Nam Persarum exercitus muliebriter propemodum cultus, luxuq; magis, quam decoris armis conspicuus fuit; omnia purpura auroque nitebant, fulgebantque armis & opulentia: ut prædam verius, quàm arma viderentur gestare. Quid enim prosunt

ſunt arma auro argentoque exornata, quæ nitentia ante deformantur vulneribus? Neque etiam hoſtem terret vanus aſpectus, & auri fulgor atque argenti: quod neque tegit, neque vulnerat; ſicut apud *Tacitum* prudenter monetur. Contra Alexander torvum & incultum, ſed habile & expeditum agmen duxit. Præcipue autem, ſola & vera militis bona, *peritia militaris, expertus bello animus, ſtrenua manus, parendi ſcientia & modeſtia,* in Alexandri exercitu ſupererant. *Forma aciei,* phalangis Macedonicæ robur & ſpeciem præferebat: de qua *commentarij in Curtium* conſulendi. *Scientia belli & exercitatio diſciplinæ* per præcipuas operis militaris partes, nobiliter memorantur: *Ad nutum monentis intenti* (Macedones) *ſequi ſigna, ſervare ordines didicere. Quod imperatur omnes exaudiunt. obſiſtere, circumire, diſcurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis, quam milites callent.* Accedit *laborum tolerantia & duritia victus, & magiſtra diſciplinæ paupertas: abſque ſtudio prædæ, & avaritia.* Notas & argumenta hujus laudis illa ponit: *fatigatis humus cubile eſt; cibus, quem occupant, ſatiat: tempora ſomni arctiora quam noctis ſunt.* In Perſarum exercitu neque exercitatio belli, neque tractatio armorum, neque tolerandi conſtantia erat.

Neque minimum momentum in *juſta militum armatura* eſt. Alexandri exercitus perarmatus inſtructusque fuit: in Darii copiis, multi arma inutilia, itemque haſtas ligneas gerebant. Hinc ironica Charidemi interrogatio: *Theſſali equites & Acarnanes Ætoliq; invicta bello manus, fundis credo, & haſtis igne duratis repellentur?*

Denique *Gentis & nationis indoles* in comparatione virium & conjectura eventus, non omitti debet. Si Orientales, cum Orientalibus bellaſſent; apud ſimiles nationes, exercitus Darii fuiſſet terribilis. At Europæi Aſiaticis bello plurimum præſtant. Hinc iterum prudenter Charidemus Dario ſuadet, ut adverſus Græcos, Græcorum auxilia conducat.

Ob hæc præclarum Charidemi conſilium, & rationes conſilii probe deliberatas ſtatuimus. Id quod ipſe Darius agnovit; quanquam ſero, & cum jam ſupplicio affeciſſet eum, cui præcipuam mercedem debebat.

Dices: corrupit ipſe conſilium ſuum, nimia verborum liber-

libertate; neque satis considerato Regis ingenio. Ego, in disquisitione ipsa, malim omnem culpam in Darium ipsum conferre.

II.

Caussæ belli Persici, quas Alexander præ se tulit, exprimuntur.

LIB. IV. CAP. I.

VIctus acie Darius Legatos ad Alexandrum cum literis misit, orantes, ut captivos dimitteret, bellumque componeret. Ad has literas Darii superbè scriptas, in quibus videlicet magnitudinem suam ostentat, magis postulat, quàm petit; & ad hostem contemptim loquitur: Alexander ita respondit, ut causas justitiamque armorum & belli præcipue demonstraret. Conjungemus causas *Curtio* relatas, cum iis quas *Arrianus* habet. *Prima* sit, *bellum à Persis ante hac tempora Græciæ illatum. Secunda, auxilia, Philippi hostibus lata. Tertia, arma in Thraciam sumta*, quæ Macedonibus parebat. *Quarta, Darij litteræ ad Græcos*, quibus ad defectionem solicitabantur. *Quinta, Philippi cædes, Persarum votis & consiliis comparata. Sexta, percussores, in Alexandrum emti.* Hinc concludebat Alexander, defensivum esse suum bellum, non offensivum, ut hodie loquuntur.

Darius contra *favorem defensionis* ad se volebat trahere: Ruptum, inquiebat, fœdus Græcorum cum Persis à Philippo, nec restauratum ab Alexandro. hinc se inductum, ut imperium à majoribus traditum armis tueretur. Utrius caussa melior? Forsitan, accurate loquendo, utraque caussa suo laborat vitio: sed Alexandri favorabilior est.

III.

Judicium Curtii, de Dario circa negotium insidiarum, à Besso & Nabarzane structarum.

LIB.

LIB. V. CAP. 9. & seq.

IN historia nefariæ proditionis & insidiarum, quas in caput Darii Bessus & Nabarzanes compararunt, *Curtius* aliquoties videtur Darium *negligentiæ* & *imprudentiæ* accusare; *quod* nimirum *cum compertum scelus posset vitare, noluerit tamen vitare.*

Et sanè palam est, scivisse Darium scelus parricidarum. Hinc Curtius supra quoque monuit, cum Darius bellum restauraret, Bessum suspectum fuisse. Verba historici sunt: *sed Bessus suspecta perfidia haud sanè æquo animo in secundo se continens gradu regem terrebat. Nam cum regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, timebatur.* Jam, cum Darius suos ad resumenda strenuè arma exhortaretur, ausus erat Nabarzanes consilium dare, quod non poterat, nisi à proditore proficisci. Quo etiam irritatus Darius, *pessimum*, inquit, *mancipium, reperisti optatum tibi tempus, quo parricidium aperires?* statim etiam ab exercitu secesserant Bessus ac Nabarzanes. Et licet pœnitentiam secessionis postea simularent, tamen Patron, Græcorum militum Dux, mox Dario revelavit consilium proditionis, adjectâ prece, ut sibi à parricidis caveret. Quod consilium cum Artabazus etiam confirmasset, & Darium, ut in Græcorum castra se conferret, monuisset, potuit utique (vult Curtius dicere) & debuit Darius periculum denunciatum vitare. Atque hic stoicæ philosophiæ specimen animosè adhibet, & Darium immutabili lege fati cæcatum noluisse bonis consiliis auscultare, putat. Iterum deinde, *destinatum sorti suæ, & jam nullius salubris consilii patientem*, Darium vocat.

Hæc ferme contra Darium Curtius disputat. Sed si quis fortunam regis propius introspiciat, fortasse nulla animi excæcatio hic locum habebit: & potius sentiendum erit, Darium non potuisse periculum denunciatum evitare. Cum autem non posse dicimus, palam est intelligi id, quod bonis & prudentiæ consentaneis rationibus fieri potest. Primo enim cur se in Græcorum castra contulisset? Græcorum erant quatuor millia. Bessi autem ac Nabarzanis copiæ justum exercitum explebant. Inter tam paucos ergo à tam multis nihil sibi tutum fore, satis providebat. Deinde si Græcis adeoque pere-

grinis corpus ſuum commiſiſſet, non modo parricidis ſpecioſum ſceleris titulum præbuiſſet, ſed etiam ceterorum Perſarum animos à ſe alienaſſet. Unde prudenter ait: *nunquam ſe à popularibus ſuis receſſurum. Difficilius ſibi eſſe damnare quàm decipi, quicquid ſors tuliſſet, inter ſuos perpeti malle quàm transfugam fieri.* Tertio ne Perſis quidem facultas aut conſtantia fuit regem tuendi. Beſſus enim & Nabarzanes habebant robur exercitus, adverſus quod ceteri parum valuiſſent. Itaque nec auſi ſunt adverſus parricidas juſtam indignationem exercere, cum à Bactrianis ſollicitarentur, ut deſererent regem. Itaque propter hæc ipſa ne Dario quidem copia fuit ulciſcendi ſceleris: cum authores ejus, neque comprehendi, neque puniri poſſent.

Rectius itaque fortè aliquis dixerit; Darium in tali rerum ſuarum ſtatu deprehenſum eſſe, ut quanquam detectum & denunciatum ſcelus parricidarum vitare non poſſet, ſed conſilium, cui ſe imparem videbat, cogeretur fato permittere.

IV.

Cauſa Philotæ.

LIB. VI. CAP. 7. & ſeq.

CONſpirationes & inſidias in caput Alexandri comparatas, diligentiſſima expoſitione pertractat *Curtius.* Ejus criminis particeps deſtinabatur Philotas, ex intimis Amicorum, & inter Ducum præcipuos.

Crimen intentabatur Philotæ duplex: *primo*, Culpa ſilentii; *deinde* ipſa conſpiratio, & ultimum facinus hominis ſeditioſi, ex confeſſione tormentis expreſſa. Utraque cauſa ad *crimen majeſtatis,* quod vocant, pertinet.

Culpa ſilentii dupliciter tractatur: quatenus negligentiæ ſupinæ & ſecuritatis, cum periculo Regis conjunctæ, nomen eſt; tum deinde, quatenus ſocietatem facinoris, ſive comunicationem ſceleris & criminis majeſtatis notat. Prius illud Philotas pro ſe adducit, & rationibus quibuſdam oſtendit confeſſus ſane, *ſilentii tamen, non facti ullius culpam.* Neque abnuit primum Rex, diſtinguere peccatum: *contemtum magis, quàm*

quàm celatum indicium sibi videri dicens. Sed amici & consiliarii Regis longe aliter judicabant; non dubitantes, *quin conjurationis indicium suppressurus non fuisset, nisi auctor & particeps.*

Hinc nova & præcipua hujus causæ quæstio: *An Philotas argumento silentii, læsæ majestatis per conjurationem reus, adeoque tormentis subjiciendus sit?* Consilium Alexandri, *utrumq́,* affirmat, omnesque, *quæstionem de Philota, ut participes sceleris indicare cogeretur, habendam esse* decernunt.

Prius consilii placitum, formula & specie judicii peragitur. Accusatur Philotas in concione, tanquam reus læsæ majestatis. 1. exaggerata & interpretationibus accensa silentii culpa. 2. conjecturis de voluntate facinoris, ex anteactæ vitæ verbis factisque. 3. argumentis de facultate res novas moliendi, regnumque affectandi. Ad quæ singula respondet Philotas graviter & probabiliter. Exitus hujus judicii, damnatione Philotæ, & supplicio lapidationis, quam vocant, decreto, continetur.

Sed ante executionem supplicii, alterum illud quoque, quod ante in consilio sanctiore decretum erat, suscipitur. Torquetur Philotas, acerbissime & crudelissime. Exprimitur confessio facinoris; & in concione publicatur. Sic Philotas, cum ceteris eodem crimine damnatis, saxis obruuntur.

Exercitii caussa, statuam, circa hanc Philotæ causam, tum in cognoscendo, tum in sententia ferenda, multa vitiose gesta esse; præsertim quod ad tormenta attinet.

V.

Pœna & ultio in Branchidas ab Alexandro crudeliter exercita.

LIB. VII. CAP. 5.

BRanchidæ, Milesia proles in Persarum ditionem olim transiverunt, cum in gratiam Xerxis templum Didymeon violassent. Horum posteros Alexander ob delicta majorum, internecione delevit, urbemque ipsorum dirui jussit. De qua severitate Historicus: *Hæc si in ipsos proditionis auctores*

excogitata essent, justa ultio esse, non crudelitas videretur; nunc culpam majorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerunt prodere. Judicium illud Curtii, nos omni modo defendendum existimamus. Possunt conferri quæ disputat Grotius *lib. II. de Jure Belli, cap.* 21. §. 12. *& seq.* Itemque annotata Cl. Freinshemii ad locum Curtii nostri prædictum. Observaverant alias etiam gentiles, sacrilegiorum scelera etiam in posteris vindicari, divina ultione.

VI.

Cliti cædes injusta.

LIB. VIII. CAP. I. & 2.

REfert hoc quoque exemplum *Curtius* inter Alexandri à pristina virtute degeneris probra & flagitia. Decreverunt quidem Macedones, magis per adulationem, quam vero judicio, *jure interfectum Clitum.* Sed injuria jus fieri nequit, apud recte judicantes. Peccaverat sane Clitus 1. quod alieno tempore, regi ebrio non dubitavit obloqui. 2. Quod, contra regulas stili & obsequii aulici, summam gloriæ ob res gestas, regibus invidendam esse autumavit. 3. Quod res Philippi rebus Alexandri, invidiosissima comparatione præferre ausus est. 4. Quod Parmenionem defendit. 5. Quod aperto & pleno jurgio regem adortus est. 6. Quod in his omnibus libertatem amici, in licentiam vertit. 7. Et licentiæ pervicaciam, pravamque animi contentionem adjunxit. 8. Adeoque fatum suum irritavit & provocavit. Hæc peccata sunt Cliti; quæ puniri juste potuissent. Sed Quæstio est, de pœna capitali, & quidem de supplicio extemporali, indicta causa, ipsius regis manibus inflicto. Id quod nullo modo defendi potest. Historicus duo notat, *turpitudinem facti & injuriam.* Ad *prius membrum* pertinet, cum *detestabile carnificis ministerium, regem occupavisse*, ait. *Injuria* notatur, quia 1. pœna delicto longe major fuit. *Verborum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefanda cæde ultus est.* 2. argumenta veniæ & clementiæ prorsus non posthabita modo, sed rejecta

sunt.

ſunt. *Egregius bello vir* erat Clitus, *& niſi erubeſceret fateri, ſervator Alexandri.* Acceſſerunt merita fratrum, & officium matris: quæ omnia regem monere debuerunt, ut immodicam libertatem à ſcelere & maleficio diſtingueret; neque verborum temere effuſorum tam atrocem pœnam exigeret. Atque, ne quod dubium ſuperſit, non Hiſtorici modo voce & judicio, ſed ſua ipſe ſententia condemnatur Alexander, tanquam crudelis interfector amici, & viri præclare meriti.

VII.

Alexandri militia navalis non æque proſpera ac terreſtris.

LIB. IX. CAP. 9.

CEperat Alexandrum ingens cupido viſendi Oceanum & ſuperandi terminos, qui expeditioni Liberi Patris aſſignantur; Verum immodica cupientem deſeruit paulatim priſtina felicitas.

DEus enim Indum fluvium terminum illi, quem non tranſiret, ſtatuerat.

Ceterum itineris maritimi ab ipſo inſtituti hiſtoriam, & præſertim maris Indici navigationem Nearcho & Oneſicrito mandatam, præter veteres, (è quibus *Curtius* & *Arrianus* hic nominandi ſunt,) deſcribit diligenter *Thomas Rivius* in Hiſtoria Navali antiqua lib. 2. cap. 44. & ſeq.

Hac occaſione æſtus marini apud Curtium memorabilis mentio extat. De cujus cauſis & rationibus, vide poſt multos alios diſputantem Gerard. Joan. Voſſium Phyſiologiæ Chriſtianæ lib. 1. cap. 69. & adde notata Patritio Junio in epiſtolam Clementis ad Corinthios priorem.

Scilicet dum hiſtoricus memorat quanta in poſterum animo agitaverit Alexander, recordamur ejus fati, quod ingentibus molitionibus proprium eſſe conſuevit. Omen ſcilicet fuit vicinæ mortis, quæ tot conſilia & tot longas ſpes abrumperet. Idem Julio Cæſari accidit poſtea: qui, quo majora indies, & quo plura deſtinabat, eo citius fatum tantis

rebus finem daturum, imminebat. Exemplo humanæ fragilitatis: cujus assidua meditatio consiliis humanis modum statuere debebat.

VIII.

Mors Alexandri.

LIB. X. CAP. 5.

PRæmatura omnino & acerba videbatur Regis Alexandri mors, qui in ipso flore juventæ fortunæque rebus humanis ereptus est; intempestiva quoque, dum in tanto impetu cursuque rerum, imo in ipsa consiliorum gravissimorum destinatione versabatur. Verum præmatura aut intempestivâ non est divini Numinis ordinatio. Neque etiam plane intempestivum est Curtii nostri de regis morte judicium, etiam si consideremus, quantum mortales hac de re loqui expedit: *Expectavere eum fata*, inquit, *dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quicquid mortalitas cupiebat, impleret.* Ceterum memorabilia sunt, tum mortem antecedentia, tum consequentia.

In priori genere, mortis causa expendenda est. Quippe Antipater injuriæ sibi illatæ ultor, regem non tutum modò ab omni externa vi, sed invictum etiam, intestino facinore, & ut plerique credidere, per filios veneno intercepit.

De prædictione Chaldæorum vatum, qui regem Babylonem petentem, ne ingrederetur, monuerunt, haud frustra quæritur, an ex siderum motibus & statis temporum vicibus hæc talia ostendere; an vero ex familiaritate aliqua cum Dæmone prædicere potuerint?

Memoratu digna utique, dum quæ mortem præcessere consideramus 1. *Valedictio*, quâ, admissis militibus, totum exercitum ad ultimum, jam voce deficiente, persalutavit; 2. *Amicorum consolatio* & de futuris discordiis & bellis intestinis vaticinium. 3. *Traditio anuli* in manum Perdiccæ, quod solenne alias signum, si testamento probatum confirmatumque est, constituti & relicti successoris fuit; sicut infra, propterea Perdiccas successor destinatus arguitur. De hoc more pluribus gentibus recepto, videndus est tractatus singularis *Joh. Kirchmanni de anul.* cap. 22.

In

In iis, quæ mortem consecuta sunt, est 1. ingens mœror, qui non modo Macedonum, sed devictarum quoque gentium animos incessit, adeò etiam ut, secundum Nostrum, *nec victi à victoribus in communi dolore potuerint discerni.* 2. Ambitionis certamen, dum de regno & successione disceptatum, & quandoque in discordias & turbas itum est: donec tandem, cum quilibet videret, non aliter quam discordiis & sanguine totius imperii molem teneri posse, regnum in partes divisum fuit.

IX.

Elogium Alexandri sive judicium Historici de Rege.

LIB. X. CAP. 5.

Q*Voties magni alicujus mors* (inquit apud Marcum Senecá Livius,) *ab historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitæ & quasi funebris laudatio redditur.* Id ipsum Curtius noster non omisit, qui Alexandri virtutes solidas ab indole animi profectas expendit: & vitia vel fortunæ, qua plerumque animi hominum corrumpuntur, vel ætatis fuisse ostendit; & quasi clausulæ loco illam quæstionem disceptat de fortuna & virtute Alexandri, cujus gravissima hæc est ἐπίκρισις. *Fatendum tamen est, quum plurimum virtuti debuerit, plus tamen debuisse fortunæ; quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum à morte revocavit? quoties temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit? Vitæ quoq; finem eundem illi, quem gloria statuit.* Adjiciendæ præter cetera duæ integræ orationes de virtute & fortuna Regis Alexandri, à Plutarcho diligenter pertractatæ, quæ verba Authoris nostri amplius illustrare queunt.

Nos pro sententia Curtii stamus, & fatemur, quamvis videantur contendere virtus & fortuna, tamen Regem plus fortunæ debuisse.

X. *Cer-*

X.

Certamina civilia de successione.


LIB. X. CAP. 6. & seq.

SUblato deinde, non virtute hostium, sed ut jam diximus, insidiis suorum & fraude civili, Alexandro, partim discordiæ, partim bella civilia, prout Alexander ipse vaticinatus est, insecuta sunt. Primum enim æqualitas amicorum, deinde æmulatio virtutis in tam ambigua & ancipiti consultatione eos in mutuam perniciem armavit, dum Rex moriens nullum constituit heredem & successorem, sed amicis percontantibus, *Ei relinquere se regnum*, respondit, *qui esset optimus. Itaq; huic tanto regi ducique successor quærebatur*, inquit Historicus, *sed major moles erat, quam ut unus eam subire posset.* Variantibus deinde in consultatione sententiis, Perdiccas, cui jam præclusa voce anulum tradiderat Rex, Roxanes partum, inquit, expectandum esse, quæ jam per sex menses prægnans esset, ut si puerum peperisset, is successor constitueretur, & quidam destinarentur, qui imperium donec adoleverit, administrarent. Sed hoc consilio dato suspectus fuit Perdiccas, quasi sub hoc prætextu tutelæ regnum occupare cuperet, quia authoritate & potentiâ prævalebat. Nearchus suasit, filio regis è Barsine nato, diadema dandum, melius esse ratus, ut is ad successionem vocaretur qui jam præsens esset, quam nasciturus expectaretur. Ptolomæi hæc sententia fuit, neutri horum tradendum esse regnum, tanquam soboli ex captiva procreatæ; sed per Optimates potiùs regis nomine & auspiciis administrandum esse. Aristonus probabiliorem tueri sententiam conatur, & pignore traditi anuli Perdiccæ regnum relictum esse dicit, ideoque illi, quem rex moriens ex turba amicorum delegisset, parendum esse. At cum Perdiccam tantæ molis statim subeundæ verecundia cepisset, Meleager hac cunctatione pro occasione factionis arrepta, spretoq; Perdiccæ imperio, principia & causas tumultus ex direptione thesaurorum regiorum quæsivit. Hic enim cum in medium processisset, Aridæum Alexandri fratrem successorem substituendum

dum esse, clamitavit. Et quamvis hæc sententia apud Principes Meleagrum infestum invisumque reddidit, adnitente tamen militari vulgo defensus rexque salutatus Aridæus fuit.

Sed Perdiccas prævaluit, oppresso Meleagro, punitisque ministris ejus & satellitibus. Videns deinde Aridæus hanc rem exitum non habituram, neque totius imperii onus à se sustineri posse, regno quod sine discordiis, cædibus, & Macedonum sanguine teneri non posset, se abdicavit. Hoc cum fecisset, & consilium principum virorum ad firmandum rerum præsentium statum convocasset, tandem decretum est, ut quoniam tantam molem unus subire non posset, imperium divideretur. Hac ergo divisione, quam DEus oraculo Prophetarum patefecit, nobisque ordinem & imperiorum vicissitudinem aperuit, multa regna, multique ex præfectis reges facti sunt.

Subjungit tandem eleganter Noster, quod hac occasione non omittendum est, judicium suum de non admodum justa & splendida horum regnorum origine. *Quippe*, inquit, *paulo ante regis ministri, specie imperii alieni procurandi, singuli ingentia regna invaserant.*



XXIII.

ΝΟΜΙΜΑ ΤΩΝ ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ.

Sive

LEGES ÆGYPTIORUM.

I.

CUm in scrutandis rebus veterum & illustrandis multi operam posuerint, mirum videri mihi solet, de

legibus Ægyptiorum conscripsisse neminem: in quibus partim tanta vis inest boni, tanta sapientia, ut non abs re sit ipsis imputasse, quod ad eam senectutem regnum hoc pervenit. Ideoque Græci, etiamsi rebus omnibus abundare videbantur, quæ consequi ingenio, aut usu homines, aut industria valent, harum tamen cognitionem legum summo studio appetiverunt. Constat enim, nominatissimum quemque, ut Platonem, Pythagoram, & Solonem, & Eudoxum, ac Lycurgum, perpluresque alios, certatim in Ægyptum commeasse: non tam visendis regiarum substructionum insanis molibus, aut Nili receptaculis, aut simulacro Memnonis, ut perhibent, sonabili; quam ut percognitis loci legibus ac disciplinis, decerperent inde, quod ad instituendas domi bonas leges, & salubria consilia, & judicia gravia cum maxime valeret. Sed ea res ut olim vehementer multis profuit; sic hodieque confert plurimum, si quis ad rempubl. natus & imbutus, illas leges velut è busto suo diligenter eruat, suumq; in usum callidè vertat. Id quemadmodum possit confieri, demonstrare paucis aggrediar: non quia huic provinciæ me parem æstimem, sed periclitaturus vires ingenii, & quoniam intelligo, studiorum fructum adhuc promi viridem ac dulcem oportere, dum conari decorum est, & si qua sit offensum titubatumque, pro indole atque ætate accipitur. Ne verò negotium istuc vulgi more magis transigatur, quam judicio, petenda primum est ex alto doctrina legum universa, cujus ignoratio multis rebus obducit tenebras: tum de Ægyptiorum scitis singillatim explicandum, extremo de scitorum horum inventoribus.

Ut igitur inde proficiscar unde legum omnium stirps & origo ducitur, constat profectò, totum hoc aspectabile mundi corpus ratione & voluntate præpotentis DEI gubernari. Voluntas autem illa ac ratio, quæ regit, ordinat, sustentat omnia, quæ cuncta ad parendum vel compellit, vel obligat, prout cujusque fert natura, ea est, quam legem cum doctissimis vocamus. Nam & Cicero ex mente Stoicorum, & Hierocles Pythagoræ sectator, qui ad hujus loci veritatem admirabilia scripserunt, legis eam nomine pereruditè signant. Ut

♣ LL. 2, 4. de Nat. De 1, 14. & 15.

vero

vero lex omnis, quæ tenenda est, publicatur necessario: sic illam quoque suam DEUS notam fecit homini vel hoc ipso, quod rationem tribuit ac intelligentiam. Quibus enim data est ratio, iisdem concessa est etiam recta ratio: quare & lex, quæ nihil jam est aliud, quam ratio sapientis, ex mente numinis tracta, vim obtinens honesta imperantem prohibentemque contraria. Quæ cum præcepta, homini vel in se considerato, utque particeps est rationis, vel ut civilem colit societatem, subjiciat: illo fere modo lex naturæ, hoc fas gentium appellatur. Atque hæc est illa lex, nobiscum nata, sancta, constans, immortalis, quam tulit ipse DEUS, & in omnium primum animis, dehinc in Sina monte ministro Moyse promulgavit. Neque enim, quæ lex moralis nuncupatur, aliud est, quam juris hujus ob infirmitatem hominum iterata promulgatio. Continet enim, excepta Sabbati sanctione, principia naturæ, ex quibus principiis jura nostra descenderunt, & ad quæ vicissim referenda sunt. Hac igitur consecutione rerum, à principe illa, sempiterna ac cœlesti, lex naturæ; ab naturali, hominum instituta fluunt.

l. 2. ff. de ll. Hierocl in Pyth. Aur. v. 1. p. 19. & 28. vid. Cic. de LL. l. 1. tot. De invent. 2. 31. Lactant. 6. 8.

Solent autem primordia civilium legum à prudentioribus ita demonstrari. Primum ex superioribus conficiunt, hominem ad justitiam colendam esse natum, quæ virtus in societate tuenda, tribuendoque quod suum est cuique vertitur. Sed quoniam tanta corruptela est sinistræ consuetudinis, ut lex illa, quæ in nobis est reposita, præumbretur ferme vitiorum exortu, proque justitia incedant vis, dolus, cupiditas opum, honorumque contentio, quibus conjunctio humana dirimitur: idcirco, ajunt, opus fuit juris æquabili descriptione, certaque disciplina vere beateque vivendi. Repertæ ergo civitatum leges, quæ & refrenarent impotentiam, & cœtum mortalium societate juris devincirent. Sunt autem leges illæ non uniusmodi. Quarundam enim descriptione (ut è plurimis divisionem eam assumamus, quæ princeps omnium habetur) omnis reipubl. moderatio, jusque sacrorum omne & magistratuum continetur: quædam de privatorum decernunt rebus, personis, actionibus. Sed Romanis variæ temporum inclinationes varia rogationum genera attulerunt. Nam

Cic. de LL. 1. 10. &c. Lactant. de ira D. 14. 15. Et in Nephyth.

Cic. Off. 2. 12.

v.l.7 ff. de O. l. & consulta Senatus, & plebiscita ac jussa populi, & edicta magistratuum, & responsa prudentum, & placita Principum experti sunt. Omnis vero lex duabus constat ex rebus, quarum altera præceptio, altera sanctio rite dicitur. Altera quid fieri mandet Legislator, quidve declinari, monstrat: altera præmia morigeris, prævaricantibus supplicia proponit. Quæ sane pars ab illa distrahi nullo pacto potest. Nam etsi honestum propter se decet expeti, & ambiguæ laudis videntur cives, quos pretium aliquod metusve tribunalium in officio retinet: tamen quoniam non in Rep. Platonis, neque heroica quadam ætate degimus, nec tales uspiam occurrunt cives, quales Seres, Nebusæos, Evileos describit vetus historia; necesse erit, partim præmiis tardos ad virtutem animos exsuscitari, partim animadversionibus, tam illis, quas *νουθεσίας* Græci, quam quas *τιμωρίας* vocant, & maxime quas *παραδείγματα*. Exposui breviter, à qua fonte leges ducerentur, quæ caussa ipsarum, quæ distinctio, tum quibus ex partibus essent conflatæ: deinceps quales esse debeant, & quid in eis circumspiciendum sit, expediam.

Hopper. Sedu, 3. 13.

V. Sen. ep. 94.

Arist. Eth. 10, 9.

Est igitur in omni lege considerandum maxime, an sit honesta, an in publicum utilis. Nam ut de honestate prius disseratur, quicquid repugnat vel naturæ rationi, vel cœlestibus oraculis (repugnat autem omne inhonestum) illo nec debet quisquam, nec potest astringi. Manet enim firma radicataque naturæ numinisque sanctio, contra quam si quis contenderit quippiam, aut statuerit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur: & quamvis judices evaserit, sentiet ultrices Diras, quæ terrebunt ipsum non ardentibus tædis, ut in scenis Orestem, sed conscientiæ surdis ictibus & imagine facinorum. Nec vero tam angustis finibus honestum describimus, ut quicquid inde vel minima ex parte abit, ad vitium illico deflectat. Nam & quæ sic divinitus præcepta sunt, ut nullam habeant mentionem loci nec temporis, ea tempore licet locoque definire: & quæ natura nobis libera permisit, coangustari vel interdici communium utilitatum gratia possunt, ut in libertate testamentorum cernere est. Quod enim vir

V. Grot. l. B. 1, 2, 1.

ma-

magna nominis celebritate, dominium huc quoque trahit in res (ut ipsi placet) natura communes, sed quas privatas reddant populorum jura, in eo cum veteribus Sophis imponi sibi passus est, ut alii cordate monuerunt.

Id. l. B. 1, 2, 5.

Complectimur autem honesto etiam justum, cujus ambitu virtutes reliquæ coërcentur. Etsi quæ proprie Justitia vocatur, & in jure posita est æqualiter distribuendo, potissimũ huc pertinet. Nam hujus fruendæ ergo quæsitæ leges sunt, eademque constituendarum ipsarum fuit caussa, quæ Regum. Ideoque Plato, quem secutus est M. Tullius, justam esse legem hactenus voluit, ut quæcunque extra jus æquitatemque vagaretur, ne nomen quidem legis attingeret. Quanquam temperari hæc oportet Aristotelis monito. Nam, *quales*, inquit, *sunt resp. tales esse leges necessum est, bonas aut pravas, justas aut injustas. Quin etiam illud liquet, ad reip. statum accommodandas leges esse. Ex quo efficitur, ad incorrupta reip. formam compositas, itidem justas; in vitiosa vero latas, necessario injustas esse.* Possunt autem variis modis à justitiæ regula & præscriptione leges aberrare. Aut enim sæviunt in innocentes, ut illæ Cæsarum in Christianos, quas Domitius de officio Procos. collegit; aut aliorum inhiant possessionibus, ut ista Clodii Tribuni pl. de spolianda Cypro. Sed tenendum cumprimis est, iniquas etiam existere, cum aut in pœnis irrogandis extra modum prodeunt, aut in præterita referuntur, aut in singulas rogantur personas. Quæ non sine usu fuerit paullo amplius examinasse.

V. Cl. Strauch. de Imp. mar. 5. 1. &c.

in Minoë. de LL. 2, 5.

Pol. 3. 7. &.

V. Lactant. 5, 11.

Vellei. 2, 45. 4. cum N. Cl. Bœcl.

Ut coërcitionum retineat modum Legislator, non satis semper est, si una ex parte naturam vitiorum, ex altera pœnarum discrimina (quæ studiose indagavit Callistratus) momento suo ponderans, efficiat æquationem. Sit ista res egregia, sicut est: at vero sæpe fit tempore, ut imbecillitati hominum sit remittendus juris rigor, & Græcorum ἀκριβοδίκαιον. Etenim (ut signate loquitur Historicus) *si flagitia & facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis moderatio temperat.* Legimus Pompeji sanctiones ideo notari, quod graviores fuissent remediis, quam delicta erant. Papiam quoque Poppæam Romanorum, & istam apud Tacitum de servis, & Cumanam illam apud Philosophum de cædibus, hoc nomine incusant.

l. 18. ff. de pœnis.

Tac. A. 3. 50. 2.

Id. A. 3. 28. 1.

A. 14, 42. &c.

Arist. pol. 2, 6.

cusant. Draconis vero sanguinantes leges, quæ in proverbii consuetudinem venerunt, in neminem fuisse dicuntur acerbiores, quam in ipsum. Siquidem apud Æginam populus, præclusis injectu vestium animæ spiramentis, fertur eum confecisse: atque ita *quæ sibi quisque timebat, unius in miseri exitium conversa tulerunt*. Ejus vero leges tacito illiteratoque consensu Athheniensium abrogatæ sunt. Itaque Tiberius, cum rebus in omnem partem volutatis, reperiret offensionis plenum atque irritum, asperioribus edictis robustiora vitia aggredi, moderatione maluit uti, quam hoc assequi, palam ut fieret, quibus flagitiis esset impar. Illud non prætermiserim, vehementiores à quibusdam principibus ascriptas legi pœnas, non quas repræsentarent, sed faciendi metus causa. Tradit hoc de Theodosio Sozomenus, quod mihi neutiquam placet. Nihil enim ea re valentius ad vim auctoritatemque legum prosternendam, quibus nunquam decernet vir prudens, quod exequi metuat. Ac mihi videor satis ostendisse, quo pacto sinisteritas in legibus ferendis prohibenda sit.

V. Tac. A. 3. 53. 3. &c.

Hist. Eccl. 7. 12. f.

Proximum est, ut doceam, eas non nisi in futurum, & in omnes ferri. Nam primum, quæ morem hunc permittat patria, leges in facta constitui, & quæ, dum licita erant, patrata sunt, pro illicitis puniri aut rescindi? Quocirca lex illa Henrici II. Gallorum Regis, honestissima quidem, quæ nuptias clandestinas, ac citra consensum parentum celebratas improbabat, *ambitiosa* dicta fuit. Quippe Momorantii caussa, cujus filius Franciscus, ex Halviniorũ domo, insciente ipso vel refragante, virginem deperibat, adjectum ei erat; *ut quando legi DEI consentanea esset, in præteritum quoq; valeret, modo copula non intervenisset: cum alioqui ceteræ constitutiones, quæ à principibus fiunt, tantum dent formam futuris negotiis*: quæ sunt verba viri doctrina vitæq; dignitate nobilis & clari, I. A. Thuani. Incidunt tamen quandoque caussæ, cum de præterito cavere liceat, ut ex Rom. jure sumus eruditi. Jam de singulis personis, seu veteri verbo, privis, concipi leges quod injustum diximus, id vero dubitari non potest: cum legis hæc vis sit, scitum esse & jussum in omnes. Superiori itaque ætate, cum in Mariam Scotam Majestatis legem Anglorum faceret Regina, reclamatum è vestigio

H. l. 19. p. 591. l. 22. ff. de LL. l. 7. C. eod. Nov. 19. & 129. c. 4. V. l. 8. ff. de LL.

gio eſt à Scota, illud quidem non injuria: *eſſe injuſtam, in ſe compoſito excogitatam, carere exemplo, denique ea ſe haudquaquam obligari.* Unde facile ſcitu eſt, quam ob rem Decemvirorum tabulis ſublata fuerint privilegia, & à doctiſſimis exploſa. Noſtris tamen moribus eorum uſus invaluit. Sed ea nimirum hodie privilegiorum fere nomine notamus, quæ præter jus comune certa jura & imunitates ad certas conferunt perſonas. Viſum enim æquitati congruens, ob grandia in rempublicam merita, neceſſitatemque juxta ac ſalutem publicam talia indulgeri. Quæ ſingulari deinde ſollertia Germanorum Imperatores, ad minuendas Antiſtitum opes & & minime ferendam potentiam contulere, dum civitatibus illa cumularunt. Verum de his uberius hoc loco præcipi nil poteſt, cum haud ſciam, an magnæ molis volumen impleant. De juſtitia legum ſatis fere dictum eſt.

Camden. H. part 3. p.450. V. Cic. de H. 3. 19. & Or. pro domo. V.C.I,A. 1.4. 6. Jac. Gothof. ad Reg. Jur. 68. 141. 162.

Alteram conſiderationis partem fecimus utilitatem publicam. Nam quæcunque leges communibus obſtant bonis, cum à fine civitatis longe diſſideant, non magis dignæ videntur legum appellatione, quam præcepta medicorum dici merent; ſi quæ pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint. Utilitas autem publica interim natura æſtimatur, interim tempore ac rerum ſtatu. Sæpe quid obtineri poſſit, plerumq; vero quid majori parti & in ſummam proſit, expendendum eſt. Curandumque ante omnia, ut ne emolumenta rerum fallacibus judiciis videntes, aliquid utile putemus, quod cum honeſtate pugnet. Tum enim, quod utile videtur, reapſe tale non eſt: quandoquidem pœnæ ſubſunt, non dico legum, quæ ſæpenumero perrumpuntur, ſed ipſius turpitudinis, quæ multo triſtiſſimæ ſunt. Quibus rebus perſpicitur, excerpendas eſſe legum numero, quotquot cauſa apiſcendi illicitos honores aut pellendi claros viros per vim feruntur, ut aliquando Romæ factitatum. Excerpendæ, quas lucri ſtudium & hiatus præmiorum extorquet, ut illius apud Poëtam, qui *fixit leges pretio atque refixit.* Sed illæ etiam proſcribendæ C. Gracchi, qui ſicas ipſe ſe projeciſſe in forum prædicabat, quibus digladiarentur inter ſe cives. Sic enim leges ſuas agrarias & frumentarias nominabat. Quibus adjunge, ſi placet, judiciarias

Tac. A. 3. 27, 2.

Virg. Æn. 6. Cic. de LL. 3, 9.

arias ac tabulas novas, quarum auctores Chreocopidæ usurpantur: quæ leges omnes, cum speciem æquitatis præ se magnam ferrent, redierunt in perniciem, & resp. in exitium suum merces fuit. Postremum huc adde, quæcunque sive ab odio manarunt, ut illæ Cœlii, qui vexaturus adversarios, obfuit etiam reipublicæ: sive inescandæ plebis caussa sunt propositæ, quo via securius tyrannidi muniretur, sicut illæ Richardi apud scriptorem Anglicum.

Id. l. cit.

Bacon. Hist. Hen. VII. p. 8.

Ac de ejusmodi quidem legibus uti perfacile est judicium, sic aliud genus se ostendit, in quo cum Academicis addubites magis quam decernas. Multas enim unius hominis gratiæ Legislatores tribuunt, quo modo studio in Jo. Monlucium Carolus IX. Gallorum, itemque Henricus VII. Anglorum Princeps in Cancellarium suum, leges perrogarunt. Nonnullas ostentui magis ferunt, quam mansuras, quales illæ Cæs. Othonis, quas dedit Africæ & Cappadociæ. Quin etiam ad vim principatus intendendam, fiscique rationes, & varios juris titulos callidissime flectunt, ut Henricus ille, de quo feci modo mentionem. Hujuscemodi igitur leges quo sint numero habendæ, haud perinde promptum est existimare. Si præsertim forma imperii, quod παμβασιλείαν dicimus, in quo cum omnium utilitate paullo arctius est unius salus implicata, a ceteris gradibus principatus non perite satis discernatur. Hactenus ergo de utilitate legum, cujus quasi complementum est, si commode sobrieque, id est, clarissima brevitate, perfectissimo ordine, diligentissima circumspectione sint perscriptæ, si nec paucæ nimis sint, nec sine modo, & sibi ipsæ fuerint consentientes. Ex quibus rebus quanta efflorescat utilitas, haud paullo melius suum cuique judicium, quam mea dictabit oratio. Ac de legibus universe pro re satis multa diximus, quæ cetero sermoni non præmunita temere esse, mox subinde apparebit.

Thuan. H. 41. p. 460.
Bacon. l. c. p. 386.
Tac. H. 1, 78, 1.
V. Bacon. l. c. p. 386. & p. 242.

Sequitur ut de Ægyptiorum legibus dicendum sit, de quibus hoc præfari non est alienum, multo secus animo videndam harum indolem, quam aliarum: utpote in quibus hoc est singulare, quod magnam partem appropinquare videntur ad exemplum selectissimæ reipubl. qualem fere Plato quon-

quondam, & Aristoteles, & M. Tullius effinxerunt. Ut in eas cadant merito, quæ de legibus Henrici sui censuit Baconus, acris vir ingenii, & in prudentia legum explicanda singularis industriæ, quam etiam gloriæ sibi assignat: *Leges ejus* inquit, *si quis attentius eas introspiciat, ex profunda prudentia ortas inveniet, neq; vulgaris esse natura, non occasione aliqua præsenti stimulante latas, sed vere ex providentia futuri, ut status ejus regni indies fieret magis florens & beatus.* Nimirum id est, quod sapientissimi toties monent, omni laude cumulatum Legumlatorem, dum statum reipubl. figit ac fundat, optimæ civitatis imaginem penitus mente concipere, atque ad illud instar, quoad ejus fieri potest, leges suas debere conformare. Qui si satis præcultus sit rectis studiis, si in rerum ac negotiorum vim idonea subtilitate penetret, quid frugiferum decorumque sit, ex quo quæque gignantur & conferantur, penitus pervideat, nec quod ante pedes modo est, sed quæ ventura trahantur, tanquam inspectis rerum fibris præsciscat, & consulat in longitudinem, non poterit non expromere ejusmodi leges, quæ perpetuæ salutis sint, & quibus firmis dilabi respubl. non possit.

Hist. Henr. p. 125.

Ad hunc ergo modum Ægyptiorum concinnatæ leges sunt, ut vel hoc argumento patet, quod regno rempubl. constituerunt. Fuit enim illa regibus administrata usque adeo, donec sub imperium ditionemque Romanorum cecidit. Sed primum suis usa est Regibus, quorum vetustissimos fama hominum beneficiorum memor in Heroum ordinem ascripsit. Mox Persarum eam dominatus comprehendit: inde Alexandri, qui Persidis imperium armis occupavit. Eo defuncto rerum potiti sunt Lagidæ quos decem Strabo numerat, juncta, Cleopatra, quam Cæsar exsulem in sceptra reposuit. Ad extremum Octavius, Actiaco prælio victor, in provinciæ formulam redegit, quæ ex illo cœpit administrari à Rom. Equitibus. Sed quare regnum potius instituerit Legislator, quam aut plurium regimen, aut ex omnibus generibus modicè confusum; quod illi videlicet præoptant, qui de republ. optima scripserunt; exquirendum arbitror. Atq; istam quidem ex omnibus delectam reipubl. formam nemo ambigit, laudari citius, quàm evenire, vel si evenit, haud diuturnam esse posse. Re-

Geogr. 17.

V. Arist. pol. 2, 4.

ſtat proinde, ut ſingulis inter ſe collatis, dicendus ſit præſtantiſſimus principatus, quippe qui nec diſſenſione conſultantium, nec certamine potentium in diſcrimen vocat rempubl, nec facile mutationes recipit: ac partim ſua vi, vigore, efficacia in omnia late longeque valet, partim conſiliis celerius & auſpiciis cuncta expedit, ut multi fuſe docuerunt. Ad quæ

V. Ariſt. pol. 7.7. Barcl. Ic. an. 2. ſicut haud dubie reſpexit Legislator, ita longius cogitatione progreſſum, veriſimile eſt. Omnino gentes omnes, ut habitu, ſic ingeniis inter ſe differunt. Eſtque proprius cuique regioni ſpiritus, qui naſcentibus hominibus patriæ habitum cupiditateſque ſtatim ingenerat. Itaque populorum alii vividi ac fortes, ſuique potentes, quemvis gravantur dominatum: quidam in libertatem cum ceteris nati, ſerviunt tamen, ad quoſdam ſcilicet affectus ac vivendi pæne normam ſua indole adacti.

V Tac. H. 1. 11. 1. Eut. c. 147. Jam Ægyptios ſi ſpectes, turbidos conſiliis, ingenio mobiles, proclives ad mollitiem, libertatis nec capaces reperias, neque avidos. Teſtimonio eſt Herodotus, qui nullo temporis momento carere Regibus potuiſſe ſcribit, cumque poſt exitum Sethonis libertas ipſos reſpexiſſet, ea projecta duodecim extemplo Reges prodidiſſe: totidem partibus Ægypto diviſa. Ad hoc igitur cumprimis intendiſſe animum Legislatorem, cum reges popularibus imponeret, omni ratione ſentiendum eſt.

Sed quoniam regno (ut nihil in humanis omni labe eſt exemtum) ſua adhæreſcunt vitia, veluti quod Reges fortuna dulci ſæpe ebrii, à modeſtia declinant ad licentiam, & omnia in omnes exercere, id demum eſſe putant imperio uti: idcirco Legislator (qui quidem Bocchoris fuiſſe creditur) converſurus ad ſalutem iſtuc malum, ſalubre reperit temperamentum, ſanxitque leges, quibus etiam Reges obtemperarent.

Biblioth. l. 1. p. 63. Ponit earum ſummas *Diodorus*, auctor diligens, & antiquitatis plurimæ peritus, quem in præſenti ſcripto locupletiſſimum ſæpe teſtem citabimus. Ait primum: *ad miniſteria ipſorum nullus adhibebatur ſervus, neque emptitius, neque verna, ſed nobiliſſimorum tantum ſacerdotum filij, quorum ætas vicenos ſolis anfractus redituſq; convertiſſet, quique præter ceteros præclare eſſent educati.* Quæ lex hanc ſententiam, ni fallor, continet, ut ipſas ſcelerum radices tollat, & ad virtutem civilem patenti via

Reges

Reges perducat. Quiſquis enim facultatem principi verſandi cum hominibus profligatis & contaminatis præripit, qui fœda vel inſtillent ejus auribus, vel juſſi perficiant, quid reliquum ei facit ad malitiam? Sunt autem capita legis duo. Nam ſervos primum amovet à Regis latere, quorum ingenium vix melius quàm è fabulis perdiſcimus. Aulam ingreſſi nihil turpe ducunt, ac novandis rebus, quam gerendis aptiores, omnia miſcent, & poſtquam clariſſimum quemque depreſſerunt, in ipſos dominos affectant imperium, quos ſæpe velut Elephantem parvus Æthiops circumagunt. Deinde Regi circumdat juvenes, qui tenera ætate in domus regnatricis adyta vocati, atque ad partem curarum aſſumpti, Regi quondam reique publicæ forent præſidio. Nec vero hos è fæce populi vult eligi, ſed ſacerdotum familia, quorum inter Ægyptios ob ſanctitatem muneris rerumque ſcientiam præcipua fuit dignitas; nimirum ad ſplendorem principalis majeſtatis atque decus. Eoſdemque virtutum ornamentis vult politos, quo Regis aures oculique adverſus indecora dicta factaque eſſent communiti, mensque à flagitiis jubendis pudoris vi reflecteretur. Nam quod optime Diodorus addit: *nullus princeps ad nimium improbitatis procedit, niſi præſto ſint facinorum ſatellites.* De Tiberio teſtatur Tacitus, incolumi matre & Germanico Druſoque, ſi non probum, ſaltem ſubdolum fuiſſe fingendis virtutibus, & occultum: *poſtremo in ſcelera ſimul ac dedecora prorupiſſe, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantum ingenio utebatur.* l. c. A. 6. 51. ſ. &c.

Pergit deinde Diodorus, atque ait: *primo diluculo expergefactum decebat Regem miſſas hinc illincq; litteras inſpicere.* Comendatur Regi perbene hac lege cura reipubl. quæ negotiorum civilium aſſidua recordatione, graviſſima meditatione, promptiſſima executione definitur. Sed ea nulla erit, niſi de ſtatu rerum, non ex relatu modo præſentium amicorum, ſed inprimis ex epiſtolis magiſtratuum in provinciis agentium, fœderatorum, ſociorum, oratorum, ducum & ſimilium, ſubinde cognoſcat. Cum enim nihil perpetuo conſiſtat ſtatu, quin ut facies cœli & maris, ita rerum atque fortunæ tempeſtatibus frequenter commutetur; ex his quidem talibus certa reipubl. formanda eſt notitia. Quocirca recte Legiſlator ea l. 1.

tanti putavit esse, ut ante omnia tractari vellet, ac matutino tempore, quo maxime ad magnas cogitationes patet animus. Ut otio sim abusurus, si fructum hujus legis prudentiamque, quæ tantopere per se ipsa lucet, verbis instituam efferre.

Perlectis litteris ad divinum cultum princeps vocabatur. Plin. Pan. pr. Gnarum scilicet Legislatori, quamlibet pagano, *nihil rite nihilq; providenter homines sine Dei immortalis ope, consilio, honore auspicari.* Agnoscebat, hoc fundamentum rerum ubi negligitur, retro sublapsa cuncta referri, & parvas quoque res magnis motibus agi. Diod. l. c. Decebat autem Regem *ablutum, & insignibus regni splendidaq; trabea decoratum sacra facere.* Ubi lautum quidem esse quod oportuit, ex prisca superstitione repetendum autumo. V. Athen. Dipnos. 9, 27. Credebant enim antiquitus, aspersione profluentis castum corpus & purum à crimine præstari. Quam opinionem scite perstringit Ovidius in II. Fastorum. Ut autem ornatu regio sacris princeps interesset, forsan eo repertum, quo regum arctissima cum DEO colligatio propius ostentaretur, sanctitasque muneris sacro habitu, in loco itidem sacro ac majestatis pleno, veluti promulgaretur. V. Cl. Boecl. de Reg. c. 4. Neque enim ut instrumenta modo scenæ spectanda sunt insignia Regum, sed altiori ratione vulgoque minus intellecta, ad vim auspiciorum referenda sunt, quam Ægyptiis haud incognitā fuisse prorsus, vel ex eo par est intelligi, quod nonnusquam Diodorus notat: l. 1. p. 81. V. Synes. de Prov. l. 1. *Ægyptii suos reges non secus ac indigetes adorant, quippe & à Providentia datos rerum arbitros, & cum ab ipsis uberrima ad homines beneficia redundent, animos eorum decerptos ex mente divina colligunt.* Est autem inter hæc imperii pignora apud Ægyptios celebre cumprimis sceptrum, quod hippopotamo ciconiaque narratur insignitum. His enim figuris primas Regis virtutes, justitiam ac in suos pietatem, colendas admonebant.

Tali igitur habitu cum ad sacra Rex venisset, sacerdos maximus, frequentia populi circumfusus, solennem recitabat precum formulam: Diod. 1. p. 64. *sanitatem dii cum ceteris bonis quibuscunque regi largirentur, jus æquitatemq; subjectis conservanti.* Quibus rebus completis, ex ordine decantandæ Regis erant virtutes, & execranda peccata, quæ in se per ignorantiam admisisset, quorum culpam condignis cum suppliciis in scelerum architectos An-

tistes

tistes conferebat. Hæc idcirco Diodorus instituta putat, *simul ut ad metum numinis vitamq; superis placitam impelleretur princeps, simul ut captus magis laudum illecebris, quo nihil virtus impensius amat, quam admonitionis acrimonia pertentatus, innocentiam vitæ gauderet amplexari.* Quam rationem eo probabiliorem judico, quia cunctis mortalibus, quibus honestatis inest scintilla, moderata laudatio addit ardorem, ut quales sermonibus prædicantur, tales re ipsa velint apparere. Et hoc fortasse spectavit, cum Panegyricos adinveniret veterum prudentia, quibus utique secreta vis ac paucis animadversa subest, cohortandi laudum specie, & amores excitandi virtutis, cujus ipsam formam divina quadam arte repræsentant. Ceterum hunc Ægyptiorum sacerdotum morem illis ante oculos statuimus, quos vitia principum objurgare muneris religio jubet, ut inter abruptam contumaciam ac deforme obsequium iter pergant medium, & quoties in monendo libertate est opus, prudenter moderentur. Sed ad reliqua proficiscendum est.

Occurrunt enim leges aliæ, quibus cetera diei tempora Legislator dispertivit. Una regum studia, proxima victum, postrema judicia determinat. De priori Diodorus ita ponit: *Jubebatur dein sacerdos, penes quem sacri erant commentarii, quædam consulta eminentissimorum virorum ac facta prælegere*: simul caussam interserens, *ut princeps pulcherrimorum rationes consiliorum animo contemplatus, secundum ea cunctas res administraret.* Nimirum non bonos modo voluit, sed eruditos etiam Reges dare Legislator. Hæc namque eruditio est vere principalis, replicare memorias temporum, & quibus artibus domi militiæque partum sit, vel auctum imperium, scitari, denique omnis exempli documenta in illustri posita monimento intueri, indeque sibi suæq; reipubl. capere, ex usu quod sit. Usque adeo opertis oculis bona sua computant, qui amœnitate potius narrationis eam rem, quam efficacia & fructu doctrinæ ponderant. Historiam ad solam contemplationem legere, puerilis est & otiosa voluptas: quæ autem à viris priscis graviter statuta, deliberata, gesta sunt; meditata evigilataque habere, mascula ac digna Heroë scientia est. Sed hunc locum alii satis expresserunt. V. Lips. pol. 1. 9.

Venio nunc ad Regum victum, quo *simplici parabilique coge-* Claudian. de IV. Hon. Conf. v. 396. &c.

 geban-

Diod. l. c. *gebantur uti, vitulorumq; atq; anserum carnibus vesci, certumq; vini demensum capere, quod neq; oneri esset ventri, nec lumini mentis officeret.* Sicut superior lex ad eum officii fontem pertinuit, quem prudentiam appellamus, inferior ad justitiam se refert; sic præsens hæc ad temperantiam redundat ac modestiam: in qua præcipienda Bocchoris omnino, non Legumlatoris, ut loquitur Diodorus, sed boni Medici vicem adimplevit. Non adeo clam ipsum erat, qui genio obsequerentur, & in voluptatibus occuparent animum, præterquam quod valetudinem affligerent suam, regni curam plerumque exuere, publicamq; stationem deserere, & si vel maxime tueantur, corrumpere plura, quam emendare consiliis. Quippe *ubi animus semel se cupiditate devinxit mala, necesse est consilia consequi consimilia:* sive DEUS, osor luxuriæ, suum ipsis numen subtrahit, ut verum dispicere nequeant, sive cum corpore simul per voluptates deflorescit animus. Præclare Sallustius: *Quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est, ii ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequaquam eo postea hebeti atque claudo pro exercito uti volunt, nam imprudentia pleraq; & se præcipitant.*

Or. 1. ad Cæs.

Diod. l. c. Ultimam esse legem diximus de judiciis. *Neque enim Regibus judicare licebat, aut punire quenquam, contra quam sacratæ leges flagitarent.* Usu persæpe venit, ut pectora judicantium obsideant affectus, pessimum humani animi venenum, ut propter invidiam adimant diviti, aut propter misericordiam addant pauperi. Sed hoc etiam non pessimis aut offirmatis ad peccatum potest obtingere. Illud detestandum, cum mali principes, & servili ingenio jus regium exercere sueti, forum indicunt. Tum enim virtus, nobilitas, opes, pro scelere. Subjiciuntur testes, majestatis intenditur singulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacant. Leges prout gratiosus vel invisus reus incidit, infirmæ aut validæ. Hujusmodi judicia lex Ægyptiorum prudentissime tollit, ac modum jus dicenti præfinit: ut perspicuum sit, has omnes leges, si superstitiosa dempseris, & honestas extitisse, & inprimis salutares.

l. 1. p. 65. Diodorus certe pronuntiare non veretur, dum illæ valuerunt, subjugatas peregrinas nationes, excultas & copiis firmatas urbes, reges autem, quoniam cedendo ipsis fortunatos sese judicabant,

cabant, vimque suæ majestatis augeri inde, non diminui credebant, tam magno habitos honore, ut vix majori possint numina; nec tanti fuisse liberorum cuique vel uxorum, quam illorum incolumitatem.

Posteaquam leges enarravimus, quibus temperata fuit regum potestas, non incongruens videtur pauca promere de tributis, quæ regibus præstari solita dicuntur. Germanicus Cæsar in illa celebri profectione, quam per varias provincias intenderat, Ægyptum etiam ingressus, Thebas denique pervenit, ubi structis in molibus (illis duobus videlicet obeliscis, de quibus explicate Diodorus) legit *indicta quondam gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerum armorum equorumq; & dona templis, ebur atque odores, quasq; copias frumenti & omnium utensilium quaque natio penderet.* Hæc ibi Germanicum didicisse, Corn. Tacitus auctor est. Cum quibus conjungenda reor, quæ separatim de argento ac frumento sese offerunt. Annotavit enim in oratione quadam Cicero, Auletæ tempestate quotannis ccIↃↃ cIↃ cIↃ Ic. talenta ad Regem rediisse, sicut est apud Strabonem. Veruntamen Diodorus, qui se eodem Ptolemæo rege testatur Ægyptum peragrasse, canonem non ultra IↃↃ cIↃ. progressum asseverat. Jam de frumento, quintam frugum partem pensitatam Regibus accepimus. Id adeo Saphnath Panneach (sic enim in Ægypto transnominatus est Josephus) Pharaonis nomine primus constituit, scriptaque lege confirmavit. Cujus æquitas ex eo debet intelligi, quod Pharao, cum agros Ægyptiorum ad se jure transtulisset, restituere maluit, & quandam partem proventuum capere, quam expilator civium videri. Næ illiusmodi magna regum penuria est. Plures, qui civium bonis pro suis utantur, atque interim prætexant illud Panegyristæ: *cujus est quicquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes habet.* Cogitasse debebant, non ad privatas explendas libidines, sed commune commodum jus illud regiæ potestatis restringi. Ac de legibus quidem ad Reges pertinentibus plus satis, ut opinor, disputatum est.

[Margin notes: l. 1. p. 53. Conf. Strab. 17. — A. 2. 60. 5. — Geog. l. 17. — Gen. 47. 26. Joseph. A. I. 2. — Plin. Paneg. V. Grot. l. B. l. 1. 6.]

Age nunc ad reliquum corpus civitatis aggrediamur, ejusque constitutionem paucis evolvamus. In libris de Rep. Aristotelis sex esse genera hominum docetur, sine quibus nulla se Pol. 7. 8.

la se

la se tenere civitas possit: agricultores, opifices, milites, institores, magistratus, sacerdotes. Verum philosophus, cum in suam rempubl. nonnisi cives asciscat spectata virtute & generosa indole, ex illis generibus tres duntaxat optimæ civitatis partes legit, magistratus, sacerdotes, milites. Ceteros, qui labore quæstuve districti, nec curis vacent publicis, & ad virtutem non aspirent, à civium classe segregat. Quæ si momenti alicujus instar habent, vel ex eo satis apparet atque extat, quam prope ad effigiem laudatissimæ reipubl. Ægyptus accesserit. Confirmat enim Aristoteles ipse, discrimen hoc generum à Sesostri legibus introductum. Idque hoc magis adducor ut credam, quod Herodotus ostendit, Ægyptiis reliquis ignobiliores habitos opifices, nec militibus fas fuisse, illorum artibus contaminari. De agricolis autem Philonem testem facimus, qui laudata rusticatione, Ægyptiis improperat, quod insolentia inflati fastidirent plebejorum in colendo victu studium. De ceteris hominum generibus, nihil est, quod laboremus.

Ib. c. 10.

l. c.

2, 165. &c. add. Cunæ. de Rep. Heb. 1, 4. & 5.

De Agricultura.

V. Herodot. 2, 47.

Diod. 1. p. 67.

Strab. 17.

Gen. 47, 22, & 26.

Nunc regionis & agrorum divisionem exequamur, quam attingunt sacræ litteræ. Tradunt enim, cum septennis fames urgeret Ægyptum, populum seque & agros suos, ut accepto frumento vitam toleraret, Pharaoni mancipasse, ceterum quæ pars erat sacerdotum, ejus immutatam possessionem permansisse. Scriptor ille Siculus hunc ad modum rem commemorat. Tripertitam dicit regionem, ac primam partem vendicasse sibi sacerdotes, caussamque ponit in dignitate hujus ordinis atque meritis, tum in necessitate sumptus ad procuranda sacrificia, administrosque sustentandos. Secundam portionem ascribit Regibus, unde suppeterent vectigalia, ad varios pacis ac bellorum usus. Partem ultimam militibus tribuit, quos Calasiries & Hermotybies vocabant Ægyptii: adjicitque rationis loco, quod eis male se committat respubl. quibus pretiosi in patria, quod armis defensarent, nihil esset quicquam; utque in ea rerum affluentia darent operam soboli, terramque strenuis propugnatoribus complerent, factum existimat. Unusquisque vero militum, ut aliunde constat, C. cubitorum immunem agrum liberumque arabat. Nec

l. 1. p. 66.

Herodot. 2. 166. &c.

Nec vero eisdem perpetuo fruebantur agris, sed mutabant vices, forsitan ut juris æquabilis ratio hoc magis teneretur. Cum hac agrorum assignatione componi debet illa, quam perfectissimæ civitati Peripateticorum princeps commodat, à qua sane non nimis abludit. Ne id quidem ignorari oportet: optimis Legislatoribus nihil perinde fuisse curæ, ac providam agrorum distributionem. Hæc à principio neglecta, vel non caute satis legibus descripta, permulta parit incommoda, nec unquam sine maximis deinde motibus & injuriis agitatur, quod Romanarum callidos rerum minime fugit. Quare miraculo debet esse Moysis prudentia, qui præcepta agrorum partitione legem composuit, *ne quis venditione aut ullo contractu plenum dominium fundi sui transferret in alium.* Ex quo fiebat, ut nec tenuiores opprimi possent à divitioribus, nec studio novarum artium ab agrorum cultura cives divelli: quem locum erudite perpolivit elegantissimo vir ingenio, P. Cunæus. Sed nos ad ea, quæ restant, pergamus.

Arist. pol. 7. 10.

V. Liv. 2, 41. Cic. off. 2.

De rep Hebr. 1, 2. & 3.

De sacris igitur atque sacerdotibus pauca libare, itemq; de magistratibus, ad postremumque de jure privato, rerum nos ordo jubet. Primi hominum (quod ait Lucianus) Ægyptii deos sunt commenti, delubraque excitarunt, & sacrarunt lucos, solennesque cœtus celebrarunt. Sed inter initia nulla deûm effigie vacuæ sedes, donec gliscente superstitione in animalium speciem cœpti sunt assimilari. Præcipui horum Osiris atque Isis, quos putant esse Solem atque Lunam. Veteres enim cum formosissima hæc sidera mirabundi circumspicerent, eorumque vi cuncta sentirent augescere ac foveri, quod opibus ipsorum aperte juvarentur, deorum numero duxerunt. Hæc primordia superstitionum, ut luculente docet (a) Judæorum litteratissimus Maimonides. Alii (b) memorant; sicut Persæ, suasore Zoroastre, duo statuerunt principia boni ac mali, hujus Arimanium, illius Oromasden: sic Osiridem bonorum fuisse principium, malorum Typhonem, utriusque temperamentum Isidem. Transtulerunt autem rerum harum nomina à regum suorum vetustissimis, Osiride, quem Misraimum putat (c) Vossius, Chami fil. Noachi nep. ac Iside, quæ dicitur illius & soror & conjux. Inter ceteros deos

De Syria Dea.

Diod. l. 1. p. 10.

Plut. de Os. & Is.

L. Pignor. Epist. Symbol. 23 de mens. Is. c. 1.

a) De idol c. 1. § 1. &c.

Sext. Empir. 8, 2.

b) G. I. Voss. Theol gent. 1, 5 & 2, 4.

Conf. Synes. de Prov

c, ib 27. & 28.

(d) V. Tac. H. 4, 83 & 84. (e) Th. g. 1, 29. (f) Vit. Apoll. 6, 9. (g) Diod. p. 77. & c. l. 1. Cic. de N. D. 1. Plut. de Os. & Is. Strabo G. 17. (h) Herodot. 2, 153. 3, 74. Strabo. 17. Geogr. Diod. l 1. p. 19. Plin. H. N. 8. 46.

maxime fama celebravit (d) Serapin, quem Josephum hariolatur esse (e) Vossius, quod modius ejus capiti, signum annonæ, superstaret. Præterea belluas etiam in concilio deorum vani homines collocarunt, quam vecordiam salse ridet Apollonius Tyaneus apud (f) Philostratum. (g) Caussas ejus cultus annumerant varias, quarum principem arbitror utilitatem, quam ex illis bestiis capiebant. Attribuerunt autem potissimum inter animantes locum (h) Api atque Mnevi bovibus, quorum alterum Memphitæ, alterum Heliopolitani aluerunt. Sed quid ego bruta narro? res surdas sensuque carentes, (i) cœpe & allium, deorum numero inseruerunt: (k) Nilum etiam (quem sacra pagina Nachal Misraim, & cognomento proprio Schischor appellat) ob annuum inundationis beneficium; postremo monstra quoque, e quibus ille (l) poëtæ dictus *latrator Anubis*, penetrali sacraverunt: ut obscæna numina in præsentia mittam.

Voss. Th. 3, 74. (i) Juven. Sat. 15. Plin. 19, 6. (k) Phil. de Vit. Mos. 3. Voss. l. c. 2, 74. (l) Virg Æn. 8. p. 77. l. 1.

(m) Euseb. præp. Ev. 2. Philostr. v. A. 5, 15. Joseph. 2. adv. Ap. Mela. 1, 9. Ælian. H. A. 10, 24. add supra cit. pol 4.2.11. N. pol 6, 3.11. Princ c. 20. V. Diod. l. 1. p. 81. &c. Herodot. 2, 85 &c. Plin. 11, 37. Cic. Tusc. q. 1. Herodot. 2. 113. 2. 35.

Intelligendum est autem, non omnibus Ægyptiis eadem culta, sed (m) propria sua numina, nec raro contraria (cujusmodi lupus & ovis, crocodilus & ichneumon, ibis & anguis) quamlibet Ægypti partem habuisse. Cujus discrepantiæ ratio longe quærenda non est. Succurrit ultro Diodorus, ac *priscorum*, inquit, *ætate, cum plebs subinde conspiraret, principum unus prudentia excellens, complures in partes regionem tribuebat: in singulis vero cujusdam bestiæ cultum sancivit, aut cibo quopiam interdixit, ut in diversa studia scissum vulgus, in ruinam conjurare principis nequiret.* Quæ sane constitutio quam sit proposito nefaria, effectu perniciosa, consilio improvida, satis commode Lipsius explanat. Atque utinam non alio sibi loco idem discreparet, quodque Machiavellus affirmare timuit, fructuosum putaret esse, *si inter se dissentirent finitima oppida aut provinciæ.* Annectit quidem ista verba: *sed leviter, & hoc uno bono, ne in te conspirent.* Quasi verò in ejusdem manu sit flammam tectis injicere, & injectæ modum statuere, vel bonus princeps malis artibus ad se firmandum egeat. Sed de numinibus Ægyptiorum abunde dictum reor. Subjungendum nunc erat de cetero sacrorum cultu

cultu ac cærimoniis, de ritu immolandi, de jure manium, de jure asylorum, de feriis, de ludis gymnicis, rebusque similibus: verum hæc præterire gravissimæ nos caussæ subigunt. Ac pudet profecto, in his religionum monstris diutius morari, quæ cum naturæ legem in mentibus nostris persignatam, nec minus publicam utilitatem varie oppugnent, in nonnullis vero manifesto pudoris ac modestiæ clausulas perfringant, consentitur facile, esse fœda, sinistra, detestabilia, & à gravissimis omnis ævi viris merito damnata ac repudiata.

Philost. v. Ap. 5. 9. Herodot. 2. 27 Joseph. A. I. 2, 3. Herod. 2. 91. Strabo 17.

Cohæret autem cum superiori parte tractatio de sacerdotibus, quorum omne munus positum erat in duabus rebus, in suppliciis deorum, studioq; sapientiæ. De priori nihil addere consilium est. Sapientiam ideo (ut mea fert sententia) commendarunt sacerdotibus, sive uti venerationem muneri conciliarent, seu quoniam, ut ex illorum mente loquar, nullos illa deceret magis, quam eos, qui veluti consiliarii deorum & internuntii, res occultas mortalibus panderent, fatorumq; arcana resignarent. Hinc sapientiæ pars habebatur haud postrema, divinatio. Nam aut consultis animantium extis, aut somno per templa capto, omina colligebant, aut aliis objecta visa aperiebant. Haruspicinam quoque ignotam ipsis non fuisse puto: de quibus rebus quid Christiani sentiant, apertum omnibus. Inprimis verò siderali scientiæ & geometriæ se dedebant, notitiamque fovebant litterarum, quas illi sacras vocant, quasq; *ignorabiles* dicit Apulejus, resque gestas monimentis annalium studiosissime mandabant, posteritatique propagabant. Quam ob causam prudentia ceteris omnibus anteire credebantur, proximumque à rege honoris locum obtinebant, eidemque vice Senatorum assidebant. Immunes item erant cunctorum onerum. Et quod vel maxime eorum amplitudinem auxit, constitutum habebant, ut quisquis sacerdotium iniret, se gente sacerdotali natum, ab ultima stirpe, testibus non paucis subnixus, demonstraret. Quam rogationem commendat maxime cognatio, quæ inter legem Judaicorum sacerdotum & ipsam intercedit. Sed hæc delibaturum me, non tractaturum ostenderam.

Joseph. adv. Ap. 2. Diod. l. 1. p. 49. & 66. Tac. H. 4. 8, 1. V. Tac. A. II, 1, . Ioseph. adv. Ap. 1. Diod. p. 66. l. 1. Ioseph. l. c.

Deinceps, ut erat propositum, de magistratibus viden-

dum est. Hi præfecti fere, & judices. Præfecturas instituit Amasis, vir catus & perspicax: idque eo modo, quem Strabo designat. *Principio enim in præfecturas*, ait, *distincta regio fuit, quas νομὲς appellant: Thebaica in decem, Delta in totidem, intermedia in sexdecim. Rursùm hæ præfecturæ divisæ in toparchias: toparchiæ in partes alias, quarum minimæ erant arva.* Nunc caussam hujus diligentiæ subjicit: *opus*, inquit, *fuit tam scrupulosa divisione, quod Nilus auctus priorem locorum formam identidem deleret, limitesq́; erueret, & confunderet vestigia, denique velut iniquus arbiter, his adderet, illis detraheret. Ac propterea geometriam ab Ægyptiis repertam credunt, ut à Phœnicibus ob mercimonia Logisticam.* Necessitas itaque, si cum Strabone stamus, præfectorum multitudini caussam dedit. Quanquam nihil sit absurdi, dicere, Legislatorem usu callidum id insimul spectasse, ne nimium potentiæ præfectis accresceret. De Alexandro certe tale quid Historicus consignat: *Imperium*, ait, *Ægypti Alexander victor in plures præsides partitus est, admiratus tùm naturam regionis, tùm firmitatem, neq́; adeò tutū ratus, unius potestati totius Ægypti administrationē permittere. Id quod Romani ab Alexandro didicisse videntur, ut cum cura haberent Ægyptum, neq́; Senatorii, sed equestris ordinis præsidem imponerent.* De his Nomarchis lex egregia circumfertur, eodem Amasi (ut ajunt) sanctore. Cogebantur illâ cives cuncti quotannis apud ipsos profiteri, quod vitæ genus, & quomodo colerent. Sin autem hoc intermisisset quispiam, aut non bonæ rei homo fuisset inventus, capitaliter in eum advertebatur. O rem dignam, quam omnis resp. sibi imitetur. Nam profecto, nisi singulis civibus officium ac verecundia sua constiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus sedem stabilem non habebit. Sapiens igitur vel hoc uno mihi Solon, quod istam legem Athenas intulit. Hinc more accepto Censores sibi Roma creavit, quos sæculo nostro vehementer suadet Lipsius. Atque ex his aliquatenus de Nomarcharum officio potest numeroque cognosci. Jam de Judicibus hæc fere accepimus. Ex urbe Solis, Thebisque ac Memphi deni judices cooptabantur. Hi triginta viri congressi in unum, ex ordine suo optimum quendam judiciorum præsidem renuntiarunt, cujus in locum urbs alium supponebat. Stipendia rex sufficiebat, Prætori quidem

Diod. l. 1. p. 85. 27. Geogr.

Arrian. H. 3.

Herodot. 2. 177. Diod. p. 69.

Diod. d. l.

Pol. 4, 11. 117. &c. V. Arnis. pol. Diod. l. 1. p. 68.

dem paullo amplius. Huic suspensum à collo gestare signum veritatis, omen erat. Qua re quid aliud quam officii hominem admonebant, ut immotus adversus impetus affectuum aut largitiones, ex veritate cuncta disceptaret. Meretur sane hic locus eorum commentariis ascribi, qui de officio judicis præceperunt.

Ingens jam nobis expositionis campus sternitur, de jure Ægyptiorum privato: sed compellenda in angustum est oratio. Primum de matrimonio agamus, quod seminarium est reipubl. & fons perennis civium. Sed enim non pro cetera sua sapientia id constituerunt. Nam vide sodes rem fœdissimam: licebat legibus ipsorum, sororibus jugari. id eo maxime, quod Osiris exemplo suo rem probasset. Præclara vero ratio: tanquam flagitia principum vim legum habeant. Videtur tamen & illa subesse caussa, quod intra familiam nubere, generi suo decorum existimarunt. Sed eam certe rationem & superiorem juxta æstimo. Quapropter satis mirari nequeo, quo pacto sacer iste mos ad alias quoque gentes penetraverit. Nam & Persis fas erat per legem Zaradæ, eodem patre natas uxores ducere, & Atheniensibus honestum habebatur. *Neque enim Cimoni fuit turpe, summo viro, sororem germanam habere in matrimonio: quippe cum cives ejus eodem uterentur instituto.* Sed violari hac lege tenorem juris naturalis, accurate probat Platonis ille æmulus, Philo Judæus. Quod satis est argumenti, inter veras leges eam recipi non posse: non magis quam ista altera potest, quæ Ægyptios in tabulis dotalibus imperium virile jubebat resignare, & plenum uxoribus obsequium spondere. Orta à Sesostri ista constitutio, qui (si Nymphodoro credimus) quo gentem in posterum sibi firmaret, effeminavit animos, ac munia virorum in mulierculas, harum ministeria in mares transtulit: quo quid est injustius aut facinorosius? Confundit enim ordinem naturæ, dedecus reipubl. postremo exitium importat. Siquidem ad hunc morem emolliti ab omni honesto vitæ genere se abrumpunt, suisque viribus attriti nequaquam sustinere valent hostiles impetus. Itaque nulla ætas eluet hanc maculam, quæ in Ægyptiorum nomine ob tantum facinus insedit. Nam quid

Diod. l. 1. p. 23.

V. Philon. de Special. LL.

Strab. l. 15.

Corn. Nep. præf. 4. & 5.

l. 2. de LL. Spec. p. 779.

Diod. l. c.

rer. barbar. 13. & Scholiast. Sophocl.

Diod. l. 1. Euseb præp. ev. 6. Gell. 15, 20. V. Tholos. Synt. Iur. 9. 2. 11. Arnis. de Iur. Con. c. 4. s 3. Arist. Eth. 10, 9. Strabo. 17. Philo de circumcis. Diod. l. 1. p. 72.

ego nunc de eo memorem, quod viris permiserunt, (excepto sacerdotum ordine) ut uxores una plures domum ducerent? Quanquam habent socios nequitiæ Athenienses, quibus decreto facto idem jus fuisse produnt. Verum huic loco, à multis copiose pertractato, non est, cur longius insistam.

A conjugio proximus est ad educationem liberorum transitus, quæ duo fere continet, τροφὴν καὶ ἐπιτηδεύματα. In utroque hunc Ægyptii tenebant modum. Pueros circumcisos (id à Judæis procul dubio traxere) tollebant alebantque: ac tantum abest, ut eos projicerent, quod moribus Græcorum ferme tenuit, etiam nothos pro legitimis habebant, cum solum patrem gignendi crederent autorem, matremque alimenta tantum & locum infanti præbere statuerent. Ut primum ex infantia ad ætatem firmiorem enatassent, sacerdotibus initiandos litteris tradebant: nec quicquam magis inculcabant, quam siderum vices, nomina, magnitudinem, efficaciam noscere, deque positu motuque eorum dicere quæ futura sunt, mensurasque inire locorum, & numerum ex numero perite ducere. Domi severe habiti, cibo modico & facili sustentati, bonis exemplis præceptisque consuefacti. In his de educatione legibus, quid rectum ac sincerum, quid diversum sit, non jam excutiam: est enim in promptu. Tantum veterum industriam Legislatorum admirari libet, qui in ordinandis juvenum studiis tantum curæ consumpserunt. Non fefellit ipsos, nequicquam rempubl. sperari beatam, nisi cives sint optimi: tales vero non nasci, sed fieri institutione, quæ & ipsa, nisi legibus descripta, vacillet & claudicet. Quis ergo temperet sibi, quin ævi hujus infelicitatem graviter deploret? Hic enim profecto hæsitamus, hic deficimus. Non externa bella, non sterilitas officit ingeniorum, quo minus proventu gravium virorum & vere eruditorum nostra ætas efflorescat, sed publica circa bonas artes socordia. Qui præsunt imperio, hanc curam aut abjiciunt, ut minime decoram, aut sumptus perosi reformidant: inexcusabili errore, dum paullulum stipis immortalitatis præmio, futuroque tanto civitatis incremento, non comparant solum, sed anteponunt. Sciamus igitur, ex his malis, quæ nos hinc inde circumvallant, emergi

non

non posse, nisi imperantes personam assumant magistrorum, nec minus gymnasia curare, quam curiam incipiant.

Confero nunc me ad leges de contractibus, quorum in communitate civili frequentissimus est usus. Itaque tanquam fundamento, sic justitiæ & fidei insistunt, quibus rebus Diod. l. 1. maxime consociatio humana continetur. De mutuo igitur p. 71. hæc à Bocchori sancita perhibent: *Si quis mutuum debere se negaverit, nec tabulis id factum possit argui, interposito jurejurando à debito solvatur.* Primam hujus legis caussam reddit annotator, *ut religionem jurisjurandi homines colentes, DEUM discant revereri.* in Aur. Pyth. πρέπει γὰρ τῇ τιμῇ τῶν θεῶν ἡ εὐορκία, ὡς ἀεὶ σύμφυτος καὶ ὀπαδὸς p. 34. ibid. p. τῆς εὐσεβείας, ut bene Hierocles. Quamobrem idem politis- 29. simus philosophus duplex ponit jusjurandum: alterum definit τήρησιν τῶν θείων λόγων, ᾗ δέδεται καὶ ἀνήρτηται πάντα πρὸς τὸν ibid. p. 30. δημιουργὸν θεὸν, τὰ γιγνώσκειν αὐτὸν πεφυκότα. alterum, quod in negotiis humanis valet, hujus appellat ἴχνος, sive *vestigium, quod ad veritatem ducat, eo, ceu par est, utentes.* Subsequitur alia legis hujus ratio, *quoniam crebro dejerantes in dubium de fide veniant, ut in eo quisque elaboret, ne tanto se Palladio privet.* Ad hæc persuaserat sibi Legislator, *si fidem in integritate vitæ collocaret, homines ad morum probitatem sese recepturos, ne tanquam indigni fide, perennem suæ famæ maculam inurerent.* At enim his rebus satisfieri creditori non videtur. Imo optime: quid enim potes V. Diod. l. c. gravari, si illi creditur jurato, cui tute injurato credidisti? nam id hoc loco intellectum volumus. Aut quodnam tandem, extra jusjurandum, testandæ innocentiæ dabis remedium? Haud falso illa apud Comicum dicebat: *aliud si scirem,* Ter. Hec. 5. *qui firmare meam apud vos possem fidem, sanctius quam jusjurandum,* 1, 24. *id pollicerer tibi Lache.* His igitur ad liquidum videtur explorata legis æquitas.

Ceterum ad mutuum usuræ pertinent: in quibus ipsis, Diod. l. 1. p. ut Legislatorem decet, prudenter oppido versatus est Boc- 71. choris. Nam *per interventum syngraphæ fœnerantes, ultra duplum augere sortem vetuit: neque in nexum duci corpus, sed de facultatibus obæratorum usuras repeti permisit.* Duas igitur fuisse legis partes, res ipsa indicat: de modo usurarum, deque vetito nexu. V. Melanch. Usuras non tollit, sed moderatur. Neque enim rem dicunt, phil. mor. p. qui 250.

Grot. I. B. 2. 12. 20. &c. qui in eo disputant, usuras quasvis ab honestate esse remotas, & adversari cum naturæ, tum divinis legibus. Etsi periculosum est, ob mali fœnebris magnitudinem, usurarum patrocinium animosius suscipere. Itaque de viro quodam incomparabili sentire solebat amicus, haud exiguæ in Gallia auctoritatis: quæ in eam rem scripsisset, premi profecto, quam in vulgus efferri, satius fuisse. Permisit igitur hæc lex usuras, sed tamen cum modo, dum ultra duplum extendi prohibet: quod idem suis legibus constituit Justinianus. Nimirum nulla capitalior pestis reip. immodicis usuris. Hæ *seditionum discordiarumq; creberrima caussa.* Quare non immerito inter semina civilis belli memorat Lucanus *usuram voracem, avidumq; in tempore fœnus*: non immerito Crispus, uti compescatur, Cæsari tam valde suadet, cujus postmodo secutam legem Tranquillus exhibet. Porro autem neminem legislator creditoris proprium fieri voluit mancipio & nexu, quod rescripto quoque Diocletiani continetur: *ob æs alienum servire liberos creditoribus, jura compelli non patiuntur.* Caussam & exempla hujus rei expromit sæpius laudatus scriptor: *Arbitratus*, inquit, *Legislator illorum esse bona, qui vel donatione legitime parassent: sed corpora deberi civitatibus, ad bellicos usus pacisq; munia. Quam enim absurdum hoc fore, militem (exempli caussa) qui periculis pro patria caput objectet, abduci in nervum, & ob unius avaritiam salutem omnium in discrimen verti? Videtur autem hanc legem Athenis invexisse Solon, Sisachthia nomine, qua cives universos ab ære alieno in corporis nexum credito liberavit. Quo magis irridere libet alios Græcarum legum conditores, qui arma, aratrum, & reliqua ad opus faciundum necessaria, ob fœnus pignerari vetuerunt, ceterum eos, qui istis uterentur, necti permiserunt.* Hæc ergo Diodorus.

l. 27. C. de Vsur. Nov. 121. 138. 160. V. Tac. A. 6, 16. & 17. Sall Or. 1. & 2. ad Cæs. l. 42. l. 12. C. de O. & A. V. Arnis. pol. l. 4. Diod. l. c. V. Plut. Sol. 21.

Nos ad illam progredimur ab Asychi repertam legem, quæ *extinctorum parentum cadavera pignori opponi jussit ob creditum: oppignerata vero qui minus redemissent, æterna hos infamia notavit, & spe humationis depulit.* Hujus auctorem constitutionis dignissimum miratu proclamat Diodorus, quod morum sanctitatem non usu modo commendasset, quem viventes inter se perciperent, sed honore, quem exspectarent morientes. *Enimvero Græci* (inquit) *fabellis poëtarum & apologis, qui mercedem ante-*

Herodot. 2. 136. Diod. l. 1. p. 83.

acta

acta vita bonis olim ac malis paratam demonstrarent, virtutis pretium accendere contenderunt: ast hoc pertendere non valuerunt. Etenim non ad virtutem solum pellexerunt neminem, sed etiam improbis materiem irrisionis præbuerunt. Ægyptii, cum supplicia & præmia non fabulis includerent, sed certa lege locarent in conspectu, ad officium homines perpulerunt, scelerumq; ramos feliciter amputarunt. Sic ratiocinatur Diodorus, cujus sententia aliquid Epicureum sapere videtur. Nos quemadmodum cordato Legislatoris proposito hanc legem condonamus, ita honestius censemus & utilius, corpora functorum tumulo quamprimum statui, suisque sedibus referri. Nam ratio, quam Diodorus affert, apud nos pondus habere non potest, quibus non est in fabulis, sed pro vero constat, nequaquam bonum aut malum facinus cujusquam pro nihilo haberi Numini, sed ex natura diversa præmia bonos malosque post obitum sequi. V. Tholos. Synt. Iur. 2, 14, 8. Grot. 1, B. 2. 19.

Nunc à turba contrahentium ad ipsum pergamus forum, & judiciorum leges strictim percurramus. Ante omnia norimus ista, *diligentiam haud vulgarem Ægyptios adhibuisse in judiciis constituendis, quippe qui sententias pro tribunali latas maximum ad vitam afferre momentum in utramque partem judicarent. nam & minui delicta si scelerosi puniantur, scelerum inimici ab injuria defendantur; & violari hominum societatem, si favor, aut largitiones, aut mala gratia judicia contaminent.* Quapropter ordinem judiciorum (quem processum dicimus) pulcherrimum excogitarunt, qui talis memoratûr. Principio prætor veritatis imaginem cervici applicabat: hoc litis auspicium. Mox legum octo codicibus apud judices depositis, actor scripto referebat & delictum ejusque modum, & accepti damni æstimationem. Reus huic libello scriptum opponebat, quo factum aut ab se alienum, aut juri consentaneum, aut censura molliori dignum arguebat. Replicabat inde & ampliabat querelam accusator, alter responsum duplicabat. His expeditis rebus, sententias dicebant judices, litemque dissolvebant. Quo ordine nihil videtur melius mihi, nec salubrius. Nullæ hic interveniunt judiciorum perturbationes, nullæ rerum judicatarum infirmationes, non ad tertium hæredem perductæ lites, & effusa altercando patrimonia, & quæ plura mala nos fere senti- Diod. l. 1. p. 68. Id. ibid.

 mus.

mus. Nulli præterea caussidici (quod ego vel palmarium puto) nulli patroni: *quorum oratione multum caliginis offundi juri crediderunt. Artes enim ipsorum & fallacias, tum lacrimas periclitantium, inducere multos, ut flectant jus gratia & miseratione, & affectibus cæcati, quos induit orator, reum patiantur elabi. Quod si suam caussam scripto traderet litigator, nudum proponens factum aut responsum, faciliorem fore dijudicationem: non sollertiam tarditati, non vanitatem & audaciam veritati modestiæq; prævalituram, sed æquum jus quemque experturum.* Quæ si recta putamus via, nonne providos dicemus Ægyptios, nonne felices? qui tres immanes effugerunt justitiæ scopulos, corruptionem judicum, infinitatem litium, advocatorum sævitiam. De quibus præclara multa commentatus est C. Forstnerus, Vir splendore dignitatis & prudentiæ gravitate illustris: ut superfuturum sit, quicquid ab ingeniolo meo his accesserit.

Diod. p. 69. l. c.

in Tac. p. 90. &c.

Hoc igitur præparato velut exordio, pœnales leges perstringendæ sunt. Ordiemur autem à perjurio, quod cum religionem solvat, quæ in metu Numinis & cærimonia est, hanc autem nobis non opinio, sed quædam innata vis afferat, promtum est intelligere, qua ratione cum natura pugnet. Sancitum verò pœna capitis apud Ægyptios fuit. *Gemino enim scelere se obstringere perjurus putabatur, quod & pietatem in deos falleret, & fidem rumperet, commune societatis vinculum.* Quare & duplicem perjurii pœnam agnovit Tullius, *divinam exitium, humanam dedecus.* Sed pro dedecore graviorem adoptavit noster Legislator, quæ res ejus instituto maxime suffragabatur: siquidem fundamentum vitæ civilis in fide & religione collocabat. Nam illud quidem, *deorum injuriæ diis curæ*, pœnas humanas non tollit, ut ostendit H. Grotius, ubi de pœnis tractat, quem locum exactissime elucubravit.

Diod. l. 1. p. 69.

de LL. 2. add. off. 3.

v. supra. Tac. A. 1, 73, 4. l. 2. C. de reb cred. de I. B. 2. 20, 44. 2. 13. 1.

Hinc jam ad illam accedimus legem, qua capitis adibat pœnam, *si quis in via hominem discrimini vitæ proximum, aut quoquo pacto vim patientem, minus vindicasset. Sin per infirmitatem auxilio subire non poterat, indicare latrones, & actione scelus persequi adigebatur, aut plagas perpeti, & famem in triduum.* Qui fontes philosophiæ nobis aperiunt, omnino duo ponunt injustitiæ genera: unum eorum, qui injuriam inferunt, alterum illorum qui

Diod. l. 1. p. 69.

Cic. off. 1.

qui non defendunt, nec obsistunt, si possunt, injuriæ: quod genus non minus aversatur natura, quam lædi hominem abnuit. In hoc enim corporis illi robur, isti vim consilii dedit, aliis aliud indulsit, ut alter alterius essemus instrumentum, utilitatumque existeret communicatio. Itaque recte quidem Terentianus Chremes humani nihil à se putat alienum. Ignoscendum tamen illis, quibus vires ad malum propulsandum non sufficiunt. *Succurram enim* (cum Stoico dixeris) *perituro, sed ut ipse non peream: nisi si futurus ero magni hominis aut magnæ rei merces.* Quod si igitur opitulari quis non valuisset, edere saltem latrones, ut jura scelus expiarent, quod vis reprimere nequibat; & experiri ipsum lex judicio monebat, quo criminis docendi facultatem obtulit, criminandi ademit.

Sen. de ben. 2. 5. V. Grot. I. B. 2, 25. 7.

Quid vero, si quis in calumnia fuisset convictus? quas pœnas expendebat? Eas, inquit Diodorus, *quæ accusato prius imminebant.* Justissima nimirum patiendi vice, quod quis alieno excogitavit supplicio, excipit suo. Calumniari (ut ait Marcianus) *est falsa crimina intendere*: qua re quid homine indignius, cujus in animo natura ipsa veritatem insevit? Quid atrocius, quam insontes reos subdere, judicesque vicem numinis reddentes nequiter circumvenire? Grave malum ac pestilens, quodque altius penetrat, ac sæpe quod usquam civium est corripit, multorumque exscindit status. Verba prave detorta, convivalium fabularum simplicitatem in crimen ducit, ibique se maxime effert, ubi minimum est libertatis. Quamobrem infames esse, gentes aliæ voluerunt, quos hæc urtica tetigisset, probrosisq; notis eorum frontes vulnerabant: justa itidem talione, ut qui alterius insidiatus famæ esset, suam perderet. Præterea autem, quid de latronibus fiebat, si caussam vicisset accusator? Hos gladio feriri solitos, ex Philostrato liquet: neque adeò injuria. Non enim ferendi inter homines, qui conjunctionem humanam vi & injustitia dirumpunt, quique non ut perduellis, unius aut paucorum, sed communes hostes sunt omnium.

l. 1. p. 69. l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill. l. 8. C. de Calumniat. Plin. Panegyr. Turneb. Adv. 8. 22. Vit. Ap. 5. 8.

De cædibus hæc fere sancita habuerunt: *Qui sponte liberum, aut etiam servum hominem necasset, is capitis condemnabatur.* Lex est communis, & auctoritate divina, consensuque gentium

Diod. l. 1. p. 70. V. Grot. l. B. 1, 2. 5. Diod. l. c.

tium firmata: sanguis humanus sanguine piandus. Sed fructum tamen hujus legis multi populi servis invidebant, quos nostra constitutio liberis adæquat. *Quippe non conditionis & fortunæ, sed factorum æstimatione prohibere homines à maleficio, simulque tardiores reddere volebat, ad ingenuos injuria lacessendos, si ne servos quidem fas esset violare.* Eant ergo ceteræ gentes, quæ jus mortis ac vitæ heris in servulos addicebant, atque discant. Ægyptii, non quid impune fieret alibi, spectare maluerunt, sed quid permitteret æqui bonique natura. Meminerant istius: *cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus vetet.* Qua de re plura disserit Henn. Arnisæus, vir exquisitæ doctrinæ & industriæ.

Sen. de Clem. 1. 18. Pol. 1, 4. de Rep. 3, 8. 33 &c.

Jam porro de cædibus casu vel ignorantia patratis, ita cognovimus. Si quis invitus hominem exanimasset, Memphitarum lege mittebatur ad Gymnosophistas, à quibus absolutus, reditum ferebat in patriam: modo deos ante sacrificio propter cæsi tumulum propitiasset. Quod si difficiles se præberent absolvendo reo sapientes, carebat patria, & omnium egenus vastis inerrabat montibus, donec melior sensus ad lenitatem misericordiamque mentes ipsorum revocasset. Hanc legem inclementem vocat Apollonius, quod homines nec sontes libidini permitteret philosophorum, & cruciatibus differret. Interea declarare ea potuit, quanti pretii humanus esset sanguis, & quales promereret pœnas in homicidio conjuncta cum facto voluntas, si facti solius nemini gratia fieret.

Philost. Vit. Apoll. 5. 8.

Transeo nunc ad interemtionem liberorum, quæ parentibus in Ægypto capitalis non fuit: *ceterum tres ipsos dies atque noctes amplexu mortuum tenebant, assidente publica custodia.* Id vero quamobrem? *Quoniam vitam quidem eripere eis, qui dedissent natis, præter æquum putabant: interim tali castigandi genere, in quo dolor inesset ac pœnitudo, ab hujusmodi commissis absterrere homines quærebant.* Ita restringere sibi visi sunt vitæ necisque potestatem, quam in filios, etiam adoptivos, gentes nonnullæ usurparunt. At enim detestari naturam hanc licentiam grassandi in viscera sua, & Manliana exercendi imperia, doctissimorum est judicium. Quare non immerito Constantinus parricidis æquavit nomine & supplicio parentes, filiorum interfectores.

Diod. 1. p. 70.

Arnis. de Rep. 4. 2, 18. &c.

Ægy-

Ægyptios vero, tametsi nullus negem, capite rectius teterrimum hoc facinus fuisse punituros, eo gravior tamen & mirabilior illorum videtur pœna, quia dolorem facit animi potius, quam corporis, nec minus emendat, quam ulciscitur.

l. un. C. de his qui par. vel lib. oc.

At vero in parricidas quæsitissimum supplicii genus statuerunt. *Damnatis enim, simul præacutis calamistris artus magnitudine digiti minutatim avulsissent, incensis vepribus implicatum truncum vivum adolebant. Immanitatis quippe ducebant plusquam belluina, propter quos hanc suavissimam lucem aspexeris, eos indignissime luce privare.* Itaque Solon & Romulus inter leges suas nullam parricidii fecerunt mentionem, cum persuadere sibi non possent, usque ad cædem parentum duratura filiorum odia. Persæ vero, si quis parentem jugulasset, eum spurium aut subdititium colligebant. Omitto, quæ de hoc flagitio gentes aliæ senserunt aut constituerunt. Neque enim omnia sunt hujus disputationis ac temporis: & hunc locum satis alii elaborarunt.

Diod. p. 79. l. 1.
Cic. pro Rosc. A.
Plut Romul.
V. l. 1 ff. de L. Pomp. de parric., Gothofr. ibid.

Quapropter ad Ægyptios se referat oratio, quorum legibus & hoc erat cautum, ne gravidæ mulieres ante solutum partum ad extremum supplicium dederentur. Hanc legem Diodorus à Græcorum multis ascriptam ait ac susceptam, secutis has cumprimis rationes: *Iniquum enim videbatur, ab eo pariter reposci pœnam, qui nihil designasset pœna dignum, & unius ob noxam duos plecti. Adhoc cum animo maligno structum esset facinus, damnari non posse carentem intelligentia. Super omnia intolerandum, lucis usuram eripi fœtui propter matrem, qui parentum utrique esset communis.* Provisum hoc idem Ro. quoque legibus, & ad quæstiones dilatatum. Ut infamis merito sit inhumanitas Claudii, quem ferentibus uterum haud quaquam in supplicio pepercisse, Dio Cassius memoriæ prodidit.

Diod. l. 1. p. 70.
Plut. de sera num. vind.
l. 3. ff. de pœnis.
V. Brisson. Ant. Jur. Civ. 2, 20.

Sequitur lex quædam militaris, quæ *ordinum desertoribus & Imperatorum jussa indignantibus extremam infamiam irrogabat.* Deserere ordinem, quod Diodorus λιπεῖν τὴν τάξιν, alii verbo unico λειποταξεῖν appellant, sensum duplicem sustinet. Nam & in eum quadrat, qui turbat ordines in acie, locoque cedit, & in illum, qui munus publicum deserit, quo maxime eum deceret fungi. Hac autem lege prius vindicari, consentane-

l. 57.
Diod. l. 1. p. 70.

In Arist. Eth. 5. p 378. um est. Sed de utroque plura persecutus est Muretus, haud surdum in litteris nomen, ad quem lectorem delegamus. Nunc autem cur gravioribus annumeretur noxis si miles imperata facere abnuerit, cuivis planum est. Si enim interpretari ducum jussa milites, quam exequi malint, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. Quocirca noster legislator hoc alligatos crimine non morte, quod parum ipsi videbatur, sed infamia multabat, *tum ut pro summo malo habendam doceret,* quod nonnisi in optatissima fit rep. *tum quoniam affecti morte nihil ultra commodarent reip. dignitatis vero gradu pulsi, honoris pristini desiderio ad bene de se sperandum signum quasi quoddam tollerent.* Sanxerat enim, *ut possent fortibus factis in priorem locum sese vindicare.*

Diod. l. c. V. Tholos. Synt. Iur. 31. 29.

Postquam hanc legem recitavit Diodorus, duas conjungit, caussa pares, argumento dispares. Prior est de eis, *qui secreta hostibus enuntiassent: quibus lingua solebat resecari.* Altera, cui respondet in Ro. jure L. Cornelia de falsis, ad illos attinet, qui fidem, id est, ipsa reip. fundamenta labefactare & convellere ausi, *monetam publ. adulterassent, immutassent pondera, sigillaq; & scripturas falsas concinnassent, qui de relatu in publicas tabulas dempsissent, mentitasq; syngraphas prætendissent.* His *ambas præcidi manus* lex istæc imperabat. Utraque vero, uti dixi, sententiâ discrepans, ratione congruit: quæ in eo est, *quod qua parte corporis in legem quisq; offendisset, ea scelus lueret, aliisque præberet exemplum, quo minus simili sibi facto similem contraherent pœnam.* Quibus nihil superaddo, nisi genus hoc supplicii falsariis constitutum (de quo P. Gregorius, quem à patria Tholosanum dicimus) ab aliis fuisse retentum, ut ex Suetonio colligitur.

l. 1. p. 79. de qua v. Tholos. Synt. l. 36. 2.

l. c. 31. 16. 6. Cl. 15.

Est autem falsi crimini confine adulterium, quippe quod adulterinam prolem in familiam intrudit, proque vera subjicit. In hoc facinus ab Ægyptiis ita vindicatum fuit, *ut mœcho mille plagas fustibus injicerent, mulieri nares abscinderent. Quippe feminæ ad irritandas libidines ornatæ, præcipua venustatis lenocinia detrahenda dictitabant:* rati scilicet, quod res est, faciem non uxorem amari. Ad eundem modum in hoc flagitio compertos Leo Imp. truncari naso jussit, marito impuræ dotem adjudicavit, ipsam inter sacras virgines ætatem agere coëgit. Constanti-

Diod. l. c.

Const. 32. l. 30. §. f. C. ad

ſtantinus autem pœnam capitis à mœchis recepit. Qua ſeveritate noſtri majores eos coërcuerint, ex Taciti narratione conſtat, quam eleganti finit characteriſmo: *nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi ſæculum vocatur.* Sed nimirum præteriit hæc ætas, qua tantum pudoris & innocentiæ erat imperium, & in pejora ſenſim vertit, donec perventum eſt ad iſta tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus. Et hæc de adulterio, conſenſu utriuſque facto, dicta volumus intelligi.

L. Iul. de adult. de M. G. 19. Pl. v. ap. Muret. in Ariſt. Eth. 5. p. 381.

Si quis enim vi liberæ pudorem extorſiſſet, ejus, inquit Diodorus, προσέταξαν ἀποκόπτεσθαι τὰ αἰδοῖα. Credebant enim in hoc piaculo ſimul ineſſe τὴν ὕβριν, καὶ τὴν φθορὰν, καὶ τὴν τῶν τέκνων σύγχυσιν, peccata tria immaniſſima. Ob eamq; cauſſam idem hoc punitionis genus Athenienſes frequentabant, ut vel Eunuchus Terentiana docet. Romæ ſi quis virgini per vim vitium obtuliſſet, tenebatur lege Julia de vi publica, quæ aqua & igni interdicebat. Ejus in locum ſucceſſit deportatio & bonorum ademptio, tenerique lege Julia de adulteriis ſtuprator cœpit. Exempla plura cumulare, religio eſt.

p. 71. l. 1.

5. 5. 15.

l. 3. §. 3. ad L. Iul. de vi publ. l. 10. §. fin. eod. l. 3. ff. ad L. Iul. pecul. §. 4. Inſt. de publ. jud.

Reſtat lex unica, de furibus, ſuavis illa quidem ac lepida. *Qui furtis operantur, apud principem furum profiteantur nomen, prædamq; deinceps ad ipſum perferant. Cui furtum factum eſt, is apud eundem præſidem exponat, qualenam fuerit ſurreptum peculium, præterea quo loco, die, hora, cœptum ſit deſiderari. Æſtimata poſtea re peculator quartam partem capiat, cetera ad dominum redeant.* Quid eſt dare veniam corvis, ſi hoc non eſt? Strophas tamen delirantium magis, quam ratiocinantium audi. *Cum enim,* ajunt, *ut à furto cuncti ſe ſuſtineant, optandum, non ſperandum ſit, hac quidem via rem integram ſervari ablatam, extra redemptionis haud magnum pretium.* Aſtute: quaſi donanda civitate ſint ea vitia, à quibus temperaturos cunctos mortales deſperaveris. Quanto melius gentes aliæ crimen illud averſum à natura grandibus mulctis, nonnunquam pœna capitis cohibuerunt. Nacti tamen ſtultitiæ conſortes ſunt Ægyptii, Spartanos, apud quos jus atque uſus clependi fuit. Sed his pro ratione ſtudium acuendi juveniles animos ad inſidiarum aſtus, & vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem, quarum rerum in bello maximus eſſet

Diod. p. 72. l. 1.

Tholoſ. Synt. Iur. 37. 1. &c. V. Gell. N. A. 11. 18.

ſet uſus. Quæ de legibus Ægyptiorum reperi, quam pauciſſimis licuit, abſolvi. Sed cum in his ætatis, feſtinationis, brevitatis vitio neceſſe fuerit multoties hallucinari; progreſſu temporis & auctiore ſtudiorum profectu errata corrigere, & preſſius commentariolum hoc elimare conſtitui: interim ubi ingenio non erat locus, teſtimonium ſtudii promeruiſſe contentus. quod non parum promovit Cl. noſter BOECLERUS, cujus cum inſtitutioni, tum verò Bibliothecæ pleraque debemus. Ergo facilius Latinæ conticeſcent litteræ, quam illius in animo meo exoleſcat memoria.

Ac poſſem ita quidem faſtigium imponere operi, ſed nimir. promiſi etiam de legum laudatarum inventoribus aliquid dicere. Id igitur ut compendio fiat, non jam in exponendo multus ero, quam ſit pulcrum, munere ſanctum, beneficio gratum, uſu certum, effectu arduũ, fama glorioſum, leges dare mortalibus. Nec de Legislatoris definitione libet præfari, aut quo diſcrimine conditores legum à veteribus habiti. Rem ipſam putemus, & quomodo noſter Diodorus, cujus præ ceteris hic eminet ſedulitas, Legumlatores deſcribat Ægyptios, in medium proponamus. Horum ergo ſex commemorat præcipuos, Mnevin, Saſychin, Seſoſtrin, Bocchorin, Amaſin, Darium Xerxis patrem. In quibus id ſtatim conſideratu videtur dignum, quod reges ad unum omnes fuerunt. Nam ex eo debet intelligi, jus ferendarum legum reſidere penes nullos, præterquam ſummo præditos imperio. Eſt enim Majeſtatis caput vel potiſſimum (ut hodie loquimur) leges civibus dare libere, citra neceſſariam cujuſquam ſuffragationem. Capitque exordium ab ipſa natura, quæ cum optime proſpectum iret humano generi, ſanxit imperandi parendique ordinem. Hunc rebus humanis eatenus inolevit, ut ſine eo nec domus ulla, nec reſp. nec mortalium genus omne ſtare, nec orbis ipſe poſſit. Quo vero modo vel imperio locus erit, vel obſequio, ſi juſſioni non ſit? Hac igitur neceſſario poſita ad legem pervenitur: quæ nihil eſt aliud quam ſummæ poteſtatis juſſum, ad ſalutem civium vitamque omnium quietam & beatam.

V. Ariſt. pol. 2, 10. pr.

Ut autem jus hoc penitius exploretur, quænam complexu ſuo contineat, carptim expromam. Principio igitur, cui

cui fas rogare legem, eidem abrogare pari ratione licet. Quanquam, si intuearis, quid sit è rep. haud cito legum constitutor veteres abdicabit leges, & cornicum, ut vetus verbum est, effodiet oculos. Turpe *legum suarum conditor idem ac subversor*, qualia de Pompejo notant Historiæ. Quocirca non mirari se, ait Cincinnatus apud Livium, si vana Patrum ad plebem auctoritas est, siquidem sua decreta & consulta ipsi tollant: tanquam id sit plus posse in civitate, plus levitatis & licentiæ habere. Itaque mutandas esse leges omnino quidam negaverunt. *Sic enim comparatum esse natura, ut sæpius conversa mutentur in deterius. Præsertim leges, quarum vis tota vertatur in usu longi temporis, quæque item ut plantæ tum demum florescant, cum comprehenderunt, egeruntq; radices. Habere venerandi quid in eis antiquitatem, quæ nisi cum parte reverentiæ demi non possit. Sed & una sublata lege ceteras infirmari, quo nullam atrocius malum cogitari queat.* Contra hæc tamen aliis videtur *religiosum nimis, vetustate legum, quam ratione duci. Semper ut in artibus, sic in constitutis reip. priscam simplicitatem recentibus inventis cedere. Attemperandas flectendasq; leges ad mores temporum, rationes præsentium utilitatum, fervores vitiorum, quibus medela quæritur. Promtius deniq; leges despici obsoletas ac inutiles, quam profuturas & nuperas.* Huic liti judicem ponemus Valerium, qui apud Livium perite discernit, leges perpetuæ utilitatis caussa in æternum latas, ab iis, quas tempora aliqua desiderarunt. Illas abrogandas negat, nisi quam aut usus coarguit, aut aliquis reip. status inutilem fecit: has docet esse mortales, ac ipsis temporibus mutabiles,

Tac. A. 3. 28. L. 3. 21.

V Tac A. 14. 43. L.

V. Arist. pol. 2, 6. cum N. Piccartu.

34. 6.

Porrò autem legum etiam authentica (ut Græca voce utar) explanatio vi hujus potestatis Legumlatori convenit: quæ ad causas singulares pertinet, quamque ἐπιείκειαν Græci, & ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου, Latini moderamen dicunt ex æquo & bono. Sed omninò qui jure hoc usuri sunt, præceptum Bernhardi teneant: *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, plane non fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Jam vero legum emendatio ad quem, nisi Legislatorem pertinet? Huic in priorem formam erit revocandum, si quid in pravum vitio temporis

elapſum eſt, ne legum corruptio ad mores penetret. Et quoniam uſu venit, ut leges, quantumvis admodum æquæ, brevi ſerventur, dein fruſtra habeantur; hic etiam utetur jure ſuo Legislator, atque inſtaurando, repetendo, promulgando, firmamentum ſanctionibus aſtruet, & ab occaſu labentes reſtituet. Nihil enim æque publicas utilitates alit, quam ſi leges ſeneſcentes (ut de Æſone narramus pueris) ſedulo quaſi recoquantur, ne contemptu vel oblivione intercidant. Hoc
V. III. Forſtner, in Tac. p. 423.
inſtituto Venetorum gloriatur reſp. hoc aliæ (in quibus honoris cauſſa Ratisbonam nomino, germanum exemplar bene conſtitutæ civitatis) pacem & quietem bonis indigentem artibus ſuſtentant.

Sed reflectendus animus ad noſtrum Diodorum, qui in legislatoribus ſuis notandis atque deſcribendis vel præcipuum commendationis argumentum ab ingenii ducit excellen-
l. 1. p. 95.
tia. Sic enim habet de Amaſi: *is & ingenii ſolertia, & facilitate morum ac juſtitia præſtitiſſe traditur.* Quo videtur ſubmonere, facultatem ferendarum legum vel maxime ponendam eſſe in ingenio, eoque non vulgari, ſed illuſtri & (quod vocant) practico, & ad publica naſcendi ſorte deſtinato. Quod quibus contigit, illi judicii fere pollentes acrimonia & alacritate, non rerum modo penitiſſimos receſſus, cauſſarumque nexum atq; ſeriem, ac multiplices negotiorum ambages, mentis acie perrumpunt; ſed vera ſtatim conſilia ac remedia propria habent in promtu: quas duas ingenii rariſſimas ac nobiliſſimas dotes, *εὐσυνεσίας* & *δεινότητος* vocabulis doctiſſimi Græcorum expreſſerunt. Atque hujuſmodi indoles eſt, quam in Amaſi dum notat Diodorus, ab omni exigit Legislatore.

p. 94. & 85. l. 1.
Quod idem putandus eſt agere, cum Saſychin *virum intelligentia præſignem*, Bocchorin *ſapientem callidumque* prædicat. Sed quænam illa ſunt, quibus ſapientia Legislatoris atque calliditas abſolvitur? Rerum civilium tenere cognitionem, perite judicare de inſtantibus, ſollerter providere de futuris, jura populorum, exempla majorum recordari, notitiam habere reip. & præſertim animorum, & ſexcenta alia, quæ Legislatori Plato in ſuis XII. de legibus dialogis non deſtitit commendare. His rebus inſtructus, leges feliciter ac pruden-

denter ſciſcet. In arcanis habebit, antequam hoc opus moveat, *inſtitutione ad virtutem prædomare feroces ſpiritus, ducere eos tanquam in gyrum rationis & doctrinæ, oſtendere, vitam nec dulciorem eſſe, nec magis beatam, quam ad modeſtiam & æquitatem quæ proxime accedat: præoccupare favore optimatium animos, dein amico-* Plut. Sol. 9.
rum, deinde plebem paulatim facere ſuam, uti Solon: relinquere, ad Id ib. 20.
quæ conſtituenda non ſatis ſuppeditet virium, ignota ſcelera præterire Sen. de Clem. 1, 23.
potius, quam prohibendo oſtendere, poſſe fieri: vetare, ne in leges in- Plato de LL.
quiratur vulgo, quod Cretenſes ſervarunt & Lacones, & ſi quæ ſunt ejusmodi. Sed & artibus illis ac ſubtilitatibus (ut hodie vocantur) politicis hic erit locus, de quibus in eruditorum verſantur manibus, quæ Vir Excell. BOECLERUS edidit. Tam late patet prudentia illa νομοθετικὴ, tamque in omnem legis excogitandæ, perſcribendæ, proponendæ, ſuadendæ actum ſeſe porrigit. Quæ quibus paretur ſubſidiis, explicare longum eſt.

Fecerunt autem veteres partem hujus prudentiæ (quam merito ἀρχιτεκτονικὴν appellat Ariſtoteles) Legislatoris virtu- Eth. 6. 8.
tem. Hanc intelligit Diodorus, cum in Amaſi *manſuetudi-* P. 85. l. 1.
nem præcipue *morum ac juſtitiam* collaudat. Quamvis enim non una ſolummodo virtus, ſed omnis virtutum chorus colendus ſit Legislatori: tamen ut in domo alii neceſſitudine ſe propius invicem attingunt aliis, ita quædam virtutes ab officio Legislatoris propius abſunt, quædam longius. E proximis igitur eſt juſtitia. Nam ut prudentia efficit, ut leges reip. ſint ſalutares, ita hæc honeſtas eas præſtat, & ſi facilitate morum temperata ſit, æquas interdum magis, quam ſeveras. Philo de virtute Legislatoris inſigniter admodum philoſophatur, cujus verba, ſicuti ſunt, apponenda duxi: νομο- de vit Moſ.
θετικῇ, inquit, ἀδελφὰ καὶ συγγενῆ τέτταρα διαφερόντως ἐστὶ, τὸ φιλάν- 2. p. 655.
θρωπον, τὸ φιλοδίκαιον, τὸ φιλάγαθον, τὸ μισοπόνηρον. ὑπὸ γὰρ τούτων ἑκάστου παρακαλεῖται πᾶς, ὅτῳ ζῆλος εἰσέρχεται τὸ νομοθετεῖν. φιλανθρωπίας μὲν εἰς μέσον προτιθέναι τὰς κοινωφελεῖς γνώμας ἀναδιδασκούσης. δικαιοσύνης δὲ, ὡς τὸ κατ' ἀξίαν ἀπονεμητέον ἑκάστοις. φιλαγαθίας δὲ, ἀποδέχεσθαι τὰ φύσει καλὰ, καὶ παρέχειν ἅπασι τοῖς ἀξίοις ἀταμίευτα πρὸς ἀφθονωτάτην χρῆσιν, καὶ ὡς κοινοὺς δυσμενεῖς τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους ὑποβλέπεσθαι. His ergò virtutibus ornatus Legisla-

 tor,

tor, suas leges omnemque civitatem ad virtutum regulam formabit: quod quemadmodum oporteat fieri, præclare docet Aristoteles, quem locum inter illustria vere antiquitatis monimenta refero. Plura ad commemorationem Diodori annotare, impleta dissertationis mensura non sinit. Quod reliquum est, DEUM obtestamur, ut egregias leges, legumque & latores & custodes optimos Germaniæ nostræ sufficiat: ipsam vero cohortamur, ut hæc talia providentiæ dona reverenter habere, & omni cultu prosequi discat.

Pol. 7. 14.

Quid mala justitii, quid longa silentia legum
Officerent, propriis docuit nos cladibus usus.
In melius tandem referat Germania curas,
Auspiciisq; novis (quando distringere ferrum
Desiit, ac belli sedem mutavit Enyo)
Ornamenta togæ redeant, priscamque resumant
Canitiem leges: capiat prudentia sceptrum,
Succedensque foro, tabulas & jura soluta
Integret, ac senio delapsa recolligat æra.
Curia Polluci cedat, Themidique tribunal,
Legiferæque thronus Cereri: nova regna Solonis
Exsurgant, redeatque vetus de morte Lycurgus.
Excutiant somnum, celso quos prona locavit
Imperii fortuna gradu, legesque retractent,
Pacis opus: teneant positas, ponantque tenendas.
Sic fremat omne licet pelagus, terræque rebellent,
Et rumpant elementa fidem, passimque globatæ
Succensis odiis coëant in fœdera gentes:
Non nobis metus ullus erit, non pristina virtus
Cedet fessa loco: stabit per secula, stabit
Imperii nullis concussus viribus orbis.
Hostes damna, pudor, terror, vindicta sequentur,
Servitiique jugum fracta cervice subibunt:
Nos, quodcunq; caput dederit fortuna, sub illo
Perpetuum incolumes volvemus Osiridis ævum.

XXIV.

XXIV.

MÆCENAS

Sive

CONSILIATOR REGIUS,

ex

Dion. Lib. 52.

delineatus.

B. L.

JOH. HENRICUS BOECLERUS

S. P. D.

QUod in publicum hic producitur induſtriæ *Barneviciana* monumentum, non debuit ſine mea quadã præfatione comparere, quæ rei totius inſtitutum candide & bona fide exponeret. Nec mea tantum id intereſſe videbatur, ſed ipſius Nobiliſſimi Juvenis FRIDERICI BARNEVICII. Vixit is nobiſcum per menſes hoſce hibernos: ingeniique ſui etiam in tantillo tempore, nec pauca nec levia documenta dedit. Quippe cum Sorana ex Academja egregiis bonorum ſtudiorum profectibus firmatus in Belgium ſe contuliſſet, ibique aliquantiſper locupletandæ eruditionis ſubſtitiſſet, quamprimum in hanc urbem pedem intulit, moris & exempli ſui memor, ſed & exemplis electiſſimæ nobilitatis, quæ hoc tempore apud nos ad publicum decus exſplendeſcit, invitatus, in Academiæ noſtræ & Muſarum complexum ac familia-

 milia-

familiaritatem ſeſe penetravit. Quæ facile illi ac merito patuit. Nam & humillima veneratione SERENISSIMI REGIS DANIÆ commendationem (qua eum non abſque ſingulari Regia gratia & propenſione, omnibus ac ſingulis ornandum fovendumq; demonſtraverat, atque adeo ad peregrinationum non ſecuritatem modo, ſed & decus inſtruxerat) inſpeximus pariter ac ſuſpeximus: & in ipſius colloquiis moribusque ea ſtatim deprehendimus, quæ amore & æſtimio digna videbantur. Cum itaque mihi rationem ſuorum ſtudiorum ad id temporis uſurpatam expoſuiſſet, & quid animi propoſitique univerſim haberet, declaraſſet, ſerio ei auctor fui, ut capax & promtum ingenium graviore eruditionis inſtructu roboraret, neque pateretur ſibi deeſſe ſolidiora illa prudentiæ civilis præſidia, ſine quibus nemo unquam in his ſtudiis magnus evaſit. Ut enim uſui & reip. potius quam ſplendori & opinioni hominum ſerviatur, non ignoranda eſſe, quæcunque e. g. *Ariſtoteles in Nicomachicis & Politicis*, *Hugo Grotius in commentario de jure belli & pacis* (excipe pauca, quæ ex S. litteris diverſo à noſtris ſenſu explicat) ex penitiſſimis rerum fundamentis tradidere; & ſi quæ alia ad id inſtitutum comparata ſint. Rationem manifeſtam eſſe: niti quippe omnem Philoſophiam civilem, cum ipſa Jurisprudentia, recta ratione tanquam fundamento; adeoque exacte tenendum eſſe, quid principia nobiſcum nata quæ vocant, propius, remotius poſtulent, ſuppeditent, admittant, aut ſecum trahant: tum quæ ratiocinandi origo, ſeries, vis, rectitudo; ſive, ut cum Philoſophis loquar, quæ concluſionum practicarum efficacia, connexio, affinitas: & unde deducatur. Ita demum

demum ad historias judicium πολιτικὸν, quo nihil sapientia humana sublimius habet, adferri; ita ex historicorum prudentia id hauriri posse, per mutuam prudentiæ ac disciplinæ secretamque conspirationem. Id quod disertis verbis hic repetendum duxi, ut denuo admoneatur studiosa juventus, quantam rem negligant, qui ista negligunt. Nunc ad *Barnevicium* Nostrum redeundum est. qui non huic tantum consilio animum accommodavit, sed insuper de specimine studiorum publicè in Academia edendo cogitare cœpit. Suasi ergo, ut vires ante omnia periclitaretur, vel in alio argumento, vel in aliqua earum exercitationum, quas in Tacitum cœperamus meditari. Cessit res feliciter & animavit Nostrum, ut cuperet altera vice in solenne auditorium prodire, & aliquid sui laboris Præceptoribus ac commilitonibus suis examinandum ritu Academico proponere. Delecta est in eum usum finemque *magnificentissima illa Mæcenatis Oratio, qua apud Dionem Octavio Cæsari suadet, ut Monarchiam in imperio Romano formet firmetque, ac utriusque consilii rationes viasque fuse ac diserte declarat.* Merebatur argumentum præcipua multiplicique prudentia fertile grassanti ad vitam & decus civile Juveni commendari: non modo, ut in præsens tantarum rerum lineamenta cogitando scribendoque sequeretur; sed etiam, & vel maxime, ut in posterum eruditionis ac experientiæ suæ profectus huc conferret, & in nobili exercitatione quodammodo subigeret. Tractandi modum ab initio hunc demonstravi: *ut præmissa expositione paraphrastica, complementum totius consilii hujus monarchici & vim, in ipso Augusti actu & regimine, ex historia Dionis & aliorum ostenderet; penitiora temporis, status*

reip.

reip. momenta examinaret, indeque judicium de similibus & dissimilibus dispositionibus imperatoriis informaret; atque adeo, si tempus ferret, ex universa imperii ac Imperatorum Romanorum historia id argumentum illustraret. Verum cum inter hæc ad continuandas peregrinationes à suis hinc evocatus esset, breviorem facilioremq; rationem sequi coactus, ut quidque se ex iis, quæ legerat, offerebat, paraphrasticæ declarationi satis libere & citra solicitiorem curam adjecit. Neque mihi inter relegendum, ista quæ minus accurate exposita videbantur, immutare placuit. præterquàm enim, quod interpolationes istas minime amare possum, insuper ex usu scribentis fore existimavi, si olim ex intervallo regustatam hanc exercitationem, suapte censura expenderet atque elimaret. itaque à me, præter illa quæ in margine visuntur οἰκονομίας caussa ab initio statim designata, nihil accessit. Quod quamvis ex re ipsa manifestum fieri attendentibus queat, propter imperitorum tamen præpropera & præpostera judicia hic adjiciendum fuit. De cetero Deum ex animo precamur, ut egregio Juveni itinerum, quibus se reipubl. præparare cupit, dux & comes sit & magister: ut cordatam bonamque mentem, cum seriæ pietatis virtutisque studio, in eo servet augeatque: ut intelligentiam ejus & judicium acuat, in sectandis utilibus, & declinanda vanitate sæculi. Nusquam enim desunt hodie, *quorum mores* (quod de Græcis gravissimus Romanorum pronuntiavit) *inspiciendos esse, non perdiscendos*, boni omnes animadvertant. Nusquam desunt, qui, ut à cultu animi generosos juvenes avertant, nobilitatis schemata, pulcritudinis pigmenta, gestuum scitamenta, artium delicias ostentant: quæ, si virtu-

virtutis & bonæ mentis ſtudium abſit, quid ſunt aliud obſecro, quam pappi volantes, aut ſi ſpecioſius & ex rei decoro loquendum eſt, magnifica ſpectra? Ego, cum hæc tempora & fatalem imperiorum ſtatum intueor, non poſſum, quin ſimplex, ſed verum monitum Barnevicii noſtri animo penitus impreſſum cupiam; *Turbandis & intricandis rebus, quam reſtaurandis fatis publicis aptiores fore, quicunque in poſterum minus virtutis quam artis ad reſpublicas & regum aulas adferent.* Quod præfari hoc loco libuit tantum eſt.



PROOEMIUM.

C. *Mæcenatem Cilnium* hic tibi ſiſtimus, Lector, claris in hiſtoria Romana ſcriptoribus decore memoratum. Adducimus in medium non Seianum aliquem, atrocium facinorum ac conſiliorum autorem, repertorem, executorem: Sed ejus vitæ ac inſtituti virum, qui quotquot in aulis verſantur digniores ac honoratiores, maxime verò quibus ſecretiſſima principum innituntur, exemplum: talium conſiliorum, ſi pauca excipias, autorem, quibus nihil unquam, niſi quod honeſtati, contrarium. Ortus is eſt equeſtri quidem, ſed ſplendido genere, ubi res vigiliam exigebat, inſomnis, providens agendique ſciens. Quòd vero ſecretiſſimorum conſiliorum Auguſto ex communi humani generis uſu tum temporis imperatori rerumque moderatori particeps fuerit & autor, id, ſepoſitis aliis diligentius hac vice expendendum, nobis delegimus. Rarum id apud potentes exemplum, qui animi conſilia plerumque premunt, nec ſe uni facile incautos intectosque reddunt: indiciumque *haud magni Principis æſtimantes magnos miniſtros*, in ſui diminutionem accipiunt, cum ſupra homines poſiti ſint, humano adhuc conſilio indigere. Conſtat

MAECENATIS PERSONA DESCRIBITUR.

Vellej.2,88,2.

Plin.Panegyr.

lib. 51. ſtat tamen ſua Dioni fides, qui majorem Mæcenati in Augusti aula poteſtatem attribuit, quam ferè fortuna ejus capiebat, ibid. inter multos admodum nobiliores & longa decora præferentes eminentis. Idem omnium arcanorum conſiliorum conſcius, moderator idem, per quem audiebat, per quem loquebatur, per quem ſcribebat Auguſtus.

Occaſio conſilii ſingularis quod Auguſto dedit. Tac. lib. 1 An. Poſtquam bellatum apud Actium, ſubibat animum Auguſti cogitatio quantum moliretur, quam arduum & ſubjectum fortunæ eſſet illud cuncta regendi onus, & quanto cum periculo conjuncta illa crudi adhuc ſervitii populo objecta imago, funeſto patris exemplo jam didicerat. De re tanti momenti, in qua univerſa ſalus ejus ac vita verſabatur, tutius Dio lib. 52. princ. autumans deliberare, quam inconſulta feſtinatione de his omnibus periclitari, vocat in conſilii conſortium Mæcenatem & Agrippam: quorum jam pridem candor & prudentia perſpecta ipſi erat & explorata. Scinduntur illi ſtatim in contraria vota, & bini modo conſiliarii contrariorum autores exiſtunt conſiliorum, ſui quilibet ingenii igniculos ſecutus. Et Agrippa quidem populari magis animo, arduum nimis ratus Tac. hiſtor. 1. *immenſum illud imperii corpus ita recte librari poſſe*, ſi unus omnia conſilio ac cura complectatur, *plures facilius munia reip. ſociatis laboribus executuros*; cujus itaque ipſe parandæ Auguſto ſocius fuerat, *ut deponat Monarchiam*, gravi oratione horta- 1. Annal. tur. Scilicet militare ingenium & inter civilium bellorum ſtrepitus eductum, quæ militiam ſpectabant, & bella accuratius didicerat, & ſi quo in his ulterius opus Auguſto fuiſſet conſilio, haud incommodus procul dubio ejus extitiſſet autor.

Conſilii ſumma. Tac. An. 1. At vero Mæcenas noſter callidus temporum, qui *haud aliud diſcordantis patriæ remedium fore*, quam ut unius nutu & auſpiciis regeretur, naturali prudentia ac ſagacitate pridem providerat, pacis artibus & conſiliis Agrippâ melior, *ne Monarchiam pro qua tot labores ac pericula exhauſerat, tot vitæ diſcrimina ſubierat, unquam deponat*, hortatur. Nec dixiſſe conſilium ſufficit, viam ſimul ac rationem monſtrat, quam ingreſſus poſtea Auguſtus, id cui jam pridem inhiarat, imperirium facillime nullo adverſante in ſe traxit.

De-

Descripta est prudentissima hæc & modo memorata *Oratio*, qua omnes instituendæ firmandæque Monarchiæ artes solertissimè exposuit Mæcenas, à *Dione lib.* 52. tot tantisque rebus referta; ut jure optimo appellari possit POLITICA MONARCHICA. *Oratio ap. Dionem in qua continetur consilium.*

Idque ansam inscriptionis, quam fecimus, nobis præbuit. Quoniam enim in animum induximus Mæcenatis consilia illa monarchica expendere paulò altius, ita tamen ut veluti ad regulam modo laudatæ orationis omnia componamus, CONSILIATORIS REGII titulum haud alienum ab opere nostro & instituto esse existimavimus. Invisum quidem erat regium eo tempore nomen & ab Augusto diligenter declinatum: ipsa tamen imperii sub Augusto forma, & illius instituendæ firmandæque consilia reapse & vere fuerunt Monarchica & Regia. *Inscriptio hujus commentationis & propositum.*

Quemadmodum ergo ii qui præclari alicujus ædificii pulchritudinem penitius cognoscere cupiunt, haud satis sibi esse ducunt, illud unico tantum aspectu contemplari, sed singulas etiam partes accuratius perlustrant; ita nos commodissimè laborem nostrum dispositiuros existimamus, si *primo & præcipue* consilium istud Regium per partes tractemus, atque circumstantiarum consideratione declaremus: *Deinde* virtutes & artes quasdam colligamus, quibus Mæcenas ad tantum honoris & amicitiæ apud Augustum gradum grassatus sit, eamque postea communiverit ac stabilierit: *Deniq;* quæ præmia tandem consultorem nostrum manserint, & qualem se erga consilium & Mæcenatem gesserit Augustus. *Partitio.*

Cum propemodum moritura Romana libertas, novissimum illud conamen edidisset, Cæsaremque cervicibus publicis depulisset, invidens tamen fortuna principi gentium populo prioris libertatis usum, Antonium, Lepidum, Augustum aliosque præterea, rursus in exitium ejus & internecionem armavit. Inde continuata per multos annos civilia bella ac jam sopita fere, denuo exardescunt, dissidentibus inter se libertatis vindicibus, & Imperii: Qui omni genere discriminum, civilibus, terrestribus, ac navalibus bellis, Italiam, gentes, nationes, totum denique qua patebat impe- *Expenditur consultatio Augusti.*

rii Romani corpus, acriter agitarunt. Antonius, Lepidus, Augustus, dominationi pariter inhiantes, primo sibi recidendum rati quicquid obstabat eorum voto, conjunctis viribus in Brutum primo ac Cassium feruntur, quibus in campis Philippicis fataliter occumbentibus, reliquum adhuc hostem Sextum Pompeji Magni, sed infelicis filium, paterna bona eadem, qua amissa erant, fortuna repetentem, cum armis vincere intutum videretur, imagine pacis opprimunt. Bruto itaque & Cassio cæsis, Pompejoque interempto, orbis universi imperium, sociati Triumvirorum nomine occupant. Sed non diu infida pax mansit inter regni consortes, statim erumpente æmulatione. Jam Augusto suspectæ Antonii ac Lepidi opes, & illis Augusti dignitas gravis.

Tac. An. 1.

Tac. An. 1.

Mox ergo inter hos ad mutua arma itum, sed exuto exercitu Lepido, victo apud Actium & interfecto Antonio, omnis ipsorum potentia in Augustum cessit, qui sublatis æmulis, solus adhuc Julianis partibus dux reliquus, omnem rerum potentiam armis complexus est. Hoc illud tempus est, quo deliberasse cum Mæcenate & Agrippa fertur Augustus, utrum parto armis Imperio, illis depositis, se abdicaret, & pulcherrimum illud libertatis donum S. P. Q. R. redderet, & in pristinum eum statum assereret; an vero ferendæ libertati impares, Monarchiæ beneficio civilibus discordiis & popularibus factionibus tandem eriperet.

Dubium an serva.

Tac. 4. An. 6.

An ex animi sententia hæc Augusti cum Mæcenate & Agrippa deliberatio profluxerit, difficile videtur definire: cum *abditos principum sensus, & si quid occultius parant exquirere, anceps maxime sit ac dubium, nec ideò assequare.* Si tamen quisquam in talibus conjecturæ locus est, verisimile vix videtur, eum cui tot periculis ac laboribus constiterat dominatio, eâ jam adepta sponte tum cessurum, cum nemine obsistente securus pleno dominationis fructu uti fruique posset. nec dubito, quin omnes quos secum imperium tracturum esset labores ac molestias, statim ipsi longe minores visi sint, præ ista imperandi, quæ cunctis affectibus flagrantior est, cupidine. Nec tamen *Suetonii* ac *Dionis* illud affirmantium autoritatem temerè rejiciendam existimamus, sed media incedentes via statuimus

mus idem planè Augusto usu venisse, quod plerisque solet dominantibus: qui cum Hesiodo præstantissimum esse per se sapere, proximum duci aliena ope rati, in consilii consortium haud ideò alios vocant, quod ex eorum sententia quicquam agere ipsis animus sit, quippe quod jam pridem decisum illis est ac constitutum; sed ut consulendi imagine vel ancipiti consilio adstipulatores, in quos si res male cesserit culpa redundet, vel aliud quidpiam quærant. Adeo ut sola ea ratione inductum Augustum existimemus de reddendo aut retinendo imperio cum Mæcenate & Agrippa consultandi, ne cupidine dominandi, sed pietate erga parentem & necessitudine temporum reipubl. non tam occupasse imperium videretur, quam præter votum suum, non alio discordantis patriæ remedio, ceu invitus, retinuisse.

Et sanè ea tum Romani imperii tempora erant & mores, ut *cunctis discordiis civilibus fessis, inviso omnibus Senatus populiq; imperio, ob certamina potentium, avaritiam Magistratuum, invalido legum, quæ reip. fulcra sunt, auxilio, ad unum omnem conferri potestatem pacis interfuerit.* Haud amplius capace rep. Romana status liberi, nec jam an serviret, sed cui, disquirente. *Status temporis.* Tac. An. 1. & Hist. 1. Senec.

Atque ad hanc collineare necessitatem præcipuè consulentis nostri propositum fuit. Quæ enim Agrippa suadebat, ut redderet reipubl. libertatem, ut egregia per se erant, ita tempori ac reipubl. statui minus opportuna. Ut igitur in medicis notitiam ægri naturæ requirimus, & morbi ac circumstantiarum accuratam cognitionem, ad quam velut ad normam omnia generalia medicorum præcepta componantur, cum diversis ægris eadem remedia haud semper conducant, sed pro tempore morbo profutura: eodem plane modo ille in republ. optimè suadet, non qui utile aliquod & generale, nullo temporis ac reipubl. habito respectu, promit consilium, sed qui tempori accomodatissimè suadet. Estque veri Consiliarii non in summam suadere, sed in articulos rerum temporumque consilia aptare, & cum Artabazo apud *Curtium*, non modo in tristi, sed etiam in læto statu *convenientes fortunæ sententias dicere, temporumque identidem admonere.* Suadet ergo Mæcenas ut conditio temporum ac necessitas postulabat, *Ad quem Mæcenatis consilium præcipuè respicit.* lib. V.

& ita omnem simul Monarchici imperii rationem & arcana suggerit. Valde tempestive! Suadere enim principi haud magni laboris est, viam verò simul, ac rationem monstrare, qua consummari facillimè consilium possit,

Hoc opus, hic labor est, pauci queis tanta potestas
Ingenij.

Denique cùm vanissima esse ac minime profutura generalia illa consilia non ignoret Mæcenas, haud sufficere existimat Monarchiæ rectè formandæ præcepta dare, sed qualis hic constituenda erat, *nova* videlicet *& cum ratione prioris status* conjuncta, docet.

Character totius consilii.

Si stylum hujus consilii requiras, castigatus is est & gravis, qualis consultationes decet, & quod in talibus Cicero requirit, *sententiis ornatior quam verbis.* Si prudentiam, perlege si lubet orationem nostram, & comperies, omnia *cura honestatis, judicii gravitate, in Augustum fide, providentia futurorum, cautione ac circumspectione, notitia status & temporum & ingeniorum*, probè mista ac temperata. Quæ sanè maximum prudentissimumque consiliatorem abundè loquuntur.

Expositio ORATIONIS.

Acceditur ad rem ipsã: Plin. Paneg. princip.

QUod ergo felix faustumque nobis DEus O. M. esse velit, sine cujus ope & auxilio nihil rite unquam nihilque providenter auspicamur, ipsam nunc orationem diligentius inspiciamus, qua non pereunte, nunquam in animis hominum interibit Mæcenas, sed vivit vivetque in omnium sæculorum memoria. Initium ejus, nescio qua fortuna, incuria jam pridem ac oblivio obruit, in reliquis quæ supersunt *ad instaurandam Monarchiam Augustum anxie impellere* nititur. *Si*, inquit, *ulla patria tibi incumbit cura, pro cujus salute tot bella ac pericula animosè subiisti, mortem nunquam detrectasti, capesse per Deos rempubl. sustenta eam multis jam vitiis, ipsaque sua magnitudine vacillantem, corrige inveterata hæc vitia, quæ aliud remedium haud patiuntur quam ipsam formæ mutationem, eumque nobis reip. statum redde, qui omnium fortunis vitaque pariter consulit. Discordiis, bellisque civilibus heu nimium fessi lassique tuam implorant omnes opem, qui solus mederi potes. Sapientes pacis causa bellum gerunt, labo-*

Verborumq́; Mæcenatis in quibus summa consilii versatur paraphrasis inchoatur.

laborem spe otii sustentant: redde tibi ipsi otium, nobisque omnibus desideratam toties votisque omnibus efflagitatam pacem, quod nisi feceris vinci an vicisse quid r.tulit?

adjuncta mox hic & in sequentibus, explanatione politica.

Sall. orat. de rep. ord.

Tac. lib. 1 An.

2. Dignum Mæcenate nostro dicenti initium, & ex imis prudentiæ qua pollebat penetralibus petitum. Patriam apprimè cordi esse vult imperanti, pro hac bella geri, pro ejus salute, innumeris periculis caput objectari, vitam mortemque juxta æstimari. Equidem pietatem erga parentem & tempora reipubl. obtentui modo sumserat Augustus, interim cupidine dominandi conciverat per largitiones veteranos, privatus adolescens exercitum pararat, corruperat consulis legiones, extorserat invito senatu consulatum, arma quæ pro republ. acceperat, contra rempubl. verterat, nec quicquam omiserat præterea, quod potentiæ acquirendæ firmandæque visum fuerat. Mæcenas itaque qui Augustum pro patria tanta bella obiisse, nec mortem vel pericula defugisse astruit, facit id potissimum, ut mentione patriæ facta, quam hactenus neglexerat Augustus, ejus amorem aliquem ipsi ingeneraret, nec tam ut quæ fecerat Augustus cognosceret, quam quid facere debuisset, & quantum patriæ debuerit & in posterum ejus saluti atque incolumitati sedulò promovendæ, adhuc debeat, hoc, inquam, consilium ipsi, hoc propositum fuit. Quod si enim non patriæ amore flagret imperator, & ad ejus salutem atque augmentum dirigat omnia, sed vel suæ dominationi, vel privato commodo amicior evadat, quam publicæ incolumitati, corruat ipse, corruat simul resp. necesse est.

Ante omnia mutationem reip. necessariam ostendit;

3. Subjungit hic immutandæ reip. consilium & in meliorem statum redigendæ. Quamvis enim omnes rerum mutationes cædem aliaque hostilia portendere non ignoraret Mæcenas, neque fieri facile posse, ut resp. ab una forma in aliam transformetur, nisi quædam vi tractentur; tamen, cum plurimis illis malis, quæ mutatio minabatur, defuncta jam esset Respublica, ferocissimi quique & servitutis impatientes per acies aut proscriptione cecidissent, nec superessent amplius qui pro communi libertate obsistere Augusto, aut novos motus edere valerent, sed omnes exuta æqualitate jussa

jussa Principis aspectarent, sapientissimè nunc mutandam & à vitiis expurgandam esse remp. suadet, cum non opus amplius esset cæde ac sanguine sævire, sed bonis pacis artibus uti.

Qua non aliter quam per μοναρχίαν corrigi possit. Eam enim esse optimam reip. speciem & ratione maximè consentaneam.

4. *Detulerat hactenus ad stultos, imperitos & ignavos plerumque tanti imperii fasces popularis multitudo, quibus omnia factionibus, invidia, impetu involventibus. Deum immortalem quid non passa erat respub. quibus non conflictata cladibus publico exemplo testata fuerat, haud fallibile depravatæ corruptæque reipubl. ac communis perniciei indicium esse cum stulti imperant, sapientibus verò obsequii onus relictum est? Corrupta erat ea ratione resp. hanc corrigi vult Mæcenas, inductum à stulta plebe imperante pessimum exemplum, ab Augusto optimum vult opponi. Scilicet plerumque omnia tunc invertuntur, & ima summis miscentur, cum ratio & ipsa natura invertitur.* ita tum sensit Mæcenas, quod sequentia amplius declarabunt.

Aristot. lib. 1. pol.

5. Quorsum enim furioso aut infanti gladius, quorsum degeneranti à bonis libertatis artibus multitudini potestas, nisi ut tanto magis optimis quibusque noceat? stultitia armis instructa maximè malefica est. Cui reip. bono imperabunt quos servos ipsa improbitas sua fecit? & obedient, quos & prudentia & virtus ab ipsis incunabulis, tanquam imperandi instrumentis instruxit, ut eos plane ad imperium genuisse videatur? Id quia iniquum priscis videbatur, ideo passim illa Poëtarum effata leguntur, queis toties barbaros ab imperio excludunt, Græcisque subjiciunt ut servos, quoties ferè mentionem eorum faciunt; atque tam alienum id ab omni ratione ducunt, si minus prudentes, ne dicam planè stulti, rebus præsint, ac si Dij minorum gentium nec potestate, nec virtute ullatenus cum Jove comparandi, ipsi Jovi imperare laborarent. Deploranda sane est eorum conditio, quibus stultus contigit Imperator, nec præstantius ferè donum in hac mortalitate conferre hominibus divina bonitas ac providentia potest, quam bonum ac prudentem rerum omnium moderatorem. Tali enim licentiam omnia pro lubitu agendi loquendique tribuentes, non sine utilitate publicæ felicitatis cum Mæcenate tribuunt: *cum hic*

Aristot. lib. 1. pol.

omni-

omnibus omnino ipsisque adeo fatuis nolentibus licet ac repugnantibus commodum afferat & salutem.

6. Differuerat nihilominus Agrippa libertatis bona, & universum populum in regni consortium vocarat: Mæcenas, unum reip. corpus, unius animo regendum credit; rogatque Augustum, *ne sibi decora vocabulorum specie imponi patiatur, esse equidem libertatem præstantissimum humani generis bonum, sed eam à vulgo haud unquam temperanter haberi, hanc itaque plebis ferociam unius imperio compescendam: ita tamen, ut adjutores sibi adsciscat & consiliarios optimos quosque, cum unus haud facile omnia cura sua complecti possit, ipsisque partem aliquam imperii gubernandam mandet, ipse tamen nutu suo imperioque interea dirigat omnia.*

Agrippa consilium speciosius forte videri, suum utilius esse.

Si tamen observetur modus Monarchia & temperatio, quam describit.

7. Hæc reipubl. munia dum inter eos distribuuntur, non sorti vel favori locum relinquit ullum, sed eam cuilibet demandandam provinciam suadet, cui par ferendæ & idoneus jam ante compertus erat. Cumque in rep. consilio omnia gerantur ac manu, *ad consilia prudentissimos vocat, ad bella gerenda fortissimos quosq;, quos Imperatore digna artes comitantur, quorum virtuti fortuna jungitur. Ad militia labores obeundos, qui robore corporis plurimum valent, ac maximè egenos.* Hi enim si otiosi in rep. delitescant, suam conditionem quacunque ratione meliorem reddere nitentes, promtos sese omnis seditionis ministros præbent, ex publica strage suum lucrum captantes. Educti vero in aciem, gravissimis laboribus assueti, de fortunis, quippe queis carent, neutiquam soliciti, vincere gloriosum, paupertate atteri miserrimum, vitamque miseram morte benè mutari rati, utramque juxta æstimant, tantoque fortius pugnant, quo firmius vel mori, vel vincendo opimiori præda in posterum lætius vivere propositum ipsis est.

8. *Sic instructam rempubl. supplente altero alterius vicem, sibique è republ. concreditas partes sedulo agente, tandem stabiliri, sic verum populi imperium, sic tutam minimeq; nocituram libertatem parari, astruit Mæcenas, non nimia illa plebis licentia, quæ optimum quemq; servituti addicit, & quam exinde πικροτάτην, κ) κοινὸν ἀμφοῖν ὄλεθρον εἰρηκὼς vocat, quam nullo suo merito optimi quique, & ad imperium vocari dignissimi, toties erant experti.* dum in hos vecors, mutabilis suique ipsius minus compos plebs, exilio, morte, vel

Quaque veram libertatem non excludit.

Corn. Nepos Militiad. Barcl. Argen.

graviore, quam mors est pœna, grassata, tyrannorum more excellentis virtutis viros innoxios plecti maluit, quam vano aliquo metu distineri. Ut plane ingens fuerit virtutis specimen, ab imperita multitudine male mulctari. Rectius longe valet imperium dominante non tam effreni populi licentia, omniaque turbis ac periculis involvente, quam *succedente in ejus locum modestia, quæ non optimos quosque pessime subvertit, sed meritis quemq; suis æstimat, omnesq; in parem felicitatis gradum collocat.*

quippe à tyrannico scopo plurimum differens.

Tac. An. 1.
Tac. An. 1.
Tac An 14.
Tac. hist. 1.

8. Utut verò Mæcenatis nostri consilia vere monarchica fuerint & regia, aliena tamen longe fuere à mente multorum, qui hodie in aulis principum versantur, Politicorum, quibus nihil tam in ore est, quam metu firmanda imperia, terrere subjectos nisi paveant, ubi pertimuerint impune contemni: vi tractanda pleraque quæ quiete non possunt: quæq; ex iniquo habent atrocia facta, ea publicæ utilitatis larva obtegenda. Non enim ignorans vir prudentissimus, Augustum non servulis suis Dominum, ut possint esse contenti, quasi necessario hærede, sed Principem futurum civibus, cunctaq; imperia crudelia acerba magis esse quam diuturna, neque quenquam à multis metui, qui non ipse metuat multos, eam vitam morte deteriorem existimavit, quoniam neque adversus, neque à tergo aut lateribus tutus esse tyrannus potest, sed semper in periculo agitet necesse est. Itaque ante omnia sedulo dehortatur Augustum, *ne tyrannide aliqua servitutem cervici S. P. Q. R. imponens, metui malit quam amari, sed potius benignitate & clementia imperium temperet; sic latiora & candidiora ipsi ventura omnia, etiam hostes æquiores fore quam aliis cives. Hoc consilium gloria pariter atq; emolumento Augusto & reip. fore* promittit.

Sal. Orat. 1. de rep. Ord.

id quod veluti subjecta imagine tam civilis moderatique imperii declarat.

10. Subjungit inde rationes, queis clementia ac civili prudentia temperata Monarchia optime induci possit. *Si videlicet ante omnia nimia vis illa ac potestas, quæ hactenus maxima in plebe fuerat, totiq; malorum extiterat causa, ad Principem & Senatum paulatim transferatur, adeo ut quicquid illi ex reip. usu decreturi sint, ei populus, contradicere vel obniti haudquaquam audeat, ut ipsorum arbitrio bella finiantur, populo obsequii gloria relinquatur. Cum optimatibus Augustus Magistratus creet, præmia idem ac supplicia decernat, deque rerum capitalium damnatis sibi solus arbitrium servet. Quicquid ille*

commu-

communi sententia statuerit pro lege observetur, quisquis violarit, morte expiandum crimen existiment omnes. Bella cum exteris quantum fieri potest declinent ac defugiant, ut neque unquam pugnetur nisi cum hostes lacessunt aut provocant, vel alias si tam commoda sese offeret occasio, ut certa in remp. redundet utilitas. Atque tum opera danda, ut quam fieri potest occultissime arma hostibus inferantur. Belli duces non impetu ambituve, sed boni militia, & quorum virtus jam ante perspecta fuit & explorata, deligantur. Præmia bonos absque invidia maneant, malos pœna ac supplicia: moderate tamen parceq́;, ne vel seditio oriatur, vel cladi coërcitio hac similior videatur quam medicina. Consilia neq́; aperte agitentur, vel agitata statim divulgentur, cum nulli usui sit Consilium cum omnibus agitatum, omnibus notum, sed potius ipsa anima reip. ac salus in eo consistat, ne consilia arcana propalentur. Hanc viam, hanc reip. regendæ rationem ineundam demonstrat Mæcenas: ita fore, ut quæ jam inertia vulgi *resp. consenuerat, præter spem omnium motura sit lacertos, & quasi reddita juventute revictura.* Tac. An. 1. Flor. lib. 1.

11. Impossibile ante fuerat remp. inter tot periculosa bella impiasque seditiones eluctari, *cum valente ubique æqualitate nunquam desint, quibus insatiabilis illa aliis praeminendi cupido stimulos suggerat, ut plus quam civilia spirent: qui postea infirmiorum operas conducentes, multitudinem in alios atque alios animant, exorta hinc bella civilia in proprium commodum vertunt, & ad suam explendam ambitionem per publicam civium stragem ipsimq́; reip. ruinam grassantur.* Ita quod majus erat imperium Romanum quam ut ullis externis viribus extingui posset, *internis discordiis subruebatur, adeò ut ipsam hanc imperii magnitudinem ejus emolumento felicitatiq́; obstitisse* afferat Mæcenas, cum quæ in urbe exorta sunt dissidia, ut fomite quodam ignem concipiente, universum terrarum orbem atrocissimorum bellorum incendio semper involverint, cum tam varii populi ac multiplices & facile in furorem vertantur, & difficulter admodum rursus coalescant, vel si coaluerint tandem, concordia diu in tam multorum animis neutiquam intemerata subsistat. *Ex diverso pericula Polyarchici status certa sunt.*

12. *Quousque Romani Imperii corpus nondum modum excesserat, nihil quod conceptis votis experi poterat publicæ deerat felicitati. Postquam vero eversa Carthagine, illa imperii æmula, victrix Roma vicinis undiquaque formidabilis esse cœpit, & extra Italiam imperii limites* *præsertim in majori Imperio quod difficulter regitur.*

mites posuit, regesque & nationes sibi subjecit omnes, & totum, qua patebat orbem, nomine ac majestate sua replevit, fortunam quasi dono dans, regna, provincias, bella atque paces pro libitu quibus voluit vel dedit vel ademit, jamque in tantum excessit fastigium, ut cuncta ubique gentes conglobata movere aut contundere hoc Imperium impares essent: ex eo intra mœnia discordia ac seditiones prælusere quasi experirentur, inde extra urbem in omnes undiquaque gentes civilium bellorum tempestates detonuere, quibus effectum, ut Respubl. Romana, qua paulo ante admiratione sua ac majestate compleverat omnia, tot malis pressa ac distracta ludibrio fuerit quibus ante terrori. Tantum abest ut quicquam ad imperii felicitatem conducat, fines ejus longe lateque proferre, ac plura quam cura ac cogitatione complecti possis subjugare, ut potius nihil æque interitum reipubl. acceleret & ruinam, quam si nimia sua magnitudine laboret. Admiratione digni Polybio Macedones visi sunt, qui *subverso Persarum dominatu, maximam orbis partem nihil quicquam ad se pertinere passi sunt.* Persarum forte exemplo edocti, quorum magnum fuit imperium quousque suis se continuere finibus, quoties vero Asiam egredi ausi sunt, non de imperio solum, sed de propria etiam salute sunt periclitati. Tam difficile atque arduum est, eodem loco diu magnitudinem imperii stare posse ac felicitatem, cum, quo majus est imperium, tanto frequentius fortunæ telis ac insultibus ludibrioque exponatur.

Flor. l. 4. c. 2.

Polyb. l. 1.

hinc illa pericula reipubl. quassata è quibus non nisi beneficio Cæsaris emergere possit.

13. Redit jam ad ipsum consilii sui propositum Mæcenas, postquam turbulentum, & omnis generis discordiis repletum reipubl. Romanæ statum ob oculos posuisset Augusto, comparans rempubl. navi magnæ onerariæ, ac rectore destitutæ, cui laboranti ac propemodum perituræ, ne desit hortatur. Quemadmodum enim magna navigia etiamsi nauclerus adsit, difficulter admodum reguntur, destituta vero rectore & cum tempestate conflictata, facillime in brevia syrtesque aguntur, vel laterum compagibus laxis, rimis fatiscentia, torquentibus undique fluctibus rapido tandem vortice vorantur: Ita sane *miseranda reipubl. rectore destituta facies est, quæ permissa omnibus veluti ventis, quibusvis ingruentibus tempestatibus vela pandere cogitur, & iratos fluctus sequi quoscunque, qui eam tandem*

Plin. Panegyr.

dem in scopulos deferant. Lamentabili hac specie Remp. Romanam coram Augusto in medium producit Mæcenas, anxie flagitans, ut ejus misereatur suaque ope suffulciat, sua manu clavum regat, vel dirigat, & furentibus tempestatibus ereptam in portum sartam tectamque & incolumem reducat.

14. Hæc ut magna erant, in quibus respubl. versabatur, pericula, ita magna quoque ad Augustum erant reditura, si ipse imperium detrectaret. *Metuendi ipsi erant quos læserat, læserat autem multos: hi nocere imperanti non poterant, poterant privato.* Nec defore existimat Mæcenas, qui ipso imperium abdicante summam rerum tentaturi sint, iisq; nihil prius aut antiquius fore, quam ut Augustum, magnum in republ. virum, cujus in bello virtus in pace prudentia formidabilis erat omnibus, ceu pravis ipsorum cœptis obstantem subverterent. *Loqui adhuc & imprudentiam suam post funera deplorare Pompeium, Cæsarem, Marium, Syllam. qui salvi fortassis esse potuissent, si voluissent, nec potentia sua ultro cedentes, aut remissius utentes, hostibus adversum se arma quasi in manus dedissent.* quos si imitari velit Augustus, non meliorem ipsi sperandam conditionem: superesse enim adhuc è Romanis, quibus multi Lepidi, Sertorii, Bruti, Cassiique insint. Stultissimum itaque esse stationem suam deserere, quodque in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se quasi victum recipere: cum omnis mutatio periculosa sit, summæ inprimis fortunæ in infimam, unde pronus in perniciem est lapsus, cum nec facile reperti sint, quos imperium deposuisse, constet, nec id factum postea doluisse.

Cæsarem etiam ipsum salvum esse non posse, nisi imperium retineat.

Sal. Orat. de rep. ord.

15. Pergit ulterius Mæcenas, & ultimum adhuc scrupulum Augusti animo, quem Agrippa injecerat, eximit: *Haut scilicet esse cur sinistros hominum de se sermones metuat, quasi non tam salutis publica gratia susceperit imperium, quam cupidine dominandi occupaverit: laudem enim id potius mereri, quam insectationem, esse namque generosi animi maxima quaq; sperare, & ad summum omnibus viribus eniti.* Quæ tamen ratione temporum antiquorum & more, à Mæcenate nostro dicuntur. paganis quippe lubidinem dominandi causam belli habere inglorium minime erat, sed imperii proferendi, suæque explendæ dominationis

deponendum ergo infamia metum.

gratia, urbes totasque tandem nationes ac regna ſubegerunt, quo jure quaq; injuria parum intereſſe rati. Scilicet id in ſumma fortuna æquius, quod validius, & ſua retinere privatæ domus, de alienis certare regia ipſis laus fuit. Quod ſi vero maxime ſuſpicio iſta plerorumque animis inſederit, Auguſtum per bella civilia ad imperium contendiſſe, *neminem tamen eſſe, qui ignoret, pietate erga parentem & juſtiſſima vindictæ cupidine, cum*
Tac. 1. A. 9. *legibus contra parricidas agi non poſſet, quippe quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur, ad arma actum. Eos itaq; ſolos tot motuum malorumq; cauſas cenſendos, qui niſi neſaria conſpiratione Cæſarem tot vulneribus confeciſſent, nunquam Auguſto vel armis vel exercitu opus fuiſ-*
Tac. An. 1. *ſet.* Multa interim Antonio, multa Lepido conceſſa, dum Caſſium Brutosque ulciſceretur: quod vero poſt horum exitus paternis inimicitiis datos cum Antonio ac Lepido fœdus fecerit, inque ipſos deinde vindicarit, id bellis civilibus adſcribendum, quæ neque parari poſſunt, neque haberi per bonas artes, neque tuto, niſi re ſalva deponi; *deniq; ſi vel maxime quid per bella civilia peccatum ſit, ea corrigendi non amplius ſupereſſe Auguſto facultatem.* Nec poſſe melius eludi vanos illos, ſi qui ſint, hominum ſermones, quam ipſa imperii adminiſtratione. Si enim recte in poſterum remp. gubernarit Auguſtus, omnibus palam fore, alios tantorum malorum autores extitiſſe, Auguſtum vero pacis ac bonorum omnium reſtitutorem eſſe, cum
Tac. hiſt. 1. nemo videatur imperium malis artibus quæſitum bene exerciturus.

Plin. Paneg. 16. *Confugit ergo*, inquit, *in ſinum tuum concuſſa reſp.* ruensque ſuper te imperium fortuna, quæ omnia ex lubidine ſua agitat, tibi uni ut imperatori defert, te ſolum in tanta ſceptra reponit. Præclare eo ipſo de nobis merita palam teſtatur, non tam ultionem noſtram ipſi curæ eſſe, quam ſecuri-
Flor. lib. 4. c. 5. tatem. Quemadmodum in annua cæli converſione fieri ſolet, ut mota ſidera tonent, ſuosque flexus tempeſtate ſignificent, ſic poſtquam Romani imperii ſceptra ad te convertere decrevit fortuna, penitus intremuit, omniq; genere diſcriminum, civilibus, terreſtribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum eſt: adeo ut ſicut maris cœliq; temperiem turbines tempeſtatesq; co̅mendant, ita ad augendam pacis à te redditæ gra-

gratiam, tantos tumultus præcessisse crediderim. *Gratulamur nobis omnibus de tanta felicitate, quod ad te potissimum summam rerum detulerit fortuna,* qui sapientia tua atq; solertia perculsum undiq; & perturbatum imperii corpus ordinare optime potes, lubentissime voles, quod haut dubie nunquam coire aut consentire posset, nisi tuo unius præsidis nutu, quasi anima & mente regeretur.

17. Ac mihi quidem animus, quibus rebus alii timent, erectus maxime est, *ipsa imperii magnitudine,* & quia tibi terræ ac maria simul omnia componenda sunt. magnæ curæ, magna merces est. *Quo majus namq; est imperium, tanto plura etiam queis conservetur, habet: facilius est parta tueri, quam parare; laboribus namque & periculis parantur omnia, quæ mediocris prudentia ac cura conservat.* Sane majorum nostrorum animos non inopia ærarii, non vis hostium, non adversa res subegit, quin quæ virtute ceperant, simul omnia retinerent. Jam te quoq; sum̃a ope eniti decet, ut tanquam fabricata, sic virtute parta, quam maxima industria habeas, ne incuria deformentur aut corruant infirmata. *neque metuendam esse imperii magnitudinem.* Sall. Orat. de rep. Sall. Orat. de de rep. ad.

18. His præmissis ipsa tanti imperii rite administrandi nunc præcepta promit, omni ex parte summam prudentiam solamq; reip. & Augusti salutem spirantia, spectantiaq; quibus invictam, securam immotamq; fore Augusti majestatem, tanquam in medio mari altissimis defixam radicibus rupem, cujus sum̃a immanes pelagi fluctus ne attingunt quidem, infima sic verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur; non obscure innuit. Cumq; ipsa reip. anima, & Spiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt, in eo versetur, ut suas partes sedulo agant & imperantes & subjecti, utrosq; hic format Mæcenas, prius illos, utpote à quibus tanquá è fonte, omnis generis, sive bona sive mala, prout ipsi sunt, in subditos redundant. *Acceditur ad præcepta gerendi imperii, i. e. ad potissimam consilii hujus Monarchici expositionem,*

19. Laborante quippe bellis civilibus republ. venaliq; patrum curia, cum plerique vel pecunia vel sordidis precibus exoluti essent, multi irrepserant, haris potius quam reip. aris focisque qui præessent digni; hos tanquam magnæ navis supervacua onera *ejici vult Mæcenas,* cum in portum jam delata sit resp. *& eorum numerum melioribus ac dignioribus rursus suppleri.* Sane quantopere hoc consilium æstimarit Augustus, ipse Dio nobis *Cujus prima pars est, de reformatione Senatus & equestris ordinis.* Lib. LII, sub fin. Suet, c. 35. Aug.

nobis testatum reliquit. ut enim indignos removeret è Senatu callida ratione, ne sibi multorum invidiam conflaret, si dignitate privatos infamia simul notaret, hortatus est omnes, ut propria conscientia teste ipsi vitam suam censerent, & an tanto oneri ferendo dignitatiq; pares essent, qua ratione sponte alii cessere, non cessuros vel invitos cedere adegit: & ita privatæ redditi sorti, qui indigni privatum modum excesserant.

qua versatur in eo, ut indignis amotis digni substituantur.

20. Horum namq; in numerum hic substitui vult Mæcenas *nobilissimos,* non ignorans quot motus turbasq; ciere soleat nobilitas spreta aut posthabita: deinde *optimos simul ac ditissimos;* cum illi tanto impensius reip. curam agant omnes, quanto majorem periclitante rep. suorum quoq; bonorum faciunt jacturam. Neq; tamen pauperibus etiam aditum ad dignitates præcludit, sed *reliquos omnes, pauperiores quamvis & angustioris fortunæ, modo boni sint, non excludendos senatu monet;* quin potius *eorum censum prudenti liberalitate supplendum.* neque enim, testante Sallustio, vel Rhodios vel alias civitates, unquam suorum judiciorum pœnituit, ubi promiscue pauper ac dives de rebus maximis juxta ac minimis consultant. Quæ enim vesania esset, ideo virtute bonisq; artibus claros arcere à rep. quod non pessimis quibusq; actibus lucro inhiarint? Sane ad divitias quisq; qua cuiq; lubet niti via potest, & malis & bonis artibus eæ parantur; ad virtutẽ unica via est, eaq; maxime ardua.

Orat. de rep. ord.
ibid.

etiam aliunde quam ex Italia. idque inter arcana imperii usurpandum.

21. Adjungit egregium consilium Mæcenas, *ut peregrinos etiam, socios, subditosq; extra Italiæ limites positos publicarum dignitatum capaces reddat Augustus.* Quamvis enim adeo ægra non esset Italia, ut senatum urbi suæ, suppeditare nequiret, suberat tamen aliud arcanum, *ne scil. nobilissimi quique & opulentissimi inter illos, domi apud suos cupidine eminendi res novas molirentur, cum viderent spes dignitatum acquirendarum præcisas sibi esse, nisi imperium Romanorum excuterent. Contra cum se Romanæ aulæ addictos obsequiis eadem ac studiis impetrare posse perspicerent, quæ alias dubio Marte, belliq; eventu, armis ac periculis experiunda ipsis erant; futurum esse, ut dignitate à Romanis ornati, reliquam multitudinem omni modo Romano Imperio addictam in officio retinere allaborent, neq; multitudo, quamvis maxime velit, ducibus destituta idoneis, moliri quicquam possit.* Neq; enim insolitum fuerat Romanis peregrinos adsciscere, sed idem

Tac. An. 11. c. 23. & 24.

dem priori etiam populo factitatum. Ipse urbis ac Imperii conditor Romulus plerosq; populos, eodem die hostes, dein cives habuit. Neque sane aliud quidpiam exitio Lacedæmoniis ac Atheniensibus fuisse constat, quanquam armis virisque pollerent, nisi quod victos ut alienigenas à republ. sua arcuerint.

22. Ut in senatorium, *ita & in equestrem ordinem cooptandos peregrinos, qui vel genere vel virtute ac divitiis secundum locum mereantur.* Nihil de *numero* solicitum esse vult Augustum, *sed omnes quotquot digni fuerint adscribi, quippe quo plurium eximiorū consortio ac consilio fruatur Augustus, tanto rectius ipsi omnium expediendorū facultatem fore. Deniq; hac ratione exteris ac peregrinis omnibus suspicionem demi, deteriori se loco ac conditione quam Romanos haberi, cum videant, omnia secum bona, ipsumque adeo imperium* communicari: ita moribus, affinitatibus, artibus Romanorum mixtos, aurum opesque suas illaturos potius in remp. quam separata hæc omnia habituros. Ita communi ope, communi consilio, communem rem (eam jam maxima ex parte ad se pertinere arbitrantes) asserturos.

numerum quoq; utriusque ordinis amplexandum esse, pari ex ratione.

Tac. An. 11. c. 24.

23. Latius adhuc progreditur Mæcenas, & ex usu reip. fore æstimat, *si omnibus etiam iis, quos dixerat, civitas detur, ut ejus participes tanto fideliores socii existant; & veram quidem patriam Romam, suas autem urbes nihil aliud quam agros pagosque existiment. Romam vero, non ut urbem tantum imperatricem, sed ut solam suam patriam, suamq; altricem amare ac defendere condiscant.* Cautionem tamen addit modumque, ne simul ipsis largiatur omnia, *sed reservet sibi aliquid Augustus, reservet respubl.* majora enim exspectantes, majori cura ac industria acturos omnia, ut ea quæ felicitati suæ deesse adhuc existimant, plene nanciscantur.

Ejusdem consilii & rationis consequētia, civitatem pluribus dandam ostendit: non sine cautione tamen.

24. Provida circumspectione Mæcenas noster in equestrem statum, juvenes anno ætatis decimo octavo cooptari permittit, in senatum vero legi *quemquam ante vigesimum quintum ætatis annum* sedulo vetat. Scilicet ut genus humanum compositum est ex anima & corpore, ita omnes actiones studiaque nostra omnia, corporis alia, alia animi viribus expediuntur, Corporis quidem optime iis annis, quibus floret robusta

attexitur admonitio de ætate Senatoria & equestri.

Sall. præfat. beli. Catilin.

ventus, & ingenii igniculi adhuc succrescunt. Animi verò, & ubi consilio ac ingenio opus est, ea ætate, quæ annis maturior diligentius ac circumspectius examinat omnia, nec in sequiorem partem, vel juvenili ardore, vel aliis minus temperatis affectibus, inconsulta festinatione abripitur. Neque enim privato priusquam hos expleverit annos, familiam gubernandam moderandamque concredi, sed curatore eum uti: multo minus talem ad remp. consiliis juvandam vocandum, cum minoris longe artis sit, nec tanto cum periculo conjunctum familiam ac domum regere, quam remp. adeo ut nihil alienum magis ab omni ratione excogitari possit, quam ei remp. curandam concredere, cujus lateri per ætatem leges adhuc curatorem adjunxere.

Secunda pars consilii est, de Magistratibus, primo in genere qui gradatim conferendi.

25. Subjungit Mæcenas consilium prudentissimum, *ne statim, quamvis maturi annis ad summas dignitates vocentur, sed paulatim ac per gradus quasi, quod dicitur, ascendant, ex senatoribus quæstores primo, inde ædiles & Tribuni plebis, deniq; prætores creentur*, ut assuescant prius imperio, assuescant reip. institutis, & si quid per inchoatam adhuc experientiam ab iis peccetur, peccatum correctu sit facillimum, nec tale quod ipsam remp. convellere valeat aut labefactare. Veneti sane, qui singulari sui regiminis administratione, quotquot sunt ubique gentes admiratione sui jam pridem complevere, neminem illotis, quod dicitur, manibus in curiam irrumpere & senatum patiuntur, sed qui multis annis prudentiam sibi acquisiverit longamque rerum experientiam. Ablegant ergo primo juvenes suos in aliorum principum aulas suæ reip. præparandos, primo ad plerosque Christiani orbis Reges, ad Batavos, denique ad Imperatorem Turcicum, utpote cum quo ipsis sæpius gravissimi momenti negotia intercedunt, & ita varia rerum cognitione atque experientia imbutis, domum revocatis demandant maximas dignitates, suisque consiliis rempubl. gubernandam concredunt.

Et quidem majores, non nisi Romanis.

26. *Ad majora hac reip. munia solos Romanos vocat, à solo Augusto non à senatu denominandos, ne pulsus ambitus campo denuo reductus, novorum tumultuum causa existat.* Romanos ideo, *ne memoria obruantur patria instituta*, quæ majestatem imperantis tantò magis

gis adaugent, quanto majore ſtudio ea præ ſe fert ac tuetur; tum ne omnibus palam fiat atque innoteſcat, machinari eum veteris reipubl. mutationem, quippe cujus ſecuritati atque ſaluti expediebat, antiquam adhuc præ ſe ferre.

27. Qua ſub imagine ac larva latius ut progrediatur, Auguſtum hortatur, & *paulatim munia magiſtratuum legumq; in ſe trahat, eodem omnibus relicto nomine, iisdem titulis, eadem ſpecie externa ipſam imperandi, qua pollebant, vim imminuat paulatim ac poteſtatem, ne ulli quicquam contra principem moliendi facultas relinquatur.* Arcanum huic conſilio annectit Mæcenas, Auguſto apprimè profuturum: omnia eo dirigenda, omnes honores ac dignitates ita diſtribuendas, *ne quiſquam è ſuperiorum magiſtratuum claſſe eodem tempore & dignitate polleat & armis*, utpote præcipuis rerum gerendarum inſtrumentis. *Intra mœnia itaque eorum concludendam poteſtatem, nec arma eis committenda, priusquam privatæ rurſus aſſueti vitæ non dignitatis retinendæ cupidine ad res novas ſtimulentur, ſed redeat prius obſequium, redeat in principem obſervantia*: priusquam denuo vel novis honoribus ornentur, vel arma exercitusque eorum fidei committantur. Alias ipſa imperandi conſuetudine ad imperium trahi videantur. *Eorum munia in Principem trahenda.* *Et poteſtas imminuenda.* Corn. Nepos. Milt.

28. Qui in urbe majori dignitate præerant, iis *ludorum* quoque *curam* Mæcenas noſter imponit. cum enim minimè conſultum eſſet populum Romanum per tot annos molliter habitum ſtatim ad duriora vertere, indulgenda ipſi erant theatralia ſpectacula, quæ ut cultus Deorum cauſſa & ad hominum delectationem excogitata erant, ita religionem ac voluptatem poſtea civili ſanguine macularunt. Ne tamen ſpectaculorum ludorumque gratia in unum confluens inſana multitudo ferocius ſe efferret, turbisque miſceret omnia. cautè proviſum, ut urbani magiſtratus ludis illis præeſſent, militibus ſtipati, qui tanquam freno injecto efferatam multitudinem intra officii cancellos includerent ac continerent. *Iidem ludis præſint.* Tac. An. 1. 54. Val. Maxim. lib. 1. cap. 4.

29. Eorundem providentiæ *judicia omnia* permittit, *iis tamen criminibus quæ capite luuntur exceptis*, cum ad autoritatem Imperantis faciat, ſibi id ſoli reſervare, qui ſupplicantibus mortemque deprecantibus ſive largiatur tantum beneficium, ſive neget, utrumque faciat ex imperii majeſtate. *Et Judiciis, exceptis capitalibus rebus.*

Consilii pars tertia de magistratibus & officiis sigillatim. e. g. de Præfecto urbis.

30. His universim de magistratibus præmissis, accuratius nunc de iis agit, *quiq; ex Senatorio, quiq; ex equestri ordine deligendi* edocet. Ex senatoribus quidem præ omnibus *præfectum urbis* constituendum suadet, alium planè ab eo & diversum, qui olim profectis domo regibus, ac postea consulibus, ne urbs sine imperio esset, in tempus deligebatur, qui jus diceret, civibusque consuleret. de quo enim Mæcenas hic agit, ejus munus insolitum ante Augustum erat in Rep. Romana: jam verò rerum potiente Augusto ob magnitudinem imperii, tardaque legum auxilia, opus erat singulari unius cura, *qui quod undique civium nisi vim metuat, audacia turbidum, coërceret, causasque præter paucas quasdam, omnes, etiam de rerum capitalium damnatis, & ubi provocationi locus erat dijudicaret, cujus imperium extra urbem etiam ad LXXXI millia passuum se extenderet.* Cui consilio insistens postea Augustus ipsum Mæcenatem primo omnium tantæ dignitati præfecit.

Tac. An. 6. c. 11.
Dio libr. 55.

de Subcensore.

31. *Censorii muneris* dignitatem, ut penes solum Augustum residere consultum arbitratur Mæcenas, ita cum levia quæque haud facile cura sua complecti possit Augustus, *alium quendam ab eo in laborum curarumque consortium vocandum præcipit, ex senatoribus tamen lectum, & à præfecto urbis virtute ac dignitate secundum, qui in mores omnium quotquot in republ. vivunt inquirat, pravas artes, malasque lubidines à juventute prohibeat, à senibus eas voluptates, quas eorum ætas sine dedecore non attingit, arceat ab universa plebe otium, ut sua singulis peragenda sint negotia, quibus à malo publico distineantur, eò omnimodo laboret, ut omnes probitati magis atque industriæ quam sumptibus ac divitiis studeant. denique eorum existat corrector, quæ quamvis nondum supplicio digna, neglecta tamen multis magnisque malis ansam præbent & occasionem.* Cum enim nunquam desint in republ. qui pessimis quibusque artibus & voluptatibus dediti, pro virtutibus vitia amplectentes vitam sicut peregrinantes transigant, horum corruptus simul & corruptor æger ac flagrans animus haud unquam melius restinguitur, quam si vita eorum censorio supercilio examinetur. cum hæc omissa funditus secum rempubl. trahant, & parum prosit foris strenuum esse, si domi malè vivatur, expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, injiciantur

Tac. An. 3. 54.
Val. Maxim. lib. 2. c. 9.

regnis manus, nisi foro ac curiæ officium, ac sua constiterit verecundia. partarum rerum æquatus cœlo cumulus oneri magis erit reipubl. quam emolumento.

32. Præfecto urbis, subcensorique huic *continuam per omnem vitam addicit potestatem, quippe queis armis militibusque destitutis omnis novarum rerum moliendarum præcisa erat facultas. Præmia verò dignitate ac onere quod gerunt digna his constituit,* ne languescente industria socordia intendatur. *Reliquis verò omnibus majori dignitate ornatis, temporis imponendum suadet modum, quibus potestatis non potest; ut misceantur hac ratione res aliàs inter se diversissimæ Imperium ac obsequium, si meminerint se, ut jam excellere atque eminere, ita brevi rursus parituros, ut jam præesse privatis. ita brevi privatos rursus fore, cum præesse ipsis diu non liceat.* *Utrimq; præmia cum tempore functionis.* Plin. Paneg.

33. Eadem diligentia de Provincialibus agit, non ignorans frustra intra mænia benè omnia ordinari, si non & externa eadem cura habeantur, forisque pax conservetur, domi tranquillitas. Ne igitur provinciæ etiam illum rerum statum abnuerent, quibus exosum jam erat S. P. Q. R. imperium ob tot potentium certamina, quibus subinde novis bellis turbisque implicabantur, & invalida legum auxilia, redditam ipsis pacem legumque vigorem ita optimè conservari posse arbitratur, *si provinciæ non cuivis promiscuè ex plebe vel equestri ordine, sed eis qui in urbe præturam rectè gessere, gubernandæ relinquantur, ita tamen ut duo Prætores, unusq; consularis in quamlibet provinciam ablegentur.* *de Provincialibus magistratibus extra urbem.* Tac. An. 1. cap. 2.

34. Atque hic ex usu reipubl. putat Mæcenas, cum tam varii sint populi, nationesque, quæ unum idemque Romanum Imperium suspiciant ac venerentur, *si non Italia modo, sed omnes omnino gentes in certas classes distribuantur, singulisq; urbibus quæ unius mero imperio gubernari possint, hi præsint, ita ut Prætorius alter privatis judiciis causisque præsit, alteri publicorum negotiorum militumq; regundorum, cura incumbat, si eorum numerus unam legionem non excedat. Sin vero duæ in eadem gente simul urbanæ (quippe plures quam duas unius imperio committere nimis quam periculosum*

foret) sint legiones, pares sint utriusque pratorii partes. Ut diviso imperio, tum legionibus tum rebus civilibus ac privatis prasint. Crimina vero vel morte vel infamia nota expianda, soli consulari decidenda determinandaque relinquuntur: cui tamen nihil juris esse vult aut potestatis in eminentioris conditionis viros, sed eorum pœnas præmiaque prout merentur *solius imperantis arbitrio relinquenda. Neque enim consultum esse, ut unum aliquem tantopere homines metuendum habeant: ita fieri posse, ut adversus ipsum Principem impellantur ab eo, cui tantum sciunt licere, ut fata hominum in sua quasi manu habeat.* Sunt aliàs quoque pleni omnes ferè historicorum libri, omnis exemplorum vetustas, quanto cum periculo conjunctum, aliquem ad id dignitatum culmen ac fastigium evehere, ut aliis æque ac ipse princeps formidabilis evadat. Quod tamen facillimè contingit, cum tales plena principis gratia tanquam secundo vela inflante vento in altum provecti, eos plerumque deprimant, qui minus promptis studiis ac obsequiis ipsis præsto sunt, adeo ut facillimè imprudentium animis eam opinionem injiciant, à suo favore, gratia, ac voluntate res omnes reliquorum fortunasque pendere. hı̃nc prompta eos venerantium & indefessa studia. talis viri janitoribus etiam notescere magnificum quandoque habetur, per hunc præturæ, per hunc dignitates, per hunc agri fundique, imò & ab hoc petuntur. Sedulò itaque Augustum hortatur Mæcenas, ne ulli tantam potentiam tribuat, sed ita omnes formet, ut se non principali fortuna sed privata metiantur. De cetero consulari huic tribuit potestatem, *ut causas omnes, qua à Pratorio ad ipsius tribunal deferuntur, examinet, deque iis statuat, reliqui verò omnes ipsius judicio acquiescere teneantur.* Dixerat ante Mæcenas Italiam in certas redigendam classes, ac *singulis urbibus longius à Roma distantibus suos rectores prafectosque adjungendos.* Cujus consilii rationem ipse profert: *magnitudinem scilicet, hominumque in ea frequentiam id exposcere, cum urbani magistratus sat, quod Roma expediant, habeant: Idq; ad Imperii augendam majestatem apprime conducere, si prasentes subditi videant eos, quorum imperio à summo se principe subjectos esse non ignorant. Sic singulos rectores singulis ur-*

Tac. An. 6. c. 8. Plin. Paneg.

Idem.

bibus

bibus datos optime prohibere ab omnibus posse injurias, ac providere ne cujusquam res per scelus aut vim crescant. Sall. in Iugurth. c. 12.

35. *Omnibus his, qui extra urbem Romanam cum dignitate aliqua & imperio ablegantur, certum laborum curarumque præmium* constituit, cum industria spe præmii alatur, qua dempta ipsa per se virtus amara plerisque atque aspera est. Quod si enim qui publici boni causa absunt à republ. suisque privatis laboribus, non ex publico etiam vivant, sed suis se sustentare sumptibus cogantur, quid mirum si lucro pervii, pretio leges figant & refigant, cum omnes fere labores suos spe otii præmiique sustentent. Orditur nunc *de tempore* agere, quousque imperium uniuscujusque extendere sese debeat, quod mediæ insistens *via neque intra triennium concludit, neque ultra quinquennium prorogat, cum imperia diuturniora inflent animos, sed atque plerumque homines insolentiores continuatæ dignitates.* Neque facile prospici possit, quæ cuique longiori temporis spatio mens, domus, fortuna, mansura sit: cum primo quoque dignitatum die superbire multi incipiant seque supra alios efferre. *Si vero brevi temporis intervallo uni mox alii dignitates mandentur, cum experientia rerum omnium expediendarum quasi instrumentum sit atque magistra, priusquam reipubl. suoque muneri assuescere didicere, expleta momentanea dignitate, aliis suum officium relinquunt. qui tum non nisi per reipubl. incommoda ac pericula experientiam aliquam acquirere possunt.* Tum itaque demum recte in rep. dignitates ac imperia distribuentur, si quæ laborum multum curarumque secum trahunt munia, per omnem vitam continuentur: quibus verò dignitatis plus inest ac potentiæ quam operæ, arctioribus temporis cancellis includantur. Sic enim & imperantium securitati, & reipubl. commodo optime prospectum erit. Mirum sane in modum Mæcenas magna imperia si diu continuentur, extimescit, adeò *ut deposita dignitate aliqua majore idoneum temporis spatium interponendum moneat, priusquam alia rursus ornentur,* quamvis diversis in provinciis longeque dissitis locis. cum tamen posterioris ævi Imperatores, abunde securitati suæ prospectum existimarint, quoties ex una provin-

De præmiis eorundem & functionis tempore.

Tac. 2. An. c. 35.

cia

cia revocatum in alteram ablegarunt, vel quem legionibus ante cum imperio præfecerant, ei classem postea commiserunt gubernandam, quique classem antea moderatus erat, ejus fidei exercitum concredidere.

De præfectis prætoriis. 36. Atque hæc *de magistratibus ex Senatorum numero legendis,* Mæcenati nostro dicta sufficiunt. nunc *quæ munia ac honores equestris ordinis viros maneant* ostendit. *Duobus itaque ex equitibus id officium imponit, ut satellitio Augusti præsint, imperiumque in reliquos stipatores obtineant, neque pluribus ob declinandas turbas, neque paucioribus ob principis securitatem.* Frustra equidem, fateor, princeps stipatorum manus ad latus sibi adjungit, qui caritate septus non fuerit, opus tamen Augusto erat corporis custodibus. Julii patris quippe exemplo edoctus erat, miserrimam esse principis conditionem omnium insultibus impune expositi. Duos adsciscendos suadet Mæcenas noster, cum unus facilius longe transversus agatur quam plures, & ne desit, si alter novi quid moliatur, qui cœptis ejus se opponat. Sane Augustum in imperio secutus Tiberius proprio exemplo, uni Sejano nimium fidens, didicit, quanto cum periculo sit conjunctum unius se fidei tutelæque committere, uni se incautum intectumque reddere. *Tac. 4. An.* Binos hos prætorii præfectos, ut appellari consueverunt, tanta ornat potestate, *ut summum ipsis jus esse velit vitæ etiam necisque in omnes per universam Italiam milites, præmia etiam pœnasque in hos erogandas arbitrio ipsorum relinquendas.* Quos rectius tanto onustos onere omnia expedituros existimat, si locum eorum suppleant *vicarii ipsis adjuncti*, quibus omnibus ut ipsa consuetudine uni Cæsarum domui addicti esse discant, una cum præfecto urbis subcensoreque *perpetuam per omnem vitam dignitatem* adscribit.

de præfectis Vigilum &c. 37. *Proximum his equitibus vigilum præfectum* constituit & *annonæ*, cujus dulcedine plebs tum devincienda Augusto erat, cum añonæ cura perpetuo congiario gratior omni tempore populo extitisset: cujus aliquando cura Pompejo non minus addiderat

gloriæ

gloriæ quā pulſus ambitus campo, exactus hoſtis mari, oriens triumphis occidensque luſtratus. Deniq; *his equeſtris ordinis viris ærarii quoq; publici, ac fiſci, aliorum præterea negotiorum Romæ ac per Italiam expediendorum cura oneratis operæ pretium conſtituit ac mercedem honori onerique cujuslibet adæquatam, utpote quorum facultates opesque tenuiores longè erant ac ſenatorum, neque tamen ob inopiam ut dignitate excludantur, juſtum: cum interſit potius Augusti, ut communicato, diviſoque inter ſenatores & equites imperio illi ſollicitiores reddantur, Auguſtus ſecurior, cum præſtet publica multorumque opera publica tractari, ut ad multos experientia prudentiaque redundet, neque uni eidemq; exercitus atque arma, utpote ſoli rerum omnium gerendarum nervi atque inſtrumenta in manus tradi.* Adjungit *in ſingulas quoque provincias, unum aliquem equeſtris ordinis ablegandum, qui iſtic pecuniam conficiat, ac quoties opus fuerit, opera aliorum ac adminiſtris utatur, ex equitibus itidem & Auguſti libertis deſumptis.* Libertos enim huc adhiberi duplicem uſum habebit, *primo ut & ipſi virtutis præmio invitati tanto diligentius patroni ſalutem tueantur ac pro ea excubent:* deinde ut ex invitis etiam cognoſcere poſſit Auguſtus, quid uſpiam peccatum patratumve ſit.

38. *In ſenatorium quoque ordinem equites rebus bello geſtis aliiſque negotiis claros* monet *adſciſcendos, ſine obſtaculo ætatis, quam virtus ſupplet. Ita etiam ex iis qui ſtipendia fecere interdum aliquem aſſumi debere; modo ab initio centurionum munere ac officio functi ſint, vel civium legioni præfuerint, neque è gregariis militibus ad tantum faſtigium ſubito evecti, cum indignum ſit ſenatoria majeſtate, eum ſenatoria toga indutum, clavo uti, qui olim ſtoreas corbesque geſtavit.* *Attexitur admonitio de Senatorio honore extra ordinem nonnullis communicando.*

39. Magna hæc erant quæ ſuaſerat Mæcenas, tot ex omni omnino ordine ad partem reipubl. capeſſendam evocandos, tot novas dignitates honoreſque excogitandos, quibus ornari ferè innumeri poſſent: Majus tamen unam urbem tot viris dignis ac illuſtribus ſubnixam eſſe, qui pares eſſent ſinguli demandatam ſibi è rep. provinciam ita tueri, ne vel ad rempubl. incommoda, vel ad ipſos infamia redundaret. Itaque nec hic officio ſuo deeſt Mæcenas, quique conſilii auctor fuerat de tot in rempubl. adſciſcendis, viam ſimul inda- *Clauditur quidquid hactenus dictum eſt, admonitione de educanda patricii equeſtriſque ordinis juventute.* Plin. panegyr.

indagat, qua reperiri possent viri optimi quique, quorum humeri dignitati ferendæ essent adæquati. Et inter prima quidem hic subsidia *educationem* numerat, quam ab omni ævo viri optimi quique rectè ordinatæ reip. fulcrum dixêre ac fundamentum. Quæ neglecta, occasum imperii, occasum reipubl. indubitato accelerat. Flagrantibus civilibus bellis ludi literarii & studia sepulta ferè jacebant, & priorum temporum immanitas exiliis ea puniebat, quæ ut jam tandem spiritum ac sanguinem patriamque recipiant, ex Augusti laude patriæque communi utilitate fore existimat. Cumque duo sint reipubl. tempora, pacis alterum, alterum belli, utrique cives omnes subditosque vult præparari, *pueros quidem in ludum literarium ablegatos pacis artibus imbui: adolescentes vero armis militiaque præparari. Sic adversus quæcunque ingruentia reip. pericula subsidia comparari & adminicula. Sic adultos omnes ferendo oneri pares fore.* Nullum etenim in magno principe immortalitatemque merituro impendii curæque genus dignius est, quam quod in civibus bene formandis collocatur: nihilque tanta admiratione laudeque dignum, quam si eo omni modo enitatur optimus princeps, ut non multis modo imperet sed & optimis. Cum frustra princeps subditis suo genio relictis neglectisque, ut defectum corpore caput nutaturamque instabili pondere remp. tueatur.

Plin. Panegyr. c. 26. Xenoph. l. 1.

40. Plerique mortalium dum liberos educunt, suo ex ingenio omnia æstimant aguntque, liberisque haud raro licentiosius vivendi facultatem concedunt; nec in pueris ea, quæ in majora aliquando eruptura sunt vitia, ut debent animadvertunt, sperantes cum ætate meliora; quæque peccantur puerili animo ascribunt. Adolescunt interim illi licentiæ lasciviæque suefti, ipsaque consuetudine ad scelera rapiuntur, donec tandem dignæ factis pœnæ eos sequantur. Rectius longe consiliator noster Persarum severitatem à Xenophonte edoctus, delicta antevertere laborat, seu probæ educationis habita cura id agere, ut cum ipsis veluti fasciis virtutibus liberi involuti, à teneris assuescant virtuti bonisque artibus studere, vitia aspernari, cum qualis principio quibusvis inseritur animus, haud facile adultiore ætate corrigatur, sed seu principio

cipio virtutibus deditus fuerit, seu vitiis, semper in majus adaugeatur ipsaque ætate crescat. Primis itaque annis omnium animis vitiorum radices exscindendas autumat, omnemque simul præcidendam occasionem, *ne vel vitiis vel nobilitate, sed monstrante virtute viam ad summa* quæque contendant, ne pro labore desidia, pro continentia atque æquitate lubidò dominetur & superbia, & vitam veluti pecora transigant, quæ natura prona ac ventri obedientia finxit. Sedulo itaque publica cura educandos qui in bonum publicum nascuntur, ut sint subsidium bellorum, pacis ornamentum, ut castra ex iis, ex iis senatus tribusque repleantur. Sall. princip. Bell, Catilin.

41. Quod Mæcenatis consilium ut ad reip. Romanæ augmentum, ita quoque non parum ad Augusti securitatem comparatum erat, *cum omnes turbæ seditionesque plerunque ab iis metuendæ exspectandæque sint, qui pueritiam adolescentiamque luxuriose transegere*: nullum etenim animal est quod rectorem morosius ferat quam pravè educatus. *Contra qui à teneris assuescunt modestè se gerere, haud unquam tam facile novarum rerum contra principem moliendarum consilia captant, cum non ignorent tantum se principi ob educationis curam, quantum parentibus ob lucis vitaque usuram debere.* Accedit quod ipsa virtutum artiumque cognitio sua quadam innata vi ac venustate non alliciat modo omnes, sed rudes aliàs mores emolliat, probeque inter se omnia misceat temperetque. Plin. Panegyr. c. 28.

42. *Quod si tandem aliquis reperiatur, apud quem plus possit perversa natura, quam summa educationis cura, ei præcidendas esse novarum rerum moliendarum occasiones, vel si quid nihilominus tentet, supplicio digno afficiendum: neque hic verendum esse Augusto quamvis tale quidpiam solus acerrimè vindicet, ne odio aut ira cæterorum exponatur.* Neminem quippe fore cui justitia ritè administrata non arrideat, quam qui tollit ex imperio, solem è mundo tollere videtur; non enim tyrannidem id dici posse unquam, sed severitatem, ad quam non naturæ mitis instinctu adigitur Imperator, sed expressâ necessitate. Medici hic fungi officio cogitur, quem crudelem facit intemperans æger, quique ne latius serpant & universum inde corpus contaminent fœda ulcera, ad ultimum illud urendi Publius.

 se-

ſecandique remedium compellitur, cum duri corporis morbi, nonnisi per dura & aſpera coerceantur, cumque ejus qui periculum creare imperanti auſus eſt, ſupplicium nihil ex iniquo habeat; deteſtaturos potius oſtendens ejus perfidiam atque ingratitudinem, qui meritas principi tanquam publico parenti non reddidit grates, quam principis temperatam ſeveritatem tyrannidem interpretaturos.

Tac. An. 3. 34.

Conſilii tres partes priores ad ſenatores & equites potiſſimum ſpectabant: ſequitur Quarta, de re militari & ærario.

43. Atque hæc de Senatoribus atque equitibus Mæcenati noſtro dicta ſufficiunt, nunc ad rem militarem rite formandam ſeſe accingit. Formidabile enim omnibus omnino gentibus, nationibus, ſubditis, amicis, fæderatis, hoſtibus erat Romanum imperium, proinde non pauci ex his reperiebantur, qui imperii Romani gloriam ſuam infamiam, ejus magnitudinem ſuam diminutionem, fortunam, ſuam infelicitatem æſtimantes, nocte dieq; eo omnes cogitationes dirigebāt ſuas, & manibus pedibuſq; quod dicitur laborabant, quo tantum faſtigium ſi non ſubverterent planè, tamen clade aliqua inſignirent, & aliquantū iminuerent. Quorum omnium pravis machinationib9 hic parandum remedium, ab armis & exercitu ſubſidium petendum indigitat Mæcenas, nec unquam nudatum militibus latus aliis objiciendum, ſed *ſemper eos alendos ut in pace decus, in bello præſidium, columen ſint ac munimentum, quorum numerus tempori ſeſe atque neceſſitati accommodet, qui nunquam arma ex manibus deponant, ſed in pace adhuc ingruenti bello ſeſe præparent, fictis velitationibus ſeriis præludant quaſi experturi, ut ea ratione quæcunque evenire in acie aut prælus poſſunt, omnia in campeſtri meditatione prænoſcant, dum inter ſe in modum juſtæ pugnæ concurrunt, nihilque præter bella armaque meditentur: quibus conſtituantur hyberna locis opportunis, unde promptum quocunque libuerit repente ab his auxilium acceſſiri poſſit, unde hoſtem horridasve gentes ac minaces brevique in bella erupturas tanquam è contuberniis aſpiciunt. Providendum tamen ne iidem ſemper apud vexilla retineantur, ſed dimittendos pluribus expletis ſtipendiis ſenes, truncato vulneribus corpore, ne verbera & vulnera, duras hyemes, exercitas æſtates, bellum atrox ipſis ſempiterna, ſed ſuperſit breve aliquod ante extremum ſenium reddita quiete levamentum.*

Tac. de moribus Germ. 13. *Quomodo milites habendi.*

Tac. 1. An. c. 17.

44. Miſcendos juvenes ſenibus, veteranis tyrones, ut

ut securitati pariter imperantis prospiciatur & exercitæ militiæ. Solis quippe juvenibus ac robustæ ætatis viris, quorum animi libidinibus ac inani aliqua spe proposita facilè exardescunt, si armorum usus concedatur; proni in res novas, proni in seditiones, contra morem obsequii contra fas disciplinæ non rarò vim meditantur: quorum tamen consortio senes ac maturioris ætatis viri adjuncti, sua prudentia optimè tanta mala præveniunt, dum prout ratio postulat aliis spem offerunt, aliis metum intendunt, & ut reverentius & æqualius pareant, omnes adhortantur. Quod si contra juvenum manibus eripiantur arma, illi quieti velut tela atque arma rubigine ferè consumpti atque enervati, imparati inexercitatique in arma feruntur, qualium in bello pugnisque opera oneri magis est ac remoræ quam emolumento. Aliis itaque militiam committendam, aliis pacis artes: ut in bella ablegati *robustissimi quique ac pauperrimi, qui rapinis omnia alias infestant, pro reliquorum omnium salute excubent, ut eò securius interim vel arent, vel navigent, vel ædificent, vel aliis bonis pacis studiis vitam sustentare laborent.*

Tac. lib. 1. An. c. 19.
Tac. lib. 1. An. c. 29.

45. Ad militiam ut debet gerendam, pecuniæ comparandæ rationes Mæcenas noster investigat, cum pleraque in bello consilio & pecunia conficiantur, nec quicquam tam munitum quod non expugnari pecunia possit, nulla tam firma arx, quæ non subvertatur ac dejiciatur, si modo asinus auro onustus eam ingredi valeat. Ut omnia victurus hastis argentatis pugnaret, Philippo Macedoni olim est datum consilium. Et revera bellum non magis fere ab armis dependet, quam à sumptibus & expensis rerum gerendarum nervis, quorum opera arma utilia demum atque efficacia redduntur. Pecunia itaque hic opus esse affirmat Mæcenas, cum neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine sumptibus haberi queant. neque *hinc ullam ad Augustum recidere invidiam, ac si eo imperitante solummodo tanta pecuniæ collectione opus sit, cum multa ejusmodi onera etiam olim à Consulibus ac Tribunis plebis constituta sint acri etiam Populi Romani tum libertate, & quæcunque*

Cic. 1. ad Attic. Ep. 12.
Tac. hist. 4. c. 74.
Tac. An. 3. 50.

tandem fuerit reip. facies ac forma pecuniam flagitet, desideret atque exposcat.

Quomodo ærario subveniendum. 46. Atque hac occasione transit Mæcenas *ad ærarii publici curam*: quod ita instruendum monet, ut tanto imperio idonei ex eo sumptus sufficiant: exhaustum ante bellis civilibus non per scelera, sed bonis artibus vult suppleri. Ac primo quidem ut ærarii augendi remedium Augusto commendat, si *quæcunque ab hostibus spolia reportata, præda parta, aliaque è publico, præter pauca, vendantur communi reip. bono, pretio, quantum fieri potest, maximo*, indeque emergens pecunia non statim in ærarium conferatur, rubigine exedendum, sed *mediocri fœnore aliis mutuo detur, ut ea ratione tacite in majus crescat fructumque idoneum reip. reddat; agros insimul fundosque omnes publicos certo pretio elocandos iis quibus agriculturæ scientia, quique ejus cupidine aliqua tenentur, ut tanto majori fœnore bene cultus ager exuberet, ipsi eo quod propria terra genuit, sidus aluit, annus tulit, fruantur*, nec aliud frumentum per incerta casuum atque tempestatum alienis ex oris exspectent, sed ipsi Italiæ agri probe culti cum feracissimis terris quasi nunquam cessuri certent.

Plin. Paneg. c. 19. Tac. 3. An. 54.

47. His proventibus *si ex metallorum fodinis quæ proveniunt primitiæ adjungantur omnes, aliaque fructuum multiplicata aut nova*, ponendum tandem calculum, &, si adhuc reditus expensis minores deprehendantur, defectum illum supplendum *pensione aliqua imperata de omnibus iis quæ quæstum aliquem possessori ferunt*, cum specie magis quam vi illud à possessore ac venditore exigatur: quippe quod in pretii partem emptoribus accrescit. Quod si adhuc expensæ justos reditus anteeant, *vectigalia universis subditis imponenda, usque dum ratio redituum & necessitas erogationum inter se congruant*, cum non injurium sit ut ex æquo onera ferant, ad quos ex æquo communis utilitas redundat. Vectigalium horum exigendorum curam certo tempore, *certis viris committendam docet, qui in singulis provinciis imposita tributa stato tempore exigant*, nec officii negligentes diem ex die trahentes duplicatum exigant, quippe quod & difficilius solvitur & exigitur.

Plin. Panegyr. 10.

48. Quam-

48. Quamvis vero nec defuturi sint, qui subinde de tributis præstandis quiritantes modo principis modo exactorum avaritiam ac sævitiam increpent, tamen tales ultra verba nihil ausuros, sed sponte quieturos, *cum viderint inter ipsos postea rursus pecuniam distribui, eoque reliquis bonis ac divitiis, bonorum vitæq; securitatem parari, quæ alias omni tempore hostium prædæ exposita essent ac rapinis; eosque tanto libentius ex imis visceribus depropturos omnia, si animadvertant Augustum custodem ac dispensatorem communium bonorum continenter sobrieq; vivere*, nec publicæ pecuniæ inhiantes adulatorum quorumvis cupiditates explere, nec per vanas delicias pecuniæ publicæ, quam sanguine ac sudore suo pepererunt subditi, illudere, neque eos imitari, qui pecuniæ ac divitiarum non alium fructum putant quam profusionem; quibus, cum omnia rapiunt, omnia retinent, omnia tamen desunt, ac si nihil rapuissent, nihil retinuissent; similes illis quos Crates olim ficubus assimilavit in altis præruptisque natis, quæ non hominibus fructum præbent, sed corvis solummodo ac milvis. Dandam operam, ut videant subditi atque reapse experiantur, in principis divitiis suas opes, suas divitias, suam salutem versari ac securitatem. Incassum timere Augustum, si ita rem gerens de pecunia solicitus sit, cum ea ratione plura quam conceptis quidem votis expetere possit, in sinum gremiumque ipsi sint delaturi.

Aristoteles 5. Polit. c. 11. Tac. hist. 1. c. 12. Tac. hist. 2. c. 94. Suet. Ner. 30. Plin. Paneg. c. 41. Stobæus Serm. 15.

49. Subjungit his pauca quædam ad disciplinam Romanæ urbis ac provinciarum non obscurè facientia, & primo quidem *urbem Romam omnium gentium dominatricem, ad imperij majestatem ac splendorem magnifice exornandam suadet*, cum multi sanè non ex plebe modò sed prudentibus etiam tali externa specie imponi sibi patiantur, ac grandia omnia existiment & augusta, quæ augusta imagine oculis eorum offunduntur. Quantoperè hoc Mæcenatis consilium æstimarit Augustus, *Suetonius* non obscurè nobis testatum reliquit, ipsum Augustum jactare solitum asserens, *se reperisse urbem lateritiam, reliquisse marmoream.*

Consilii pars quinta, de ceteris administrationis publicæ capitibus, e. g. de urbis magnifico ornatu.

50. In

de cœtibus & consiliis provincialium. Tac. lib. 1. An. c. 16.

50. In *provinciis populum ab omni potentia excludit*, quippe in quo nihil modicum, ideoque *à conventiculis arcendos omnes*, cum inter tam multorum mobiles animos, facile reperiantur, qui imperitos ad res novas impellant, & melioribus dilapsis deterrimum quemque sibi congregent, usque dum promptis & aliis seditionis ministris ad magnos & implacabiles motus pleno gradu tandem feruntur; Si vero cum singulis modo res sit, facile universos vinci.

de moderandis sumptibus circa ædificia & ludos.

Sal. Orat. de rep. ord.

51. Subjungit coercendorum intra terminos sumptuum consilium, ne exhaustis privatorum bonis publica deficiant, quod commodissime fieri posse existimat, *si privatorum ædificiis modus ponatur, ne pari vel magnificentiori quam principis aliæque publicæ ædes ornatu exstruantur*: Cum si privatus aliquis civis in ædibus fabricandis privatum modum egrediatur, easque signis, aulæis, aliisque parum profuturis operibus exornet, & omnia potius quam semet visendum efficiat, id sit non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. *In ludos gladiatorios quoque magnam facultatum suarum partem antea multi impenderunt.* His spectaculis visendis & pecuniam & tempus frustra consumpserat desidiosa plebs, providendum itaque ne ludi tales quoque nimii celebrentur, ne sumptibus inter se certantes mutuorum dissidiorum caussam ipsi præbeant, sibique eripiant facultatem summæ necessitudinis tempore, opibus suis & se & remp. pro virili juvandi. Ne tamen subito nimis ad duriora verterentur provinciales assueti adhuc mollioribus, majoris impensæ ludos Romæ exhibendos censet, provincialibus vero eatenus ludorum spectacula indulgenda, quousque nullam vel privatæ vel publicæ rei inferunt jacturam. ideoque antiquum illum morem, quo non suas modo omnes, sed etiam peregrinorum facultates exhauriebant, superfluis in certamina ludosque erogandis sumptibus, sollicitantes eos, ut esset unde perennem iis, qui victores in certaminibus vulgaribus quibusvis èxtiterant, cibum largiri possent, in melius mutandum suggerit, & nihil ultra constituta præmia in hos erogandum. Ab omni namque ratione alienum videri tantis in hæc factis impensis divi-

divitias ludibrio habere, nec nisi summæ inhumanitatis indicium, cogere quasi peregrinos, quibus cives omnem potius humanitatem & officiorum promptitudinem debent, in inania ejusmodi ac vana magnam facultatum suarum partem impendere. Certaminibus vero majoribus, ut sunt Olympia, Pythia & ejus generis alia, modum neutiquam imponit, sed iis quorum in his spectatissima virtus ac opera fuit perpetuam ut antea annonam tribui vult, cum quamvis feriarum curarum laxamenta sint, sint tamen & earum imitamenta quædam, & talia in quibus subditorum opera non tam inutiliter collocatur ac in aliis, cum hæc faciant ad belli meditationem ac veræ pugnæ præparationem. Et quod cum primis observandum, urbem Romam caput rerum, caput imperii, unde in reliqua regimen non modo augustiore specie in hominum animos illabi sed ludorum quoque pompa ac splendore urbes alias omnes anteire ac longo post se relinquere intervallo, cupit Mæcenas: Proinde id tanquam privilegium soli Romanæ urbi indulgendum, neque ullis præterea communicandum suadet, ut *soli* liceat Ludos Equestres exhibere. Ut enim ipse Princeps super alios omnes eminet & excellit, ita principalis civitas & omnia quæcunque circa principem sunt, ludicra quamvis & inania suo quodam jure splendidiorem imaginem qua se oculis hominum infundant, videntur postulare. Provincialibus tum demum oculorum auriumque oblectamenta quædam concedit, si tolerabilibus exhibeantur omnia impensis, nec locum demant modestiæ ac tranquillitati. Numismata, pondera, mensuram, rerum omnium commutandarum media maxime necessaria, æqualia omnibus imperii tam latè exporrecti subditis attribuit, nec eadem pro varietate gentium vult variari. Cautè profecto, debent enim quantum fieri potest, eo omnia dirigi, ut unum imperii corpus unius animo regundum non appareat separatum. Quod certe contingit, si in tam parvi momenti negotiis diversitas aliqua appareat ac toleretur, ubi haud incommode æqualitas locum esset habitura. Principis curas crebris provincialium per delegatos suos in-

terpellationibus de re sæpe levissima onerari cum nolit Mæcenas, aliam viam mediaque ostendit, queis subveniri eorum desideriis optime possit, si videlicet singuli præfecto suo quid velint, quid exposcant, indicent, & per eum principis responsa exquirant: *Sic* enim supersedebunt & supervacuis sumptibus in iter exponendis & molestia ultro citroque mittendi legatos.

de Senatus potestate & simulacro Aristocratiæ. 52. Pergit nunc Mæcenas, & ostendit, quomodo se Augustus erga senatum gerere debeat. *Huic*, ait, *magnam relinquendam speciem*, *ut* veteris reip. imago semper ostentetur, si e. g. legati exterarum gentium in senatum & curiam introducantur, ibi sua mandata exponant, inde responsa petant. Augeri ita majestatem imperii, si existiment exterarum gentium nationumque ac regum legati, venerabili illi senatorum consessui tantam relictam potestatem, ut absque eorum consensu si quid è rep. petatur nihil agi determinarique possit, si quid contra remp. vero ab exteris committatur, tanto plures fore patratorum vindices. Deinde si tale quid efflagitaretur à principe, quod largiri damnosum, minimeque concedi posset, invidiam ejus rei posse in senatum rejici, si testetur princeps, nisi autor fieret senatus, incassum à se quidpiam concedi. Itaque universi senatus decreto exterorum legatis responsa danda, ejusque auxilio legum vim retinendam ac suffulciendam.

de criminum cognitione. 53. *Criminum quoque cognitionem*, cum & hæc secum tacitè, aliquid invidiæ trahat, *plerumque senatui relinquendam*, ut discreta sint principis ac judicis officia, cum huic severitas, illi clementia nominis immortalitatem pariat: adeo quidem ut ipsi senatores, eorumque liberi ac uxores criminis alicujus rei peracti, non à principe, sed à Patribus, (quod institutum hactenus in Anglico quoque Parlamento viguit) dijudicentur: præsertim si quid contra principem tentare reapse ausi sint. *Qui verò nihil contra principem nisi futilia quadam convicia effuderunt eos dimittendos*, cum magnam fortunam deceat magnus animus, taliumque contemptor. cui insitum placidum esse tranquillumque & injurias atque

& maledictis in Principem.

offen-

offensas supernè despicere: cum regium sit bene facere ac malè audire, neque quos facta non faciunt nocentes, eorum verba rigide arguenda: quippe quæ spreta exolescant, si irascare agnita videntur. Tyranni esse malique principis verba ac suspiria plebis plectere: à quo alienissimum esse bonum principem convenit, qui quia omnibus prodest, ab omnibus nihil nisi optima quæque pro meritis suis expectat; irridendam potius eorum socordiam qui præsenti potentia punitis verbis facta extingui posse credunt, & sequentis ævi memoriam: cum aliud nihil hac sibi sævitia quam dedecus pariant & ignominiam. Ita tandem intellecturos cives bona sua seque dignos tanto & tam beneficio imperatore præbituros, cum viderint licere sibi malè loqui, cum ita comparatum sit, ut de nullo unquam principe minus querantur homines, quam de quo maxime licet: ita paulatim de Augusto, quod de Diis immortalibus quorum vicem in terris gerit ac sustinet princeps, judicaturos omnes, esse eum venerandum, neque vel re vel verbis ullatenus lædendum.

Tac. An 4. c. 34
Tac. lib. IV. An. c. 34.
Plin. paneg.

54. Quod si vero quis reapse Augusti majestatem imminuerit, ejus causam senatus arbitrio relinquendam, cum injurium videatur eundem & accusatoris & judicis officio fungi. *Adductum itaque in Senatum causam dicere jubeat* princeps, verane sint objecta crimina an falsa ea accusatores in majus vulgaverint, ne objecta crimina pro adprobatis accipiantur. Patiatur si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos causæ dederit, quantum quisque eloquentia ac cura valet, juvare periclitantem, ad eundem laborem ad eandem constantiam accusatores exhortetur: qui si tandem vicerint, *moderato reum supplicio afficiendum* monet Mæcenas, ne magis iræ indulsisse princeps videatur, quam clementiæ, & privatas potius injurias quam principis ultus. Idque facillimè obtineri si talis promulgetur sententia per quam neque impune reo sit delictum, & principem simul clementiæ ac severitatis non pœniteat, cum & in talibus præstet principem omnia scire, quam omnia exequi, veniam sæpius quam severitatem commodare, nec atroci semper

de criminibus majestatis.
Tac. An. 3. c. 12.
Ibid.
Tac. 3. An. c. 50.

supplicio sed pœnitentia sæpius vel miti pœna contentum esse. Hac ratione fidem crimini fore, quod dubium aliàs plerorumque mentibus inhæsisset, non facilè credentium ab inermi tot armato subsidiis structas insidias aut aliud quidpiam intentatum, ut non immerito ille apud Suetonium exclamarit, *miserrimam principum conditionem, quibus de conjuratione comperta non creditur nisi occisis.* cum omni tempore, qui potentior est, etiamsi accipiat injuriam, tamen quia plus potest facere videatur. Quò tamen effato non comprehendi vult eos, *qui palam proditione exercitum corrumpentes contra principem insurgunt:* tales namque non in judicium ducendos, sed ilicet hostium more puniendos, cum nulla esse possit in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas: & præsens immineat periculum si tales machinationes quæ consilio & mora valescunt, non statim præveniantur facileque hic mansuetudo ac misericordia in miseriam vertatur.

Domit. ap. Suet in op. vita c. 21.

Sal bell. Jug. c. 2.

Sal bell. Catilin.

55. Atque hæc & alia Senatus arbitrio relinquenda censet Mæcenas noster, *ut & ipsi parte aliqua laborum curarumque reip. onusti, ament eum reip. statum, ament principem à quo ea bona in ipsos derivantur, ipsique eo majus præstent obsequium, quo magis libertate eorum, quàm servitute princeps lætatur.* Concludit hanc de Senatus potestate ac specie potestatis tractationem, ea addita cautione, *ne quis è senatorum numero reus peractus, aliorum judicio subjiciatur quam consularis, aut certè parium: cum ipse naturæ ordo inverti videatur, quoties magni in rep. viri minorum longe censuræ ac libidini subjiciuntur.*

Plin. paneg. c. 2.

de Provocatione & causis majoribus capitalibusq;

Plin. paneg.

56. *Provocationem soli Augusto asservat, ab omnibus omnino quos ante memoravit ac recensuit magistratibus; nec cuiquam tam merum concedendum imperium à quo provocari ad Augustum non possit:* cum maximum majestatis munimentum in eo consistat, si ipse princeps supra omnes alios eminens velocissimi syderis instar omnia invisat, omnia dijudicet, ut abunde saluti subditorum prospectum sit, modo sciat princeps quid velint, quo egeant, quid exposcant. Provocationibus judicia majora, capitalia inprimis, quoque annumerat, eaque soli Augusti majestati determinanda relinquit: & eo Augusto latissimum aperit campum benè de omnibus merendi,

di, suamq; clementiam omnibus restandi, si nimirum pro ratione negotii paratus talibus reis, qui nec servati in periculum reip. vel interfecti in exemplum ituri sunt. Cumque gravissimi momenti negotium sit in talibus causis, ubi peracto judicio pœnitentiæ haut amplius relictus est locus, nec unquam sat temporis ac circumspectionis adhiberi possit, cum de vita hominis agitur, *Consiliarios in talibus causis ubi irrevocabilis ferenda sententia adsciscendos monet præstantissimos quosq; : qui ut in causis gravioribus libere prout sentiunt, sententiam dicant, nec vel studio collegis suis obsecundandi vel contradicendi affectu in transversum abripiantur, ut aliena à mente sua in publico consessu promant,* callidum hic aperit consilium Mæcenas, quomodo præveniri istud malum optimè possit: *Si scilicet sententiæ à singulis in tabellis scriptæ ad solum Augustum deferantur, eæque lectæ atq; expensæ statim deleantur, ut certi esse possint omnes in nullius unquam conspectum manumq; ventura, quæ senserint scripserintve, quo metu liberatos, sensuros quæ velint, quæq; sentiant prompte probaturos.* Tac. lib. 3. An. c. 50.

57. Denique *universim negotiorum adjutores adsciscere vult* Augustum, cum magna negotia magnis adjutoribus egeant, & intersit reipub. ut usu necessaria dignitate emineant, & utilitas, plurimum autoritate tanquam subsidiis muniatur, cum summis imperii moderatoribus sua quoque esse debeant instrumenta, & quamvis rectori divinum ingenium & omnium virtutum prompta natura forte contigerit, tamen ut imagine ea hic uti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat. Cum vero maxime difficile atq; asperum sit consilium dare imperatori aut cuiquam mortalium, cujus opes in excelso sunt, cum de futuro haut quisquam satis callidus satisque prudens sit: hanc difficultatem quam toties principum consiliarii experiuntur eo demendam suadet Mæcenas, ut, quorum stare consiliis, in animum induxerit Augustus, *eos & laude & præmiis afficiat, quorum verò sententia minus utilis visa ipsi fuerit, eos tamen non exagitet, multò minus infamia aliqua notet*; cum ad animum consulentis & propositum, non ad consilii eventum respicere jubeat prudentia, dum sæpe prava magis quam bona consilia prospere eveniunt, plerasque res fortuna ex lubidine sua agitante. *De Amicis & adjutoribus.* Vellejus. lib. 2. c. 127. Symmachus lib. 4. c. 7. Sal. Orat. 2. de reg. Or.

 58. Idem

58. Idem in re bellica observandum, cum & ibi fortuna non raró supra prudentiam dominetur, ne prospera omnia sibi vindicet, *adversa si accidant, ministris & belli ducibus imputet princeps*; Nec ab altera parte eodem cum Philippo Magno Macedonum rege esse jubet Augustum animo, *qui magis indignatus ducibus fuit ac præfectis quorum ceptis fortuna favit*, quam qui infeliciter & ignavè gesserunt omnia. Id enim si fiat, plerisque ignaviam, pro sapientia fore, indeque certa in remp. redundatura incommoda. Sane potiente rerum Claudio illustre documentum Corbulo peritissimus militiæ dux præbuit quantum remoræ fortibus viris sit, si invidia principis ituris in publicum decus cœptis obstet. Claudius quippe formidolosum paci virum insignem & ignavo principi prægravem ratus, molientem in hostili castra, literis domum revocat. Ille re subita, quanquam multa simul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios nihil aliud prolocutus, quam *beatos quondam duces Romanos*, quippe quos rebus benè ac prosperè gestis gloriam ac præmia non invidiam reportasse innuebat, signum receptui dedit. Quæ res non parum rebus Romanis & majestati imperii obfuit. Cautius ac circumspectius hic Mæcenas consilium profert, cum quæcunque vel incommoda infliguntur ducibus belli ac exercitibus vel prospere ab ipsis geruntur ad principem tandem cum gloria vel infamia redeant; De bene itaque gestis, lætari vult Augustum factique autores præmiis ornare ac honoribus, infeliciter acta propriis imputare auspiciis quorum vi ac fortuna omnia geruntur.

Tac. An. XI.

Consilii pars sexta, de virtutibus Principi necessariis & decoris.

59. Cùm verò plerique mortalium, & in his & in aliis perversè consulant, & eò se munitiores putent, quo illi quibus imperitant nequiores fuerint: contra id eniti, jubet Augustum Mæcenas noster, ut cum ipse optimus, atque strenuus sit, uti quam optimis etiam imperet. Proinde *tum aliis de causis, tum etiam exempli publici caussa virtutem pro virili colendam Augusto: cum flexibiles quamcunque in partem ducantur à principe subditi, atque ut ita dicam, sequaces sint, & omnes propè homines unius moribus vivant.* Infidelis recti magister est metus, melius longe ac lubentius exemplis ducuntur omnes, quam legi-

Plin paneg.

legibus, illa enim inprimis hoc in se boni habent, quod approbent, quæ præcipiunt, fieri posse. Vita inprimis principis censura est, eaque perpetua, ad hanc diriguntur, ad hanc convertuntur universi, nec tam imperio ipsis opus est, quam exemplo: nec unquam id furor efficit & metus, quod laudabiliter præeuntis principis reverentia. Summa itaque diligentia hic agere vult Augustum, ne sibi ipsi quicquam vel principali fortunæ licentiosus indulgeat: Quippe victurum eum veluti in quodam orbis terrarum theatro, in quo omnes omnino in eum solum conversis oculis quæcunque viderint aut observarint majori undique fama propalaturi sint. Habet namque hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: principum vero non modo domos sed cubicula ipsa, intimosque recessus recludat, omniaque arcana famæ noscenda explicet & proponat; Quod si enim semel deprehenderint subditi Augustum ad alia legibus alios astringere, alia ipsum agere, exemplum principis minis ac timori ex legibus promananti prævaliturum, prudentissime ut ferè omnia, asserit Mæcenas.

Plin. paneg.

Plin. pan. 85.

60. Progreditur nunc ad eas virtutes, quarum sine ope & adminiculo incassum suæ vel majestati vel severitati vel publico bono consulit imperator. Cumque duobus veluti fulcris omnia principum innitantur majestati & amori; illique severitas, huic clementia decus addat, ante omnia probe hæc temperanda miscendaque suadet Mæcenas, *Inspicere itaque aliorum vitam* vult Augustum, *non gravius inquirere.* Atque ut non accuratius, in omnia inquirere jubet Augustum, ita nec omnia quæ sciat exequi, sed multa, dissimulatione prætermittere, cum rite imperandi artem neutiquam calleat, qui simulandi ignorat: modò ne tale sit delictum ex cujus neglectu resp. damnum aliquod capiat aut detrimentum, de *eo enim si certo principi constet quamvis nemine deferente tale facinus merita pœna persequendum*, cum lentum in aliis esse liceat imperanti, reip. vero injurias non largiri. Equidem non tam ea de causa privatorum perscrutari vitam vult Augustum, ut quæcunque minus decenter ab his geruntur, pœnæ severitate vindicentur omnia, sed potius ut de moribus uniuscujusque cer-

e. g. de æquitate.

certius Augusto constet & ingenio, ut non ignoret quorum fidei classes, provinciæ, exercitus, aliaque ejuscemodi committenda, ne unquam ad imparem tantarum rerum onus devolvatur. Et sanè nescio an erravero, si dixerim maximum ferè prudentiæ politicæ momentum in eo situm esse, si suorum princeps perspecta habeat ingenia, neque enim inter bonos malosque solum delectum reperire licet, sed & qui boni sunt ipsi inter se de gloria certant, nec raro contingit, ut unius quamvis prudentissimi cura se non nisi ad unum aliquod munus rectè obeundum exerat, divina sunt ista ingenia quæ omnia cogitatione sua complectuntur & expediunt & cuicunque tandem præficiantur muneri, ejus omnium consensu capaces deprehenduntur.

Bard. Icon. an.

61. Perspectis autem singulorum moribus, non omnes statim quavis de caussa puniendos esse, ait Mæcenas: cum insito naturæ vitio multi eo rapiantur ut animi impetus metui legum prævaleat, adeò ut qui pravis libidinibus flagrantem in plerisque animum violentioribus pœnis ac remediis restinguere parat, nihil aliud quam universi humani generis internecionem machinari, nec nisi vastitatem aliquam tam districta in omnes omnino animadversione relicturus videatur. Effluxerat namq; pridem illud seculum, quo vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine sine probro sine scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant, ubi neq; præmiis opus erat cum hostesta suopte ingenio præferrentur & cum nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur; Exui cæperant bonæ artes & pro virtutibus vitia pleno gradu incedebāt. Quod ergo imperio obtinere Augustus non poterat, eò temperata severitate ipsi elaborandum suadet. Misceri itaq; rigori vult clementiam, justitiæ æquitatem: cū legi quamvis gravissimas minanti pœnas raro tantum ponderis sit ac vigoris, ut ipsam naturā intra æqui honestiq; terminos coërcere potis sit. Nec paucos reperiri ait, *qui cum aliquatenus occulta esse credunt sua peccata, aut mitibus verbis castigantur, emendantur sane atque resipiscunt; quorum delicta si in publicum statim protrahantur, & ita infamia ipsi vel alia graviore pœna ob & ea afficiantur; nihil aliud eo ipso assequi principem, quam ut omnibus ostendat, quibus flagitiis impar sit.* Nam

Tac. An. 3. c. 26.

Tac. An. 3. c. 31.

Nam si quis deliquerit, quo pœnam juxta ac infamiam promeretur, dum ignoratur adhuc à plerisque delictum, id sedulo agit, ne omnium sese ludibrio ac rumoribus exponat, ideoque meliori vita corrigere nititur anteacta, si vero semel manifestus compertusque fuerit delictorum, neque metus ultra neque pudor est. Concludit hunc de coërcendis delinquentibus locum egregio epiphonemate, *neque omnes peccantes puniendos, neque eorum, qui pravis libidinibus ardescunt, nequitiæ impunitate latiorem campum aperiendum: hoc enim est justitiæ ac imperii, illud clementiæ & æquitatis.*

62. Et ita cum præcipua ferè civitatis felicitas in eo consistat, ut boni præmiis ornentur ac honoribus, mali (qui tranquillissimus reip. status est) non timeantur, posterius qua ratione obtineri possit fusius jam explicavit Mæcenas: & recte, quidem hoc illi præmisit, cum præstet in republ. minorem beneficii quam maleficii, haberi curam; bonus namque segnior tantummodo fit ubi negligas, at malus improbior. Nunc subjungit, quomodo illi tractandi, qui in virtutibus bonisque artibus omne suum præsidium collocant ac munimentum, *& hos quidem majori etiam quam merita ipsorum postulant exiguntque honore afficiendos statuit.* Licet enim honesta suopte ingenio ab optimis quibusque petantur, nullo vel divitiarum vel honorum intuitu, tamen & ista non raro stimulos multis addunt, ut eo alacrius virtutis tramitem emetiantur. Nec varia hic Augustum torqueri vult solicitudine, ne si omnium benefacta tam amplis remuneretur præmiis, deficiant ipsum tandem pecuniæ, deficiant alia munificentiæ instrumenta, ipsi enim cujus ditione nutuque terræ simul reguntur, mariaque omnia, defuturos potius dignos tantis præmiis donisque, quanta augusta fortuna, tantique imperii vis, robur ac majestas suppeditare valet ac largiri. Ita sibi omnes arctissimo vinculo devincturum Augustum, nec fore quempiam, qui eam ipsius liberalitatem ac magnificentiam turpi ingratitudinis vitio dedecoret; cum nihil æquè mortalium ingenia emolliat concilietque, quam si non modo injuria nulla, sed amplissimis etiam beneficiis afficiantur.

de munificentia & humanitate, præmiorum largitrice.

Sall. de bell. Jug. c. 31.

de civilitate & modestia in recipiendis honoribus.

63. Tantis honoribus alios ornari jubet Mæcenas: Augusto vero ipsi nimios omnes, derogat, diligenterque vetat, *insolens aliquid vel superbum, vel ab aliis, vel à senatu, vel re vel verbis admittere*, cum in tantum jam evectus sit fastigium, ut nihil amplius ei adjici possit, & quicquid adjiciatur, demat potius splendori principali quam addat quicquam; videanturque potius omnes inviti majora adhuc tanto principi decernere: ita futurum esse, ut ipse ea sibi tribuens, omnium se odio risuique exponat. Sane Julium Augusti patrem, teste *Suetonio*, adeo prægravarunt nimis ab eo admissi honores, ut jure etiam cæsus ob id visus fuerit, quippe qui ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est; sedem auream in curia, templa, aras, simulachra, juxta Deos pulvinar, flaminem, denique nullos non honores ad libidinem cepit. Id certò constat, maturatum ipsi exitium, ob suspicionem regii nominis, quod in Parthos expeditionem metuens, affectare videbatur. Alio ergo modo nominis immortalitati inhiandum Augusto, suadet: non enim in multis statuis, sive aureæ illæ sint sive argenteæ, utpote invidiæ obnoxiis & parum diuturnis gloriam quærendam: Ut enim vultus hominum ita simulachra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis est decus æternum, quod tenere & exprimere non per alienam materiam & artem sed suis quisque ipse moribus potest. Cætera omnia, statuæ, templa, delubra, ut magnis sumptibus exstruuntur, ita eadem velut ingloria, posteritas ac longinqui ævi vetustas obruit, fama verò gloriaque benefactorum dictorumque adeo non aufertur ut augeatur potius, semper major semper clarior quibus postea contingit, manet ea mansuraque semper est in animis hominum & omnium temporum æternitate. Ad hanc famam apud posteros consequendam omnia sunt principibus rerum dirigenda, nam cætera ipsis statim adsunt, unum insatiabiliter parandum, prospera sui memoriæ: nam contemptu famæ contemnuntur virtutes. Quod tantum abest ut statuis templisque ingenti sumptu erectis consequi valeat princeps, ut nisi recte omnia agendo universa terra ipsi pro delubris sit, in animis hominum statuæ ponantur, (hæ enim sunt pulcherrimæ

Sueton. Cæs. Jul. c. 76.

Dio lib. 44. p. m. 247.

Tac. Agric. 46.

Tac. Anal. 46.

Tac. lib. 4. An. 38.

timæ effigies & mansuræ) frustra hæc omnia ex saxis exstruantur, quippe quæ si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur, ac nihil aliud reipsa sunt, quam malitiæ quædam trophæa ac injustitiæ monumenta, quæ quo diutius intemerata subsistunt, tanto pluribus seculis ac mortalibus malorum principum flagitia publicè testantur ac loquuntur. Tac. An. 4. c. 38.

64. Atque hæc & alia rerum bene gerendarum præcepta parum ponderis ac vigoris habitura non ignorat Mæcenas, nisi ante omnia divini numinis cultus vigeat ac præpolleat: cum hic neglectus aut prolapsus traxerit semper rempubl. secum & tracturus sit. Omnia namque Deum colentibus prospera eveniunt, spernentibus adversa. *de Pietate & religione.* Liv. l. 5. c. 51.

Et

Dii multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosa.

Horat. lib. 3. Od. 6.

Nam ea de hoc argumento opinio, etiam Ethnicorum animis insederat, qui licet de vera pietate verba facere non possint, illis ipsis tamen quæ generatim ex lumine naturæ promunt, coarguuntur de neglecto ad veræ pietatis notitiam profectu. Provida itaque cura eo ante omnia laborandum autumat Mæcenas, ne religio obliteretur: & ita ab ipsa Augusti persona primum orditur, dum divinum illud numen semper ab eo & utique colendum præcipit: cum id ad imperantis pariter & imperii felicitatem faciat & augmentum. Quamvis enim bono principi hunc pietatis suæ finem minimè præstituamus, ad alia namq; aspiramus & contendimus regna, tamen Deo plerumq; visum, externa hæc quoque præmia adjicere. Nec dubitavere olim optimi quiq; imperantes sceptra sua sacris summittere, ita rerum humanarum dignos se fore rectores existimantes, si divinæ potentiæ benè atque constanter essent famulati. Ad eandem debitam Diis reverentiam præstandam subditos quoque omnes adigi vult & compelli. Libenter namque religiosi subditi parent, & miti fractaque cervice humanum ferunt jugum, qui semel illud divinum. Lips. IV. Pol. c. 2. Val. Max. l. 1. c. 1. Lips. lib. IV. Pol. c. 2.

Imò incorruptà erga principem fide parent, pietas namque & Dei metus quasi frænum est & coërcitio in animis ab omni rebellione & insolenti motu. Nec male olim Cyrus ratiocinabatur, si omnes Dei metuentes essent, minus eos aut inter se illicitum aliquid patraturos aut in ipsum. Quæ jam subjungit Mæcenas de peregrinarum religionum autoribus per supplicia extirpandis, in iis potissimum respicere videtur ad imperantis & imperii securitatem. Illa enim si sola spectatur, à plerisque creditur facile inter eos dissidia oriri ac motus, qui ipsis animis in religione dissident. Prave tamen interim utuntur talibus regulis, qui prptereà barbaro more in diversorum sacrorum participes cæde ac igne sæviendum existimarunt. Quinimo ubi iis quæ Salvator ipse Apostolis ac discipulis suis præmonstravit remediis tolli tanti vis mali non potest, Deo merito negotium committimus, qui, quicquid non ab ipso originem trahit, nullo negotio tandem feliciter disperdet ac dissipabit, & ita sequimur potius hoc argumento Doctores è Theologis & ICtis maximos quosque, qui solidioribus nixam fundamentis doctrinam expromunt ac explanant, quam viri si cætera pleraque spectes maximi, *Justi Lipsii* ad hunc locum notas; qui in hoc genere ubique sibi similis, i. e. in re Theologica aut quocunque modo ad religionem pertinente lubricus, anceps, vagus & in omnes formas mutabilis deprehenditur, qui modò largiri aliquid, modò adimere rursum cupiat. Magis ex usu statuit Mæcenas neque divini numinis contemptorem neque præstigiatorem ullum tolerandum: cum prona vel in atheismum, vel in superstitiones multitudo, ni retineatur, facile horum opera ad conjurationes, coitiones & conciliabula impellatur: quæ nulli reipubl. formæ conducunt.

Xenoph. Pæd. l. 8.

Bœcleri Dissert de Pol. Lips. c. V. Lips. IV Pol. c. 2. notis ad §. 12. & 13.

65. Addit quædam ex superstitione gentili de *divinatione & auguribus tolerandis*, ut sint quos de eventu consulere plebs curiosa possit. Ceterum solicitudine vana futurorum, cui divini & harioli fomenta præbent, torqueri, minimè consultum est: quin potius ita oportet vitam omniaque studia nostra instituere, ut tanquam è specula quadam, non ex augurum aut aruspicum ore vana quædam captantes, prospicia-

ſpiciamus ingruentia quæque, & benè uſi præſentibus temporibus adverſus omnia quæ ingruere poſſunt, adverſa non tam ex volubilis fortunæ favore quam ex ſapientum præceptis corrigamus & à nobis propellamus. Et revera fuere olim auſpices iſti auguresque non niſi inſtrumenta quædam coercendæ plebis: quippe quorum vaticinia perſæpe ex ore imperantium dependebant tota, ut, prout præſens poſtulabat ratio ad accendendos vel infringendos plebis animos, vel largum hoſtiarum cruorem, vel avium ſiniſtrum volatum, aut etiam felicia exta, felicia auguriā ſecretorum impatientibus nuntiarent. Plura de auſpicibus & auguribus, utpote quorum fere nomen hodie ignoratur conſulto haut adjicimus, (patent iſta cuivis ex Magni illius Ciceronis de divinatione libris,) ſed potius horum loco Chriſtianis principibus ſacrorum & eccleſiæ miniſtrorum curam imponimus ac tutelam. *Magos*, genus hominum potentibus, infidum, ſperantibus fallax, *ſedulo in civitate Romana vitari jubet* Mæcenas, ſunt enim ſcelerum illi inſtinctores, & cum libentius obſcura credantur, facile ad deteſtandas quasque machinationes, ab ejuſmodi voto ac ſpe quam illi injecere tranſitur. Utut vero maximus Mæcenas noſter eruditorum extiterit patronus, *eos tamen Philoſophos maxime odit ac deteſtatur*, ideoque ſedulò ab illis cavere ſibi jubet Auguſtum, *qui doctrina ore tenus exerciti animum bonis artibus non induerunt. non enim eſſe omnes, quamvis id præ ſe ferant Areo & Athenodoro ſimiles*, quorum candorem jam pridem expertus erat Auguſtus, ſed multos reperiri qui quamvis autoritatem ſectæ alicujus oſtentent, habitu quidem & ore ad exprimendam imaginem honeſti exerciti, animo perfidioſo & ſubdolo avaritiam ac libidinem occultantes. Quæ recluſa ſæpius, dedere exemplum cavendi tales homines, quomodo fraudibus involutos ac flagitiis commaculatos, ſic ſpecie bonarum artium falſos & amicitiæ fallaces.

Tac. Hiſt. 1. c. 22.

Tac. An. 15. c. 42.

Tac. An. 16. 32.

66. Bellicis laudibus innutritum Auguſtum, *ut quantum in ipſius manu eſt, pacem omnino colat*, impellere ſatagit, ne quicquam præter ea quæ poſſidet appetat, nihil alienum concupiſcat. Quæ moderatio & alieni abſtinentia utinam omnibus

de magnanimitate circa bella & paces.

Juſt lib. 2. c. 2.

bus mortalibus foret, profectò non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. Ut verò provocare bella vetat Mæcenas; ita tamen eadem haut timenda existimat, si hostis provocet, quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. Nam ut ipse nolit pugnare ejus moderatio; fortitudo præstat, ut nec hostes velint. Sic enim optimè veram & solidam gloriam Augustum reportaturum, tranquillitatem, & tamen confessa hostium obsequia: pulchrius enim hoc est omnibus triumphis si vincendus nemo sit. Si ergo gens aliqua vel hominum natio, si quis barbarus rex eò insolentiæ aut furoris processerit ut iram Augusti indignationemque & patratorum vindictam meritus sit, tam promptum ad arma esse jubet Augustum ut sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defendatur hostis, omnia ista tam prona ac cedentia virtutibus Augusti sentiat, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non classes & exercitus Romanorum sed terras ipsas arbitretur.

Plin. Paneg. c. 16. §. 2. & 3.

Plin. Paneg. c. 16. §. 3.

67. Dixerat ante Mæcenas inspiciendã Augusto esse privatorũ vitam & diligentius examinandam, ne erret rerũ gerendarum provinciam indigno alicui demandando: dixerat modo sive sub iis quæ dixit, intelligi voluerat, Augustum bellis promtũ tum hostibus terrori fore, tum res novas cupientibus, qui, si, quid audeant statim promta virtute & manu militari plecti possint. quæ cum sine auscultatorum atq; exploratorũ opera fieri neutiquã possint. egregio Augustum præmunit consilio, *ne temere omnibus quæ ab his referuntur fidem adhibeat*, opus namq; vel maxime hic esse circumspectione & rerum omnium moderatrice prudentia, qua accurate omnia examinentur ac discutiantur. Nihil etenim publicæ mercis æquè venale esse ac horum perfidiam: cum enim ut vis morborum pretia medentibus, ita aliorum interitus ipsis commodum afferat, eos non rarò vel aliorum bonis inhiantes, vel ab aliis offensos odia in longum jacientes aucta demum promere, falsoque aliquo intentato crimine, oblata vindictæ sumendæ occasione, penitus quos visum

de gravitate circa auscultatores.

Tac. An. XI. cap.

Tac. An. I. 69.

ſum fuerit, ſubvertere. Accuratè itaque prius hæc omnia examinanda ſtatuit, (cum nemo innocens eſſe poſſit ſi accuſaſſe ſufficiat,) priuſquam nimium maturando pœnam, peccatum aliquod irreparabile committatur. Cum præſtet ſemper ſecuritati prius quam vindictæ conſulere, & cavere potius à malis, quam quid in illos ſtatuatur conſultare. Si enim tardius horum delationibus, nec niſi re certò explorata, adhibeatur fides, nulla inde ad Imperantem redundare poſſe incommoda: cum facile ita omnia ordinari poſſint, ut novi quid moliendi his facultas præcidatur. Neque enim qui deprehenſus eſt, nocere amplius poteſt, prodeſſe poteſt ad clementiæ famam, quæ non tantum honeſtiores principes præſtat, ſed & tutiores, ornamentumque imperiorum eſt ſimul & certiſſima ſalus. Haut enim gladius ſubito vagina eductus omnia conficit, id enim ſi eſſet magnum is profecto mortalibus bonum tribueret, ſed uti corpus abolere alicujus poteſt, ita cæterorum animos à cædis autore plerumque avertit.

Tac. An. XI. c. 31. Sall. Cat. c. 52.

1. Sen. de Clement. lib. 1. c. 9. Idem c. XI. Livia apud Dion. lib. 55. p. 562. Plin. Paneg. c. 88.

68. *Libertorum ac familiarium ſuorum optimum quemque honore afficere* jubet Auguſtum: *nimiam tamen nulli indulgendam potentiam ſuadet*; ſummum illis quidem honorem, ſed tanquam libertis, tanquam familiaribus habendum, ut abunde illis ſufficiat, ſi probi ac frugi à Principe exiſtimentur, nec ſe magis principali fortuna quam ſua metiri aſſueſcant, Hac enim ratione optimè cavere poſſe Auguſtum, ne laſcivientes atque exultantes principis miniſtri ac familiares dedecore aliquo afficiant ipſam Auguſti majeſtatem. Ita namque comparatum ēſt, ut quæcunque delinquunt principum miniſtri ea ipſis imperantibus imputentur, taleſque omnes judicent ipſos, qualium eos miniſtrorum opera uti deprehendunt. Neque injuria. Qui enim cum poſſit non vetat peccare, jubere videtur. Hinc eſt quod poſt mortem ſuam Auguſtus, ſoluto jam omnium ore, ob Pollionis luxum quamvis eum coërcuerit, prudentiorum judicio malè audierit. Has ob cauſas moderandos miniſtrorū ac familiarium honores ac potentiam dictitat Mæcenas, omnemque potentioribus facultatem adimendam infirmiores calumnia aliqua aut injuria afficien-

de diſciplina domus ſervanda.

de coërcitione injuriarum.

Sen. in Pro. ad. Act. 2 v. 289. Tac. An. lib. 1. c. 10.

Sen. de ben. lib. 2. c. 5. Sall. bell. Jugurt. c. 8. Sall. Jugurt. cap. 12. Vellei. lib. 2. cap. 16. Sall. princ. bell. Catil. Tac. An. 1. c. 16. Sall. Orat. 1. de rep. Ord. Veget. d. re-milit.

ficiendi, cum plerumq; regiæ potentiæ ministri quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, minus se judicent posse, nisi diu multumque singulis, quid possint ostentent, fretiq; principali gratia aliorum capitibus insultent. Talia ergo faciendi omnem ipsis facultatem adimit ita ut nec delinquant, nec delinquere possint. Cum qui opulentior est, quamvis accipiat injuriam, tamen quia plus potest injuriam inferre aliis videatur. Inferioris itaq; sortis hominibus injuriam ab aliis passis omnimodo succurrendũ esse existimat, cum principalis fastigii ac majestatis sit prohibere ab omnibus injurias, nec pati cujusquam res per scelus aut vim crescere. Haut tamen infirmioribus in omnibus credendum cum illi potentiorum odio laborantes falsa haut raro proferant & inania, astruit. Optima in rep. horum concordia est, si suspiciat potentem humilis non timeat, antecedat non contemnat humiliorem potens.

de prohibendo otio.

69. Cum à nullis unquam majus reipubl. tranquillitati impendeat periculum quam ab iis qui ignavè ac per otium vitam sicut pecora transigunt, & quoties intermittit multitudo solita munia nihil per lasciviam nisi seditiones meditatur, sua plebi negotia attribuit Mæcenas, quibus à malò publico distineatur. Et ad id incitari vult omnes præmiis ac infamiæ metu, quorum intuitu cuncti mortalium vel suscipiunt vel fugiunt pleraque. Et profecto in bene ordinata republ. merito ad id attendunt imperantes, ne otiosi turbatores pacis publicæ alicubi delitescant: quemadmodum enim in bello nihil unquam tam salutare atque necessarium est, quam ut perpetuo miles exerceatur opere: ita quoque ad conservandam pacis gratiam vel maximè conducit, si omnes publico magis privatoque commodo quam otio ac luxui studeant.

de finiendis privatorum controversiis & inhibenda prodigalitate in votorum nuncupationes.

70. *Privatorum inter se, exortas controversias quam celerrimè componi* jubet: eæ enim si longius indecisæ relinquantur in odium facile transeunt & utrinque privatorum facultates exhauriunt. Pro imperii Augustique fortuna vota immodicis sumptibus solvi vetat Mæcenas, non ignarus in vulgo nihil modicum, sed id semper in omnem partem volubile modo huc modo illuc agi ac impelli cœco affectuum magis impetu quam rationis ductu & impulsu; adeò ut si ob insolitam

litam erga Augustum benevolentiam (qualis est vulgi natura ut aut amet nimium aut quod sæpius contigit nimio odio prosequatur imperantes) ultra facultatum suarum modulum in honorem Augusti alios atque alios sumptus profundere in animum forte induxerit, severis edictis ea animi intemperantia corrigatur ac refrenetur. Et cum omnes sint unius imperii subditi, unius corporis membra unius animo regunda, omne id quod discordiæ inter hos ansam præbere posset præcidendum autumat, ut sunt cognomina disparitatem aliquam notantia, vel majora concepta privilegia: inducunt namque hæc omnia inæqualitatem quandam & æmulationis, inter se occasionem præbent; qua semel dominante, etiam quæ felicissimè alias coaluere facile dissolvuntur & corruunt infirmata.

& redigendis ad æqualitatem concordiamq; populis. Tac. lib. 1. An. c. XII.

71. Atque hoc & alia quæ prudentissimè pariter ac dissertissimè in medium attulit Mæcenas noster pari gravitate jam concludit, suggerens tamen adhuc subinde generalia quædam præcepta ac consilia, quæ si sequeretur princeps, vel sola ipsum deducerent ad summam illam quæ in his terris mortalibus ægris relicta est felicitatem. Collocatus equidem erat Augustus in sublime illud majestatis fastigium, super omnium regum, principum, ac tetrarcharum evectus splendorem: nemo reperiebatur qui non cuncta venerantium officia ad eum verteret, arbitria ejus pro legibus agnosceret: *tamen hic Mæcenas noster temperanter tantam potentiam habendam suadet.* Ea enim mediocriter exercita omnia quæsita conservat: immoderatius adhibita pessundat & benevolentiam civium veram & firmam imperantis securitatem. Invasit ea, tanquam nocitura tabes multorum principum animos opinio quasi in diminutionem potentiæ suæ tenderet, nisi subinde quid & quantum possint ostentent. Ideoque tantum abest, ut summæ potentiæ rigorem clementia quandoque temperent & humanitate, ut lætentur potius de oblata occasione publicè testandi, nihil quicquam se vereri nihil metuere, & dominos potius civium suorum esse quam Principes. Quanto rectius hic Mæcenas eum scrupulum Augusto animo eripere laborat eoque impellere ut propria voluntate vinciatur, qui alienis conditionibus non tenetur, ut cum omnia possit, sola

Consilii pars septima sive conclusio: constans partim præceptis generalibus, partim spe & demonstratione eventus optati. Moderandum potentia, ne ad impotentiam evagetur Cæsar apud Dio lib. 41. Cassiod. 10. 16.

ſibi licere credat laudanda, nec plus hic potentiæ tribuat quam virtutis amori. Revera enim principes tanto magis eminent & excellunt, quanto magis homines ſe, quam hominibus præeſſe meminerunt. Eo itaque cuncta ab Auguſto dirigi vult, ut tutiſſimum illud regni præſidium, ſubditorum benevolentia paretur: & amor clementia potius, quam reverentia & terrore capretur.

Regnandi ſumma: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.
Plin. Panegyr cap. 4.
Tac. An. XI. 8.
Tac. hiſt. 1. 16.

72. Nec ſatis huic conſilio ac propoſito proſpectum eſſe exiſtimat, ſi in præſens ſubditi præſenti rerum ſtatu libenter acquieſcant, nec quæcunque aliter ut debebat egerit Auguſtus ipſi aperte exprobent: cum plerique, affectus etiam juſtiſſimos pro uſu rerum aut occultent aut expromant, & præſenti hic magis uſui quam affectuum vehementiæ conſulant. Adeò ut multi, quamvis maximè læſi, palam eos laudent, à quibus injuria affecti ſunt, dum in commodum tempus ultionem differunt, idque interim agunt, ne ſuccenſere videantur: unde & plerumque fallat ea conjectura quæ de animo alicujus ex verbis & geſtibus externis hauritur. minime ergo principis actiones tam fragili fundamento ſuperſtruendas exiſtimat, ſed aliam & meliorem longe viam indigitat perſcrutandi ſubditorum animos quomodo erga Imperatorem affecti ſint: ſi ipſe, quaſi alio rerum potiente privatum animum ſumat, quidque adeò placeat in imperante, quid diſpliceat ſub illo ſchemate conſideret. Nam quod caput eſt ac ſumma omnium eorum quæ in hanc rem dici poſſunt, & norma ad quam dirigere omnia princeps debet. *utiliſſimus idem ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus eſt, cogitare quid aut volueris ſub alio principe aut nolueris.*

Securitas inde & jucunditas vera principis paratur.

73. *Hanc enim ſi actionum ſuarum cynoſuram ſequatur princeps, fieri neutiquam poteſt, quin ſuaviſſimam ſimul ac tutiſſimam vitam agat.* Quis enim populus, quæ gens quæ hominum natio tam immanis eſſet atque barbara, quæ non eum in ſinu oculiſque circumferret, quem videt noctes dieſque pro communi ſalute excubare, neminem injuriâ afficere, nihil præcipere cujus non ipſe primus autor exiſtat nihil jubere, ad quod non ſeipſum quoque obliget: denique in omnibus vitam ſubditorum moribus conformem reddere. Majus profecto, ſi ita

omnia

omnia agat princeps, sibi præsidium parat, ac securitati suæ munimentum, quam si millenis stipatorum cohortibus se succingat: ita enim neminem lædens neminem metuit, & amoris excubiis non crudelitatis claustris defenditur. Valentior longè amor ad securitatem quam timor. Discimus enim experimento fidelissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam: Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Hæc vita maximè jucunda, hæc divinæ similis, omni periculo vacare, & velocissimi syderis instar omnia invisere, omnibus præsto esse, & ex tanto bonorum cumulo aliis quoque tantæ felicitatis partem communicare.

Plin. lib 8. Ep. Epist. ult. Plin. Panig. 49.

74. *Tantis tibi Auguste bonis perfrui licet*, inquit Mæcenas, *nisi ipse detrectes & aspierneris fortunam tuam.* Amplissima Dii immortales in te contulere beneficia, pro quibus non flagitium à te aut malum facinus, sed ut nutanti patriæ succurras, exposcunt. Idem ad securitatem tuam faciet, idem ad Imperii augmentum, & nunquam perituram in animis hominum bene à te gestarum rerum famam, sed per omnes ea gentes volitabit. Egisti, fateor hac tempestate domi militiæq; multa præclara facinora sed eadem & olim præstantes multi in republ. viri, quorum memoriam nunquam sine admiratione virtutis recolimus, patrarunt: hactenus æquali cum illis gloria frueris. Quod si vero, urbem, regna, provincias, amplissimo nomine & maximo imperio tuo, prope jam ab occasu restitueris, quis te clarior quis major his in terris fuerit? nihil ulterius restat quod tuum sufflaminare amplius propositũ possit, omnia cedunt virtutibus tuis prona, sceptris tuis omnia se submittunt. Quod si solum *regis nomen* cujus plenam potestatem Dii tibi ac fata tribuerunt, ut invidiam pariturum formidas ac subterfugis, *Cæsaris nomen præsidium nobis ac hostibus terrorem parabit.* Quod si excelsæ fortunæ tuæ minus id satis esse existimabis, dabunt hoc, scio, suæ in te benevolentiæ ac amori ut *imperatoris* titulo, Patri quoque tuo dato, te exornent, ament ac venerentur. Stultissimus hercle mortalium foret, qui solius nominis ac tituli intuitu, quæ ut inania ita nihil aut parum admodum vel addunt vel dero-

Συμπέρασμα generale: suscipiendam ergo monarchiam, & quidem sub Cæsaris nomine.

gant felicitati, rem maximam negligeret, & umbras hic potius & imagines quam res ipsas captaret ac sequeretur.

75. Hic jam finem consilio suo regio ac orationi imponit, sagacissimus Mæcenas: neque enim opus erat plura addere cum nihil omisisset. Suscipit in se lubens Augustus arduum illud cuncta regendi onus, & ex Mæcenatis nostri consilio pleraque gerens inter rarissimos mortalium malis artibus quæsitum imperium benè exercuit. Nobis quæcunque solertissimè in medium protulit Mæcenas latius deducere, & scrupulosius in omnia inquirere propositum neutiquam fuit, sufficere enim existimavimus tangere ac delibare solummodo quædam, & quæ forte in eam sententiam memoriæ occurrebant paucis adjicere, memores disputationem nos proponere exercitii gratia non perfectum aliquod opus elaborandum in nos suscepisse, in posterum fortasse limatius aliquid in eandem materiam meditaturi.

II.

DE MÆCENATIS ARTIBUS.

Quibus favorem & potentiam apud Augustum reperit.

PRogredimur nunc ad alterum commentationis nostræ, sicut initio proposuimus, membrum, breviter dicturi, *quibus artibus ac studiis tantopere se Augusto commendatum reddiderit Mæcenas noster, ut non modo arcanis eum consiliis admoverit*, sed *omni honore cultuque affecerit.* Ac primò quidem nolumus hic cum iis facere, qui viros illustres ob virtutem singulari ornatos dignitate conspicati, felicitatem magis stupide admirantur, eique cuncta asscribunt, quam virtutem imitati ad summa quæque proposite via grassantur. Nam profecto frustra quæritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis sorte potius quam virtute regatur. Contra enim reputando invenias felicitati consequendæ magis indu-

Sall. princ. Bell. Iugurth.

industriam hominum quam fortunam deesse. Neque enim fortuna tantopere egemus, quippe quæ probitatem industriam aliasque artes bonas quæ sunt summæ in his terris felicitatis adipiscendæ instrumenta, provehere solet ac fovere. Neque etiam fortuna & sorte nascendi principum inclinatio in hos, offensio in illos oritur: sed est aliquid in nostris consiliis est aliquid in propria repositum prudentia, qua monstrante viam inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere licet iter ambitione ac periculis vacuum. Neque ita divinam providentiam excludimus, sed quantum debemus illi meritò tribuimus. Deus enim Deus est qui omnia dirigit, qui potentum potestatem & deprimit & conservat, cor principis flectit, & cui vult benevolum aut alienatum reddit. Tac. An. IV. 20.

2. Sed inspecturi penitius eas sive virtutes sive artes, quæ Mæcenatem ad tantum honorum culmen provexerunt & intimæ principis amicitiæ insinuarunt, missa facinus generalia illa & communia, quorum ope & adminiculò destitutus, nemo unquam magnus, nemo honoratus evasit. Sed ad specialia quædam ingenio aulæ ac principis accommodata aut accommodanda, nos accingimus. Ac primo quidem intuitu hic nobis sese offert illa, quam rempublicam Romanam tantopere indigere Ateius Capito judicabat, *dicendi libertas*; qua insigni profecto usus est Mæcenas. Solus ille quibusvis intemperantioribus Augusti affectibus se opposuit, solus cupiditatibus restitit, solus eas coërcuit: tanta constantia, ut, quod sub tyranno capitale fuisset, boni Principis æquitate fretus, nunquam omitteret usurpare. Induxerat aliquando Augustus in animum multos virorum illustrium cædi addicere, jamque tribunal ascenderat, funestam brevi pronunciaturus sententiam. Quod ex multis passim indiciis haut obscurè colligens Mæcenas cum appropinquandi Augustum ipsi non daretur facultas, tabellam in sinum imperatoris conjicit, quasi alia quædam continentem, cum nihil, nisi, *surge tandem carnifex*, ei inscripsisset. Res mira profecto, carnificem appellat Mæcenas imperatorem, cujus tanta potestas: nec hic offenditur, sed amorem pro li-

Missis generalibus agitur hic primo, de libertate consiliatoris, sive parrhesia.

Dio IV. p. 552.

beriori increpatione non odium reponit. Noverat enim Augustus, nullius rei inopia æque laborare magna fastigia, nihil tam omnia possidentibus deesse, quàm eum qui verum dicat, ideoque non committendum existimat, quo minus tanto bono plenè fruatur. Noverat Mæcenas consiliatoris esse, non quæ suavissima, sed quæ optima, quæ principi ac reipubl. utilia suadere: ideoque quæ sentit liberrime promit. Rem sane (cum modo & ratione adeoque moderatione) omnibus iis imitandam, quorum consilia princeps exquirit, ita fieret profecto, ut Augusti exemplo, non raro immutaret propositum, cujus fædam faciem tantum abest, ut Placentini illi ostendant Imperanti, ut potius minio ac fuco aliam ipsi formam, inducere conentur. Vanum est, quod obtendunt illi, in tutum esse talia proferre, nec nisi certissimum inde consultori imminere exitium. Non enim principes qui hodierno tempore christianum orbem moderantur tyranni, sunt ac Cambysi aut Neronibus similes: nullos profecto, quæ Dei benignitas est, tales dari existimo: sed plerosque ita comparatos, ut meliora monentes si non cum gratia, certè sine odio audiant, nec horum veram in dicendo libertatem ad extremum vindicent. Et artem aliquam hic adhibere volumus ministrum, ut non importunè non acerbè non supervacuo rigore ubique principi resistat, & ita quicquid in ipso est, autoritatis, crebris ac intempestivis contradictionibus destruat, sed cum Hephæstione apud *Curtium*, ita libertatis in admonendo principe jus usurpet, ut magis à rege permissum quam vindicatum ab ipso videatur. Discant Mæcenatis nostri exemplo, quibus mos illicita mirari; posse sub magnis principibus magnos viros incorrupta libertate agere: eamque si modestia aliqua accedat eo laudis excedere, quo nulli unquam per deforme adulandi obsequium inclaruere.

Senec. de benef.

Tac. An. XIV. Curtius 3, 12, 16.

3. Sed merito secundo loco in Mæcenate nostro commendamus modestiam illam, & similem cessationi quietem, qua par summis negotiis, mediocritatem otio similem ostentavit: quippe ubi res vigiliam exigebat insomnis erat, simul ubi aliquid remitti ex negotio poterat, otio ac militiis pæne ultra

Secundo de modestia vita cultuque. Tac. An 3, 30. Vellejus 2, 88.

ultra fæminam affluebat. Quamvis autem aliquando Principes ament talis ingenii viros, qui mente luxu circumflua intactum norunt vitio servare vigorem, qui pares se negotiis præstant, & impares quandoque simulant: tamen nos, relegato luxu & mollitie (cui nulla pars commendationis competere potest) alteram tantum partem retinemus, illam scilicet cultus mediocritatem & modestiam. De cetero videant ipsi, quam bene sentiant, qui simpliciter dicunt: Sapientiæ esse, & singularis consilii atque artis aulicæ, mox per inertiam vilem demissumque animum adumbrare; mox procax rursus liberumque ingenium. Interdum voluptatem consectari, jocis ludisque incumbere: quod non arto fæcundissimi laboris instar esse, annotavit *Barclajus*. sed modestiæ ratio certa est. Principibus namque viris, cum soli eminere cupiant, ingratum est, quicquid nimium splendet: humilitatem, & quietem simulantes plus diligunt, sibique intimius adjungunt: Quod si incautius hic agant potentiores illi principum ministri,& subinde illam industriam illum animi vigorem non coram principe modo sed reliquis omnibus ostentent, adeò ut suæ aliquid hic prudentiæ adscribere videantur, facile eam principi opinionem injiciunt, credi ab aliis, nihil in republ. clarum quod non hi reperiant sed omnium rerum benè gerendarum consilia ac rationes ab his principi subministrari. Quæ suspicio, si semel in animo principis radices egerit, nihil profectò dari ferè atque excogitari potest quod citius ad perniciem secum trahat præcipites aulicos ministros. Idem omnibus principali constitutis loco animus, eadem sententia, mens eadem, quod sibi solis rerum omnium benè gestarum gloriam asscribi, sibi tribui velint: quam ubi intercipere existimant ministros, hos subvertunt, ostensuri omnibus, non indigere se eorum opera, sed in propria prudentia tantum collocatum habere præsidium, ut rebus omnibus abunde sufficiant, paresque sint. Callidius ergò Mæcenas noster, cum omnibus curis ac negotiis abundè sufficeret, maxime se deficere simulat, ac raro isto in omni ætate ac populo ingenii acumine, puro, aptoque omnibus quibus præfeceris negotiis, ita utitur, tanquam vix medio-

Barclaii Euph. Satyr. seu Icon. anim. part. 4. c. 13.

Tac. An. XIV. 52.

pto ac parato ad capessendos honores aditu eos ut superfluos, nec quicquam commodi aut felicitatis addituros contemnere didicerint.

4. *Calliditati* quoque illi & *providentiæ* singulari qua pollebat Mæcenas, ut aliquid tribuamus æquum est. illa enim cui contingit, eum neutiquam obscuro esse loco sinit, sed ad summa honorum rapit magis quam ducit. Magna erat Romani imperii moles, gravissimi principis labores queis orbem terrarum capessebat, egebant consiliis, quæ omnia abundè suppeditat Mæcenas. Arduum profecto ac difficile, tanti imperii benè moderandi præcepta ex profundis cogitationibus promere: cum excellentibus ingeniis citius desit ars qua civem tegant, quam qua hostem superent, sed nihil hic occurrit, quod non Mæcenatis nostri providentiæ prævium sit. Testantur eam omnibus gentibus, omnibus seculis quæcunque de tanto viro fortuna posteris reliquit. Atque tales quibus princeps præcipua reipubl. momenta committit, quos, arcanis consiliis adjungit, si ex prudentiæ qua pollent dictamine, velut ex abdito, qui sentiant promant, incredibile dictu est quantum sibi hac ratione favorem & autoritatem comparent & dignitatis suæ nervos altius intendant. Sic enim ad se trahunt ac propemodum suos faciunt altas illas & salutis omnium curas, ut non tam principe egeant & respubl. quam suis consiliis ac opera respubl. & princeps.

de providentia.

Tac. An. XII. 5.

Liv.

Barclai. Icon. anim. c. 15.

5. Accessit *constans erga Augustum amor*, cujus saluti nihil proposuit. Sed ad eam omnia flexit, omnia direxit. Idque animadvertenti Augusto ansam præbuit cur eo magis fidei amicitiæque Mæcenatis fideret. Hos enim principes magnifaciunt, quorum ingenuum experti sunt amorem, non minus amari volentes quam amare. Ita magni viri in altum lubricumque producti stabiles facillime manent, si animum principi fidum addictumque persuaserint, si omnia videantur per amoris per benevolentiæ speciem exequi. Id enim extirpat omnes omnino ex animo principis sinistras opiniones, id omnem delatoribus aditum præcludit, è quibus alias maximum magno viro periculum imminet: cum non unquam capitalior ipsi hostis esse possit, quam armata quamvis

de amore in Principem.

Tac. An. XI. 1.

falſa in eum fama. Contigit idem Mæcenati noſtro quod de Hephæſtione teſtantur ſcriptores: nihil ipſi æque profuiſſe, nihil tam eum intimæ Alexandri amicitiæ inſinuaſſe, quam pronum illum ac flagrantem, quo imperantem proſecutus eſt, amorem. Placent enim hi præ reliquis omnibus imperantibus, & ab iis amantur quos ſe amare, quibus ſuum decus ſuam felicitatem, ſuam majeſtatem curæ, cordique eſſe animadvertunt, & ejus gratia nullum onus, nullum laborem ſubterfugere ac recuſare.

Plutarch. Alex. c. 83.

de comitate morum.

6. Addimus non immeritò *urbanitatem & comitatem* illam, qua ita omnia ad ingenium Auguſti flexit, ut ſe plane etiam illius moribus conformarit. Læto Auguſtus erat ingenio, ideoque nec nimiam ſeveritatem præ ſe fert Mæcenas, ſed omnia ad hilaritatis ac lætitiæ ſpeciem componit. Neque enim ſemper opus eſt truci vultu, & aſperioribus præceptis:. verum circumſpectiores aulici per hæc lepiditatis nomina feliciſſimè quandoque emergunt: inprimis ſi ad principis vitam ſuam larvam inflectant. Et ita quamvis nunc choreis exultantes, nunc ad mutationem ludi ſudore venatico confuſi, pleni delitiis, omni feſtivitatis pompa ſpectabiles, nihil niſi publicæ hilaritatis ſpeciem oſtentare, ac nihil ſerium ſpirare videantur, accuratius tamen intuenti comperiuntur laborioſiſſimum negotiationis genus exercere, atque in illis delitiis reperire induſtriæ curarumque materiem graviſſimam, temperant enim hi ita ludos ac jocos ſeveriori intentione, ut eos convertant in acerrimi laboris fructum, dum omnia ad ingenium principum componunt, qui amant & libenter ſuæ adjungunt recreationi ſocios quos rerum ſeriarum miniſtros habuere. Eſſent & alia, quæ his adjungi haut incommodè poſſent, quorum adminiculo tanta conſecutus eſt eſt Mæcenas noſter, ſed ea omnia exequi neq; inſtituti noſtri eſt, neque ſi vel maximè eſſet, tam anguſtis iſta includere liceret cancellis.

III.

III.
Quomodo erga CONSILIUM & CONSULTOREM *se gesserit Augustus.*

DEscendimus ergo ad id quod restat expendendum, quomodo se erga consilium à Mæcenate suppeditatum, & ipsum consiliatorem nostrum tandem gesserit Augustus. Ac primò quidem, quod consilium ipsum spectat, non heic arrogantia aut contumacia, qui multorum principum mos esse solet, despicit consilium alienum: sed cum eo se indigere animadverteret, tanquam à se repertum amat, non ignorans, cauti esse ac prudentis non ista aliena credere, sed sua; quæ aliorum melior ratio suppeditat. Cum ergo uterque & Mæcenas & Agrippa liberè quæ senserant, extulissent; miratur utriusque prudentiam & laudat, laudat orationes, quæ nihil nisi summas animi dotes omni ex parte spirabant: Præfert tamen Mæcenatis consilium, quia id tutius, id accuratius, id melius videbatur: nec præfert solum & approbat, sed ad id omnia dirigit, omnia componit, omnia flectit; sensim tamen, cum parum feliciter omnia subito corrigantur, & multa tempore ipso optimè invehantur, quibus confestim ad metam perducendis, principis nec autoritas sufficit, nec severitas aut majestas. Alia ergo statim, alia interposito temporis intervallo, ut quæque postulabant, omnia tamen ex Mæcenatis præscripto ordinavit, constituit, immutavit; & quæ perficere fata negabant, successoribus perficienda reliquit; adeo ut multis retro seculis, sequentes Imperatores mutum mortuumque consiliatorem habuerint Mæcenatem, quibus vivo frui non contigerat.

Augustus obsequitur consilio;

Dio lib. LII. p. 493.

2. Jam si Mæcenatem ipsum spectemus, Deum immortalem, quo amore, qua amicitia eum prosecutus est imperatoria majestas: neque enim eum in speciem quod tyrannorum est, dilexit, aut honoris causa, sed superior quamvis descendit in omnia veræ familiaritatis officia, & in amicum ex imperatore submittitur: vel tunc maximè imperator, cum

amat consultorem & honorat & remuneratur.

Plin. Paneg. 85.

Tac. Hist. 4. 7. 6.

Sall Jugurt. c. X. Xenoph. lib. 8. Plin. Paneg. 85.

cum ex imperatore ageret amicum. Non enim ignorabat, nullum majus boni esse imperii instrumentum, quam bonos amicos, & hos præsidia regni esse, non tam exercitus atque thesauros, non aureum illud sceptrum custodire regna, quam amicos, eos regibus sceptrum verissimum tutissimumque esse & cum tantopere amicitiis indigeat principalis fortuna præcipuum esse principis opus amicos parare. Placet ergò hæc ipsi secta & constantissimè amicitiam cum Mæcenate privata fide tuetur, sed imperatoris opulentia, ideoque & amplis eum, sed pluribus laboribus jactatum pro ingentibus meritis affecit præmiis gratiamque immensam, magnamque pecuniam circumdedit, nec quemadmodum in barbaro Turcarum imperio fieri annales memorant, ademit rursus quod dederat ante, quæ infida sanè & tyrannorum liberalitas est, sed quæ dederat, iis plenè frui concessit, & ita utrique mensuram implerunt, Imperator, quantum tribuere amico posset, Mæcenas quantum amicus à principe accipere. Nec minore eum honore ornavit, quam divitiis: ortus erat equestri loco, sed proceribus civitatis ab Augusto annumeratus & multos triumphalium consulariumque dignitate anteit. Inter nobiliores multo & longè decora præferentes enitet. & majora tribuisset Augusti in eum benevolentia, si Mæcenatis animus modicis contentus plura concupivisset, vel modestia non recusasset.

Tac. An. XIV. LIV. 1.

Vitia ejus tolerat.

3. Et cum magnas virtutes, magna quoque non rarò comitentur vitia, neque ullus mortalium adeo absolutis numeris omnibus perfectus extiterit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur, tulit vitia Mæcenatis patienter & indulgenter, Augustus. Hac principis amicitia cum floreret in tanta constitutus gratia, nihil ultra, quod conceptis votis experi posset, ipsi ad felicitatem deesse videbatur, felicior ipso Imperatore, cum omnibus regni bonis ipsi absque periculo frui liceret.

Suet. in Aug. 66.

ad extremum tamen alienatur a Mæcenate Augustus.

4. Sed cum magni quoque viri obnoxii sint humanis casibus, & omnia orta intereant & aucta diminuantur, fatumque potentiæ rarò sit sempiternum, tanta quæ in eum collata erant bona neutiquam immunem præstabant, quo minus

nus cum multis admodum qui eum antecesserunt, ac secuti sunt & adhuc sequentur, experiretur aulæ culmine lubrico stare potentes omnes & præmia regiæ amicitiæ maxime esse infida. Quod si enim Cornelio Tacito & aliis scriptoribus gravissimis sua non deroganda fides, constat Mæcenatem posteriori tempore speciem magis in amicitia Augusti quam vim obtinuisse, nec tantis quibus cumulatus erat bonis, additam esse perpetuitatem. Parva omnino temporis intervalla omnes homines attollunt rursumque dejiciunt, maximè vero eos, qui in aulis versantur. Quos scite admodum Polybius adsimilavit abacorum calculis, qui ut secundum calculatoris voluntatem, modo obulum modo aureum, modo talentum valent, ita aulici ad nutum principis modo beati modo miseri redduntur. Deum immortalem quot extitêre, quos multorum annorum cumulata felicitas erexit, momenti fortuna depressit, ex quibus nihil superfuit quod carnifex traheret, cum paulo ante in eos Dii hominesq; quicquid congeri poterat, contulissent felicitatis. Sed ejus generis exemplis recensendis nolumus ullatenus immorari. sunt enim passim sub oculis multorum naufragia, quos invidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculit. Nullum enim tam infidum mare, quam principum blanditiæ, quos si forte propitios hodie experiris, cras iratos habebis. Subducit se à Mæcenate nostro Augustus & odit quem anteà amavit, illustrique ememplo testatur, revera periculosissimam esse regum familiaritatem, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat, quæ sicut paulum à se remota illuminant, ita propius sibi admota comburunt. En ludibria vitæ & jactationes hominum, quibus nihil unquam est certi. Loquitur omnibus qui in lubrico illo culmine & fastigio aulæ pedem fixere nobili fluxæ potentiæ documento Mæcenas noster illud Poëtæ:

Plutarch in Arat Sub fin. Tac 3. An. 30. Dio LV. p. 553.

Seneca de tran. l. de sejan.

Sidon.

Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes ægre, & quam descendes, decides,
Cecidi ego, cadet qui sequitur.

XXV.

ΣΥΝΕΔRΙΟΝ ΑΜΦΙΚΤΥΟ-ΝΙΚΟΝ.

QUOD FELIX FAUSTUM-QUE SIT!

ΣΥΝΕΔΡΙΟΝ ΑΜΦΙΚΤΥΟΝΙΚΟΝ, *Commune Græciæ Con-*
2, d. Inv. *cilium*, ut vocat *Tullius*, ab AMPHICTYONE appellatum esse volunt. *Αὐτὸς γὰρ ἀσθενὲς ὁρῶν καὶ ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν περιοικούντων Βαρβάρων ἐξαναλωθῆναι τὸ Ἑλληνικὸν γένος, εἰς τὴν ἀπ' ἐκείνου κληθεῖ-*
1, 4. A, R. *σαν Ἀμφικτυονικὴν σύνοδον καὶ πανήγυριν συνήγαγε*, teste *Dionysio Halicarnasseo*, & *αὐτὸς συνήγαγε τὰ ἔθνη βασιλεύων*, ut est apud *Suidam*.

2. Erat iste Amphictyon Filius Ἕλληνος, Hellenis, authore eodem *Dionysio*, Neposque Deucalionis, Regis illius
Sat. 1. Thessaliæ olim celebratissimi, qui, ut ait *Juvenalis*,

——————— nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,
Paulatimque animâ caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.

Quem iccirco nonnulli ipsum Deucalionis filium faciunt; ut
In Phoc. testati sunt *Pausanias*: *οἱ μὲν Ἀμφικτύονα τὸν Δευκαλίωνος νομίζουσι*, & *Suidas*: *ὠνομάσθησαν δὲ Ἀμφικτύονες ἀπὸ Ἀμφικτύονος τοῦ Δευκαλίωνος*. Fuit autem Amphictyon Rex Atheniensium, & imperio potiebatur, An. DCCC. ante Urbem conditam, Ter-
l. 1, 9. tius à Cecrope *διφυεῖ*, ut vult *Orosius*; Sive secundus, qui Cranao successit, primus Minervæ urbem sacravit, & nomen Civitati Athenas dedit, ut *Justinus* testatur. Traditur etiam te-
2, 6, 9. ste *Eustathio*, *πρῶτος οἴνου καὶ ὕδατος κρᾶσιν ἐπινοήσας, οὗ εἰς σύμβολον, τὰς Νύμφας συνίδρυσε τῷ Διονύσῳ, καὶ ὀρθοῦ Διονύσου βωμὸν ἱδρύσατο.*

3. Qui-

3. Quibusdam etiam placuit denominari ἀπὸ τοῦ περιοίκους εἶναι τῶν Δελφῶν τοὺς συναχθέντας, seu quod undecunq; ad id Concilium ex omni Græciâ conveniretur, ut placet Anaximeni, ait *Erasmus*. Ex Androtione etiam hæc refert *Pausanias*. Ἀνδροτίων δὲ ἐν τῇ Ἀτθίδι ἔφη συγγραφῇ ὡς τοὐξ ἀρχῆς ἀφίκοντο ἐς Δελφοὺς παρὰ τῶν προσοικούντων συνεδρεύσοντες, καὶ ὀνομασθῆναι μὲν Ἀμφικτύονας τοὺς συνελθόντας, ἐκνικῆσαι δὲ ἀνὰ χρόνον τὸ νῦν σφίσιν ὄνομα. Ch. 3, 5.

4. *Strabo* Geographus percelebris, ab hac fortassis opinione non alienus, Acrisio nostri Concilii auspicia ascribit. l. 9. Ἀκρίσιος, ajens, τῶν μνημονευομένων πρῶτος διατάξαι δοκεῖ τὰ περὶ τοὺς Ἀμφικτύονας, καὶ πόλεις ἀφορίσαι τὰς μετεχούσας τοῦ συνεδρίου καὶ ψῆφον ἑκάστῃ δοῦναι, & quæ sequuntur. Fuit Acrisius Filius Abantis & Hypermnestræ, Rex Argivorum, Filiâ Danaë, Daunis, Turnoque illustris. Nam ut habet Virgilius, Æn. 7, 371.

Turno, si prima domus repetatur origo
Inachus, Acrisiusque Patres, mediaque Mycenæ.

Taceo, quæ ipsi fuere propria, à quibus fortasse ἡμίθεος ἀνήρ non frustra audit ap. *Suidam.*

5. Quisquis ille sit, qui nomen præclaro hoc facinore æternitati inserere voluit, ejus certè animum Heroicum, Prudentiamq; in hoc animo incomparabilem summâ admiratione & laude prosequimur. ἄτλα γὰρ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ φρόνημα ἔχειν inquit *Demosthenes*, 3. Olyn. Quid Servium Tullium Romanorum Regem commendare posteritati magis potuit, quam quod imortali exemplo nostri Amphictyonis æmulus, Latinæ gentis civitates in concilium coëgit? ἵνα μὴ στασιάζωσι καὶ πολεμῶσι πρὸς ἀλλήλας ὑπὸ τῶν προσοικούντων Βαρβάρων τὴν ἐλευθερίαν ἀφαιρεθῶσι, ut *Dionysius Halicarnassæus* loquitur. C. Cæsarem Romanæ historiæ princeps *Sallustius*, uti libertatem imperii Romani eversam, seu prope jam ab occasu restitueret, obsecrans, *Hac re*, inquit, *patrata, profectò per omnes gentes fama virtutis tuæ volitabit; quis tum te major, quis clarior fuerit?* 2. D. Rep. Ord. Amphictyoni equidem eodem jure dixeris: Afflictissimam universæ Græciæ libertatem, lubidini & rapinis Barbarorum expositam, & pene, (ita enim loquuntur Authores) exhaustam, laudabili invento quasi ex orco revocasti, & quum aliam

liam maximi beneficii causam non haberes, solâ tui animi prudentiâ, & ardentissimâ præclarè de genere humano merendi cupidine usus, paci ac tranquillitati tam optatæ reddidisti; TUA unius mors vitâ clarior erit. Ac profectò cur tantos Heroas, à quibus in universas nationes beneficia tanta promanant, dignis laudibus exornare nequeamus, prolixè *Isocrates* exposuit: ὅτι τοιοῦτον ἔθος ἡμῖν παρέδοσαν, ὥστε σπεισαμένους πρὸς ἀλλήλους καὶ τὰς ἔχθρας τὰς ἐνεστηκυίας διαλυσαμένους συνελθεῖν εἰς ταυτόν· μετὰ δὲ τοῦτο εὐχὰς καὶ θυσίας κοινὰς ποιησαμένους ἀναμνησθῆναι μὲν τῆς συγγενείας τῆς πρὸς ἀλλήλους ὑπαρχούσης, εὐμενεστέρως δ᾽ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον διατεθῆναι πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. Exinde quoq; præ cæteris sibi laudandum esse Serv. Tullium eò magis *Dionysius* putabat, quo

l. 4. præclarius videtur & rectius, ut istis Sallustii verbis utar, *ingenii quam virium opibus gloriam quærere*; cum nec eos suâ laude defraudare deceat, qui viribus roboreque corporis res humanas ornant: ἐπαίνου γὰρ καὶ ζήλου ἄξια τὰ τῆς γνώμης ἔργα, οἷς πλεῖστοί τε ἀπολαύουσι, καὶ ἐπὶ μήκιστον χρόνον καρποῦνται τὰς ὠφελείας.

6. Ab inclyto Magni Regis nostri nomine, commune illud Græciæ concilium, ut habet *Cicero*, sive ipsi Judices &

2. D. Inv. Assessores ejusdem, οἱ ἐκ πόλεων καὶ ἐθνῶν αἱρετοὶ δικασταί, ut à *Suidâ* vocantur, dicti sunt AMPHICTYONES. ἀπὸ τούτου γὰρ τοῖς συνελθοῦσιν Ἀμφικτύονας γενέσθαι νομίζουσι inquit *Pausanias*. Ita æ-

In Phoc. quum omninò erat, ut à quo ipsis tanquam è fonte largissimo, tanta beneficiorum copia, quasi in sinum defluebat, ejus nominis memoriam, perpetuâ veneratione illibatam secum ipsi gestantes, id quod pro tanto munere poterant, æternitatis templo consecrarent.

7. De Authore Synedrii, quum, quæ satis visa sunt, prægustavimus, in rem præsentem deveniendum est, & quænam celebri Concilio civitates communicarint, exponendum. Duodecim primò convenisse *Strabo* testis est. Quas cum enumeret *Suidas* & nos huc ascribemus. Ἴωνες. Δωριεῖς. Περραιβοί. Βοιωτοί. Μάγνητες. Ἀχαιοί. Φθιῶται. Μαλιεῖς. Δόλοπες. Αἰνιᾶνες. Δελφοί.

D. F. Leg. Φωκεῖς. Easdem fere gentes recenset *Æschines*: κατηριθμησάμην, ait, ἔθνη δώδεκα τὰ μετέχοντα τοῦ ἱεροῦ Θετταλοὺς, Βοιωτοὺς, οὐ Θηβαίους μόνους, Δωριέας &c. Deinde quin progressu temporis, cum subinde federatorum numerus, ut solet fieri, cresceret, plures etiam

coierint

coierint civitates, dubitandum non est. Ut enim viciniores primum oraculo, dein & ii, qui longius aberant, utebantur: Ita plures se passim Concilio quoq; adjunxisse percusso federe, idem Author gravissimus, *Strabo* testatur: ὕστερον δὲ καὶ πλείους συνῆλθον πόλεις. l. 9.

8. Federibus equidem, quæ præsertim cum vicinioribus panguntur, ut ad potentiam nihil est efficacius, imò plus illis, quam bellis proficitur: Ita multâ quoque cautione, in re tanti momenti, ut ea ferias, opus esse intelligendum est, Sive enim societatem ineas cum potentiori, ne dominum quam socium magis quæsisse videare; sive infirmiori accedas parti; ne cum miseris junctus, cum iisdem pereas, utrinq; considerationis & diligentiæ est non prætereundæ. Luculentum nobis est exemplum, ne abeamus longius in ipsâ Græciâ. Ibi enim, cum pulsis Persarum copiis, sanctissimum fœdus, addito juramento, sancirent tantum non omnes Græciæ civitates, Athenienses, coactis in Palladis arcem, paulatim, contra datam fidem, communibus sociorum pecuniis, aucti divitiis & potentiâ sibi ipsi, ut Bodini verbis utar, non modo immunitatem, verum etiam imperium Græciæ pepererunt, cum sociale fœdus in Patrocinium mutassent, ac tandem etiam dominatum arripuissent. D. Rep. 5. c.

9. Quid igitur mirum est, si & nostrum Concilium, surrexit initiis non adeò magnis? His enim similibusq;, qui vitandi erant, scopulis, paulatim fœderatorum constantiâ sublatis, cæteræ quoq; Civitates iis facile sese adjunxerunt, ut amplissima deniq; regio & maxima, unius domus seu urbis diligentiâ contineretur, ut illud Flori ad nostrũ sensum aliquantulum inflectamus. Belli Sacri temporibus etiam Macedones, ut in Conciliũ adnumerarentur, obtinuerunt, *Pausania* teste: Μακεδόνες τελεῖν ἐς Ἀμφικτύονας ἐγένοντο. De Philippo quidem id multi testantur. Ita *Diodorus Siculus*: ἔδοξεν ἐν τοῖς συνέδροις μεταδοῦναι τῷ Φιλίππῳ καὶ τοῖς ἀπογόνοις αὐτοῦ τῆς Ἀμφικτυονίας. Sub quo tamen Societatis & amicitiæ titulo revera durius aliquid latitabat; quod non ignoravit *Demosthenes*, cum queritur: οἱ μὲν ὄντες Ἀμφικτύονες φεύγουσι καὶ ἐξελήλανται, καὶ ἀνάστατος αὐτῶν ἡ χώρα γέγονεν, οἱ δ' οὐδεπώποτε ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ γενόμενοι Μακεδόνες καὶ Βάρβαροι νῦν Ἀμφικτύονες εἶναι βιάζονται. De quâ μεταβολῇ in progressu, ubi de fatis Concilii acturi sumus, fusius. Triginta Amphictyonas sua ætate fuisse

l. 6. In Phoc. l. 16. D. F. Leg.

l. a. fuisse, *Pausanias* testatur: οἱ δὲ Ἀμφικτύονες οἱ ἐπ' ἐμοῦ τριάκοντα ἀριθμῷ ἦσαν.

10. Ad causas constituendi nostri Collegii, quando accedimus, (neq; enim in Epicureo atomorum regno vivimus, ut sine ullâ naturæ seu lege seu instinctu, fortuito concursu, temerè confluxisse homines opinemur) illam omnium societatum genitricem, Naturam studio præteribimus, à quâ tamen tanquã causâ remotâ etiam nostri Concilii originem *Strabo* repetiit, in-
l. 9. quiens: καὶ γὰρ κατὰ πόλεις συνῄεσαν καὶ κατὰ ἔθνος, φυσικῶς κοινωνικοὶ ὄντες. Ex quâ finis etiam Concilii generalis profluit, quem idem *Strabo* complexus est his verbis: συνελέχθη δὲ τὸ Ἀμφικτυονικὸν σύστημα, ἅμα τῆς παρ' ἀλλήλων χρείας χάριν, καὶ τοῦ περὶ τῶν κοινῶν βουλεύεσθαι.

11. Præcipua constituendi nostri Concilii causa Metus est Barbarorum. De capitali illo gentium Græcarum Barbarorumq; inter sese odio, multa ex *Isocrate*, Oratore facundissimo, possent adferri, nisi, chartæ simul parcentes, satis de eo constare omnibus arbitraremur. His enim ferè verbis Barbaros describit: οἱ Βάρβαροι ἀρχικώτατα μὲν τῶν ἐθνῶν καὶ μεγίστας δυναστείας ἔχοντά
In Panegyr. ἐστι, Σκύθαι καὶ Θρᾷκες καὶ Πέρσαι. Exinde certè suâ potentiâ ferociaque freti, ita bellis perpetuis Græcos infestarunt, ut eosdẽ sub jugum imperiumq; mittendi, nunquam animus ipsis defuerit. Imò nec successus. Maximam quippe Græciæ partem bello jam olim Barbaris cessisse, ibid. *Isocrates* testatur. ἴδομεν γὰρ τοὺς Βαρβάρους τὴν πλείστην τῆς χώρας κατέχοντας, τοὺς δὲ Ἕλληνας εἰς μικρὸν τόπον κατακεκλεισμένους καὶ διὰ σπανιότητα τῆς γῆς ἐπιβουλεύοντάς τε σφίσιν αὐτοῖς καὶ στρατείας ἐπ' ἀλλήλους ποιουμένους καὶ τοὺς μὲν δι' ἔνδειαν τῶν καθ' ἡμέραν, τοὺς δὲ διὰ τὸν πόλεμον ἀπολλυμένους. Et anne quicquam est illâ inveterati utriusq; ad se invicem gentis odii descriptione clarius?
ibid. Quum de se & Græcis inquit Orator: οὕτω φύσει πολεμικῶς πρὸς τοὺς Βαρβάρους ἔχομεν, ὥστε καὶ τῶν μύθων ἥδιστα συνδιατρίβομεν τοῖς Τρωϊκοῖς, καὶ Περσικοῖς, δι' ὧν ἐστι πυνθάνεσθαι τὰς ἐκείνων συμφοράς. Sed & de Barbaris: περὶ τίνας ὑμῶν οὐκ ἐξαμαρτάνουσι; ποῖον δὲ χρόνον διαλελοίπασιν οὐκ ἐπιβουλεύοντες τοῖς Ἕλλησι; τί δ' οὐκ ἐχθρὸν αὐτοῖς ἐστι τῶν παρ' ἡμῖν; Misera profectò conditio, metu perpetuo tanquam carnifice torqueri, & mutuo odio, manu, clade, interitu non dicam exhauriri, sed atteri penitus & cõminui. Hinc revera salutare his motibus ac morbis remedium fore ratus est Amphictyon, si arctiori fœdere

Græ-

Græcia coiret, iisq; legibus Concilium firmaret, quarum vinculo amicitia mutua contineretur: ἐξ ὧν φίλοι μὲν ὄντες ἀλλήλοις διετέλεν, καὶ τὸ συγγενὲς φυλάττοντες, ἔργοις μᾶλλον ἢ λόγοις λυπηροὶ δὲ τοῖς Βαρβάροις καὶ φοβεροὶ, ut loquitur *Dionysius Halicarnassensis.*

12. Alteram causam Oraculi Delphici celebritatem faciunt Authores. Ubi Gentiles à Justissimo Judice, hujus universi conditore O. M. impuri illius Spiritus instinctu deficientes, alios Deos adjutoresq; sectati sunt, factum est divino judicio, ut à verâ Dei cognitione devii, in tenebris obscurissimis palpitarent, ut adeò jam non amore verum Deum quærendi tenerentur, sed pro corpore, ut dicitur, larvam amplectentes, pro verâ fictam imaginem prensarent; id est, internorum ignari, insano incautoq; impetu ad ea saltem ferrentur, quæ externo σχήματι religiosam quandam speciem præ se ferebant. Exinde, cum in Græciâ quoque multis modis inclaresceret ac celebraretur Apollinis Delphici oraculum, magno etiam numero ibidem ex totâ Græciâ confluebant. Fictam hanc majestatem Oraculo fecit primo origo ridicula, quum capræ id primitus invenisse vulgò traderentur, teste *Diodoro Siculo*: λέγεται τὸ παλαιὸν αἶγας εὑρεῖν τὸ μαντεῖον, οὗ χάριν αἰξὶ μάλιστα χρηστηριάζονται μέχρι τοῦ νῦν οἱ Δελφοί. Deinde vetustas, Agamemnon enim oraculum consuluisse dicitur, in quibusdam versibus *Homeri*, l. 4. A. R. l. 16. Od. 8.

——— ——— ἄναξ δ' ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
χαῖρε νόῳ:
ὣς γάρ οἱ χρείων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων
Πυθοῖ ἐν ἀγαθέῃ.

Deniq; quod hoc oraculum aliis omnibus minus fallax esse videretur, ut testatur *Strabo*; ἐπὶ γὰρ τὸ πλεῖστον τιμῆς τῷ ἱερῷ τούτῳ διὰ τὸ χρηστήριον συνέβη, δόξαντι ἀψευδέστατον τῶν πάντων ὑπάρξαι. Id quod & *Cicero* confirmat: *nunquam*, ajens, *illud oraculum Delphis tam celebre & tam clarum fuisset, neq; tantis donis refertum, nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta.* Quæ omnia multâ magnâq; veneratione digna videbantur cæcutientibus Ethnicis. Auxit etiam hanc Oraculi majestatem conficta illa de occiso ab Apolline Pythone, immensæ magnitudinis serpente fabula, in cujus rei memoriam ludi deinde Pythici, solenni ritu celebrandi instituebantur, teste *Ovidio*, l. 9. l. D. Div. l. 1. f. 8.

 Insti-

Instituit Sacros celebri certamine ludos
Pythia, perdomitæ serpentis nomine dictos.

Qui frequentiá hominum Delphis convenientiũ mirum quantum adaugebant. Atq; exinde factum est, ut privatam illam, quæ tam diuturnâ Sacrorum consuetudine, radices agere cœperat, amicitiam, deinceps publico fædere firmarent. φιλικὸν γὰρ πᾶν τοιοῦτον, ἀπὸ τῶν ὁμοτραπέζων ἀρξάμενον καὶ ὁμοσπόνδων καὶ ὁμωροφίων,
l. 9. ut *Strabo* loquitur.

13. Tertiam causam Divitiarum Templi Delphici custodiã fecit *Strabo*, his verbis: συνελέχθη δὲ τὸ Ἀμφικτυονικὸν σύστημα, τὴν ἐπιμέλειαν ἕξον κοινοτέραν χρημάτων ἀποκειμένων πολλῶν καὶ ἀναθημάτων, φυλακῆς καὶ ἁγιστείας δεομένου μεγάλης. Erat templum Delphi-
Il. a. cũ tantâ opulentiâ, ut proverbio locum fecerit apud *Homerum*,

οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει
Φοίβου Ἀπόλλωνος Πυθοῖ ἔνι πετρηέσσῃ.

l. 16. Equidem tempore ἱεροσυλήσεως à Phocensibus patratæ, incredibilem ferè pecuniæ sum̃am repertum esse *Diodorus Siculus* refert: τῶν ἀργυρῶν ἀναθημάτων τῶν τε ὑπὸ Κροίσου καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνατεθέντων, τοὺς πάντας στρατηγοὺς δεδαπανηκέναι τάλαντα πλείω τῶν ἑξακισχιλίων προστιθεμένων δὲ καὶ τῶν χρυσῶν ἀναθημάτων ὑπερβάλλειν τὰ μύρια τάλαντα. Quæ si de Talento Attico intelligamus, millies millenorum milliũ, trecenties quinquagesies millenorũ millium flore-
l. 9. norum sum̃am excedunt. Jam quid istâ *Strabonis* sententiâ ve-
4. H. 74. 7. rius? ἐπίφθονος ὢν ὁ πλοῦτος δυσφύλακτός ἐστι, κἂν ἱερὸς ᾖ. Et *Taciti, Maximum discrimen penes quos aurum & opes, præcipua bellorum causa.*

14. Deniq; constituendi Concilii occasionibus adjungenda etiam est loci conditio & situs. Congregabatur enim Synodus Amphictyonica Delphis, urbe Phocidos nobilissimâ. Con-
24. 6, 7. ditionem *Justinus* à loci munimento mirabili, quod Templum & Civitatem non muri sed præcipitia, nec manu facta, sed naturalia præsidia defendunt, derivat: prorsus, inquiens, ut incertum sit, utrum munimentum loci, an majestas Dei plus hic admirationis habeat. Situm verò his verbis *Strabo* commendat: προσελάβετο δέ τι καὶ ἡ θέσις τοῦ τόπου, τῆς γὰρ Ἑλλάδος ἐν μέσῳ πως ἐστὶ τῆς συμπάσης, τῆς δὲ ἐντὸς ἰσθμοῦ, καὶ τῆς ἐκτὸς ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης, καὶ ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλόν. addit calculum etiam
Vlt. Met. *Ovidius*,

mediam

——— *mediamque tenentes*
Orbis humum Delphos adeunt, oraclaque Phœbi.

Orbis umbilicumDelphos vocat,non ſolum *Livius*,ſed & in verſu quodam Romanæ Princeps eloquentiæ, l. 8. a. D. Div.

O Sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obſides.

Quæ certè talia fuerunt, ut ſive majeſtatem munitionemq; ſpectes loci, quâ aliquam ſecuritatem polliceri ſibi vicini poterāt; ſive ſitus commoditatem,quâ facilior ex omnibus Græciæ partibus,eſſet congreſſus,momentum conſtituendo concilio addere potuiſſe denegari nequeat. Cum adſtipulantem præſertim habeamus *Strabonem*: τοιαύτης δὲ τῆς εὐκαιρίας οὔσης τῆς περὶ τοὺς Δελφοὺς, συνήεσαν τε ῥαδίως ἐκεῖσε, μάλιστα δ' οἱ ἐγγύθεν. l. 9.

15. De Loco Concilii dum agimus, non omittenda ſunt, quæ ad ipſam hiſtoriam pertinent. Vocabantur enim Delphi quoq; Pylæ & Thermopylæ; Θερμοπύλαι μὲν ὑπὸ τῶν πλειόνων Ἑλλήνων, ὑπὸ δὲ τῶν ἐπιχωρίων καὶ περιοίκων Πύλαι ut *Suidas* ſcribit. Originem nominis Pylæ deducunt quidam à Pylade: ὅτι Πυλάδης πρῶτος ἐκείθη ἐπὶ τῷ Κλυταιμνήστρας φόνῳ, δι' αὐτὸ γὰρ ὄνομα σχεῖν τὴν Πυλαίαν. Quidam à formâ Loci ipſius: διὰ τὸ στενὴν εἶναι ταύτην εἴσοδον ἀπὸ Θετταλίας εἰς τὴν Φωκίδα πορευομένοις. Thermopylarum verò nomen inde huic loco inditum docet *Herodotus*: ἐστὶ γὰρ ἐν ἐσόδῳ ταύτῃ θερμὰ λουτρὰ, τὰ χύτρους καλέουσι οἱ ἐπιχώριοι. Hinc dictus eſt non tantum locus,in quo judicabant Amphictyones: Πυλαία γὰρ περὶ Ἀμφικτύοσιν ἐστιν ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἐκαθέζοντο οἱ ἐκεῖσε πεμπόμενοι, teſte *Suida*; ſed & ipſum Concilium: τὴν σύνοδον Πυλαίαν ἐκάλουν, ἐπειδὴ ἐν Πύλαις συνήγοντο, ἃς καὶ Θερμοπύλας καλοῦσιν, ut *Strabo* teſtatur. Unde Alexander M. ex Theſſaliâ Thermopylas petiiſſe dicitur, Publicum Græciæ Concilium,Pylaicum appellant.Quin & ipſi σύνεδροι, ſive Concilii Aſſeſſores à loco Pylagoræ dicebantur, nimirum, ἀπὸ τοῦ εἰς τὴν Πυλαίαν ἀγείρεσθαι, ut *Suidas* quoque expoſuit. Adde tamen, quod extra ordinem alibi quandoque conveniebant. Ita *Diodorus* Philippum Macedonem Corinthum convocaſſe Amphictyonas ſcribit: Ἐν Κορίνθῳ γὰρ τοῦ κοινοῦ συνεδρίου συναχθέντος διελέχθη περὶ τοῦ πρὸς Πέρσας πολέμου. Quem ſecutus Alexander M. exemplo Patris Corinthum evocatis civitatibus, Dux in locum ejus ſubſtituitur, ut ait *Juſtinus*. In Polym. Curt. Supp. l. 11. l. 16. 11. 2, 5.

16. His ita præmiſſis, ad formam Concilii progrediendum eſt.

est. In cujus explicatione dum initium facimus, imperare nobis non possumus, quin de insigni temporum injuriâ, circa hanc præsertim Concilii partem, quæ tamen potissimum in eo momentum obtinet, queramur & indoleamus; id quod & *Strabo* fecit jam olim: τὰ πάλαι μὲν ἦν ἀγνοεῖται. Certè cum illustrius in totâ antiquitate Judicii, Federisque exemplum non habeamus, ejus notitiam, quæ tamen plenè nobis non contingit, ex obscuris ruderibus hinc inde quærendam potius, quam inveniendam esse, nemo non deplorabit. Nos iis, quæ huc pertinere videbuntur, collectis, ad explicandam Concilii formam, pro virili annitemur.

L. 9.

17. Fœderum naturam omnium accuratissimè investigavit *Hugo Grotius*, ejus ductum hic sequemur. Ad æqualia itaque, ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχοντα, ut *Isocrates* in Panegyrico loquitur, quæ non tantum ad belli communionem & comercia, sed & ad res alias pertinent, fœdus etiam Amphictyonicum referendum esse, *Æschines* nos docet, quum ait: κατηριθμησάμην ἔθνη δώδεκα τὰ μετέχοντα τοῦ ἱεροῦ, καὶ τούτων ἔδειξα ἕκαστον ἔθνος ἰσόψηφον γενόμενον τὸ μέγιστον τῷ ἐλάττονι, τὸν ἥκοντα ἐκ Δωρίου καὶ Κυτινίου ἴσον δυνάμενον Λακεδαιμονίοις, (δύο γὰρ ψήφους ἕκαστον φέρει ἔθνος) πάλιν ἐκ τῶν Ἰώνων τὸν Ερετριέα καὶ Πριηνέα τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τοὺς ἄλλους κατὰ ταυτά. Æqualia, quæ à singulis gentibus ferebantur, suffragia, æquale etiam fœdus constituisse, intelligendum est. Confer quoq; *Strabonem*: Ακρίσιος τῶν μνημονευομένων πρῶτος διατάξαι δοκεῖ τὰ περὶ τοὺς Αμφικτύονας, καὶ πόλεις ἀφορίσαι, καὶ ψῆφον ἑκάστῃ δοῦναι, τῇ μὲν καθ' αὑτὴν, ᾗ δὲ μεθ' ἑτέρας, ἢ μετὰ πλειόνων, ἀποδεῖξαι δὲ καὶ τὰς Αμφικτυονικὰς δίκας, ὅσαι πόλεσι πρὸς πόλεις εἰσίν. Optandum multis votis esset, superesse integram nostri fœderis formulam seu descriptionem, qualem de federe Athenienſium cum Argivis, Mantineis & Eleis descripsit *Thucydides*. Quâ cum temporum fato destituimur, reliqua sive ex legibus, sive aliunde cognoscenda sunt. Fœdus Amphictyonicum non in certos aliquos annos, ut & alias fieri solet, sed in perpetuum, ictum esse, nullum omnino est dubium.

L. B. 2, 15.

D. F. L.

L. 5. B. P.

18. Sed & ad Leges Amphictyonicas veniendum nunc esset; Ex iis enim cætera & attingi facile & expediri comode possunt; nisi quæ ad externam etiam Concilii formam spectant, expendi prius è re fore duceremus. Naturalis ordo, inquit *Grotius*,

tius, inter socios hic est, prout quisq; in societatem venit. Theodosius & Valens in constitutione de ordine inter Consules servando: *Quis enim in uno eodemq; genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem?* Atque eundem ordinem in Amphictyonum quoq; societate obtinuisse, non dubitandum est. Cui enim primum jure, cui secundum, ultimumque assignabis locum, ubi superior nullus, nullus inferior agnoscitur? Quod deinde habitum inter ipsos Assessores discrimen, qui considentium ordo servatus est, prudentiæ non juris esse intelligitur. Quippe habebant Græci in eodem consilio suos *ἡγεμόνας* seu *στρατηγούς*, Principes federis, ex Amphictyonibus lectos, ad quos, ut & hodie consuevit, si extra conventus in rebus comunibus definiendum aliquid esset, consilio id communi deferebatur. Quæ tamen dignitas aut eminentia neq; federis æqualitatem, neque federatorum libertatem tollebat: quali fere ratione imperasse Græcis Agamemnonem legimus apud *Isocratem*, ubi Reges ipsi Græciæ paruisse dicuntur: *τοὺς βασιλεῖς τοὺς ποιοῦντας ἐν ταῖς αὐτῶν ὅ βούλονται καὶ τοῖς ἄλλοις προστάττοντας, τούτους ἔπεισεν ὑφ᾽ αὐτῷ γενέσθαι καὶ συνακολουθεῖν.* Unde *Rex Regum* in quadam ad Dolabellam Epistolâ, & *Princeps Heroum* alibi dicitur à Cicerone. Hunc tamen de Græcarum civitatium libertate adeo nihil detractum ivisse, ut potius quibusvis incommodis ac turbis, aliisq; malis easdem liberarit, sumâ cum ejus laude, ab eodem *Isocrate* scribitur. *ταύτην γὰρ λαβὼν τὴν δύναμιν, οὐκ ἔστιν ἥν τινα τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἐλύπησεν, ἀλλ᾽ οὕτως ἦν πόῤῥω τούτου ὡς καί τινας ἐν πολέμῳ καὶ ταραχαῖς καὶ πολλοῖς κακοῖς ὄντας τούτων αὐτοὺς ἀπήλλαξεν*, & quæ plura in insigni illâ digressione de Agamemnone perorat. Erant & in eodem Consilio sententiarum Rogatores, qualis fuisse dicitur Cottyphus Philippi temporibus: *τὰς γὰρ γνώμας ἐπιψηφίζων ἐκκλησίαν ἐποίει τῶν Ἀμφικτυόνων*, teste *Æschine*. Erant Imperatores Bellici, qualis idem Cottyphus: *ἤγαγε γὰρ τὴν στρατείαν τῶν Ἀμφικτυόνων* ut ait *Demosthenes*. Erant denique, qui sacris Deorum cultibus admoti Sacerdotes dicebantur, qualis fuit Clinagoras, eâdem Philippi ætate, in publico Amphictyonum decreto, apud *Demosthenem*: *ἐπὶ ἱερέως Κλειναγόρου ἐαρινῆς Πυλαίας ἔδοξε τοῖς Πυλαγόραις*, &c.

I. B. 2. 5. 21.
In Panath.
l. 9. fam.
2. D. N. D.
Cont. Ctes.
Pro Ctes.

19. Leges icti federis Amphictyonicas generali descriptione sic proposuit *Dionysius Halicarnassensis*: *νόμους καταστησάμενος* l. 4. A. R.

ὁ Ἀμ-

ὁ Ἀμφικτύων ἔξω τῶν ἰδίων, ἃς ἑκάστη πόλις ἔχει τὰς κοινὰς ἅπασιν, ἃς καλοῦσιν Ἀμφικτυονικάς, ἐξ ὧν φίλοι μὲν ὄντες ἀλλήλοις διετέλουν, καὶ τὸ συγγενὲς φυλάττοντες ἔργοις μᾶλλον ἢ λόγοις λυπηροὶ δὲ τοῖς Βαρβάροις καὶ φοβεροί. Quibus verbis omnino summa legum Cōcilii fundamentalium continetur. Accuratè enim primò ostendit, arctissimo licet fœdere tota inter se Græcia colligata, atq; adeò una eadem resp. videri potuerit, singulas tamen civitates statum perfectæ civitatis retinere non desiisse, sed ut *Bodinus* loquitur, totidem penè resp. habuisse quot urbes, quæ Amphyctionum decretis non aliter obligari potuere, quam ex pacto convento, perinde ut in arbitros compromitti solet. Sed & deinde finem legum Amphictyonicarum per τὸ διατελεῖν φίλους ἀλλήλοις, φυλάττειν τὸ συγγενὲς καὶ λυπηροὺς εἶναι τοῖς Βαρβάροις, elegantissimè demonstrat. Ex quibus porrò profluit arctissima illa Civitatium Græcarum inter sese
l. 7. unio. Cujus certè intuitu *Demosthenes* in illo, qui est in Curtii supplementis, sermone, Græciam omnem unius Civitatis nomine maximæ sociæ atq; federatæ, compellare non dubitavit. Quo strictiori federis vinculo omnes sui temporis Conventus superasse, indubium est. Ea animorum conjunctio & Concordia, quantum Græciæ incrementi dederit, multis disquirere nihil attinet. Pertinent huc eæ leges, quibus, ne quicquam cum Barbaris commercii incederet, cautum erat. Dictum est Alexandri: ἀδικεῖν μεγάλα τοὺς στρατευομένους ἐναντία τῇ Ἑλλάδι τοῖς Βαρβάροις παρὰ τὰ δόγματα τῶν Ἑλλήνων. Federis enim conditio fuit: πάντας τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν καὶ φίλον νομίζειν; quo facto olim Atheniensibus Spartani pacis federisque formulam præscribe-
l. 2. H. G. bant, apud *Xenophontem*.

20. Specialius in ipsas AMPHICTYONIÆ Leges *Æschines* inquisivit, in comemoratione illâ Expeditionis in Pylas,
D. F. Leg. cum Pylagoras esset, his verbis: ἅμα δὲ ἐξ ἀρχῆς διεξῆλθον τὴν κτίσιν τοῦ ἱεροῦ καὶ τὴν πρώτην σύνοδον γενομένην τῶν Ἀμφικτυόνων, καὶ τοὺς ὅρκους αὐτῶν ἀνέγνων ἐν οἷς ἔνορκον ἦν τοῖς ἀρχαίοις, μηδεμίαν πόλιν τῶν Ἀμφικτυονίδων ἀνάστατον ποιήσειν, μηδ' ὑδάτων ναματιαίων εἴρξειν, μήτ' ἐν πολέμῳ μήτ' ἐν εἰρήνῃ: ἐὰν δέ τις ἢ συλᾷ τὰ τοῦ Θεοῦ, ἢ συνειδῇ τι, ἢ βουλεύσῃ τι κατὰ τῶν ἐν τῷ ἱερῷ τιμωρήσειν καὶ ποδὶ καὶ χειρὶ καὶ φωνῇ καὶ πάσῃ δυνάμει. Atque maximam mereri laudem priorem legis partem, quâ, ne qua urbs Græciæ bellis exscinderetur, cautum erat, egregiis rationibus

mon-

monſtravit *Grotius*. Quod ſcilicet iſta moderatio in ſervandis rebus primò magnum hoſti telum eripiat, deſperationem: deinde ſpeciem præferat manente bello, magnæ de victoriâ fiduciæ, & quod clementia apta per ſe ſit, frangendis & cōciliandis animis. Ad hanc autem legem ſpectavit Ageſilaus Rex, qui cum exules Corinthii dicerent, urbem deditionem facturam, oſtenſis, quibus mœnia ſe capturos ſperabant, machinis, copias admoveri noluit, præfatus: *ὅτι οὐκ ἀνδραποδίζεσθαι δέοι Ἑλληνίδας πόλεις, ἀλλὰ σωφρονίζειν*, ſicuti *Xenophon* teſtatur. Et Lacedæmonii apud eundem: *οὐ γὰρ ἔφασαν πόλιν Ἑλληνίδα ἀνδραποδιεῖν μέγα ἀγαθὸν εἰργασμένην ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις τῇ Ἑλλάδι*. Altera legis pars, ut ad religionem & Sacra Apollinis ſpectat, ita multā authoritatem & venerationem ipſis legibus conciliaſſe, credulis etiam gentibus viſa fuit. Ita *Valer. Maximus*: *Non dubitarunt Sacris imperia ſervire, ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi divinæ potentiæ benè atque conſtanter eſſent famulata.* Rationem addit *Xenophon*: *ὅπου γὰρ ἄνδρες θεοὺς σέβοιντο, πῶς οὐκ εἰκὸς ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι.*

I. Belli. 3, 12, 8.

Or. de Ageſ. 2. H. G.

1, 1. 9.

3. H. G.

21. At verò non minus perpetuandi federis vinculum ipſum jusjurandum quo fidem ſuam Amphictyoniæ participes obſtrinxere, additaq; jurijurando execratio conſtituebant. De modo formulâq; juramenti & atrocis illius execrationis non ſumus admodum ſoliciti, cum temporis etiam injuriâ interierit: Extat apud Thucydidem juramenti formula, quâ uſi fuiſſe patrio more Græci dicuntur: ΕΜΜΕΝΩ ΤΑΙΣ ΞΥΝΘΗΚΑΙΣ ΚΑΙ ΣΠΟΝΔΑΙΣ ΤΑΙΣ ΔΕ ΔΙΚΑΙΩΣ ΚΑΙ ΑΔΟΛΩΣ. Hoſtias quoq; cædi conſueviſſe refertur paulo poſt: *ὀμνύντων δὲ τὸν ἐπιχώριον ὅρκον ἑκάστοι τὸν μέγιστον κατὰ τῶν ἱερῶν τελείων*. Sed & jurisjurandi formula paululum mutata ibi legitur: *ἐμμενῶ τῇ ξυμμαχίᾳ κατὰ τὰ ξυγκείμενα δικαίως, καὶ ἀβλαβῶς καὶ ἀδόλως καὶ οὐ παραβήσομαι τέχνῃ οὐδὲ μηχανῇ οὐδεμιᾷ.* Execratio prior, cum ſimile temporis fatum paſſa ſit, notari poteſt altera, ſanè memorabilis, quam poſt devaſtationē Cirrhæam dixere Amphictyones, apud *Æſchinem*: *γέγραπται γὰρ οὕτως ἐν τῇ ἀρᾷ, εἴ τις τάδε παραβαίνοι, ἢ πόλις, ἢ ἰδιώτης, ἢ ἔθνος, ἐναγὴς ἔστω τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τῆς Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς καὶ Ἀθηνᾶς Προνοίας, καὶ ἐπεύχεται αὐτοῖς, μηδὲ γῆν καρποὺς φέρειν, μήτε γυναῖκας τέκνα τίκτειν γονεῦσιν ἐοικότα, ἀλλὰ τέρατα, μηδὲ βοσκήματα κατὰ φύσιν γονὰς ποιεῖσθαι, ἧτταν δὲ αὐτοῖς εἶναι πολέμου καὶ δικῶν καὶ ἀγορῶν, καὶ ἐξώλεις εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ οἰκίας*

l. 5. B. P.

Contr. Cteſ.

καὶ γένος τὸ ἐκείνων, ἢ μήποτε ὁσίως θύσαιεν τῷ Ἀπόλλωνι μηδὲ τῇ Ἀρτέμιδι, μηδὲ τῇ Λητοῖ, μηδ' Ἀθηνᾷ Προνοίᾳ, μηδὲ δέξαιντο αὐτοῖς τὰ ἱερά. Atq; hinc fortasse jusjurandum fortissimū esse dicitur federum firmandorū vinculum, quod ex ipsâ religione fluit & huic innititur. Est enim, ut ait *Autor Rhetorices ad Alexandrum*, ὅρκος μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. Jam cum non tantū omnib. innatum sit & in animo quasi insculptum, esse Deos, ut loquitur L. Balbus apud Ciceronem, sed etiam eadem naturæ lex omnium mentibus inscripserit, eundem Deum omnia videre & animadvertere, quod ita expressit *Hesiodus*:

c. 18.

2. D. N. D.

Op. 1. πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς ἢ πάντα νοήσας.

2. d. Rep. O. *& Sallustius: Mihi pro vero constat, mortalium vitam divino numine invisi, neque bonum, neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi, sed ex naturâ diversâ præmia bonos malosq́ sequi*: pejerare profecto quivis non extremè perversus formidabit,

Ut bina diligenter evitet mala,
Culpari amicis & Deos offendere,

In Hipp. Ut *Sophocles* loquitur. Id quod elegantissimè ad nostrum propositum nobis explicant duo isti Belli duces apud *Xenophontem*, Clearchus & Tissaphernes. Qui licet icto utrinq; federe, jurejurando sese obstrinxerint, suspecti tamen sibi invicem adhuc erant, quam suspicionem volitantes hinc illinc tumusculi augebant. Donec ille oblatâ colloquendi commoditate, ut animum utriusq; hoc metu liberaret, hac potissimum ratione fedus stabilire nisus est, quod juramenti Sacramento initum esset. Quis, inquit, bellum à Diis illatum, ullâ celeritate effugere possit, quibus se latebris tegere, vel propugnaculis includere? πάντῃ γὰρ πάντα τοῖς θεοῖς ὕποχα ἢ πανταχῆ πάντων ἴσον οἱ θεοὶ κρατοῦσι. Atq; similiter quoq; Tissaphernes respondet: Qui, inquiens, cum tot rationes nobis modiq; suppetant, ad bellum adversus vos gerendum, illum de omnibus eligeremus: ὃς μόνος μὲν πρὸς θεῶν ἀσεβὴς, μόνος δὲ πρὸς ἀνθρώπων αἰσχρὸς, καὶ τούτων πονηρῶν οἵτινες ἐθέλουσι δι' ἐπιορκίας τε πρὸς θεοὺς ἢ ἀπιστίας πρὸς ἀνθρώπους πράττειν τι; Quæ certè ratio est, cur tanta vis semper apud omnes populos nationesq; juramenti fuerit, maximasq; perjuris iminere pœnas ab omni ævo creditum sit & existimatum: δίκαιον γὰρ ἀπόλλυσθαι τοὺς ἐπιορκοῦντας, inquit ibidem Xenophon.

2. E. C.

22. Ex

22. Ex iis, quæ hactenus de Antiquiſſimo ac incomparabili Græcorum Amphictyonum fœdere & Conventu brevi enarratione dicta ſunt, de illuſtri illius celebritate, famâ, ſplendore, dignitate, ampliſſimâ & maximâ: quilibet facillimè judicare poteſt. Cur profectò univerſa Græcia & viribus & dignitate Orbis terrarum princeps, regum gentiumque ſemper victrix, ut inquit *Juſtinus*, famâ, gloriâ, doctrinâ, plurimis artibus, etiam imperio & bellicâ laude, floruerit, Tullio teſte; Cur terrarum regina, Scientiarum mater, Fons eruditionis, Omnium ſeculorum magiſtra, Communis virtutum officina, ſecuritatis palladium audierit, cui acceptum ferri debet, niſi cujus præſidio tantorum nominum domina eſſe poterat? Ita enim *Iſocrates*: *συνθήκαις γὰρ πιστεύοντες, ὡς ἀλλήλους ἀφικνέμεθα καὶ πορίζόμεθα, ὧν ἕκαστοι τυγχάνομεν δεόμενοι, μετὰ τούτων καὶ τὰ συμβόλαια τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ποιούμεθα, καὶ τὰς ἰδίας ἔχθρας καὶ τοὺς κοινοὺς πολέμους διαλυόμεθα, τούτῳ νόμῳ κοινῷ πάντες ἄνθρωποι διατελοῦμεν χρώμενοι.*

8. 4. 7.
Pro Fl.
Contr. Call.

23. Illud interim nimio plus quam oporteret verum eſt, fœdera, quacunq; ſolennitate & religione juramenti munita, ſæpe parum firma eſſe, quaſi verò ad exiſtimationem quandam & famam & ceremoniam magis, quam ad fidem & ſecuritatem & effectum iſtæ res adhiberentur. Quâ *Franciſci Baconi de Verulamio* ſententiâ, ad triſtia quoq; noſtri fœderis & Synodi fata, quibus, quæ conditio & mixtura eſt rerum humanarum, ſubinde agitabatur accedendũ eſſe putavimus. Eo enim uſq; progreſſa eſt extrema hominum impietas & demenita, ut depreſſo ac conculcato ſanæ mentis judicio, vel divinam aliquam eſſe mentem planè negaret, vel licet principem aliquem Deum, ut Cicero loquitur, qui omnem hunc mundum regat, ſentiat, Divinam tamen majeſtatem contemnere, quinimò auſu nefario, bellis fatigare, & tantum non egregio, ſi Diis placet, facinore, laudem gloriamque quærere, non vereatur. Atq; hinc mirum fortaſſe cuipiam non videbitur, quod rumpendo tam ſacra ac jurejurando firmata fœdera, ut iſta Horatii verba paululum mutem,

Sap. Vett. c. 5.
I. Somn. Sc.
1. O. 3.

Audax omnia perpeti
Gens & Græca ruit per vetitum nefas.

 24. Pri-

24. Primòs fedifragos & jurisjurandi transgressores, Cirrhæos & Acragallidas, *γένη παρανομώτατα*, fuisse *Æschines* scribit: *εἰς τὸ γὰρ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς καὶ τὰ ἀναθήματα ἠσέβουν, ἐξημάρτανον δὲ καὶ εἰς τοὺς Ἀμφικτύονας.* Quâ in re deliquerint, *Strabo* recenset: *εὐτυχήσαντες γὰρ οἱ Κρισσαῖοι διὰ τὰ ἐκ τῆς Σικελίας καὶ τῆς Ἰταλίας τέλη πικρῶς ἐτελώνουν τοὺς ἐπὶ τὸ ἱερὸν ἀφικνουμένους καὶ παρὰ τὰ προστάγματα τῶν Ἀμφικτυόνων.* Iniquissimi facinoris temeritatem auxit ipsa peccandi ratio, fœdissima pecuniæ libido: Heu dicas cum *Virgilio*,

Contr. Ctes. l. 9.

n. 55.

—— —— *Quid non mortalia pectora cogis*
AURI SACRA FAMES!

Imensam eâ tempestate auri ac anathematum sumam in templo Delphico repostâ fuisse, ex versiculo discas, quē etiam supra ex *Homero* recitavimus. Atq; tantas opes à Cirrhæis tum fuisse exportatas, ut ne vestigiū illarum relictum apud posteros fuerit, *Strabo* testatur: *προῦργου δ' ἄλλην σύλησιν ἐπινοοῦσιν ἀρχαίαν, ἢ τὸν ὑφ' Ὁμήρου λεγόμενον πλοῦτον ἐξεφόρησεν, οὐδὲ γὰρ ἴχνος αὐτοῦ σωθῆναι πρὸς τοὺς ὕστερον χρόνους, ἐν οἷς οἱ περὶ Ὀνόμαρχον καὶ Φάϋλλον ἐσύλησαν τὸ ἱερόν.*

25. Sed quid horrendæ Sacrilegorum lasciviæ præmii, quid judicii? *Isocrates* ad Athenienses: *οὐδὲ πώποτε τὰς συνθήκας οὔθ' ὑμῖν πρὸς ἑτέρους οὔτ' ἄλλοις πρὸς ἡμᾶς ἐλυσιτέλησε παραβῆναι.* Ergò primum conveniunt illustres judicii assessores. Binâ n. quolibet anno vice conventus, ut *Strabo* refert, celebrabatur: *ἑκάστη γὰρ πόλις ἔπεμπε πυλαγόραν, δὶς κατ' ἔτος οὔσης τῆς συνόδου, ἔαρός τε καὶ μετοπώρου, τὴν μὲν ἐαρινὴν τὴν δὲ μετοπωρινὴν ἐκάλουν.* Sed & deinde comunia conferunt consilia. Non enim tam fero in delinquentium pœnas & supplicia impetu eos ruisse, cum id neq; legibus, secundum quas judicare tenebantur, conforme, nec è re fuisset salutis publicæ, putandum est. Tertio *ἀγανακτοῦσι*, indignantur; ita loquitur *Æschines*. Quod pietatis partim erga Deos, partim studii est ac amoris in rempubl. Ubi enim ipsissimos Deos consiliorum antistites, haberent infensos, quo pacto statui præsenti consultum ire vellent? Accedit quartò ipsa jurisdictio seu lata ad quæstionem facti sententia. Quæ talis erat. Quia fedifragi Cirrhæi & Acragallidæ jus gentium & naturæ transgressi sunt, & in ipsum Deum Apollinē Pythium gravissimè peccarunt, bellis ipsum nefariis lacessendo & Sacris anathematis spoliando visum est Amphictyonibus, judicium ipsi Apollini, in quem potissi-

Contr. Call. I.

II.

III.

IV.

tissi-

tissimum est delictum, relinquere, ipsiusq; exequi sententiam. Sequitur denique statuti juris extremum, sive sententiæ ipsius V.
executio. In quâ diversæ denuo actiones occurrunt. Quarum 1.
prima est Oraculi rogatio: ἀγανακτήσαντες γὰρ ἐπὶ τοῖς γενομένοις οἱ Ἀμφικτύονες μαντείαν ἐμαντεύσαντο παρὰ τῷ Θεῷ τίνι χρὴ τιμωρίᾳ τοὺς ἀνθρώπους τούτους μετελθεῖν; Altera Oraculi responsio: ϗ αὐτοῖς ἀναιρεῖ ἡ 2.
Πυθία, πολεμεῖν Κιρραίοις ϗ Ἀκραγαλλίδαις πάνθ' ἤματα ϗ πάσας νύκτας, ϗ τὴν χώραν αὐτῶν ἐκπορθήσαντας ϗ αὐτοὺς ἀνδραποδισαμένους, ἀναθεῖναι τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ ϗ τῇ Ἀρτέμιδι ϗ Λητοῖ ϗ Ἀθηνᾷ Προνοίᾳ ἐπὶ πάσῃ ἀεργίᾳ, ϗ ταύτην τὴν χώραν μήτ' αὐτοὺς ἐργάζεσθαι, μήτ' ἄλλον ἐᾶν. Ter- 3.
tia dati Oraculi per Solonem Philosophum ac legumlatorem egregium interpretatio. Suasit enim ille: ἐπιστρατεύειν ἐπὶ τοὺς ἐναγεῖς κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ Θεοῦ. Quarta est extrema explicatæ per 4.
Solonem sententiæ executio, supplicium scilicet Sacrilegorum. συναθροίσαντες γὰρ δύναμιν ἱκανὴν ἐκ τῶν Ἀμφικτυόνων ἐξηνδραποδίσαντο τοὺς ἀνθρώπους, ϗ τοὺς λιμένας ἔχωσαν ϗ τὴν πόλιν αὐτῶν κατέσκαψαν ϗ τὴν χώραν αὐτῶν καθιέρωσαν κατὰ τὴν μαντείαν. Tandem devastatâ Cirrhæorum & Acragallidum regione, rebusque bello compositis, Amphictyones denuo ad arctius, quod istorum malitiâ turbatum erat, firmandum fedus coeunt, & consulto quid ulterius agendum esset, oraculo, tale responsum ferunt,

> οὐ πρὶν τῆσδε πόληος ἐρείψεται πύργον ἑλόντες,
> Πρίν γε Θεοῦ τεμένη κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης
> Κῦμα ποτικλύζῃ κελαδοῦν ἱεραῖσιν ἐπ' ἀκταῖς.

Annexo itaque juramento fedus firmantes, manibus pedibusque, omnique vi suum se Deum adjuturos esse decreverunt.

26. Accidit ea mutatio temporibus Crœsi Lydorum Regis, quem in Annum M. 4638. Olymp. LIV. posuit *Eusebius*; Cujus ætate vixisse Solonem Atheniensium Legislatorem, satis notum est. Atq; post hanc mutationem celebriorem, turbas quandoque etiam alias in Amphictyonica extitisse, negandum non esse arbitramur. Cui rei potissimum facem subministrare potuit infelix illa ac fatalis Rerump. Atheniensis & Spartanæ de imperio bellico æmulatio: de quâ omnino ex Isocrate, Xenophonte, Thucydide, aliisque Græcis Latinisq; Scriptoribus multa disseri possent, nisi consultius duceremus, ad extremum illum totiusq; Græciæ fatalem libertatis diem, quem bellum

illud Sacrum ſeu Amphictyonicum, univerſo orbe celebratum ipſi acceleravit, paucula afferre, quæ ad pleniorem fortaſſe noſtri Concilii notitiam, non parum ſubſidii opiſque collatura eſſe videntur.

27. Præceſſit Bellum Sacrum Græciæ tam funeſtum, tanquam cometa aliquis, ſeditio illa Locrorum Amphiſſenſium, *Æſchini, Straboni, Demoſtheni*, aliiſque celebrata, quæ eodem, quo
l. 9. Cirrhæi, rupti federis crimine laborabat. ταὐτὰ inquit *Strabo*, ϗ τοῖς Ἀμφισσεῦσι συνέβη, Λοκρῶν δ' εἰσὶν τῶν Ὀζόλων· ἐπελθόντες γὰρ οὗτοι τήν τε Κρίσσαν ἀνέλαβον ϗ τὸ πεδίον τὸ ὑπὸ τῶν Ἀμφικτυόνων ἀνιερωθὲν αὖθις κατεγεώργουν, ϗ χείρους ἦσαν περὶ τοὺς ξένους τῶν πάλαι Κρισσαίων.
Contr. Ctes. Eadem habet & *Æſchines*: οἱ Λοκροὶ οἱ Ἀμφισσεῖς, μᾶλλον δὲ οἱ προεστηκότες αὐτῶν, ἄνδρες παρανομώτατοι, ἐπειργάζοντο τὸ πεδίον ϗ τὸν λιμένα τὸν ἐξάγιστον ϗ ἐπάρατον πάλιν ἐτείχισαν ϗ συνῴκισαν ϗ τέλη τοὺς προσπλέοντας ἐξέλεγον, ϗ τῶν ἀφικνουμένων εἰς Δελφοὺς Πυλαγόρων ἐνίους χρήμασι διεφθείρον. Idem crimen eodem omnino dignum erat ſupplicio, ſed executionem ſortitum eſt diverſam. Poſtquam enim Amphictyones communi conſilio ad perdendos tales homines proficiſcerentur, portuq; ex ſententia Oraculi everſo, tum caſis incenſis recederent, Locrenſes vi armatâ eos perſequi, & niſi fugâ ſibi conſuluiſſent, manus inferre vix dubitabant. Quapropter conſilio an fato dicam tale decretum ſtatuerunt Amphictyones,
Pro Coron. quod extat apud *Demoſthenem*: ἐπὶ ἱερέως Κλειναγόρου ἐαρινῆς Πυλαίας ἔδοξε Πυλαγόραις ϗ τοῖς συνέδροις τῶν Ἀμφικτυόνων ϗ τῷ κοινῷ τῶν Ἀμφικτυόνων, ἐπειδὴ οἱ ἐξ Ἀμφίσσης τὴν ἱερὰν χώραν καταντετάμενοι γεωργοῦσι ϗ βοσκήματα νέμουσι, ϗ κωλυόμενοι τοῦτο ποιεῖν ἐν τοῖς ὅπλοις παραγενόμενοι τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων συνέδριον κεκωλύκασι μετὰ βίας, τινὰς δὲ ϗ τετραυματίκασι ϗ τὸν στρατηγὸν τὸν ᾑρημένον τῶν Ἀμφικτυόνων Κότυφον τὸν Ἀρκάδα, πρεσβεῦσαι πρὸς Φίλιππον τὸν Μακεδόνα καὶ ἀξιοῦν, ἵνα βοηθήσῃ τῷ τε Ἀπόλλωνι ϗ τοῖς Ἀμφικτύοσιν, ὅπως μὴ περιίδῃ ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν Ἀμφισσέων τὸν Θεὸν πλημμελούμενον, ϗ διότι αὐτὸν στρατηγὸν αὐτοκράτορα αἱροῦνται οἱ Ἕλληνες οἱ μετέχοντες τοῦ συνεδρίου τῶν Ἀμφικτυόνων. Quis
8, 4, 8. enim crederet, ut loquar cum *Juſtino*, *in alterius ope*, (ejus præſertim, qui libertati ipſorum jamdiu inhiabat) *ſpem poſuiſſe orbis*
O. ad Ph. *terrarum vindices, eoq; diſcordiâ ſuâ, civilibusq; bellis* (quæ μανίαν non ineptè appellat *Iſocrates*, & Græciam furiatam, *Euripides*:) *redactos, ut adulentur ultrò ſordidam paulò ante clientela ſua partem?* ſed

ſed ne diutius hoc in præludio hæreamus, cætera ex *Æſchine* peti, & ad Bellum Sacrum properare malumus.

28. A *Juſtino, Diodoro Siculo*, aliiſque, communi conſenſu Belli Sacri initia, authores, cauſæ repetuntur. *Cauſa*, inquit ille, *& origo hujus mali Thebani fuere, qui cum rerum potirentur, ſecundam fortunam imbecillo animo ferentes, victos armis Lacedæmonios & Phocenſes, quaſi parva ſupplicia cædibus & rapinis luiſſent, apud commune Græciæ conſilium ſuperbè accuſaverunt.* Hic verò: *Λακεδαιμονίων πρὸς Βοιωτοὺς διαπολεμησάντων τὸν Λευκτρικὸν πόλεμον καὶ καταπολεμηθέντων, οἱ μὲν Θηβαῖοι διὰ τὴν κατάληψιν τῆς Καδμείας δίκας μεγάλας ἐπάγοντες τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐν Ἀμφικτύοσι, κατεδίκασαν αὐτοὺς πολλοῖς χρήμασι, οἱ δὲ Φωκεῖς ἐπεργασάμενοι πολλὴν τῆς ἱερᾶς χώρας τῆς ὀνομαζομένης Κιῤῥαίας δίκας ὑπέσχον ἐν Ἀμφικτύοσι, καὶ πολλοῖς ταλάντοις κατεκρίθησαν.* Concurrunt omnes cauſæ hoc modo, ut ex alterâ parte multum tribuatur ſuperbiæ Thebanorum, quæ cauſa extitit, ut Phocenſes tantâ pecuniâ damnarentur, quanta exſolvi non poſſet, ut loquitur *Juſtinus*. Ex alterâ vero, multo magis impietati Phocenſium & Lacedæmoniorum, qui contra præſtitum à ſeipſis in legibus fundamentalibus juſiurandum ſanctiſſimum Amphictyonum decreta contempſerant, mulctamq; impoſitam exſolvere denegarant. Atq; ex his quaſi extra ordinem dicendus eſt, tanquam author facinoris *κατ' ἐξοχὴν* Philomelus, homo Phocenſis, qui merito *ἀνὴρ θράσει καὶ παρανομίᾳ διαφέρων Diodoro* dicitur. Nam ille vel ſolus inflam̃aſſe bellum Sacrum ſcribitur. Longè aliud belli Sacri principium refert *Ariſtoteles*: *ἐν Φωκεῦσιν ἐξ ἐπικλήρου στάσεως γενομένης περὶ Μνάσεαν τὸν Μνήσωνος πατέρα καὶ Εὐθυκράτην τὸν Ὀνομάρχου, ἡ στάσις αὕτη ἀρχὴ τοῦ ἱεροῦ πολέμου κατέστη τοῖς Φωκεῦσιν.*

1. 1. 6. | l. 16. | 8. 1. 7. | 5. Pol. 4.

29. Priorem quoq; nobis ſententiam comprobat *Ælianus*, qui præcipuam hujus incendii cauſam facit exactionem judiciorum, *ἐμὲ δὲ οὐ λέληθεν πόλεμον τὸν ἱερὸν καλούμενον ἐκ τῆς εἰσπράξεως τῶν δικῶν τῶν Ἀμφικτυόνων γεγονέναι.* Cum enim Lacedæmonii & Phocenſes à Thebanis in com̃uni Conſilio accuſarentur, Lacedæmoniis crimini datum eſt, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupaſſent: Phocenſibus, quod Bœotiam depopulati eſſent, adeoq; tantâ pecuniâ damnantur, quanta exſolvi non poſſet, ut *Juſtinus* teſtatur. Latâ itaq; hac ab Amphictyonibus ſententiâ, primò Phocenſes, cùm agris, liberis, conjugibus priva-

12. 53. | 8. 1. 8.

privarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut Deo irascentes, Templum ipsum Apollinis Delphis occupavere. Sed & Lacedæmoniis eodem judicio damnatis, hac usi ratione, ut bellum simul moverent, persuasere: ὅτι κοινὸς ὁ ἀγὼν ἐστὶν αὐτοῖς περὶ τοῦ ποιῆσαι τὰς κρίσεις τῶν Ἀμφικτυόνων ἀκύρους. Exinde Spartanorũ Rex Archidamus, sive spe sive metu, clam tantum ea quæ ad belli necessitatem requirerentur pollicebatur: φανερῶς μὲν κατὰ τὸ παρὸν οὐκ ἔφησε βοηθήσειν, λάθρᾳ δὲ πάντα συμπράξειν, χορηγῶν καὶ χρήματα καὶ μισθοφόρους. Et hæc quidem sunt Principia cruenti illius ac toti Græciæ tam funesti belli Sacri seu Amphictyonici; de quo equidem hac occasione multa in medium afferri possent, nisi nimium excrescerent, quæ brevia esse volumus. Versabimur tamen circa hanc etiam mutationem ita, ut quæ vel ad præsens institutum pertinent, vel ad notitiam Concilii ipsius accuratiorem facere videbuntur, exponantur eâ quâ potest brevitate.

Diod. Sic.

30. Tenebantur equidem Phocenses, Spartaniq; ex jure federis, jurejurando sacratissimo & execratione atroci firmato, quæ mulcta à communi Amphictyonum consilio ipsis imposita erat, aut solvere, aut si solvendo non essent, modo convenienti deprecari. Id quod certe non latuit partem utramque: Lacedæmonios præsertim, quorum Rex non aliâ de re propalam quidem opem non ferre, sed clam tamen omnibus modis bellum fovere volebat, quam ut rupti federis convictus, haberet, quo effugium quæreret, & anguillæ instar elaberetur. Vincebantur tamen Phocenses insigni eloquentiâ & Philosophiâ (astutiâ dicere debebam & temeritate) Philomeli, Viri magnâ apud Phocenses authoritate. Qui homo nimirum callidissimus inclinantes ad pejorem ultro partem Phocensium animos, suâ facundiâ facile vincebat: διελέχθη γὰρ ὁμοέθνοις διδάσκων, ὡς ἐκτῖσαι μὲν οὐ δύνανται τὰ χρήματα διὰ τὸ μέγεθος τῆς καταδίκης, περιορᾶν δὲ καθιερωμένην τὴν χώραν οὐ μόνον ἀνάνδρους ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ κίνδυνον ἐπιφέρειν καὶ τῷ τῶν πάντων βίῳ ἀνατροπήν. Ergo prima cura est Philomelo pro arcano politico ostendere injusta esse Amphictyonum decreta. Quod ut eo citius perficeret, duo saltem argumenta auditoribus suis egregius Doctor proponit. Quorum prius est, manifestè tyrannicum esse, ut ipse apud *Diodorum* loquitur: μικρᾶς παντελῶς χώρας κατεργασθείσης μεγίστας ζημίας τεθεικότας.

Ipsam

Ipſam nimirum naturam rebus in omnibus ordinem ac proportionem quandam præſcribere, quam cum tranſgreſſi eſſent Amphictyones, ipſos non amplius teneri; omne nimium, ut proverbio dicitur, verti in vitium. Poſterius vero tale eſt: τὸ παλαιὸν τῦ μαντείυ τὴν ἐξυσίαν καὶ προςασίαν ἐσχηκέναι τὺς φωκεῖς, καὶ μάρτυρα εἶναι τὸν ἀρχαιότατον καὶ μέγιςον τῶν ποιητῶν Ομηρον λέγοντα.

Αυτὰρ Φωκήων σχέδιος καὶ ἐπίςροφος ἦρχον
οἳ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν.

διόπερ δεῖν ἀμφισβητεῖν περὶ τῆς τῦ μαντείυ προςασίας, ὡς οὔσης πατρίυ τοῖς φωκεῦσιν. Recuperandum eſſe oraculi imperium, quod Majorum ſuorum negligentiâ & ſocordiâ eſſet amiſſum. Ipſis patrium eſſe imperium, ipſo *Homero* teſtante, Poëta & viro quanto! Ita dum Phocenſibus non invitis eximiè philoſophatur Philomelus, jam non argumentis amplius ſed armis certandum eſſe ratus, in id conſilii delabitur, qui contractâ ſufficienti militum copiâ, propoſito ſuo ſatis facere poſſit. Itaq; poſtquam, ut diximus, eadem linguæ facundiâ Lacedæmonios in belli ſocietatem pellexiſſet, Delphos invadit, occupat, expugnat.

31. Non licet ire per ſingula: prolixum id nimis foret & tædioſum. Exarſit hinc inde bellũ adeò, ut Philomelus, audacior jam multis victoriis factus, cum excuſſa è columnis Amphictyonum decreta ac lacerata combuſſiſſet publicè, legatos de imperio in univerſã Græciam mittere, jam non dubitaret, hoc edicto: ἄν τις δι' ἔχθραν ἢ φθόνον πολεμῇ φωκεῦσι, μάλιςα μὲν συμμαχεῖν, εἰ δὲ μή γε τὴν ἡσυχίαν ἄγειν. Quo certe Lacedæmonios & Athenienſes permovit, ut in partem belli accederent. Sed & viciſſim alii in alteram partem inclinantes, deteſtandum Philomeli facinus execrati ſunt. Inter quos primi omnium fuere Bœotii. Qui ex ſuâ partim erga Deos reverentia, partim, ut iſta *Diodori* verba aſcribam, διὰ τὸ συμφέρειν αὐτοῖς τὰς τῶν Αμφικτυόνων κρίσεις βεβαίας εἶναι quod conduceret ipſis firma eſſe Amphictyonum decreta, Theſſalos alioſq; Amphictyonas de bello contra Phocenſes gerendo ſollicitarunt. Atq; hoc modo decretum ac cœptum eſt graviſſimum illud Amphictyonum bellum decennale, cujus, ſi quis velit plenam cognoſcere hiſtoriam, *Diodorum Siculum* adeat neceſſe eſt; nobis ea, quæ aliquam ipſi concilio Amphictyonum mutationem attulere, conſideraſſe ſufficiet. l. 16.

32. Phocenſes fedifragi tum Athenienſibus & Spartanis
diverſis præliis modo victi, modo victores, eò tamen deniq; res
hoſtium perduxerunt, ut de majori ipſis auxilio diſpiciendum
eſſet. Igitur de Bœotiis ita *Diodorus*: οἱ Βοιωτοὶ θλιβόμενοι μὲν τῷ πο-
λέμῳ καὶ πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀπολωλεκότες, χρημάτων δὲ ἀπορούμενοι,
πρέσβεις ἐξέπεμψαν πρὸς τὸν Φίλιππον ἀξιοῦντες βοηθῆσαι. Atq; ita re-
8, 2, 2. vera *externæ dominationi, quam in ſuis timuerunt, ſponte ſuccedunt*,
ut *Juſtinus* loquitur. Philippo, cum, ut ſupra diximus, variis
machinationibus, dominatum Græciæ expeteret, quicquam
hac legatione gratius, accidere non potuit. Itaq; confeſtim ad-
8, 2, 3. eſt cum magno exercitu, & quaſi ſacrilegii non Thebanorum
ultor eſſet, omnes milites coronas laureas ſumere jubet, atq; ita
veluti Deo duce in prælium pergit. Phocenſes verò & delicto-
rum conſcientiâ & viribus Philippi territi, ſponte ſeſe dedunt;
atq; hoc pacto bellum ſacrum ἄνευ μάχης, ἀνελπίστως, abſq; pugnâ
inſperatò diſſolvitur. Tanto ergo fortunæ ſucceſſu elatus, ut a-
8, 3, 1. 2. nimo ſuo ſatisfaceret, non eas modo urbes, ut *Juſtinus* teſtatur,
8, 5, 5. quarum paulò ante dux fuerat, hoſtiliter occupatas diripit:
conjuges liberoſq; omnium ſub coronâ vendit: ſed & deinde
Phocenſes cædit rapitq;; non liberos Parentibus, non conjuges
maritis, non Deorum ſimulacra templis ſuis relinquit. Quin-
imò reverſus in regnum, cum res ibi pari ſævitiâ geſſiſſet, in
9, 1. 1. Græciam iterum venit, & ſolicitatus paucarũ civitatium dire-
ptione, bellum toti Græciæ inferre ſtatuit. Græci quod vere-
9, 3. 7. rentur, non ceſſaturum Philippum, ſi proſperè prima ſucceſſe-
rint, niſi omnem Græciam domuerit, Philippo armatâ manu
9, 3. 9. reſiſtunt, ſed aſſiduis bellis induratâ virtute Macedonum vin-
cuntur. Igitur hoc pacto fatalem ipſi ſibi ſuæ libertatis diem
9, 3. 11. acceleravere Amphictyones. *Hic enim dies*, ait Iuſtinus, *univerſæ
Græciæ & gloriam dominationis & vetuſtiſſimam libertatem finivit.*

33. His ita inſigni perfidiâ geſtis, tanquam rei patratæ pœ-
9, 4. 4. nitentiâ ductus, non tantum captivos gratis hoſtibus remiſit, &
9, 5. 2. bello conſumptorum corpora ſepulturæ reddidit; ſed & pacis
legem univerſæ Græciæ pro meritis ſingularum civitatum ſta-
tuit, Conciliumq; omnium, veluti unum ſenatum ex omnibus
legit. Quo concilio impoſitus eſt finis Bello Sacro δεκαετῆ perni-
In Phoc. cioſiſſimo; de quo *Pauſanias*: καταλαβόντων δὲ Φωκέων τὸ ἱερὸν, καὶ ὕ-

στερον

τερον δεκάτῳ ἔτει λαβόντος πέρας τοῦ πολέμου μεταβολὴν καὶ τὰ τῶν Αμφικτυόνων ἔσχε. Proximum ergò fuerit, easdē mutationes expendere.

34. Prima ergo fuit receptio Philippi ejusq; posterorum in Amphictyoniam. Ita *Diodorus*: ἔδοξε γὰρ τοῖς συνέδροις μεταδοῦναι τῷ φιλίππῳ καὶ τοῖς ἀπογόνοις αὐτοῦ τῆς Αμφικτυονίας, καὶ δύο ψήφους ἔχειν, ἃς πρότερον οἱ καταπολεμηθέντες Φωκεῖς εἶχον. Accessit etiam confirmatio imperii bellici, de quo idem *Diodorus*: ἡγεμὼν ἀπεδείχθη τῆς Ελλάδος πάσης. In quo ipsi quoq; Filius Alexander Magnus successit, qui exemplo Patris, ut *Justinus* ait, Corinthum evocatis civitatibus dux in locum ejus substitutus est. Cur enim illum, qui vindex Sacrilegii, ultor religionum, solus qui piacula exigeret, extitit dignus, hoc honore non dignarentur? Altera est supplicium Phocensium, eorumq; è federe Amphictyonico exclusio. ἔδοξεν γὰρ τοῖς συνέδροις τῶν ἐν φωκεῦσι τειῶν πόλεων περιελεῖν τὰ τείχη καὶ μηδεμίαν κοινωνίαν εἶναι τοῖς φωκεῦσι τοῦ ἱεροῦ, μηδὲ τοῦ Αμφικτυονικοῦ συνεδρίου, μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μη δὲ ἵππους μη δὲ ὅπλα κτήσασθαι, μέχρις ἂν οὗ τὰ χρήματα ἐκτίσωσι τῷ Θεῷ τὰ σεσυλημένα. Ita omnino etiam in gentibus Deus justissimus Divini honoris contemptum ac violationē ulciscitur. Cum enim partim contra suam faciant conscientiam, partim Deos, licet veri Dii non sint, Deorum tamen loco cultos subinde spernant, impietas illa impunita non manet: ne eò homines stultitiæ progrediantur, ut omnis religio & cultus divinus vel vilescat, vel prorsus ex animis hominum extinguatur. Tertia est Pœna fugitivorum, aliorumq;, qui comunicarunt Sacrilegio. ἐκεῖναι γὰρ τοὺς πεφευγότας τῶν φωκέων καὶ τῶν ἄλλων τῶν μετεσχηκότων τῆς ἱεροσυλίας ἐναγεῖς εἶναι καὶ ἀγωγίμους πάντοθεν. Lacedæmonios quoq; federe exclusos fuisse, *Pausanias* scribit: φωκέων δὲ τὸ ἔθνος καὶ ἐκ τοῦ Δωρικοῦ Λακεδαιμόνιοι μετασχόντες ἐπαύσαντο Αμφικτυονίας, οἱ μὲν τοῦ τολμήματος ἕνεκα, οἱ δὲ συμμαχίας ἕνεκα οἱ Λακεδαιμόνιοι τῆς φωκέων ζημίας. Tantumne dicas ab uno viro malorū? Ita. Adeò veri sunt, quos *Æschines* ex Hesiodo recitat versiculi;

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,
ὅς κεν ἀλιτραίνῃ καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

35. His gestis decreverunt Amphictyones, quæ ad comunem Oraculi curam, ad pietatem, pacem publicam & Concordiam spectabant, ut *Diodorus Siculus* testatur. Ita nimir. infelici

l. 16.

11. 2. 5.

In Phoc.

Græciæ ſub libertatis umbra homo callidiſſimus adhuc illude-
bat. Hinc etiam eſt, quod partâ victoriâ neq; ſe regem Græciæ,
ſed ducem appellari juſſerit, teſte *Juſtino*. Quâ calliditate etiam
9, 4. 2. poſt Alexander M. uſus eſt, qui Græcos apud Curtium ſocios
1, 1. ſuos nominavit; certe ut apud *Livium* Eumenes Rhodiorum
l. 1, 35. ſocios ait verbo eſſe ſocios, revera ſubjectos imperio & obno-
xios. Et cæteræ quidem mutationes, ſi ad hanc conferantur,
mutationes dici vix merentur. *μὴ ποιεῖν τὸ προςαττόμενον σημεῖον
In Archid. ἐλευθερίας ἐςίν*, ait *Iſocrates*. Ergo facere, quod ab alio imperatur,
ſervitutis. Ubi verò non parere poterant Amphictyones ſuo
victori? Quæ decreta non accipere? Quod profecto graphicè
3. Phil. pro genio ſuo depinxit *Demoſthenes*: Quid eſt, ait, quod ſeditio-
nibus totam Græciam conſumat? *τὸ τὸν φίλιππον ποιεῖν ὅ, τι βούλε-
ται ϗ καθ' ἕνα ἕκαςον οὑτωσὶ περικόπτειν, ϗ λωποδυτεῖν τὰ τῶν Ἑλλήνων, ϗ
καταδουλοῦσθαι τὰς πόλεις ἐπιόντα*. Periit certè hoc ipſo nobiliſſima il-
la Græciæ libertas, de quâ tantopere ſibi gratulabantur. Periit
& aliquã ſui ſalutem umbram ac imaginem reliquit! *οἱ μὲν ὄν-
τες Ἀμφικτύονες φεύγουσι ϗ ἐξεληλάνται καὶ ἀνάςατ☉ αὐτῶν ἡ χώρα γεγο-
νεν, οἱ δ' οὐδὲ πώποτε ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ γενόμενοι Μακεδόνες καὶ Βάρβα-
ροι νῦν Ἀμφικτύονες εἶναι βιάζονται*, queritur dictus *Oratorum Princeps*.
D. F. Leg. Quo profecto, quam miſere pereat illa Græciæ libertas, nemo
1. Phil.] melius unquam perſpexit: *γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον*, inquit, *ἢ
Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίοις καταπολεμῶν ϗ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν*; Un-
de tanto impetu ſemper contra Philippum perorabat, donec
extremâ neceſſitate victus, pacem etiam cum Philippo facien-
De Pac. dam eſſe, ſuadere cogeretur, inquiens: *ὅτι κωλύομεν τὸν φίλιππον
κοινωνεῖν τῆς Ἀμφικτυονίας, φοβοῦμαι, μὴ πάντες περὶ τῶν ἰδίων ἕκας☉
ὀργιζόμεν☉, κοινὸν ἐφ' ἡμᾶς ἀγάγωσι τὸν πόλεμον, τὰ τῶν Ἀμφικτυόνων
δόγματα προςποιησάμενοι, εἶτ' ἐπισπασθῶσιν ἕκαςοι πέρα τοῦ συμφέροντ☉
ἑαυτοῖς ἡμῖν πολεμῆσαι ὥσπερ καὶ περὶ φωκέας*.

36. Quin etiam paulo poſt, Philippo aſtu Pauſaniæ, no-
bilis ex Macedonibus adoleſcentis obtruncato, Alexandri quo-
que rebus ſuis conſiliis reſiſtere non deſtitit. *οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι Δημο-
σθένους δημαγωγοῦντ☉ κατὰ τῶν Μακεδόνων τήν τε φιλίππου τελευτὴν ἀσμέ-
l. 17. νως ἤκουσαν, ϗ τῆς ἡγεμονίας τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἐξεχώρουν τοῖς Μακεδόσι* *Diod.
Siculo* teſte. Verum major erat Alexandri M. fortuna, quam
quæ conſiliis Demoſthenis reprimi poſſet. Unde tale judicium
fert

fert de Græcis idem *Diodorus*: *τοῖς παρεστήμασιν ἀνδρειότερον μᾶλλον ἢ φρονιμώτερον χρησάμενος προέπεσον εἰς πάνδημον τῆς πατρίδος ὄλεθρον.* Ille enim tantâ celeritate instructo paratoque exercitu Græciam oppressit, ut quem venire non senserant, videre se vix crederent, ut ait *Justinus*. Quo certè terrore id etiam effecit, ut non tantum missis legatis bellum deprecarentur, sed & omnia ei vectigalia reditusq;, simul universæ gentis imperium, quibus id legibus Philippus habuerat, nullo jam repugnante, decernerentur, ut est in supplementis Curtii. Atque adeò satis demonstratum est, quantum Græciæ de libertate his bellis decesserit, ut hactenus CONCILIUM AMPHICTYONICUM imaginem potius ac umbram liberi Concilii dicendum esse, nemo amplius sit addubitaturus.

l. 18.
11. 2. 10.
11. 3. 1.
1, 2.

ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.



XXVI.

CLIENS.

De more & jure clientelarum acturo, occasionem mihi quam maxime præbere videtur, nobilis ille *Dionysii Halicarnassei* locus, qui in initio ferè libri secundi Antiquitatum Romanarum extat. Postquam enim primo originem urbis Romæ, ab ipsa fabulosa antiquitate repetiisset, secundo Romuli primi Regis Romanorum initia, ejusque præclara, quibus Rempubl. ordinavit instituta, latè persequitur. Inter quæ haud ultimo collocat loco, morem & jus patrocinii, quo mutuam inter patricios atque plebejos obligationem Romulus introduxit, idque ut utilissimum Reipublicæ inventum, summa in laude ponit: atque adeò non contentus, hæc ita à Romulo ordinata enarrasse, una cum utilitate juris istius, primam quoque ejus originem, finem & formam denique partite ac diligenter exsequitur. Hujus igitur partitionem secuturi, dum de nobili hac materia, quantum per ingenii vires licebit, agere animus est, inquiramus prius originem vocis, ejusque significationem, quo sic à primis ad ulteriora

progrediendo, natura clientelarum accurate cognoscatur

l. 10. origin. II. *Clientes* olim colentes dictos, notat Isidorus, adeoque ab officio denominatos, dubium non videtur, quoniam patronos, quorum clientelæ sese commiserant, omni obsequio colere tenebantur. *Colentes* vero cum à colendo dicti sint, clientes, quod vocabulum parum immutato sono, progressu temporis priori substitutum est, ex eodem fonte derivare, haud forte absurdum fuerit. Quemadmodum autem *cliens* de viro, qui alieno patrocinio se submisit, ita & *clienta* de fœmina, quæ aliena ope tuta est, usurpatur; uti videre est apud *Plautum in Milit. Gloriof.*

Act. 3 sc. 1. *—— —— —— —— Habeo*
Ecce illam meam clientam adolescentulam.

Et in Rudente:

Act. 4. sc. 1. *Jam clientas reperi,*

ubi plura his similia auctoribus notata *Sosipatro, Charisio,* aliisque.

III. *Clientes* porro à diversis diversimode appellatos annotat *Martinus Magerus à Schönberg in opere suo de Advocatia armata*; c. 2. n. 13. cum ab aliis dicantur *Ligii*, ab eligendo patrono, vel quod se arctissimo amicitiæ vinculo, cum patronis colligarent; ab aliis *suscepti, assecla familiares, ambasti & commendati.* Hæ autem appellationes, uti in latissima vocis clientis significatione, pro eadem nonnunquam accipi possunt, ita in strictiori ejus significatione, plurimum invicem distant, quod patere potest ex iis, quæ tradit *Corn. Fronto de differentiis vocabulorum.* Ostensurus enim differentiam inter verba; comes assecla, sodalis & cliens, ait: *Comes iter facit, assecla sequitur potentiorem, sodalis adolescentia nomen est, cliens implorat opem & fidem. ita comes tutus, assecla officiosus, sodalis amicus, cliens summissus. Interim* tamen clientes olim *susceptos* dictos, notat etiam *Servius ad lib. 6. Æn.* quem locum paulo post videbimus.

IV. Proprie ergo clientes dicebantur antiquis temporibus, qui se & sua tuenda ac defendenda potentioribus addicebant. Factũ tamẽ est,ut etiam clientes appellarentur,qui rei in judiciũ acti, ad defendendam causam, patronum sibi adsciverunt; sicut adhuc hodiè ita loqui solemus. *Vasalli* vero magis clientium nomi-

nomine venire poterunt,cum, quod Dominus feudi atq; vasallus arctiori ac diuturniori vinculo inter se obstringantur,quam advocatus & reus, tum etiam,quod multa alia clientibus cum vasallis sint comunia, ita ut eodem pene jure censeantur, licet in nonnullis inter se differant; verum de hoc forrasse postea. Bodinus de rep. l. 1. c. 7. Præterea & *colons* clientis nomine nonnunquam indigitantur; colonos autem dico, qui se culturæ prædiorum dominicorum seu glebæ;una cum suis addixerunt. Tales fuere Maryandini servi, qui sese Heracleotis sponte subjecerant, ea tamen lege, ut ipsis vitæ necessaria ministrarent, de quibus *Athenaus*. Porro l. 6. c. 7. clientum nomen nonnunquam *servis* impositum, quod peculiariter de servis Penestis & Menestis affirmat *Petr. Greg. Tholosanus in Syntagm. jur. univers.* lib. 14. c. 10. n. 5. & 6. Mulieres quoq; *quæ pensa diurna dominabus reddebant clientas* dictas, videre est ex illo *Horatii*: l. 2. Od. 18.

Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Illos etiam *qui jurisdictioni dominorum loci subjiciuntur*, clientes dici posse autumat *Tholosanus*. loc. cit. Deniq; & *in l. 5. C. de Novat. & Deleg.* cliens *delegatum designat*, uti ibidem in notis observat *Gotofredus*. Latius de varia vocabuli hujus significatione vide sis supra laudatum *Magerum de Advoc. arm. c. 2. n. 16. 17. & seqq.*

V. *Clientela* vocem, à clientibus denominatam, apud optimi ævi scriptores passim reperire licet, quam recentiores minus latine advocatiam seu protectionem reddiderunt. Latissimè autem patet hoc verbum, & ad omne genus subditorum, sive servi,sive liberti,sive vasalli,sive cives fuerint, qui cujusdá potestatis imperio tenentur, extenditur. Bodinus de rep. l. 1. c. 7. Comuniori tamen usu loquendi,accipitur pro servitio,vel multitudine clientium,qui potentem aliquem patronum, favore prosequuntur, ejusq; dignitatem aliquo ducti beneficio tutantur; uti ex veteri *Lexico Terentiano* patet. Et hac in significatione vox clientelæ etiam à *Cicerone* accipi videtur, quando in epistola quadam *ad Atticum* l. 14. ep. 12. ita scribit: *Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam judicem.*

VI. Cum vero neq; clientela subsistere, neq; cliens sine patrono,ob mutuum respectum,esse possit,*patroni* appellatio quoque paucis evolvenda erit. Dicitur *Patronus* quasi *Pater*, eo quod patroni instar patrum clientibus præsint,proq; iis faciant,quicquid

quid pro filiis parentes solent facere. Volunt nonnulli eos à *Patrono* quodam ita dictos, qui cum Evandro in Italiã advenerit; hunc enim cum minorum curam gereret, & infirmioribus auxilio esset, defensoribus inferiorum hoc nomen reliquisse arbitrantur. Varias hujus vocis significationes *Magerus* inquisivit, opere jam laudato: proprie autem olim vocati sunt patroni, qui ex patribus à plebeis eligebantur, ut eos, tam absentes quã præsentes, publicè ac privatim, non secus ac parentes liberos, defenderent, eorumq; commodis consulerent; quæ significatio hujus est loci.

Bodin. de republ. l. 5. c. 6.

VII. Quantũ autem dignitatis juxta ac honestatis in se contineat, jus clientelare, liquet, tum inde, quod patroni parentibus clientes verò liberis in omnibus fere assimilentur, tum etiam ex eo, quod omnis legitima defensio, quæ violentiæ occurrit, honestati quam maxime sit congrua. Juris enim naturalis esse, ut homo hominem, populus populum, ab injuria defendat, ex Platone & legibus Ægyptiorum optime ostendit *Hugo Grotius præclaro opere de Jure belli & pacis*; ubi illud *Ciceronis* affert; Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quã si parentes, aut patriam, aut socios deserat. Cum igitur jure naturæ, ex quo honestatis regula fluit, etiam ignotos teneamur defendere, multo magis eos qui ad opem nostram confugiunt, in tutelam suscipere, eosq; ab omni injuria, pro virili, imunes præstare, honestas ac lex naturæ nos jubet. Atq; hinc est, quod Romulus eos, qui contra hanc honestatem peccassent, clientesque suos, aut deseruissent, aut ipsimet læsissent, rigida de proditoribus lege teneri sanciverit; cujus criminis convictum, cuivis fas erat, ut Diti sacrum, interficere, memorante *Dionysio Halicarnasseo*, loco jam supra laudato. Neque hoc immerito ita constitutum, cum tanta inter patronos atq; clientes conjunctio esset, ut ex moribus populi Romani *post parentes & pupillos proximum clientes obtinuerint locum, cognatis atq; affinibus postpositis.* Quod suo firmat testimonio *Servius*, quando ait: *Si clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres, tantundem est clientem, quantum filium fallere.*

l. 2. c. 25. §. 7.

Gell. noct. Att. l. 5. c. 6.

ad l. 6. Æn.

VIII. Patet ergo ex his, quam sancte veteres jus illud clientelare observaverint, ita ut detestabiles fuerint, qui etiã minima ex parte suo defuerint officio; contra vero in maximo honore

nore, qui ſuas clientelas fideliter obirent. Notat enim *Dionyſius Halicarnaſſeus*, maximam laudem fuiſſe nobilium, habere clientes quam plurimos, non hereditariis tantum clientelis conſervatis, verum & novis propria virtute partis, quod *Bodinus* ad noſtra applicans tempora, jus illud clientelare omnium maximum & pulcerrimum inter Principes cenſeri, affirmat. Nulla autem alia ex re magis diſcere licet, quanto in honore illud olim fuerit, quam ſi ipſas clientelarum formulas inſpiciamus, quarum nonnullas nobis exhibet *Gruterus incomparabili opere, quo inſcriptiones veterum collegit*, ubi legimus, quemadmodum collegium Fabrûm decreverit, *petendum à Jul. Silio Juliano, libenter ſuſcipiat, dicti collegii patronalem honorem.* Et in alia tabula, Numia Varia Sacerdos Veneris, ob pronum in Peltuinos animum, ab his digna judicatur, ut merito debeat ex conſenſu univerſorum *Patrona* dictæ Præfecturæ fieri, *quo magis magisq́ hoc honore, qui eſt apud nos potiſſimus* (ut habent verba) *tantæ claritati ejus oblato, dignatione benignitatis ejus tuti ac defenſi eſſe poſſimus.* Et paulo infra: *Petiq́ ab ejus claritate, ut nunc honorem prono animo ſuſcipere dignetur.* Ita in multis quoque inſcriptionibus legitur: *Qui in honorem patrocinii ſibi oblatum ſportulas diviſit.* Quibus ſimilia loca quamplurima ibidem reperiuntur, quæ hic omnia adducere nimis longum foret, cum ex mutua inter patronos atq; clientes neceſſitudine, mutuiſq;, quibus invicem obſtricti beneficiis, honeſtas ac ſplendor hujus juris infra magis eluceſcat.

l. 1. c. 10.

p. 1101. n. 16

p. 443. n. 6.

IX. Nolumus autem hoc loco deſcribere *Magero* collecta de variis Patrocinii, aut, ut vocant, Patronatus generibus. Hoc tantum notandum videtur: Patrocinium antiquum jure civili & lege ordinaria definitum fuiſſe; ita ut, qui hanc neceſſitudinem contraxiſſent, ad mutua officia vi illius juris obligati tenerentur. Cui juri aliquas acceſſiſſe conſuetudines ſatis intelligitur. Hodie autem præter ea, quæ Eccleſiaſticum patrocinium canonibus definiunt, à jure ordinario, ad pactiones & conventiones omnia translata ſunt. Neque moris priſtini ſatis expreſſa veſtigia remanſerunt. Sicut in jure & more hoſpitii etiam accidiſſe videmus. Non omittemus tamen, quantum ſupereſt, antiquioribus continuare.

X. Interea conſiderabimus primam juris clientelaris originem, quo propius ad id, quod nobis propoſitum, perveniamus.

mus. Et sane nullibi fere reperire licet, quo tempore mos ille cœperit, tenuiores, quo à vi potentiorum tutiores essent, in fidem recipiendi, nisi ab ipsis naturalibus defensionum principiis eum derivare velimus. Scilicet omnis defensio eo spectat, ut vel nosmet ipsos tueamur, vel alios. Illa quin omni jure licita sit, non est dubitandum. *M. Tullius* de primis naturæ agens, inquit: *Primum est officium, ut quis se conservet in natura statu, deinceps ut ea teneat, quæ secundum naturam sunt, pellatq; contraria.* Cum vero sit ea conditio hominum, ut nemo solus sibi sufficiat, sed opis alienæ frequenter, ad sui conservationem, indigeat, natura quasi impellente fertur ad appetitum societatis, & maxime civilis, utpote in qua demum indigentiam expleat, suæ conservationi plene consulat, interq; bona externa haud postremum, securitatem consequatur. Quæ si forte ob ipsius civitatis impotentiam, aliorum vero nimiam potentiam, obtineri nequeat, locus datur ineundi fœdera, aliasque conventiones, quo aliorum auxilio tuta sit. Quo de agere nunc ad nos non pertinet.

lib. 3. de fin.

XI. Alterum genus defensionis, suscipitur, uti dictum, pro aliis, sive eandem incolant civitatem, sive aliam. Permissum id esse, nemo, ut arbitror, dubitabit, possetque ex iisdem deduci fundamentis, si res id exigat. De consensu gentium constat, quemque, non tantum sui juris, sed & alieni naturaliter vindicem & executorem esse, ita ut ideo manus nobis datas affirmarent, atq; adeo illum, qui non defenderat, aut obstiterat injuriæ, si potuisset, tam esse in vitio judicarent, quam si parentes, aut patriam deseruisset. Præclare hanc in rem *Lactantius: Deus, qui cæteris animalibus sapientiã non dedit, naturalib9 ea munimentis, ab incursu & periculo, tutiora generavit: hominem vero, quia nudum fragilemq; formavit, ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei, præter cætera, hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraq; omnia pericula & accipiat & præstet auxilium.* *Plato* puniendum censet, qui vim alteri illatam non arceat. *Seneca* est: *indignum si eripere latronibus potero, clamore sublato, salutarem vocem homini, non pigebit emittere.* Qualia loca plura collegit *Grotius de jure belli & pacis.* Est autem multiplex hæc defensio, fluitq; ex diversis causis; aut enim ex illa naturali conjunctione, quæ inter homines est, quæque vel sola ad opem ferendam sufficit; aut

lib. 6. Divin. Instit.
l. 4 de leg.
l. 1. de benef. c. 10.
l. 1. c. 5 & l. 2. c. 25.

aut ex jure subjectionis, quo subditi defenduntur; aut ex jure necessitudinis, quo parentibus, conjugi, liberis, cognatis, affinibus, ad opitulandum adstringimur, quamvis ratione proximitatis iterum suos recipiat gradus; aut ex jure amicitiæ, quando quidem non promissa est defensio, debetur tamen amicitiæ quadam ratione; aut ex jure societatis, quocunq; tandem modo conventum sit, quod alter alteri succurrere debeat; aut ex jure vicinitatis, nam & interdum vicini inclamantur, quique ejusdem civitatis sunt participes; aut ex defectu prudentiæ, quæ contingit, vel ob ætatem, hinc pupillis tutores adjunguntur, vel ob morbum, unde furiosi habent curatores, nihil enim tam naturale est, quam qui se ipsum regere aut defendere nequit, ut alteri prudentiori subjiciatur; vel ab imperitia, unde qui in foro litigant, plerumque causarum patronos sibi adsciscunt; aut deniq; ex metu potentiorum, ex quo fonte provenit jus, de quo agimus, clientelare, quando aliquis debiliori aut inferiori contra potentiorem opem suam stipulatur, neq; aliud ab eo exspectat, quam honorem & reverentiam. l. 1. ff. de min.

XII. Hinc igitur liquere potest, cum jus defensionis ex ipsa natura fluat, adeoque cum humano genere natum sit, etiam jus clientelare, quod isti innititur, inde originem cepisse, utut progressu temporis variis circumscriptum sit pactionibus; uti nec inde desiisse dici potest, quod nonnullæ gentes eo abusi sint. Idem ostendit *Dionysius Halicarnasseus*, quando hunc morem antiquum & in Græcia à Thessalis & priscis Atheniensibus usurpatum refert: cui etiam adstipulatur *Bodinus*, qui jus clientelare antiquissimum, & ante Romuli tempora, non modo Græcis, sed & Celtis, Illyriis, Asiaticis & Ægyptiis usitatissimum fuisse memorat. Hæc vero Respublicæ, cum omnium, quarum tam sacra, quam prophana, meminit historia, sint vetustissimæ, nec apud illas hoc jus natum ullibi reperiatur, satis de antiquitate ejus constare poterit. Verum ex longo illo usu, Græci eo tandem abuti cœperunt, adeo ut clientibus superbe imperarent, iisq; quasi servis uterentur, opera injungentes quæ liberis hominibus minime conveniebant; imo si forte jussa non statim fecissent, verbera illis intentare sibi non temperabant, ad omnia denique iis abutentes, haud secus atq; emptitiis. Nec satis erat, eos servili adeo modo tractasse, inhonesto atq; abjecto insuper nomine ap- Dicto loco. lib. 1. de rep. c. 7. Dionys. Halicarn. l. 2. c. 10.

pellabant, ipso quasi vocabulo fortunam iis exprobrantes: Athenienses enim à servitute, & ob ministeria, quæ præstare cogebantur, θῆτας: Thessali vero πενέστας, id est, servos vel pauperes illos dicebant.

XIII. Romulus vero jus hoc patronatus, ad suam quam instituebat rempublicam transferens, omni sublato abusu in melius reformavit. Non tantum enim commoda tam patronis quam clientibus officia assignavit, sed & decora appellatione rem ipsam cohonestavit, vocando jus patronatus, tutelam pauperum & abjectorum. Atque mutua hæc patronorum ac clientum copula, sumo Reipublicæ cum fructu diu in usu permansit, ita ut haud secus, quam cognatæ necessitudines, posteris per manus traderentur. Decemviri namque legibus duodecim tabularum etiam hanc inseruerant: *Plebes sibi ex patriciis patronum, quem volunt eligunto.* Qua lege optione plebeis data, omnes sese in tutelam ac patrocinium dederunt, nec facile, nisi ob graves causas, patronos mutarunt. Neque tantum urbana plebs ex patriciis defensores sibi parabat; sed & coloniæ, urbes tam sociæ atq; amicæ, quam bello subactæ, imo integræ Romanæ ditionis provinciæ, Regesq; socii, suos habebant patronos atq; defensores, eosq; pro lubitu è Romanis eligebant Patriciis.
l. 1. offic. De bello subactis id testatur *Cicero*, quando ait: *Ut, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, ut eorum patroni essent, more majorum receptum fuit.* Cato postquam Cyprum Insulam Romanæ ditioni adjecisset, hujus insulæ, ut & regni Cappadociæ patronus semper audiit, eorumq; causas in Senatu egit. Fa-
l. 4. c. 3. bricius Luscinus universos Samnites in clientela habuit, teste *Valerio Maximo.* Siculos Ciceronis clientes fuisse passim reperitur, præcipue vero ex ipsius Divinatione patere potest. Allobroges Fabium Sangam patronum delegerunt; Syracusani Mar-
In Augusto. cellorum familiam, Bononienses Antoniorum quod inter alios etiam testatur *Suetonius*, quando ait: *Bononiensibus quoq́, publice, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam facit, conjurandi cum tota Italia, pro partibus suis.*

Dion. Halic. l. 2. c. 11. XIV. Hisce ergo clientelis cum præessent maxima laude, sæpe factum, ut Senatus controversias civitatum ad earum patronos remiserit, eorumq; judicia rata habuerit. Ex quo accidit, ut licet multæ ac magnæ plebeios inter & patricios controversiæ

siæ de Republica intercesserint, quod tam in parvis quàm magnis civitatibus sæpenumero evenire solet, per septingentos tamen & viginti annos à sanguine civium & mutua cæde sibi temperarint Romani. Obortis enim controversiis, patroni ea qua pollebant auctoritate & gratia, apud clientes suos intercedebant, eos edocentes mutuum officium, partim postulata, si res ita ferret, concedentes, partim rursus aliquid impetrantes à volentibus, civiliter componebant expostulationum negotia. Atque hoc modo vetus illud ac diuturnum certamen, quod mensoribus Portuensibus cum Caudicariis Romæ fuit, Ragonius Vincentius Celsus Annonæ Præfectus, qui mensorum Portuensium patronus erat, ea æquitate composuit, ut utrumque corpus voti compos abiret, & beneficio se & victoria gratularetur affectum, uti verba habent statuæ inscripta, quam ei mensores Portuenses ob hoc beneficium posuerant. *Inscr. vet. Grut. p. 472. n. 1.* Sed postquam Imperatores Rempublicam occupassent, patriciorum, procerumq; potentiam maxime suspectantes, omnibus modis eam imminuere tentabant, tum publicæ illæ clientelæ, quæ Imperatoribus formidabiles videbantur, paulatim in desuetudinē ivere, privatis istis patrociniis, quæ parū nocere poterāt, in usu manētibus.

XV. Quemadmodum autem Romani morem hunc à Græcis *Bodin. de rep. publ. l. 1. c. 7.* ita Galli atq; Germani à Romanis, qui Gallias, partemq; Germaniæ ad Rhenum coloniarum multitudine illustrarunt, accepere. Et Galli quidem stante adhuc Romana Republica, jure clientelari utebantur; uti hoc de iis testatur *Cæsar*, quando ait: *Quo quisq; amplior erat, eo plures habebat clientes.* Item: *More Gallorum nefas esse clientes deserere dominos suos, etiam in extremis malorum.* *l. 6. & 7. de Bell. Gall.* Et alibi de Equitum ordine loquens, inquit: *Atq; eorum ut quisq; est genere & copiis amplissimus, ita plurimos circa se ambactos, clientesq; habet, hanc unam gratiam potentiamq; noverunt.* Videri hac de re amplius potest *Magerus de Advoc. arm.* *c. 5. n. 70. & seqq.* De Germanis idem affirmat *Tacitus*; enarrans enim quemadmodum Segestes Socer Arminii Romanis sese dederit, pergit: *Germanico pretium fuit convertere agmen, pugnatumq; in obsidentes & ereptus Segestes, magna cum propinquorum & clientum manu.* *1. An. 57.* Et alibi cladem ac fugam Vannii Regis Suevorum, *12. An. 30.* à vicinis Germanis regno pulsi describens adjungit: *Cæterum ad classem in Danubio opperientem profugit; secuti mox clientes, & acceptis agris in Pannonia locati sunt.* Etiam apud Anglos jam tum clientelas

las in usu fuisse, testis est idem *Tacitus*, quando narrat, quomodo Caractacus Rex Angliæ in prælio una cum suis captus, quaq; põpa Romam deductꝰ sit: *Vocatus* (inquit) *ut ad insigne spectaculum populus, stetere in armis prætoriæ cohortes, tum incedentibus Regiis clientelis*, & quæ porro sequuntur. Apud priscos quoq; Francos minores civitates majorum ac potentiorum patrocinia elegisse ostendit *Hottomannus in Francogallia*, quando ait: *Earum porro civitatum aliæ aliis potentiores erant, quarum se in fidem & clientelam, quæ minus per se poterant, studiose conferebant.* Cui adstipulatur *Lehmannus*, dum opinionem Beati Rhenani adducit, qui putat Nemetes atq; Vangiones olim in fide ac patrocinio Mediomatricum fuisse.

12. An. 37.

Chron. Spir. l. 1. c. 9.

XVI. Translato dein à Romanis ad Germanos Imperio, idem mos in Germania permansit, quod ex antiquarum historiarum monumentis satis liquet. Non solum enim urbes, sed & Ducatus ac integræ provinciæ Regni titulo hodie insignes, sub Imperatorum nostrorum clientela fuisse, illius ævi scriptores annotarũt. Burgundiæ regnum, antea pene avulsum à Germania verum ab Ottone M. nonnihil in ordinem redactum, ex eo tempore, usq; ad Conradum Saliquum (cui illud ab ultimo Rege testamento donatum) in clientela Regum Germaniæ fuisse, ex *Frodoardo*, *Wittikindo & aliis* notat *Nobilissimus Conringius* præclaro opere *de Finibus Imperii Germ.* Henricus III. alias Niger dictus, Petrum Regem Hungariæ, ab Ovone quodam Regno pulsum, in clientelam recepit, eumq; cum exercitu iterum restituit: postea Petro à suis perfide interempto, Andreas ab Hungaris Rex electus, missis ad Imperatorem legatis, de cæde Petri se excusat, seq, in clientelam Cæsaris dicat, si ejus beneficio, auctoritate & pace, rerum Hungaricarum potiretur. Salomon quoq; post hunc Rex Hungariæ factus, ab Henrico IV. in clientelam receptus fuit, uti *Dn. Conringius jam citato opere*, ex *Aventino, Sigeberto Gemblacensi, Bonfinio & Lamberto Schaffnaburgensi* late ostendit. Henricus V. Imperator Amadæum ejus nominis Secundum, Comitem Maurieñæ, creavit Sabaudiæ Comitem, hac inter alias lege, ut clientelari feudalive imposterum jure Sabaudia Imperium Romanum respiceret; ut refert *Lambertus van der Burch in Originibus Ducum Sabaudiæ*, citante *Conringio* modo dicto libro, ubi etiam *ex Arnoldo Lubecensi* observat Cypri atque Armeniæ Reges in clientelam Henrici VI, qui tum temporis expeditionem in Palæstinam susce-

cap. 12.

cap. 17.

cap. 13.

cap. 17.

susceperat, concessisse. Nec tantum Imperatores, sed & alii Principes potentiores, eos, qui ad opem illorum confugerant, in patrocinium atq; in clientelam recepere. ita *Marquardus Freherus in Orig. Palat.* testatur, ex eo tempore, quo Ducum Bojoariæ familia Palatinæ Domui per connubium Ottonis II. Ducis Bojoariæ cum Agneta Henrici junioris Comitis Palatini unica filia, inserta fuerit, complures Regulos, Comites, Barones, milites, ingenuos, defensionis & patrocinii ergo, se suaque in Palatinorum fidem, ultro dedisse. part. 1. c. 14.

XVII. Plura ejusmodi clientelarum exempla ex historiis si opus foret adduci possent, verum ut brevitati studeamus, & ad nostra propius accedamus tempora videndum, an hic mos sequentibus temporibus, ita propagatus adhuc apud nos vigeat. Superiore itaque seculo duo maxime illustria exempla nobis sese obtulere, quorum primum est, quod Duces Lotharingiæ Anno cIↃ IↃ XLII. à Ferdinando Rege Romanorum in specialem Imperii Rom. tutelam recepti sint, conscripta super ea re transactione quam Lotharingicam vocant, cujus tenorem videre licet apud *Magerum* sæpe dicto opere. Alterum exhibet transactio Burgundica, in Comitiis Augustanis, Anno cIↃ IↃ XLIIX. concepta, qua Carolus V. Imperator provincias inferioris Germaniæ, una cum Burgundia, quam hereditario jure possidebat, tutelæ Imperii commisit: quam verbotenus recenset idem *Magerus*, loco citato. Notum alias est civitatem Erphordiensem ab imemoriali tempore, in clientela Ducum ac Electorum Sax. fuisse, & adhuc existere; quorum etiam tutelæ hodie subsunt Mülhausen & Northausen Imperii civitates. c. 5. n. 504. c. 5. n. 509.

XVIII. Delineavimus hactenus originem clientelarum, & quomodo usque ad nostra tempora propagatæ sint; Consequens est ut *finem* investigemus quare jus clientelare in bene constitutis rebuspublicis introductum, severisq; legibus sit firmatum. Constat inter omnes absq; civium concordia rempublicam non posse esse salvam: Nihil enim magis ad tranquillitatem societatis humanæ facit, omniumque turbarum causas, atq; omnem status publici dissipandi, pacisq; turbandæ occasionem tollit, quam si caveatur, ne potentiores, tenuiorum fortunis inhient, juribus & libertati eorum insidientur, iisque ob hæc vim inferant; tum etiam ne pauperes ditioribus invideant,

eos-

Id in confesso est, neutram partem sive pauperum sive divitum, æqualitatem & inæqualitatem, quam tantopere extollunt, ex iis principiis, ex quibus debebant, repetere; quippe cum nec opes nec libertas, nec aliud bonum externum, sed sola virtus sit verum æqualitatis personarum fundamentum, secundum cujus mensuram, honores administrationesque publicæ distribui debebant. Sed quis illis hoc persuadeat, quos amor sui nimium excœcat, & caliginem judicio offundit. *Fere plerique*, inquit Aristoteles, *de rebus suis mali sunt judices.* Et forte nondum plene ad liquidum est deducta tota hæc doctrina de æqualitate inter divites & pauperes introducenda. *Ipse Aristoteles*, de democratia agens, fatetur admodum esse difficile æqualitatem istam Arithmeticam invenire, quæ nemini in republica injuriam faciat, facilius tamen esse eam indagare, quam potentioribus persuadere, ut ea uti velint. Etsi enim tenuores nihil aliud spectent hac sua æqualitate, quam ne opprimantur à ditioribus, difficulter tamen in officio continentur illi, qui viribus & potentia eminent, nec facile adduci possunt, ut æquo jure cum tenuioribus vivant. *Plato, citante Piccarto ad adductum Aristotelis locum*, dixit: Dei judicium esse, æqualitatem ejusmodi determinare.

3. Pol. c. 3. — *loco citato.* — *6. Pol. c. 3.* — *l. 6. de leg.*

XXI. Aristoteles sane in opere suo Politico non semel inculcat harmoniam istam pauperum atque divitum, putatque obtineri eam posse aliquo modo, si legislator mediorum civium perpetuo majorem curam habeat, quam extremorum, tum enim medii extrema, tanquam in æquilibrio pacis, continebunt, firmabuntque Rempublicam. Aut si forte tanta copia mediorum non suppetat, operam dandam, ut ipsa administratio Reipublicæ, probe divisa & quasi mixta sit inter divites ac pauperes: quod fiet, si primo utraque pars consueto suo rigori nonnihil detrahat, sibique invicem aliquantum concedant: quo magis enim ab extremis recedunt, eo rectius inter se conjungi possunt. Ergo omnino necessarium est, ut uterque ordo imperii sit particeps, ita quidem, ut vel æquales numero ex utrisque deligantur, vel si non numero, proportione tamen æquales; prout elegan-

6. Pol. c. 3. tissime de Democratia quidem ostensum ab Aristotele. Hæc tamen cautela ab eodem notata, sollicite legislatori observanda; 5. Pol. 8. utile enim esse ait, tum in Democratia, tum in Oligarchia iis, qui Reipublicæ administrationis minus sunt participes, aliarum rerum aut æqualitatem, aut primas partes dare: in Democratia locupletibus, in Oligarchia pauperibus; reliqua vero imperia, in quibus totius Reipublicæ publica consistit auctoritas & potestas, solis iis, aut pluribus ex iis, qui Rempublicam administrant, committere. Ne scilicet status Reipublicæ sensim immutetur.

XXII. Atque huic efficacissimo æqualitatis introducendæ remedio, si ab utraque parte accedant cætera humanitatis officia, & benevolentiæ indicia, qua in gestu, qua in alloquiis, altera alterius commoda promoveat, incommoda declinet, forte sic satis bene talis respublica se habebit, dum nemo vel se opprimi, vel contemni conqueri queat, sed omnes pari jure inter se vivant. Expressit hanc ordinum harmoniam eleganti simili *Cicero* in libris de republica, ex quibus hoc fragmentum servavit *Augustinus*. l. 2. de civit. Dei c. 21. *Ut in fidibus*, inquit, *ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus, concentus quidam est tenendus, ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur & congruens: Sic ex summis & infimis & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimilimorum concinit, & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum omni in rep. vinculum incolumitatis.* Faciunt huc quoque verba Menenii Agrippæ in pereleganti illa fabula de discordia membrorum corporis humani cum ventre, quâ plebem, quæ in montem sacrum secesserat, in urbem revocavit, patribusque reconciliavit, ostendens, in firma ordinum conjunctionè atque concordia, pacem reipublicæ, in discordia vero interitum positum esse.

XXIII. Huc igitur quin Romulus quoque in constitutione suæ reipublicæ maxime respexerit, non est dubitandum, putaveritque, præter alia conciliandi animos divitum

&

& pauperum instrumenta, concordiamque in Republica stabiliendam, nullum melius fore, quam hoc jus clientelare. Eam maxime ob causam, ne inferiores à potentioribus cubito quasi protruderentur, aut egeni ac viles eminentioribus inviderent. Neque hac sua spe frustratus, feliciter finem, quem intenderat, obtinuit. Mutua enim hæc patronorum atque clientum copula per multas ætates permansit, ingensque certamen fuit utrisque, ne vincerentur mutua gratia & benevolentia, dum clientes patronis omnia pro virili obsequia præstare nitebantur, & vicissim patroni nullis corrumpi muneribus poterant, ut clientes injuria affici finerent. Ab his itaque initiis ex auctoritate Romuli, firma Romanis coaluit pax, & licet non defuerint inter plebem & honoratiores, controversiæ de republica, autoritate tamen Patronorum & obsequio clientum res facile composita fuit, donec Gracchus hanc ordinum harmoniam turbavit, oppresso, perniciosis legibus latis, senatorio ordine, plebei contra autoritate in majus adaucta, unde quoque primus Romanæ reipublicæ eversor ab Historicis perhibetur.

XXIV. Quanquam verò, uti jam ostensum, concordia civium indeque dependens salus reipublicæ, verus clientelæ finis sit, accessere tamen etiam alii fines, quos ratione illius, minus proprios vocare possumus. Patroni namque, quorum in clientelam inferiores sese dedere solebant, in suscipiendis iis, magis privatum, quam publicum, respiciebant commodum: generosiores quidem cumulabant clientelas, quo sibi inde gloriam atque magnificentiam compararent, eoque in majori honore haberentur, quo plures eorum ope indigerent. Jam tum enim apud Romanos, maxima laus erat Nobilium, habere clientes quam plurimos, non hæreditariis tantum clientelis conservatis, verum etiam novis propria virtute partis. Quemadmodum autem multum requirebatur ad hoc, ut quis tantam sibi conciliaret autoritatem ac fidem, quo inferiores sua sponte alicujus patrocinio sese crederent, ita contra illi, qui patrem aut proavos alicujus patronos elegerant, haud facile nisi magna de causa clientelam filii deserebant. Alii vero felicitatem suam, *Dion. Halic. l. 2. c. 10.*

non virtute, sed fortuna metientes, clientelas à parentibus acceptas sollicite quidem conservare, aliasque iis addere solebant, sed spe lucri, aut alterius commodi gratia, qui hodie præcipuus omnium fere clientelarum scopus esse consuevit. De quibus videtur loqui Comicus, quando ait:

Plaut. in Menaech. Act. 4.

———— Morem habent hunc.
Clientes sibi omnes volunt esse multos,
Bonine an mali sint, id haud quæritant,
Res magis quæritur, quam clientium
Fides ejusmodi clueat.
Si est pauper atque haud malus, nequam habetur,
Sin dives malus est, is cliens frugi habetur.
Qui neque leges, neque æquum bonum usquam
Colunt, sollicitos patronos habent.

XXV. Accedit his tertium genus, eorum scilicet, qui ambitiosi ac turbulenti sunt ingenii, nec alium in finem clientelas sibi conciliant, quam ut suam potentiam eo majorem reddant, progressuque temporis in tantum adaugeant, ut quando illis libitum fuerit, impune res novas moliri, & rempublicam turbare possint, & ita optimo ac saluberrimo ad salutem publicam conservandam instituto, ad eius cladem atque interitum pessimo exemplo abutuntur.

XXVI. Ne vero idem illud, quod pro reipublicæ utilitate institutum, in eius detrimentum vergeret, varie huic malo obuiam itum, multisque remediis nimiam unius aut paucorum potentiam restrictam legimus. In nonnullis enim rebus publicis, non tantum homines turbulentos, sed & alios qui opibus atque clientelis nimium valebant, urbe pulsos invenimus, à quibusdam quidem honesto titulo præfecturæ, aut legationis, quod Romani in usu habebant, ab aliis vero statim, nulloque prætextu, in exilium ire iubebantur, quod Syracusis per pedalismum, apud Argivos vero & Athenienses per ostracismum fieri solebat. Etenim cum non raro eueniret, ut homo novarum rerum studiosus, si ad potentiam aliquam pervenisset, aut rempublicam ad se trahens, Tyrannidem constitueret, aut si ad hunc apicem pervenire non posset, maximas in civitate turbas daret; hinc

hinc communis politicorum regula nata; diligenter cavendum esse, ne quis unus honoribus, aut opibus, genere, clientelisve supra alios nimis exsurgat; quod & Aristoteles in libris Politicorum sæpius inculcare solet.

XXVII. Neque immerito bene constituta respublica sibi ab huiusmodi hominibus cavere debet, cum malitiosis nunquam voluntas turbandi statum desit, quique si potentia accedat, haud quiescunt; boni vero cives licet ita animati non sint, summa tamen fortuna haud raro animos mutat, nec est cuiusvis non insolescere fortuna secundiore, cum difficilius multo putetur, fortunā secundam quam adversam recte ferre. Atque hæc maxime causa subesse videtur, quare & boni alias viri, si ad nimiam assurgant fortunam, suspecti Democratiis redditi, & æque ac alii, si fieri potuit, in ordinem redacti sint.

XXIIX. Omnium autem maxime sibi hac in re prospicere solent, qui tyrannicum in suos exercent imperium; dum enim timeri magis quam amari à subditis cupiunt, omnem facultatem sibi nocendi iis eripiant necesse est. Hinc variæ artes excogitatæ, quibus illustriorum potentiam frangant, aut eos longius amovendo, aut eorum opes conterendo, aut deniq; sub specie criminis commissi, vitam cum opibus eripiendo, sibi securitatem pariant. Quod remedium ad stabiliendam dominationem haud ignorarunt quidam Romanorum Imperatorum, qui illustriorem quemq; è medio sustulerunt, quo nihil sibi timendum esset; quod innuit *Tacitus*, quando meliorum imperia cum deterioribus comparans, ait: *Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur. nam etiam tum plebem, socios, regna colere & coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen & clientelas illustrior habebatur; postquam cædibus sævitum, & magnitudo exitio erat, cæteri ad sapientiora convertere.* Quasi dicat: Olim quidem gloriæ & magnificentiæ erat, opibus excellere, sumptibus minime parcere, multos sibi socios atque clientes comparare, atque ita cum reliquis magnificentia certare; postea vero cum in splendidissimum quemque cædibus sæviretur, & multi 3. An. 55.

nobilium interfecti essent, nulla alia de causa, quam quod ob claritatem nominis, atque potentiam Principi suspecti essent, cæteros, aliorum periculo melius edoctos, quo sibi consulerent, nullas opes ad ostentationem congerere, nullos socios ob potentiam suspectos sibi iungere, nec amplius clientelas in infinitum cumulare voluisse. Hisce igitur atque aliis modis coërcitos reperimus eos, qui salubre hoc reipublicæ institutum, in eius perniciem vertere conati sunt, aut tanquam statui graves, in suspicionem venerunt.

XXIX. Restat adhuc exponere *formam* iuris clientelaris, quæ partim in susceptione clientum, partim in mutuis officiis patronorum & clientum consistit. Ipsam constitutionem clientelæ optime Dionysius Halicarn. loco sæpius laudato, exponit, quando in hunc fere sensum loquitur: Romulum commendasse patritiis plebeios, optionemque cuique è vulgo dedisse, ut quem vellet patronum sibi legeret. Itaque progressu temporis factum, ut non tantum in ipsa urbe, plebs patriciorum sibi quæsiverit patrocinia, sed & multæ civitates, coloniæ, & denique etiam bello subactæ, suos sibi, quoscunque vellent, è Romanis elegerint tutores atque patronos, quos auctoritate & fide præ cæteris claros noverant, qui eos ab omni injuria tutos, inque omni negotio, suam operam præstarent. Formulæ ipsæ susceptionis, aut deditionis licet multis ex historia petitis exemplis ostendi queant, puto tamen eas rectius addisci non posse, quam tabulis illis æneis, quibus ejusmodi formulæ inscribebantur, atque in domibus patronorum postea suspendebantur. Retulit ejusmodi tabularum exempla etiam doctissimus *Gruterus* in inscriptiones veteres, quas ad rei literariæ nunquam intermorituram utilitatem, summo labore, unum in corpus congessit.

pag. 470. *n.* 1. & 2. XXX. Inter alias duæ extant, quarum prima civitas *Apisia*, altera S. P. Q. *Siagitanus*, C. Silium, C. F. Fab. Aviolam patronum sibi cooptarunt: altera parte tabulæ civitas Apisia C. Silium, liberos, posterosque ejus; sibi, liberis, posterisque suis patronum cooptant: altera vero, C. Silius civitatem Apisiam, liberos, posterosque eorum, sibi, liberis, posteris-

sterisque suis in fidem clientelamque recipit. Altera tabula iisdem quibus prior verbis concepta est, tantum mutatis nominibus. Alia habetur in appendice inscriptionum, quam domo J. Silii Juliani posuere collegium Fabiûm & Centenariorum Rhegiensium: præmissis nominibus Consulum relatio habetur Quæstorum collegii, qui retulerunt ita: *Jul. Silium Julianum, virum & vita, & modestia, & ingenita verecundia ornatum, & liberalem, oportere collegii nostri patronum cooptari, ut sit cæteris exemplo, judicii nostri testimonium.* Huic relationi Quæstorum subjungitur decretum civitatis quod ita habet: *Salubri consilio tam honestam relationem à Quæstoribus & magistris collegii nostri factam, & singuli & universi sentimus, & ideo excusandam potius honesto viro Juliano, huius tardæ cogitationis nostræ necessitatem, petendumque ab eo, libenter suscipiat collegii nostri patronalem honorem, tabulamque aream, cum inscriptione huius decreti nostri, domo eius poni patiatur.* p. 1101. n. 1.

XXXI. Admodum autem illustris est illa tabula, qua Peltuini Nummiæ Variæ Sacerdoti Veneris sese in clientelam dant, quam quia à cæteris longe differt, & ad rem nostram maxime illustrandam facit, integram huc appono. p. 443. n. 6.

C. Vettio Attico &
C. Asinio Prætextato Cos.
Pr. Idus April.

Peltuini Vestinis in Curia Aug. Ordinem habentibus T. Avidiacco Restituto, & Blasio Natale Aedd. QQ. scribundo adfuerunt, quod universi verba fecerunt.

Nimirum Variam C. F. Sacerdotem Veneris felicis ea adfectione, atque prono animo circa nos agere cœpisse, pro instituto benevolentiæ suæ, sicut & parentes ejus semper egerunt, ut merito debeat ex consensu universorum patrona præfecturæ nostræ fieri, quo magis magisque hoc honore, qui est apud nos potissimus, tantæ claritati ejus oblato, dignatione benignitatis ejus gloriosi & in omnibus tuti ac defensi esse possimus. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.

Placere universis conscriptis Nummiæ Variæ C. F. Sacerdoti Veneris Felicis pro splendore dignitatis suæ, patrocinium præ-

præfecturæ nostræ offerri, petique ab ejus claritate, & eximia benignitate, ut hunc honorem sibi à nobis oblatum libenti & prono animo suscipere & singulos universosque nos remque publicam nostram in clientelam domus suæ recipere dignetur, & in quibuscunque ratio exegerit, intercedente auctoritate dignitatis suæ, tutos defensosque præstet. Tabulamque æneam, hujus decreti n. verba continentem, offerri ei per Avidiaccum Restitutum & Blasum Natalem qq.

Item Numisenum Crescentem & Fl. Priscum primores Ord. n. viros censuer.

p. 362. & seqq. Plures tabulæ hujus argumenti in dicto opere videri possunt, adductæ instituto nostro sufficiunt. Eodem autem modo quo se civitates, aut universitates alicui in clientelam dederunt, etiam privati homines, patronis se suaque omnia commendabant; ita ut eadem formula usi reperiantur. Ita *Terentius* introducit clientem, qui sese patronæ submittebat, ita loquentem: *Ego me tuæ commendo fidei, te mihi patronam capio.* Et alibi: *Thais patri se commendavit, in clientelam & fidem nobis dedit se.*

Eunuch. Act. 5. Sc. 2.

Act. 5. Sc. 9.

XXXII. Ex quibus liquido patere potest, modus quem veteres observarunt tam in adoptandis patronis, quam suscipiendis clientibus: Simul inde discimus, plerumque absque ullis id factum esse conditionibus, cum clientes ab iis, quorum tutelæ sese commiserant, ob eorum candorem atque integritatem, nihil timerent, neque hi aliud à clientibus, præter honorem & reverentiam cum officiis consuetis exigerent; ita neque patroni cavere quicquam, neque clientes promittere opus habebant. Posterioribus vero temporibus, cum clientelæ in quæstum verterentur, & defensio primus ad servitutem gradus esse cœpisset, necesse fuit, certum quid patronis promittere, ne semper incerta à clientibus postularentur; & vicissim cautionem à patronis exigere, ne ab iis oppressi, subditorum plane loco haberentur. Quo enim magis clientes patronorum iniuriis expositi sunt, dum se suaque omnia eorum fidei ac potestati credidere, tanto maiori cautione adversus malorum patronorum fraudes, atque

que perfidiam opus habent, ne patrocinii specie libertatem amittant. Vere namque *Bodinus: Clientelare fœdus omnium esse periculosissimum, nisi bene accurateque libertati clientum caveatur, quoniam sæpissime fiat, ut patroni in dominos, vel etiam in tyrannos, clientes in subditos sæpius etiam in servos evadant.* Et paulo post: *Periculosum est igitur, alterius Principis clientelam sine justissima causa subire: licet enim nullius imperio tales teneantur, se ipsos tamen suaque omnia potentiorum arbitrio subjungere videntur, ut eosdem quos illi hostes habeant & amicos; proque eorum dignitate & æstimatione, necesse habeant, æque ac pro se ipsis pugnare, & eadem quæ illi detrimenta & pericula subire, victoriarum tamen utilitates nullas omnino adipisci. Quo fit, ut qui melius sibi caveant, hujusmodi clientelam, nisi armis coacti, aut potentium injuriis oppressi, adire nolint.*

l. 5. de rep. c. 6. p. 914.

p. 918.

XXXIII. Cum vero, uti ex tabulis clientelaribus supra adductis patuit, olim magni beneficii loco habitum fuerit, in clientelam alicujus recipi, fortasse hodiernis temporibus clientes maximi commodi loco reponere debent, quod difficilibus & molestis careant patronis, atque hoc ob insecutum, & indies magis magisque crescentem abusum. Satis enim superque notum est, nonnullos principes jure hoc clientelari, quasi modo propagandi imperii jam dudum usos fuisse. Ita Romani sociis defendendis terrarum domini evasere; & cum olim Sequani cum Heduis de principatu contendentes Ariovisti patrocinium atque opem implorarent, Ariovistus devictis Heduis superbe atque crudeliter Sequanis imperare cœpit, illosque licet clientes, durissime tractavit, denique majori terræ eorum parte occupatâ, eos imperio suo subdidit, iisque per annos quatuordecim potenter dominatus est, usque dum à Cæsare victus Galliam deserere coactus fuit. Superiori seculo Cameracum, Tullum, Verodunum, atque Metis, quæ liberæ Imperii urbes erant, cum sese in Gallorum Regis clientelam darent, sub plausibili patrocinii nomine ab Imperio avulsæ sunt, libertatemque pristinam amiserunt. Frustra enim hic laborat *Bodinus*, quando ait; Carolum IX. Regem Veromanduos, Tullos,

Cæs. de bello Gall. l. 1.

l. 5. de rep. c. 6.

los, ac Metenses jure in provinciæ formam redegisse, eo quod allatum fuisset, clandestinis coniurationibus id agi, ut Hispanos in urbes admitterent: quasi non jam tum Henricus II. postquam has urbes partim vi, partim multis magnisque pollicitationibus, atque promissis, ut suam fidem eligerent, suæque sese submitterent clientelæ, adegisset, statim urbium portas omnesque munitiones in suam redegerit potestatem, inque sua verba (quod dominorum, non patronorum est) Senatum populumque, præfecto iis constituto, armisque ademptis, jurare coëgerit, uti testatur *Sleidanus*, qui ejus temporis gesta summa cum fide annotavit. p. 918. l. 24. Eodem sane modo Ordines nonnulli inferioris Germaniæ, cum sese Hispanico Imperio subducentes, Alensonio in tutelam commisissent, pene ex clientibus subditi facti fuissent, si eventus consiliis Alensonii respondisset.

XXXIV. Verum res per se clara, & exempla plura cumulare non est necesse; illud potius inspiciendum, quomodo huic malo obviam eundum, & cum ejusmodi tempora incidere possint, ut civitas absque patrono, salva esse nequeat, quænam adhibendæ sint cautiones, ne eodem modo quemadmodum aliæ respublicæ, specie patrocinii in servitutem redigantur. Primo itaque ante omnia cavendum, ne facile gratuita ineamus patrocinia, cum semper periculum subesse soleat, ne tales clientelæ, etiamsi à potentioribus oblatæ fuerint, plus noceant, quam prosint. Quanquam enim olim illud demum patrocinium appellatum fuerit, quando tenuiores liberam & gratuitam superiorum clientelam subirent, cum merces officio haud debeatur; hodie tamen nemo gratis patrocinium præstat, imo inferiores nonnunquam, invitis ac recusantibus patronis, honorarium promittunt, ut per hoc ceu mercede ad opem ferendam eos adstringant. *Postquam enim utilium & honestorum confusa ratio est, patrocinia potentium mercede conduci oportuit, ne imbecilles injuria tyrannorum opprimerentur:* uti optime hac de re loquitur *Bodinus*. l. de rep. c. 6. Quippe cum hodie eo animo plerique omnes simus, ut nullam molestiam absque spe lucri, aut inde emergentis commodi, propria adeamus voluntate, haud

haud facile credo quisquam reperietur, qui difficile atque periculosum illud defensionis onus gratis in se suscipiat, cum nemo suo cum incommodo, alterius promovere commodum soleat. Maxime itaque metuendum, ne, dum patronus oblatum spernit honorarium, majori inhiet utilitati, & cum negligat pecuniam, libertatem ipsam nobis eripere tentet. Idcirco securitati suæ optime consulunt, qui certa promissa pecuniæ summa, potentiorum sibi emunt auxilium: tum enim defendere clientes tenentur, nec quicquam aliud ab iis exigere possunt.

XXXV. Deinde clientes ante omnia observare debent, ne ad longum & indefinitum tempus patrocinia contrahant, sed breviore temporis intervallo ea terminent. Ita enim juris clientelaris abusui optime obviam iri poterit, cum multæ res ex temporis diuturnitate in abusum vergere soleant. Cui accedit quod, si forte ad longum tempus patrocinium constitutum sit, nunquam, aut admodum difficulter illud, sibi ob iniquitatem patroni aut alias ob causas damnosum, mutare clientes queant, adeo ut longe melius sit, breve aliquod, idque certo annorum spatio definitum tempus, constituere, quo elapso aut abire à clientela, aut eandem renovare liceat; ita ut, si clientibus initum patrocinium grave videatur, mutare illud, si vero honestum atque proficuum, continuare pro lubitu possint. Quod enim de Vasallis dici solet, eos fiduciam dominis suis renunciare posse, si durius & acerbius, quam par est, habeantur; idem de clientibus judicandum est, ut si patronus leges fœderis neglexerit, neque etiam cliens patrocinii legibus stare opus habeat. *Bod. de rep. l. 5. c. 6.*

XXXVI. Aliud *Bodinus* remedium affert, quo suæ clientes libertati caveant; Si nempe iis patrocinii tabulæ, quas hodie protectionis literas appellant, à patronis dentur, quibus contineatur, ad quid patroni atque clientes sibi invicem obligentur; his enim expressis, declarant reliquis se teneri nolle. Longo vero intervallo hæ ab antiquis illis supra adductis tabulis distant, quibus nihil comprehendebatur, quam addictionis in clientelam, & susceptionis in patrocinium formula, nullis omnino intervenientibus pactio- *loco citato.*

 nibus

nibus aut conditionibus, quæ in hodiernis utramque faciunt paginam. Quapropter optimam iterum cautelam nobis suggerit *Bodinus*, ut nempe hæ conditiones, quam maxime fieri possit, æquissimæ ineantur, neque alia patrono in clientem potestas concedatur, quam sine qua eum commode tueri non possit; reliqua jura salva atque integra clientibus reserventur: ita ut singulariter cavendum, & in constituenda clientela determinandum sit, patronis, ultra illa tabulis expressa pacta, nihil juris in clientes esse debere. Certis enim his limitibus si constringantur patroni, eos metu amissionis clientelarum transgredi non audebunt, atque ita clientes eo tutius iis sese committere poterunt. Interim diligentissime observandum, ut conditiones, quibus clientes sese aliorum patrocinio submittunt, antequam inserantur tabulis, prudenter concipiantur, quo certæ ac perspicuæ sint, neque callidas admittant interpretationes. Cum enim tam patronis quam clientibus tabulis istis standum sit, sane necesse erit, ut quæ in iis exprimuntur clara sint, nec ullis verborum tegantur involucris, ne, dum quilibet verba ad suum applicat sensum, maximæ lites & controversiæ oriantur, cum vix frequentior ac speciosior reperiatur perfidiæ prætextus, quam ambiguitas verborum. Et quanquam non desint optimæ interpretationis regulæ, quas singulari studio & diligentia collegit *Hugo Grotius*, non tamen semper ab adversa parte admittuntur, aut ab utraque observantur. Melius itaque est, hisce ab initio perspicuitate verborum consulere, quam postea, quomodo interpretanda sint litigare.

l. 5. de rep. c. 6.

de jure belli & pacis l. 2. c. 16.

XXXVII. Ut autem æquis clientela ineatur conditionibus, danda opera, ne iniquiore tempore patronum eligamus, nec in medio demum periculo, quasi in summa tranquillitate, de præsidio tutelari deliberemus. Sicut enim jam instante periculo difficulter inveniuntur auxilia, quæ in pace non quæsita, ita qui periculosas ejusmodi clientelas suscipiunt, vix patientur sibi à clientibus conditiones præscribi, adeo ut durissimas interdum inire cogantur pactiones, si à periculo imminente liberari velint. At non nisi efflagitante summa necessitate patronus eligendus, ob periculum

lum amittendæ libertatis', cum, uti dictum, hodiernæ clientelæ primus ad servitutem gradus esse soleant! Verum necessitas quoque recipit suos gradus; quemadmodum enim ille suis rebus male consuleret, qui in summa omnium rerum quiete, absque ulla causa periculosam clientis aleam subiret; ita etiam ille, qui cum seipsum tueri non possit, tamdiu in eligendo patrono cessaret, donec ingruentibus penitus obruto periculis, inde evadendi spes nulla superesset. Itaque si viri prudentes ad clavum reipublicæ sedeant, facile malum aliquod ex longinquo prævidebunt, cui resistendo si pares non sint, opportuno tempore aliorum tutelæ sese committent, cum illi quos defensores eligunt, aut periculum non præsentiant, aut illud facili negotio averti posse sperent.

XXXVIII. Adjungamus adductis cautelis adhuc unam, quam *Bodinus* omnium cautionum maximam vocat. Ne patroni clientium arces vel oppida præsidio militari teneant. Cupido namque regnandi ita omnium animos invasit, ut vix quisquam inveniatur, qui non malit aliis imperare, quam æquali jure cum iis vivere. Igitur cum hæc voluntas præsertim in potentioribus plerumque præsumatur, omnibus modis cavendum, ne facultas, illam voluntatem perficiendi, istis concedatur. Hoc enim modo clientes in manu ac potestate patronorum toti erunt, & quicquid patronis libitum fuerit, clientes facere cogentur. Id quod optime plebi, quæ in montem sacrum secesserat, contra patres suggerit Brutus, quando ait: unam esse tenuium adversus potentiores securitatis cautionem, ut scilicet potentes, si nocere velint non possint, cum nocendi voluntas, ambitiosis hominibus & imperandi cupidis, nunquam sit defutura. Quod si vero ea clientium sit conditio, ut aliter tuti esse non possint, nisi tempore belli arces ac civitates eorum protectoris defendantur militibus, hoc temperamento recipiendi sunt, ut numerus non sit major, quam ad necessariam requiratur defensionem, atque bello finito, & metu evanescente, statim urbibus excedant, nec diuturniorem in illis stationem habeant, ne longiore tempore dominium

l. 5. de rep. c. 6.

Dion. Halic. l. 6. c. 78.

cum custodia præscribatur, ut inde nec vi expelli possint. Hoc modo Vienna, Constantia, Trajectum ad Mosam, quæ urbes Archiducum Austriæ patrocinio sese dederant, recepto
l. 5. de rep. c. 6. præsidio libertatem amiserunt, uti testatur *Bodinus*, qui latius hasce cautelas, multis ex historia adductis exemplis, illustrat; quique eum in plerisque secutus *Magerus à Schœnberg*. Nobis modum constituendæ clientelæ, tam apud veteres quam hodiernos usitatum, paucis delineasse, quibusque cautionibus clientes, adversus patronorum injuriam sese tueri debeant, indicasse sufficiat.

de Advoc. arm. l. 9. à §. 339. usq. ad §. 373.

XXIX. Ordo nos ducit ad exponendam mutuam inter clientes atque patronos obligationem, & quænam sibi invicem officia præstare teneantur. Tripliciter ea dividit *Halicarnasseus*, in ea scilicet, quæ clientes à patronis exigebant, & quæ rursus patroni à clientibus, & denique quæ communia utrisque erant, quibusque mutua illa necessitudo quam maxime declarabatur. Primum genus officiorum, quod Patroni clientibus debebant, in opera præstanda quam maxime consistebat. Docet hoc nos *Terentius*, quando servum, qui adolescentem instruit, quomodo fallat patrem, ita loquentem introducit.

Adelph. Act. 4. Sc. 1.

Syr. Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis? Clitiph: Sunt: quid postea?
Syr. Hisce opera ut data sit.

Ad quæ *Magnificus Dominus Præses, Præceptor ac hospes plurimum honorandus, in Chrestomathia Terentiana* notat: *Cliens inter ea necessitudinum nomina, quæ ad officium excitant; clientibus autem operam dari, ex hoc ipso loco constat.* Hasce vero operas ordine enumerat Halicarnasseus: quarum prima est, quod patroni clientibus de jure, cujus plerumque ignari erant, respondere, idque illis interpretari tenerentur, ne ex juris ignorantia, in judicio causa cadentes, damnum aliquod paterentur: id quod inter alios etiam testatur *Horatius*, quando ait:

l. 2. ep. 1.

Roma dulce diu fuit & solenne, reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura.

Altera quæ ex priori fluit erat, quod si clientes in jus vocaren-

carentur, patroni accusatoris impetum sustinere deberent, ne, cum ut plurimum plebeii essent, in primordio litis, ex imperitia forte peccarent, & ita causa caderent: Atque si quando cliens in judiciis ab adversariis opprimeretur, aut detrimentum aliquod pateretur, patroni totam in se susciperent litem, proque injuste circumventis in judicio respondentes, totis eos viribus defenderent. Neque tantum præsentium verum etiam absentium cura erat gerenda, ne, dum ipsi propter absentiam se tueri, accusatoribusque aut aliis qui ipsos insectabantur, resistere non possent, aliorum expositi essent ludibrio. Unde in tabulis clientelaribus expressa hæc formula addi solebat: *ut in omnibus tuti ac defensi esse possimus*, item: *ut in quibuscunque ratio exegerit; intercedente autoritate dignitatis suæ, nos tutos defensosque præstet.* Quod certe magno cum clientum commodo inter patronorum officia relatum.

XL. Ut uno verbo absolvam, patronos in omnibus rebus atque negotiis, tam in pecuniariis quam aliis contractibus, pro clientibus omnia facere oportebat, quæ parentes pro filiis facere consueverunt; quæ obligatio, cum omnium sit arctissima, omnia etiam in se comprehendit officiorum genera, quæ homo homini præstare ullo modo potest. Atque hinc illud fluere videtur, quod non tantum nosmet ipsi clientibus ita obstricti simus, sed quod etiam propinqui nostri, si ita requirat necessitas, auxilio illis præsto esse debeant. Id quod apud Romanos in usu fuisse, liquet ex dicto illo C. Cæsaris Pontificis, quod affert *Gellius*, quando de officiorum gradu atque ordine moribus populi Romani observato agit. *C. Cæsar* (verba sunt Gellii) *in oratione quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est: Vel pro hospitio Regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum res agitur, defugere hoc munus M.V. non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin à proximis retineatur, neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.* Quid quod & cariores nobis clientes quam proximi esse debeant, ut, si cliens cum nostro cognato litem habeat, clienti contra cognatum

Noct. Att. l. 5. c. 13.

natum ſubveniendum ſit, quod moris Romæ fuiſſe teſta-
Noct. Att. l. 20. c. 1. tur idem *Gellius*, quando Sex. Cæcilium JCtum in colloquio cum Favorino Philoſopho ita loquentem introducit: *Populus Romanus clientem in fidem acceptum cariorem haberi quam propinquos tuendumque eſſe contra cognatos cenſuit; neque peius ullum facinus exiſtimatum eſt, quam ſi cui probaretur, clientem diverſui habuiſſe.*

XLI. Verum uti primis temporibus, boni ac juſtitiam amantes patroni tantum clientium injuria affectorum cauſas contra accuſatores tuendas ſuſcipiebant, ita progreſſu temporis, cum nullum vitium eſſet ſine patrocinio, etiam peſſima clientium commiſſa, atque improba delicta à ſuis ſibi ſimilibus, id eſt, peſſimis patronis defendi ſolita ſunt. Quod *in Menæch.* inter alia multa teſtimonia *Plauti* indicat locus, quem, quia ad hanc rem illuſtrandam apprime facit, huc apponere lubet.

Iuris ubi dicitur dies, ſimul
Patronis dicitur, quippe qui pro illis
Loquantur, male quæ fecerint, aut ad
Populum, aut in jure apud judices res eſt.
Sicut me hodie nimis ſolicitum cliens
Quidam habuit, ita me attinuit, ita me detinuit,
Apud Aediles pro ejus factis plurimis
Peſſimiſque cauſam dixi.

XLII. Alterum vero genus officiorum continet ea, quæ clientes pro acceptis à patronis ſuis beneficiis reddere tenebantur. Inter quæ cum ſingularia Romulus retulerit officia, operæ pretium erit, ea breviter conſiderare. Primum itaque clientes, patronos ſuos ad paupertatem redactos, in elocandis filiabus juvare tenebantur, ne indotatæ inferioris conditionis viris nubere cogerentur. Mirari igitur *de jur. Maj. l. 1. c. 4. n. 2.* merito licet cum *Arniſæo*, quod *Bodinus* tam audacter aſſerere auſus fuerit, nuſquam alibi, quam à *Plutarcho* hujus rei mentionem fieri: cum *Dionyſius Halicarnaſſeus* non tantum hoc, ſed & multa alia recenſeat clientium officia, quæ non niſi pecunia præſtantur. Cujus generis eſt etiam illud, quod ſi patronus vel filius ejus ab hoſte captus eſſet, clientium

tium erat, eum quam primum redimere pretiumque hosti pendere; ob debita etiam nexos à creditoribus propria liberabant pecunia, & privatarum litium æstimationes & mulctas publicas pecuniarias, pro patronis soluebant. Atque hæc omnia gratis, proprio sumtu, nulloque fœnore, tantum gratiæ referendæ causa præstabant. Quod si patronus in magistratibus & muneribus gerendis sumptus fecisset, cliens non minus quam cognati & genere proximi partem suam ferebat: cum enim in omnibus rebus clientes sanguine junctis aut præferantur, aut ad minimum æquentur, merito etiam hac in re illis adæquari debent, æquasque cum propinquis sumptuum partes sustinere, juxta tritum illud, ut qui sentit commodum, incommodum quoque recusare non debeat. Quemadmodum autem patroni clientes à potentiorum vi defendebant, ita etiam clientes patronis suis in omnibus negotiis atque periculis auxilium ferebant, iisque non solum in pace ac domi, sed & in bello præsto erant. Licet enim cliens atque patronus pacis tantum vocabula sint, nec inter illa clientium officia, quæ Romulus illis injunxit, onus militiæ reperiatur, videtur tamen hoc ex æmulatione cognatorum atque clientium fluxisse, quod, dum hi in beneficiis se illis præpositos viderent, etiam in officiis, & quæ ad demerendum patronum facerent, cedere illis noluerint. Ita Segesti in propugnando castro à Germanis obsesso magna propinquorum & clientium manus aderat. Et *Claudianus* ait: Tac. 1. An. 57. l. 2. in Ruff.

—— —— Circumque armata clientum.
Agmina, privatis ibant famulantia signis.

XLIII. Enumerata clientium officia maxime patroni utilitatem spectabant: Sequuntur quæ tantum in honorem patroni vergebant, & debitæ clientium erga patronos observantiæ signa erant. Calendis enim Januariis clientes patronis munuscula ferre solebant, tenui tamen, & quæ grati magis animi indicia, quam ex suo valore magni facienda erant. Quod innuit *Martialis*, quando de phiala aurea, sed exigui pretii loquitur: Epigr. l. 8. 33.

Hoc linitur sputo Jani Caryota Calendis.
Quem fert cum parvo sordidus asse cliens.

c.5. n.51.33. Atque ex hoc more, probabile putat *Magerus*, nostram consuetudinem, qua eodem anni tempore strenas dare ac mittere solemus, originem cepisse. Major vero gloria, quam ex his minutiis, quæ honorarii loco dabantur, patronis accedebat ex altero officio, quo clientes eos demereri solebant. Mos enim Romæ erat, ut, quando quis filium ejus ætatis habebat, ut togam virilem sumeret, pater & omnes sanguine juncti, eum in forum deducerent, senatoribusque commendarent; hac solenni die clientes etiam, una cum cognatis, honoris causa, magno numero patronos suos comitabantur. Magnificentiæ quippe erat, habere clientes quam plurimos, & in publico, magna propinquorum, atque clientium manu stipatum apparere.

XLIV. Maximus vero honor quem à clientibus expectare patroni poterant, erat, si ob bene merita statuas iis erigerent, quas privati quidem in domibus & atriis, municipia vero, & urbes in publico ponebant. Adducit earum non-
c.5. n. 55. & seqq. nullas *Magerus*, quarum tamen duæ priores non statuarum sunt inscriptiones, sed tabularum clientelarium, ut ex inscri-
p. 443. ptionibus *Gruterianis* patet. Quantum vero hæ tabulæ ab iis, de quibus loquimur, statuis, differant, ex supra dictis, quando de susceptione clientium egimus, non nihil patere potest. Ex magno autem numero, quæ in Codice Gruteriano habentur, pauca tantum & quæ huc maxime faciunt, ad-
p. 363. ducere libet. Primo itaque occurrit, *L. Aradius Valerius Proculus Augur*, cui viri perfectissimi, & principales, & splendissimus ordo & populus Puteolanorum, ut Patrono di-
p. 361. gnissimo statuam posuit. Binæ aliæ statuæ à collegiis *Pistorum*, & *Suariorum* eidem positæ, hanc inscriptionem paulo antecedunt. Major vero statua eidem à collegio *Suariorum* & *Confecturariorum* posita ibidem legitur, in qua recensitis omnibus ejus quibus perfunctus honoribus atque officiis, in calce subjungitur: *Huic corpus Suariorum & Confecturariorum autoribus Patronis, ex affectu eidem jure debito, statuam patrono digno ponendam censuit.* Ad quam clausulam notat *Magerus:* haud frustra inserta esse hæc verba; *ex affectu eidem jure debito*, cum forte, ad amoliendam adulationis suspicio-

cio-

cionem, adjecta fuerint. Certum enim est Romanos, posterioribus præcipue temporibus, ad talia nimis pronos fuisse, & quemadmodum erga subjectos, superbi plerumque & arrogantes erant, ita erga superiores, demisse humiles semper fuere: inde factum, ut non solum bene merentibus patronis, sed etiam indignis non raro ex clientium adulatione, statuæ ponerentur, cumque hæc suspicio contra omnes clientes valeret, tali clausula sibi ab ea cavere voluerunt. Quod & ex illa statua clare patet, quam *Ragonio Vicentio Celso Mensores Portuenses posuêre.* p. 462. Enumeratis enim, quibus à Patrono affecti erant, beneficiis, subjungitur: *Nam ut hoc esset indicio, jam posito magistratu statuam Patrono præstantissimo, testimonium gratulationis exsolvimus, cum res non adulatione privato, sed judicio posito in ocio & quiete reddatur.* Cum vero ex hac clientium adulatione, omnibus fere Patronis statuæ erigerentur, non tantum earum numerus ubique in immensum crevit, verum etiam ipsi clientes, quam maximos huic rei impendebant sumptus, summo nonnunquam suo incommodo: hinc generosiores honorem hunc, ut nimis vulgarem, parum curantes, contenti quod à suis clientibus eo honore digni fuissent judicati, impensas iis remiserunt.

XLV. Sicut autem superstitibus adhuc Patronis (quod plerumque fieri consuevit) statuæ dedicabantur, ita jam defunctis, monumenta ædificabantur, iisque funus publicum & alii honores à clientibus decernebantur. Ita decuriones municipii, cujus *M. Bæbius* Patronus erat, *funus publicum*, Grut. p. 375. *statuam equestrem, clipeum argenteum*, & *locum sepulturæ* n. 1. patrono dedicarunt. Provincia *Genevensis* C. *Valerio T. F. Pa-* p. 477. n. 4. *trono optimo B. M. P. monumentum.* Nec tantum à municipibus atque provinciis, aliisque universitatibus, monumenta ejusmodi patronis dedicabantur, verum etiam non raro à privatis clientibus. Sic C. *Bœbius Lupus* C. *Quintio* C. F. *Pa-* p. 462. n. 2. *trono optimo monumentum fecit.* Et C. *Pasquius cum liberis* p. 448. n. 5. *suis, D. M. G. Pasquii Optati Patroni optime meriti monumentum dedicavit.* Cum vero etiam fœminis, quarum patrocinia tenuiores elegerant, omnia Patronis debita officia præstanda essent, etiam statuæ atque monumenta iis à clientibus

 tibus

p. 414. n. 4. tibus erigebantur. Habetur ejusmodi statua apud *Gruterum* quam *Helvidiæ Burreniæ Augustæ, ob meritum, amoremque eius, cives Interamnanæ civitatis utriusque sexus ære collato* p. 360. *post obitum patronæ dedicarunt.* Ita *L. Aquillius Modestus* monumentum fecit, *sibi & Aquilliæ L. F. Patronæ, & Deciniæ Priscæ conjugi suæ*: ubi quam maxime notandum, hunc Aquillium patronam suam conjugi præposuisse, unde arctissimam illam, inter patronos atque clientes copulam & honorem patronatus perspicere licet.

XLVI. Superest tertium genus officiorum, scilicet quæ utrisque patronis & clientibus erant communia. Ea nobis iterum recenset *Halicarnasseus* loco sæpius laudato, duorumque facit generum, faciendorum & omittendorum. Ad prius pertinet, quod, cum in omnibus primum post parentes ac pupillos clientes locum tenerent, proximisque præponerentur, cognatis & affinibus, clientibus etiam contra sanguine junctos opera esset danda, & aduersus ipsos cognatos pro cliente testimonium dicendum; pari modo & clientes patronos suos omnibus (exceptis tantummodo parentibus) præferre debebant. Atque quo major esset hæc inter illos conjunctio, haud raro una clientium & patroni domus erat, quod ex il- in Eunuch. Act. 5. c. 9. lo *Terentii* constat, quando Chærea ob summam amicitiam inter patrem eius & Thaidem initam gestiens, ait:

——— ——— ——— ——— *una est domus.*

Thais patri se commendavit, in clientelam & fidem nobis dedit se.

Indeque esse videtur, ut, in qua domo habitare una cum familia licet, etiam clientes ex lege recipere permis- l. 3. §. ult. ff. de usu & habit. sum sit, quod testatur *Paulus JCtus.* Quando enim *Ulpianus ex Labeone* affirmat, *quod is qui ipse habitat inquilinum possit* l. 4. cod. *recipere, idem & hospites, & libertos suos*; adjungit *Paulus* lege sequenti *& Clientes.*

XLVII. Ad posterius genus communium officiorum spectat, quod neque fas neque jus fuerit patronis, accusare clientes, neque aduersum dicere testimonium, ferreve suffragium, aut denique cum inimicis eorum sese conjungere: Idem vice versa neque clientibus licitum erat, id quod clare te-

testatur supra laudatus *Gellii* locus, qui adducit verba Catonis ex Oratione ejus in Lentulum, quæ sic habent : *Quod majores sanctius habuere defendi pupillos quam clientem non fallere. adversus cognatos pro cliente testatur. testimonium adversus clientes nemo dicit ; patrem primum, deinde patronum proximum nomen habere.* Hinc etiam factum, ut tam atrox in eos, qui vel patronum vel clientem deseruissent, aut contra ante enumerata aliquid commisissent, pœna sit constituta. Voluit enim Romulus, hoc in maleficio deprehensos, lege de proditoribus teneri, ex qua criminis convictus, diti sacer erat, impuneque occidi poterat, uti jam supra monitum. Apud *Virgilium*, illis, qui patronos aut clientes fefellerunt, pœna infernalis assignatur, ad quem locum doctissimus *Servius* notat, venire hoc ex legibus duodecim tabularum, in quibus hæc lex scripta reperiatur : *Patronus si clienti fraudem fecerit sacer esto.* Subjungens porro : *Si enim clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres, tantundem est clientem, quantum filium fallere, & hoc posse fieri ex Horatio colligimus, qui cum loqueretur de avaris potentibus, de vicino cliente ait :*

l. 5. c. 13.

l. 6. Æneid.

——————— *pellitur paternos*
In sinu ferens Deos.

XLVIII. Ex quibus liquido patet ad quid patroni atque clientes olim sibi invicem obligati fuerint, quid mutuo præstare, & à quibus sibi cavere necesse habuerint. hodie vero, si pure & absque ullis tabulis (quod tamen vix unquam aut raro fieri solet) clientela inita sit, patronus ad nihil aliud tenetur, quam ut clientes pro virili tueatur, & contra vim aliorum defendat. Clientes rursus ad obsequium & reverentiam patrono præstandam, eique in omnibus negotiis ad debitam operam obstricti intelliguntur. Verum cum, uti dixi, hodie vix ullum patrocinium absque tabulis ineatur, in quibus omnia, quæ invicem præstare placet, consignantur, non ita certis limitibus ea officia includi possunt, ab his enim plus, ab illis vero minus nonnunquam exigitur, ita ut de iis non aliter quam inspectis tabulis cognosci possit. Qua autem diligentia, quibusque cautelis tabulæ ejusmodi

conscribendæ, jam supra tractavimus. Atque hactenus de forma juris clientelaris.

XLIX. Videntur autem clientelæ atque patrocinia magnam habere convenientiam cum *feudis*, si opponamus ea, ad quæ Patronus & cliens, dominus feudi & Vasallus, sibi invicem obligantur; adeo ut eodem pene jure à nonnullis censeantur, & propter eam quam habent inter se similitudinem non raro confundantur. Quippe non tantum in ipsis feudorum consuetudinibus vasalli passim clientes appellantur; sed & exhibitio servitiorum, quæ vasalli dominis suis debent, nihil aliud videtur, quam præstatio officii, qua clientes suos patronos demerebantur. Neque arctior inter patronum atque clientem quam inter Dominum & Vasallum obligatio intercedit, cum Dominus Vasallum æque ac patronus clientem tueri, ipsumque in omnibus defendere teneatur, quod maxime liquet ex eo, quod in jure feudali passim reperiatur constitutum, ut dominus in omnibus vicem fideli suo reddere debeat.

Bod. de rep. l. 1. c. 7.

1. F. 10 & 13. pr. §. Etsi clientulus

2. F. 6.

L. Officia quoque tam Vasallorum quam clientum parum vel nihil inter se distare, ex supra notatis, collatis cum iis, quæ ex formula fidelitatis vasalli dominis suis præstare cogantur, satis apparebit. Quod autem nonnulli maximam inter eos differentiam faciunt, quasi omnia fere vasalli officia ad bellum tantum, clientium vero ad pacis tempora spectent, eos ipsa refutat experientia; cum innumeris ex historia exemplis ostendi possit, clientes uti ad alia officia ita etiam ad militaria patronis præstanda paratos fuisse, quod & jam supra indicavimus. Licet enim hæc inter clientium officia à *Dionysio Halicarnasseo* enumerata haud reperiantur, consuetudine tamen introductum videtur, ut potentiores bellum parantes, suos convocarent clientes atque amicos, qui ad depellendum periculum iis præsto essent. Ita Appius Claudius, cum plebem, quæ in montem sacrum secesserat, vi aggrediendam suaderet, rationibus quibus hoc effici posse putabat, etiam hanc adjungit, assumi debere omnes clientelas cum reliqua plebe, quæ in officio manserat, & iis tam externis quam domesticis hostibus occurrendum. Fabia quoque gens, cum

2. F. 7.

c. 10. l. 2.

Dion. Halic. l. 6. c. 55.

Dion. Halic. l. 9. c. 17.

cum propriis sumptibus bellum in Vejentes susciperet, convocatis clientibus atque sociis suis, ex illis fere solis exercitum quatuor millium conscripsit.

LI. Decepit hæc similitudo feudorum atque clientelarum summos viros, adeo, ut ipsam feudorum originem, ex jure clientelari deducerent: cum tamen jura patronorum atque clientum merè fuerint personalia, jus feudorum autem in prædiis & rebus soli quam maxime consistat, sicuti hanc atque alias inter feuda & clientelas differentias latius exsequuntur *Bodinus*, *Magerus*, aliique juris feudalis commentatores. de rep. l. 1. c. 7. De ipsa autem prima feudorum origine discrepantes admodum reperiuntur doctorum sententiæ, alii enim Romanis, alii Gallis, alii Longobardis, alii aliis eam attribuunt populis. Qui à Romanorum institutis feuda deducere conantur, aut à legibus Romanorum, aut à clientelis eorum, aut à prædiis, quæ hostibus erepta veteranis assignabantur, aut denique ab agris limitaneis, quos Alexander Severus militibus donavit, ut eos contra hostes tuerentur, ea derivant. Verum ex legibus ac jure Romanorum nullo modo feuda deduci posse, ipse innuit *Obertus de Orto* unus ex præcipuis feudalium consuetudinum compilatoribus; 2. F. 1. clare enim leges Romanas istis opponit, nihilque cum illis commune habere diserte indicat. De clientelis jam tum diximus. Prædia autem illa veteranis assignata militibus, nihil ad feudorum originem contribuisse patet, si rationem, quare feuda primitus instituta fuerint, perpendamus. Principes enim beneficia, quæ postea feuda vocari cœperunt, in hunc finem militibus dare solebant, ut eos sibi adjungerent, quo belli tempore eorum ope contra hostes uti possint. Jam vero clientelæ in hunc finem primo non sunt institutæ, (uti supra audivimus) neque prædia illa veteranis aliam ob causam assignata, quam ut iis qui militia abibant, præmii loco, & ad senectam, aut imbecillitatem in bello contractam sustentandam forent. Agri porro illi limitanei militibus concessi, ut eos contra hostium incursiones defenderent: quantum à feudis distent, apparet ex eo quod feuda non sint Vasallorum pleno jure, ut isti agri militum. Neque etiam inde origo feudorum deduci poterit,

rit, cum hi agri etiam in heredes, si onus militiæ susciperent, transirent; feuda vero primitus temporaria tantum fuerint proque dantis arbitrio, adimi potuerint.

l. 3. de bell. Gall. c. 22. LII. Etiam hi qui à Gallorum Devotis aut solduriis, quorum *Cæsar* meminit, originem feudorum repetunt, haud recta incedunt via; illi enim per omnia fere similes erant, Germanorum veterum Comitibus, de quibus *Tacitus* scribit: *Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui, virtutem principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta, gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, Comites pro principe.* Et paulo post: *Magnum comitatum non nisi vi belloque tueare. Exigunt enim Principis sui liberalitate, illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.* Ubi nulla fit mentio prædiorum, sine quibus tamen feuda consistere non possunt. A solis vero Longobardis qui feuda ortum traxisse putant, si eorum legibus illum adscribant, ab ipso *Oberto* refelluntur, qui eas expresse consuetudinibus hisce contra distinguit. Interim tamen illud negandum non est, nullum fuisse populum, qui feudorum consuetudines magis excoluerit, ita ut, quamvis (uti post audiemus) iis primam feudorum inventionem solis non possimus attribuere, perfectionem tamen eorum, & quod certis quasi inclusa sint legibus, illis merito acceptum ferimus.

(Margin notes: de mor. Germ. c. 14.; 2. F. 1.)

LIII. Non autem movet nos *Sonsbecius*, qui feudorum originem ex historiis investigare, supervacuum existimat, eo quod Jurisconsulto ad causarum decisionem non prosit, quin paulo altius rem repetamus, inquirentes an non aliunde quam ex adductis fontibus, prima feudorum institutio derivari queat. Feuda igitur Germanis præcipue populis suam debere originem, omnium qui recte sentiunt interpretum constans est opinio; in illo non consentiunt, quod hi Longobardis, illi Francis, alii aliis eam populis & quidem c. 49. solis adscribant. *Gryphiander de Weichbildis Saxonicis* Saxonicum

nicum illud institutum vocat, à Longobardis, qui è Saxonia in Pannoniam, indeque in Italiam migrarunt, Italiæ illatum. Ex antiquissimis autem historiis discimus longe ante Longobardorum in Italiam adventum beneficiarium illud jus quod nunc feudale dicitur apud Francos in usu fuisse, uti probat *Alteserra de originibus feudorum*, ubi adducit in hanc rem locum Aimoini: *Unde cum Clodovæus, regnum suum usque Sequanam, atque postmodum usque Ligerim fluvios ampliasset, Miliduunum castrum eidem Aureliano, cum totius Ducatu regionis, jure beneficii concessit.* Idem testatur, *Gregorius Turonensis*, quando Mummolum quendam ex munere Guntranni Regis Machovillam tenuisse his verbis narrat. *Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam, usque Machovillam Avennici (Avernici) territorii, quam Mummolus munere meruerat Regio, accessit, ibiq; fixit territoria.* c. 1. l. 1. c. 14. l. 4. hist. c. 39.

LIV. Optime hoc nobis probare possunt formulæ illæ veteres apud Francos olim usitatæ, quas *Marculphus* Monachus, qui sub Clodovæo II. vixit, circa annum Christi DC. LX. collegit, quemadmodum eas, ut ipse testatur in prooemio, apud majores suos, juxta consuetudinem loci quo degebant, didicit, easque conscripsit, uti idem fatetur, fere septuagenarius; ex quibus earum vetustas patere potest, cum & tempore majorum suorum, pro firma consuetudine (quæ parvo temporis spatio non contrahitur) observatæ fuerint. In quadam harum formularum, qua vir uxori omnia sua bona donat, villæ quas possidebat distinguuntur, in eas quæ munere Regio, & quæ ex allode parentum teneret. Quod ita in notis explicat Doctissimus *Bignonius*: *Munere Regio, id est per beneficium Regis, quod postea feudum dictum est.* Idem alio loco vocem *beneficii* quæ sæpius in istis formulis occurrit exponens ait: *Inde beneficii nomine ea prædia dicta, quæ pro servitio militari, à Rege, sive etiam ab aliis, concedebantur, quæ feuda posteritas dixit: initio namque vita accipientis finiebantur, & ex certis causis, revocari poterant.* Atque hinc est, quod in antiquissimis Germanorum seu Francorum historiis passim reperiatur vox *leudes* sive *leodes*, qui, ut explicat idem *Bignonius* ex *Gregorio Turonensi*: *fideles Regis sunt & qui nulli,* l. 1. c. 12. p. 471. p. 552. p. 543.

li, preterquam Principi obnoxii sunt. Ubi duo testimonia ex dicto *Gregorio* adducit, quorum primo de pactione inter Gun-
l. 9. c. 20. trannum & Gildebertum Reges agens, inquit: *Leudes illi, qui domino Guntranno, post transitum domini Chlotarii, sacramenta prabuerunt.* Et mox: *Similiter convenit, ut nullus alterius leudes, nec sollicitet nec venientes excipiat. Alteserra* quo-
de Orig. feud. c. 1. que ex vetustissimis monumentis probat, à primis Regni Francici cunabulis, passim *leudes regios* celebrari. *Jussu enim Sigeberti omnes leudes Austrasiorum in exercitum gradiendum banniti sunt.* Uti hoc confirmat ex *Fredegario.* Et *Aimoinus* Regem Guntrannnm laudans, ait: *Eum leudis suis be-*
c. 87. *nevolum fuisse.* Hi vero leudes etiam *Antrustiones* dicti sunt,
l. 3. c. 81. uti ex supra laudatis formulis constat, proprieque hi di-
l. 1. c. 18. cebantur fideles Regis, qui fidem ei servandam juramento promiserant. Derivare conatur hoc vocabulum *Bignonius* ab
p. 478. antiqua Germanica voce Drou quæ adhuc hodie in Saxonia inferiore idem quod fides significat, pro qua Germani supe-
Antiquit. l. 9. c. 15. riores paulo immutato sono substituerunt Treu. Secutus autem hac in re videtur *Falcetum*, uti alio loco innuit, qui Dru-
p. 568. dos fideles à Germanico vocabulo Drow fides, dictos affirmat. Non solum autem in hisce formulis hæc vox reperitur, verum etiam in lege Salica, quæ antiquissima perhibe-
tit. XLIII. 4. tur, extat lex: *Si quis eum occiderit, qui in truste* (i. e. in fide) *Dominica est, XXIV. Denariis, qui faciunt solidos DC culpa-*
l. 2. c. 17. *bilis judicetur.* In iisdem formulis fideles *Vassos* dictos legimus;
p. 567. ubi sæpe laudatus *Bignonius* vocem illam in legibus Alemannicis atque Bavaricis passim usitatam notat. A *Vassis* progressu temporis *Vasallos* dictos, extra dubium est, cum apud satis antiquos scriptores, hoc nomen inveniatur, quod etiam hodie in usu est. Postea vero tempore Imperatorum Germanicorum, iidem qui antea leudes, antrustiones, vassi sive
Lehm. Chrō Spir. l. 5. c. 46. vasalli, dicti fuerunt, *homines* passim appellabantur, quod apparet ex veteri illo Epigrammate, quod picturæ, coronationem Lotharii à Papa factam referentis, adscriptum fuisse testatur,
de regn. Ital. l. 11. *Sigonius*, ita vero habet:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

LV.

LV. Ex quibus liquidum est, etiam ante Longobardorum in Italiam adventum, & circa ea tempora, in Germania atque Gallia, in quam Franci hanc consuetudinem invexerunt, feuda in usu fuisse, adeo, ut eorum originem solis Longobardis tribuere haud possimus. Illi enim centum & quinquaginta annos, ante, quam Italiam occuparent, Germania relicta, Pannoniam invaserant, ibique sedes posuerant, ita ut illis cum Francis cæterisque Germaniæ populis, qui occidentem versus habitabant, priusquam Pipinus & filius ejus Carolus Magnus eos in Italia subjugaverunt, nullum fuerit commercium. Neque adeo Francos aut alios Germaniæ populos hanc consuetudinem à Longobardis mutuatos esse dici queat. Eam tamen Germanicarum gentium propriam esse, tum inde patet, quod nusquam inveniatur, nisi ubi Germani sedes posuerunt, tum etiam quod multa juris feudalis vocabula Germanica sint, neque aliud quam terminationem habeant latinam. Ita *feudum* ipsum, quanquam alii aliunde, optime tamen & communiter à Föden / quod in Saxonica lingua nutrire significat, derivatur: *fodrum*, à Foder i. e. pabulum dicitur. *Treugam* pro induciis à Germanico Trew deducunt, *Vassos* à Vassen i. e. ligare dictos putant, quia per investituram atque juramentum fidelitatis Vasallus arctissime alligatur domino.

Gryphiander Weichbil. Saxon. c. 49.

LVI. Germani namque populi, cum omnium liberrime viverent, Regesque vel Principes eorum auctoritatem suadendi magis, quam jubendi potestatem haberent: Duces quoque militiæ, exemplo potius, quam imperio, præessent, non cogi se ad militiam patiebantur, & quascunque vellent partes pro lubitu eligebant. Neque etiam stipendiis Duces sibi comparare milites poterant, cum pecuniam hoc modo quærere, turpe Germanis videretur & sordidum; hinc factum, ut Principes, quo militem fidum certumque haberent, fortissimis quibusque, prædia atque beneficia concederent; ea lege, ut sibi fidem promitterent, & ad bellum vocati, armis instructi, Principi præsto essent. Atque ex his initiis feuda fluxisse dubium haud apparet: sicut enim omnia jura, quæ ex consuetudine nasci solent ex incerto, tenuique principio prove-

niunt, idem in feudis factum videmus, quorum initia valde levia ac imbecillia fuere, paulatim vero in majus creverunt, uti hoc eleganter declarat feudista: Antiquissimo enim tempore, ita concedebantur feuda, ut ea, quandocunque voluisset, pro arbitrio suo dominus revocare posset. Postea vero eo ventum est, ut per annum tantum, nec amplius valerent. Vasallis deinde concessum, ut ad vitam usque beneficia tenerent, iis vero mortuis ad dominos reverterentur; ulterius processum est, ut ad filios devenirent, in quem scilicet dominus beneficium conferre vellet. In sequentibus vero temporibus, cum hactenus unus succedendi modus in feudis obtinuisset, paulatim etiam nepotes ex filio, frater fratri, itemque fratris filio, & cæteri denique agnati ad septimum gradum sibi invicem successerunt, donec tandem ad eam, quam hodiè ex feudali consuetudine observamus, successionem perventum.

1. F. 1. § Et quia vidimus

LVII. Illustrat hoc feudorum incrementum *Conradus Rittershusius* eleganti loco ex *Nicolai Cusani Cardinalis de concordantia Catholica libris*, quem hic adscribere forte non abs re erit. *Ordinabantur*, inquit, *etiam tunc Principes Duces, & Comites constituti, debere, tanquam officia publica, Imperiali jussione habentes ad nutum removibilia, rationem sui ministerii ærario publico reddere. Posthæc quia Senatorum filii, licet equestres primo forent, tamen ad Senatum demum perveniebant: introductum fuit, ut parentibus rite in officio se habentibus, filii eodem officio non privarentur, ad illum finem, ut patres minus avaritiæ studerent, habentes de successione in officio certitudinem: & etiam ut eorum subjecti minus tunc gravarentur per patrem, quando & ipsis sui posteri præesse deberent. Tandem ut Imperiali Celsitudini nulla incommoda detractoria dominiorum in futurum crescente potestate officiatorum exorirentur; feudalia introducta sunt statuta, & de fide servanda strictissima juramenta, quæ per unumquemque vasallorum instituendorum præstari, & sub pœna perditionis feudi inviolabiliter servari deberent. Est denique alia lex edita: Ad magna feuda plura nullum accumulative succedere posse; ne sic plura magna accumulando, potentia subditorum in tantum excresceret, ut dum tyrannica rabie, immemor jura-*

l. 1. partit. feud. c. 1. n. 4. l. 3. c. 28.

ramentorum, apicem dominandi (cujus appetitus per acquisitionem crescit) appeteret, Imperii potentia schismatica turbatione vilesceret. Erat insuper Imperatorum consuetudo, facile accusationes fractæ fidei & perjurii admittere, ut fidelitas, per quam solum persistit Imperium, nunquam negligentia parvi penderetur. Pœna vero erat privationis, fidem non servandi. Et tunc ne invidia forte incitaret nobiles ejusdem sanguinis contra eum, cui hæc ablata donarentur: ista, quæ sic in commissum ceciderant, sacri Imperatoris Ecclesiis frequenter applicarunt &c.

LVIII. Verum cum de Solduriis Gallorum mentionem fecerimus, quæri posset, quinam illi proprie fuerint, & an clientibus annumerari possint? *Jul. Cæsar in commentariis de Bello Gallico*, ita de iis loquitur: *Eorum conditio est, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dederint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc* (ait) *hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret.* Eodem fere modo *Athenæus* ex *Nicolao Damasceno* illos describit: *Soldurii Gallorum quos Græci Devotos vocant, cum Rege una & vitam agunt, & moriuntur, cum semet ipsi voto obligaverint, in cujus rei gratiam, ipsi quodammodo participes sunt regni, eodemque cum Rege victu ac corporis cultu utuntur. Ceterum cum Rex sive morbo, sive in prælio, sive alia qua causa interiit, simul ipsis moriendi necessitas incumbit, neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui mortuo Rege, mori recusaverit.* Clientes vero à *Cæsare* iidem appellantur, quando ait: *Litavicus cum suis clientibus, quibus nefas more Gallorum est, etiam in extrema fortuna, deserere patronos.* Et sane, si summum illud, quod inter illos intercedit conjunctionis vinculum spectemus, negari non potest, eos speciem aliquam clientium constituere. Interim tamen, nullo unquam tempore tam arctam inter patronos atque clientes copulam fuisse reperiemus, cum clientela tantum, defensionis, mutuæque benevolentiæ conciliandæ causa, instituta sit: Soldurii vero hi, non tantum defendere dominos suos, verum etiam illis mor-

l. 3. c. 22.

l. 6.

l. 7. de bello Gall. c. 40.

tuis, mortem quoque ſibi, quocunque modo, inferre tenebantur. Quod cum ultra morem humanum ſit, ſummam merito redolet barbariem.

LIX. Cum itaque apud hos & alios populos clientelæ veterum in abuſum verſæ ſint, adeo ut plane nonnunquam deprauatæ, vix nomen tam honeſtum mererentur, videamus, an & quid hodie apud nos de illis clientelis, quas delineauimus, ſuperſit? Jam tum autem innuimus, clientelis protectiones illas fuiſſe ſubſtitutas, quæ vix iniri ſolent, niſi certis circumſcriptæ pactis atque conuentionibus; ita ut protectio hodierna, nihil ſit aliud, quam clientela ex conuentione atque pacto conſtans. Quanquam enim, ut ſupra dictum, clientelæ olim abſque ullis conſtituerentur conditionibus, poſterioribus tamen temporibus creſcente abuſu, neceſſe fuit, in certas conſentire leges, ne vel clientes à patronis opprimerentur, patroni vero à clientibus perfide deſererentur. Ex quo factum, ut hodie nemo alterius patrocinium ſubeat, niſi tabulæ clientelares, conditiones, in quas conuentum, exprimentes, conficiantur.

LX. Exemplum ejuſmodi clientelæ admodum illuſtre, geſta huius ſeculi nobis ſubminiſtrant. Anno enim XXXII. Germania bello ardente, Elector Treuirenſis, qui hactenus Cæſarianorum partes arctiſſime amplexus erat, ſibi à Suecis, jam fines ſui Archiepiſcopatus ingredientibus, metuens, in Regis Galliæ patrocinium certis conditionibus conceſſit. Aliorum quippe Pontificiæ religionis Principum exemplo edoctus, quos eaſdem cum ipſo partes ſecutos, ſuis jam pulſos ditionibus videbat, maluit Regis Galliæ, uti ejusdem religionis Principis tutelam, deſtitutus aliis auxiliis ſubire, quam committere, ut Sueci ſuum Archiepiſcopatum, expulſa religione Pontificia, reformarent. Rex itaque Galliæ, vi pactorum cum Rege Sueciæ initorum, facile obtinuit, ut Treuirenſis, ab eius inuaſione immunis, ſub ſuo patrocinio, neutrarum quaſi partium eſſet. Cum vero ex patrocinii legibus Gallus Electorem, contra quamcunque violentiam & inuaſionem, defendere teneretur, quod ſane arduum erat, facileque (uti poſtea factum) anſam belli cum Hiſpanis, qui

calo

loca nonnulla Archiepiſcatus occupauerant, præbere poterat, neceſſe habuit Elector, deditione præcipuorum, in limite munimentorum, & propriæ perſonæ, ad majorem pactorum fidem exhibitione, hanc clientelam ſibi comparare. Neque ſuo defuit officio Rex, dum ex totius Archiepiſcopatus finibus Hiſpanis ejectis Treuirenſem ſtrenue defendit; donec tandem anno XXXV. conſpirante cum Hiſpanis Capitulo Treuiris urbs Gallis trucidatis capta, & Elector in Belgium, mox Viennam uſque captivus abductus fuit, ita ut Gallis nihil ſit relictum, præter Erenbreitſtenium, quod etiam poſtea anno XXXIIX. à Johanne de Werdt ad ſummam famem redactum, ſe dedidit. Hanc itaque inter alias ſuſcepti contra domum Auſtriacam belli, cauſam adduxerunt Galli, quod illum, qui ſe eorum fidei atque patrocinio crediſiſſet, perfide oppreſſum, captum detinuiſſent, interfectis Gallis, qui cuſtodiæ cauſa ipſi aderant.

LXI. Præterea ſupereſt hodie imago quædam veteris clientelæ, quæ in magnis aulis Regum atque Principum viget; quando nempe illi procerum, qui primas apud Principem partes, ſua virtute meruere, certos inferioris conditionis homines, qui ſe obſequio illis deuinciunt, eorumque familiis ſeſe dedunt, tuendos ac defendendos ſuſcipiunt: eos, ſi forte ob ingruens aliquod infortunium periclitentur, defendentes; aut vero, ſi deſideria ſua ad Principem perferri cupiant, operam iis ſuam accommodantes. Quod ſane optimis Principibus valde gratum eſſe ſolet, cum non parum decoris atque gloriæ ipſi Regi regnoque inde concilietur, ſi proceres inprimis gratioſi erga inferiores appareant, eorumque ſtudeant commodis, hi vero contrà eos colant, inque omnibus honeſtis obſequantur. Eatenus enim hæc officia ſtatui conducunt, Principique placere poſſunt, quatenus ſine factione uſurpantur, & civilem non turbant concordiam. Statim vero ac unus tantam ſibi arrogare conatur potentiam, ut ſolus clientes ſibi adſciſcat, ſoluſque ſuis ſuffragationibus, alios extollere poſſit, illud non ſolum indecorum Regibus regniſque, verum etiam periculoſum haud raro eſſe ſolet. Peccatur enim ita contra communem omnium Politicorum

regu-

regulam, qui nimiam unius in Republica potentiam nunquam probant. Accedit, quod & reliqui proceres, qui per unum hunc exclusi, quibusque nulla gratiæ facultas relicta est, statu Reipublicæ non contenti, illum immutatum velint; quod raro aut nunquam absque tumultu fieri consueuit. Attamen, ut jam innuimus, totum hoc negotium imago tantum est clientelæ illius apud veteres usitatæ, cum nullo certo jure, nullaque ut olim nitatur formula, verum ex patronorum ingenio atque moribus tota dependeat, ac definiatur.

LXII. Minus vero probari possunt empta illa patrocinia, quæ in aulis in usu esse solent: *Si qui desideria sua explicare cupientes, ferri sibi à quoquam suffragium postulaverint, & ob referendam vicem, se sponsione constrinxerint:* quæ olim permisere Imperatores, dum condictionem certi dederunt, ad consequendum illud, quod promissum erat alicui, ad illius suffragium, rei alicujus à Principe obtinendæ ergo, eliciendum. Imperator autem Justinianus, quantum damni ex hoc fonte in Rempublicam fluat, optime animadvertens, expressa constitutione vetuit, ullos honores, ullaque officia, emptis impetrare suffragationibus; quam etiam postea renovavit, cum paulatim in desuetudinem eam ire perspiceret. Et sane in omni bene constituta Republica ejusmodi constitutiones obtinere debere, recte monet *Ant. Perezius*, cum nunquam satis hominum avaritia compesci possit. Si enim malitiæ alium frena laxentur, certum est, in ultimo periculo Rempublicam, & quasi in præcipiti fore, cum hi, dummodo partem ferant, indeque aliquid corradere possint, nihil curabunt, ærarium donationibus exhauriri, atque ita Reipublicæ nervos incidi, Principem ludibrio, summoque exponi periculo, imo studio etiam hæc fieri concedent atque patientur. Dumque ejusmodi homines pessimi Rempublicam occupavere, boni interim & cordati viri, qui talia vix sine pudore cogitare possunt, quoque summum existimant flagitium, gratias atque beneficia pecunia emi, hi, inquam, situ obtorpescent, neque ullis admoti dignitatibus, vitam sine ullo Reipublicæ commodo inertes transigent. Cum enim nulla alia nisi largitionibus ad honores via pateat, hi vero privati esse malint,

l. unic. C. de suffrag.

Nov. 8.

Nov. 161.

Ad Cod. d. t.

malint, quam per eam ad capessendos Magistratus incedere, nunquam clavum Reipublicæ malitiosis hominibus extorquere poterunt; qui tamen, dum pecuniam propter dignitates consequendas expensam omni modo recuperare annituntur, quin bonos injuriâ afficiant, cauere vix poterunt, atque inde fit, ut divisis tandem partium studiis maximæ rempublicam turbæ concutiant, inque extremum conjiciant periculum.

LXIII. Coronidis loco de consuetudine feudorum, quæ comparari suo modo posse cum patrocinio & clientela veterum, ante dictum est, has sententias pro virili conabor tueri. Quæ uti disputandi ergo hic tantum apponuntur, ita latius eas pertractare, neque locus, neque instituti patitur ratio.

I. Primum feudorum institutum, non tam ad œconomiam quam ad militiam pertinuisse, cui aptissimum hoc inventum esse, ex supra allatis nonnihil constare poterit.

II. In Germania nostra totius Imperii corpus, nexu feudalis necessitudinis, prout ea in usu est, haud parum adstringi atque contineri.

LXIV. Denique illud adhuc monebimus, cum jure nostro clientelari etiam comparari solere jus urbium matricum in colonias, quod apud veteres Græcos quam maxime obtinuit. Eundem quippe honorem, coloniæ suis exhibere tenebantur originibus, quem parentibus filii, & quicquid filii contra parentes facere vetantur neque illis licitum erat: quod testatur *Curtius* quando ait: *Carthaginem Tyrii condiderunt* l. 4.
semper parentum loco culti; & Themistocles apud *Herodotum* l. 8.
negat, Ionas juste agere quod contra parentes militent. Jura autem inter Origines & Colonias usitata hæc fere erant: Primo qui in Colonias mittebantur à ciuibus suis armis & commeatu, instruebantur ex publico: deinde publica illis dabantur diplomata quæ ἀποίκια vocabant, quorum exemplar in Archiuis publicis depositum, eos ciues optimo jure esse bonisque omnibus in hanc aut illam coloniam missos testabatur. Sacra quoque patria secum asportabant, ignemque sacrum è penetrali urbis depromptum & accensum; qui quidem si casu extinctus esset, ex Prytaneo conditorum denuo accendi debebat: Præterea quotannis legatos in majorem patriam (quam

Græci μητρόπολιν vocant) Diis patriis sacrificaturos, mittere moris erat: Pontifices etiam, qui sacris præerant, ab originibus suis accipiebant. Verum inter alia multa jura, quæ origines in colonias habebant, haud ultimum erat, ut si quando coloni aliam coloniam aliò ducere vellent, ducem à majore patria postularent, quemadmodum hæc ex antiquissimis Græcorum historiis optime probat *Henricus Valesius* ad aurea excerpta *Peiresii*. Ex quibus & similibus facile judicare licet, in quibus coloniæ veterum Græcorum, cum clientelis conueniant, & differant.

LXV. Nos cum, quæ ad clientelarum explicationem facere videntur, hactenus attulerimus, Voto finimus: Vt melior fiat conditio clientum, quam haud raro esse hodie solet. Eligit sibi sæpe aliquis patronum, cuius consilio regi, ope juuari, serio animi proposito, & ingenuo cultu, obseruantiaque expetit; sed cum omnes obsequii numeros impleuit, nimis tarde demum sentit, se in patrocinia simulata incidisse. Turpe sane generoso debet esse animo, fallere candorem & simplicitatem clientis, qui verbo contentus abire poterat, si ab initio audisset: non potes me patrono uti, alium quæras suadeo. Frustra tamen forte ad mores antiquos nostrum componere seculum nitimur, cum omnia in diversa ruant, nullaque spes amplius supersit, nisi in paucissimis nonnullis qui moribus viuunt antiquis; quibusque,

Ex meliore luto finxit præcordia Titan.

Hi enim iniquorum hominum conatibus resistentes, vetus illud summæ amicitiæ atque concordiæ vinculum inter patronos atque clientes, soli renovare, clientesque sua ope indigentes, ab improborum fraudibus atque technis, sua virtute tutos atque incolumes præstare poterunt.

XXVII.

XXVII.

COMITIA IMPERII

Sive

ELECTIO SUCCESSORIS

Descripta

C. Cornelio Tacito

1. *Histor.* 12. & *seqq.*

I.

PRincipio nollem quenquam putare, quòd *Exercitationi* huic *Academicæ* ambitiosè pompam addiderim, dum eam COMITIA IMPERII inscripsi. *Titulus* enim iste, ipso *Tacito* præbente, sese offerebat, 1. *Hist.* 14. 1. & conveniens videbatur quammaximè, quo totius Instituti *consilium* & *forma* nosceretur. *Interprete* quoque haut alio opus habet, quàm eodem *Tacito* 1. *Hist.* 13. *num.* 2. & *cap.* 14. *n.* 1. Unde intelligimus, Consilium GALBÆ IMP. de adoptando, & eligendo Imperii Successore, eo significari. Res tota illustratur exemplo COCCEI NERVÆ, eodem animo TRAJANUM in spem Imperii adoptantis. *Vid. Plinium in Panegyr*: qui omnino cum re præsenti conferendus, & *Flav. Vopisc. in Aureliano, cap.* 14.

II. Antequam autem destinata componam, monendum est, *Tacitum* sub nomine, & æstimatione *Electionis*, totum hoc negotium *Adoptionis*, sensu magis *politico* quàm *Iuridico* tractasse; quem prudentissimo, & eloquentissimo illi Panegyristæ *Plinio* quoque, in re simili exornanda placuisse, indicat, & distinctè explicat *Ampliss. & Excellentissimus Dn. Præses, in Annot. Polit. in Tacit. l.* 1. *Hist. pag.* 551. his verbis: *Licet adoptio in subsidium successionis naturalis comparata sit, quotiens proles mascula deficit, electionis tamen indolem sumit, cum ab adoptione non tam domui fulcrum, quàm reip. Princeps quæritur, atque æstimatione meriti virtutisque, vel in partem curarum assumitur, vel in proximam spem successionis admovetur.*

III. Hoc quoque occupandum eſt, ut *Homonymia* evitetur, *Adoptionem* eſſe in hac re, tam apud *Tacitum*, quàm *Suetonium*, nomen *generis*, non *ſpeciei* (ut loquuntur in Scholis *Philoſophorum*) hoc eſt, non ſumi in ea ſignificatione, qua ab *Arrogatione* diſtinguitur. *Hiſtorici* enim, & *Oratores* plerunque negligunt illam, quæ de *Arrogatione* & *Adoptione* traditur, diſcretionem, apud *JCtos* in *l. 2. ff. de Adopt. & emanc.* & in §. 1. *I. de Adopt.* ſecundum quos textus, *Piſo arrogatus* potius dici deberet, quàm *adoptatus*; erat enim ſui juris. Quæ dixi modò, exemplis probavit *Auſon. Popma de diff. Voc.* & *Carolus Sigonius*, *de jure ant. Civ. Rom. l. 1. c.* 10. qui dicit, hanc ipſam vocabulorum διαλλαγὴν, etiam in antiquis *JCtorum* libris inſuper eſſe habitam. Videtur hoc mihi, exceptis aliis, clariſſimè conſtare ex §. 3. *I. de Adopt.*

IV. Nunc, quoniam *conſultationem Galbæ de Adoptione ſucceſſoris in Imperio*, tractandam hîc ſuſcepi, ad illius primordia accedo, & ejus rei cauſa tranſactorum Imperii Comitiorum *occaſionem*, inquiro. Hæc verò tota, ex ſeditione legionum, quæ *Germaniæ* tum præerant, orta eſt. *Superioris* quidem *Germaniæ* milites, qui ſub *Verginio*, & *Flacco* meruerant, maximè fremebant. Hi enim fraudari ſe præmiis navatæ adverſus *Gallos*, & *Vindicem* operæ (qua ſuperbè exultabant) credentes, ſimulque metuentes, ne ſuſpecti *Galbæ* viderentur, tanquam alias partes ſecuti, ſacramenti religionem exuerunt, & ſtatim legatos cum mandatis miſerunt, quibus alium *Imperatorem* petierunt. Ne tamen omnem *Imperii* reverentiam depoſuiſſe viderentur, *Senatui populoque Romano* arbitrium eligendi quem illi vellent, detulerunt. Vid. *Plutarch.* & *Dionem* in *vita Galbæ*, *Tacitum* 1. *Hiſt.* 8. 12. *Sueton. in Galba cap.* 16. *Galba* igitur, cùm novas res moliri milites cerneret, ſimulque ſecum reputaret, feſſam ætatem, atque orbitatem ſuam deſpectui illis eſſe, & cauſam movendis in Imperio turbis, *Conſilium Adoptionis*, quod pridem inter ſe atque proximos agitaverat, nova cura cœpit maturare. Vid. *Plutarch.* & *Tacit. l. c.* Mox nunciatum eſt, *Inferioris Germaniæ* legionis iiſdem motibus inquietas, *Vitellium*, quem cum imperio *Galba* illuc miſerat, *Imperatorem* in caſtris ſalutaſſe.

Qua re perlata, *Galba Adoptionem* non ultrà produxit. *v. Tacit.* 1. *hist.* 9. *Plutarch. Dionem. l. c.*

V. Eadem consilia *Coccejus Nerva*, ob ingens seculi sui discrimen, assumere cogebatur. Cùm enim corrupta tum esset disciplina astrorum, cumque in concussam *Remp.* & ruens *Imperium*, pessima indies inducerentur exempla, ut *Principi* absque filio herede, servandorum hominum nulla potestas amplius restaret; ratio atque tempus ipsi videbatur, ut alium per *Adoptionem* imploraret, qui salutis publicæ gubernaculis admoveretur. *v. Plin. Paneg. cap.* 6. *Atheas* quoque *Scytharum Rex*, cum subito *Istrianorum* bello peteretur, atque omnis *Scytharum* res fessa jaceret, *Philippi Macedoniæ Regis* Adoptione eam voluit erigere: Sed ille promissæ adoptionis pœnitentiam suo, & totius regni ingenti malo luit. v. *Iustin.* 9. 2. *Supplem. Curt. Freinshem.* 1. 5. & *Authores* ibi citatos.

VI. Intentum novis circa *Imperii successionem* curis *Galbam* vaga populi judicia, & diversus tota civitate rumor, anteverterunt. *Omnia enim facta dictaque Principis, rumor excipit, nec magis ei quàm Soli latere contingit* (*Seneca.* 1. *de Clem.* 8.) Omnes igitur *Romæ* statim liberius de *Principatu* loquebantur. *Multi*, qui *Neronis* juventæ adsueti erant, quique *Imperatores* forma ac decore corporis comparabant, inermem *Galbæ* senectutem, adunco naso suspendebant. Singulis maxima calumniandi illecebra, inter tantos motus, fuit spes impunitatis. *Alii* ambitiosis decretis hunc *Imperio* sufficiebant, quem aliorum odia eodem prohibebant. Paucis publica salus, & *Reip.* amor, melioris propositi sermones aut cogitationes dictavit. Fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur *Imperio*, quàm quem futurum Principem fortuna in occulto servavit. vid. *Tacit.* 1. *hist.* 12. 2.

VII. Nihil autem moratus incerta vulgi studia, & impia dicta, IMP. GALBA, *Rempublicam* à periculo, se ipsum ab invidia citò liberare cupiens, *Concilium Amicorum* advocat, ratus, *magna negotia magnis adjutoribus egere. Velleius. l.* 2. *c.* 127. Erat divisa tum potentia *Principatus* in *T. Vinium Cos.* & *Corn. Laconem*, *Præfectum Prætor.* quibus rerum gerendarum facultate, & gratia *Imperatoris*, haud minor erat *Icelus*,

ſummi jam *equeſtris gradus Candidatus*. His in *Comitia Imperii* aſſumtis, addidit *Galba Marium Celſum Cos. Deſignatum*, & *Ducennium Geminum*, *Præf. Vrb.* à ſingulis ſolidiora & meliora judicia exſpectans; præſertim à tribus illis prioribus, qui aſſiduè ipſi adhærebant: Unde Principis *Pædagogos* eos vocatos fuiſſe *Suetonius* teſtatur in *Galba. cap.* 17. illi autem incautum, & facilem *Principem*, velut fatuum circumducebant, & diverſo vitiorum genere graſſantes, *Imperium* funditus trahebant. *Titus Vinius*, inter illos deterrimus immenſæ cupiditatis, & in libidinem præceps. *Cornelius Laco*, arrogantia ſocordiaque intolerabilis, unà cum *Vinio*, *Galbam* odio & contemptu deſtruebat. *Icelus* mortalium avariſſimus, plus in aula rapiebat quàm vel *Polycleti*, vel *Vatinii*, aut *Elii*, paraverunt, v. *Plutarch.* & *Sueton. in Galba. Tacitum* 1. *hiſt.* paſſim, ubi plura eorum vitia notantur. Ab hac dira *Tricipitina*, quid probi potuit cogitari, aut fieri, cùm ad bonum nunquam conſentiret? *Galbam* enim, etiam ſi prudenter, & moderate nonnunquam rem gerere vellet, ſtatim interpellavit, & rem omnem in ſuum potius commodum, quàm *Reipubl.* emolumentum vertit. Quare in his quoque *Comitiis* rebus minoribus egregiè ſibi tendebat. Concors autem ſemper in perdendo *Galba*, circa *conſilium eligendi ſucceſſoris*, diſcordiis ſeparabatur. *Vinius*, non tam fortunæ *Principatus*, quàm propriæ domus commodo proſpiciens, conciliatum ſibi donis, & multa familiaritate *Othonem*, *Succeſſorem* nominabat, cumque eo filiæ ſuæ nuptias paciſcebatur, & jam gener atque ſocer, ex rumoribus, nihil ſilentio tranſmittentibus, ambo deſtinabantur. (*Tacit.* 1. *hiſt.* 13. 3.) Moti hac ſuffragatione *Icelus*, & *Laco*, in contrariam ſententiam ibant, atque diverſis conſiliis huc illuc fluctuantes, non tam unum quàm alterum fovebant. Obſervavit hinc, æmulorum in Aula affectum, *Ampliſſ. Dn. Præſes in annot. polit. ad Tacit. l.* 1. *hiſt. p.* 535. 536. *q. v.* Illam verò ſuaſionum diſcordiam, illam crebram ſententiarum, velut tempeſtatum, mutationem, & obnoxium privatæ rei ſtudium, inter vada & impedimenta bonæ mentis locat, atque probis Conſiliariis, exemplis modò propoſitis, cautè evitanda proponit *Lipſ. lib.* 3. *Polit.* capp. diverſis, in quibus

bus etiam illud *Horatii* 2. *Serm. Satyr.* 7. obiicit *Galba:*

Ducitur ut nervis alienis mobile lignum.

VIII. Interea *Otho* quod omnium in se oculos, omniumque animos hærere credebat, opimam *Regni* spem conceperat. Favebant enim ipsi plerique milites, qui tum omne jus *Imperii* arbitriumque, sibi pernicioso exemplo pertinaciter vindicare cœperant; Quin & ipse *Galba*, haud alienus cæteroquin fuerat *Othoni*; sciebat enim primum hunc ex *Rectoribus Provinciarum*, deserto *Nerone*, ab ipsius partibus stetisse; cùm antea inter præsentes splendissimus haberetur (*Tacit.* 1. *Hist.* 13. 6.) quare *Galba* eum multis, & insignibus donis sæpius augebat, nonnunquam super mensam invitabat, & eâdem cum ipso lectica, toto itinere Hispanico, vehebatur. In cæteris quoque fidus erat *Galbæ Otho*, specimenque interdum præbebat, ut nemini prudentia rerum secundus videretur, teste *Plutarcho* in *Galba*. Igitur spem *Adoptionis* & *Imperii* indies simul ad se rapiebat *Otho*, magnam quidem jam & ut *Suetonius* (*in ejus vita cap.* 4.) ait, ex conditione temporum, sed aliquanto majorem ex affirmatione *Seleuci* Mathematici, qui cùm superstitem eum *Neroni* olim fore spopondisset, ultrò aliquando inopinatus eum accessit, imperaturum quoque brevi, promittens. Dehinc nullum officii genus in quenquam omittens *Otho*, urbanum quoque militem largitionibus sibi demereri instituit; & cum aliquando cuidam de parte finium litigandi adhibitus arbiter esset, totum agrum redemit, emancipavitque: unde factum, ut jam, *Suetonio* teste, *l. c.* vix ullus esset, qui non & sentiret, & prædicaret, solum eum successorem Imperii dignum.

Sed qui veterem disciplinam amabant (quorum paucissimi tamen in istius temporis fæce supererant) reliquos *Othonis* mores odio habebant, & *Imperio* indignos judicabant. Nam, ut *Tacitus* dicit. 1. *hist.* 13. 4. *pueritiam incuriosè, adolescentiam petulanter egerat Otho*, inque ea erubescendis indulgens amoribus, nihil ventri, nihil libidini negaverat, & quod pessimum, in istam luxuriam haud casu incidit, aut errore ætatis, sed studio & contentione eam affectavit, dum omnium prodigorum ingenia sumptibus nepotatus superare laborabat, ut delibu-

libutas illas *Neronis* comessationes imitaretur: Quare, ut *Tacitus* paulò post ait, *prona in eum, tanquam similem, aula Neronis*, & gratus ipse *Neroni*, æmulatione luxus; cujus multa exempla, ipse (*Tacitus l. c. Plutarch. Dio. Sueton. in Galba vita*) exhibent.

IX. Erat alius tum *Romæ* juvenis *L. Piso Frugi*, ex *M. Licinio Crasso*, & *Scribonia* natus, adstricti probique moris magister, vultu habituque adeò veteri, ut exemplum antiquitatis dici potuerit, in cujus ad omnem virtutem nata indole, modestia & severitas tanta concordia, & concentu quoque cæterarum laudum omnisque gloriæ, elucebant, ut nihil unquam severitati ejus, simplici humanitate, nihil humanitati, nimia severitate, detraheretur. Hæc pars morum, recta æstimatione, *Galbæ* præcipuè placebat; Cæteri eam, quasi tristitiam, culpabant (quam ne affectent *Principes*, Majestatis eorum interesse, *Lipsius 2. Polit. 16. 6.* & in *Not. ad istum locum*) Sed illi, authore 1. *hist.* 14. *non nisi soliciti, & deterius interpretantes*. Porrò in petendis honoribus nullis deductoribus uti solebat *Piso*, nec *Romæ*, aut in *Italia* ambire, nec emendis suffragiis patrimonium consumere, nec senes orbos in literam digerere, ipsi mos erat. Nunquam illi jucundum fuit aliquem post se videre, quendam ante se habere. Domos potentium, & tumultuosa rixa salutantium limina, haut lubens adiit, apud *Rubellium Plautum* tantùm amicitiam cum *Corn. Lacone*, sed simpliciter, colens, & ab eo multum, dissimulato tamen amicitiæ titulo, aliis commendatus. v. *Tacit.* 1. *hist.* 14. & quæ occasione *de suffragationibus aulicis* designat *Ampliss. & Excellent. Dn. Præses in annot. pol. ad Tacit. l. 1. c. 14.*

X. Sed ad *Galbam* iterum revertendum est, qui velut ex gravi sopore expergitus, vigiles interim *Imperii* curas solus agebat, nec istorum *Pædagogorum* deliriis, & falsis somniis ultrà obdormiebat. Cœpit enim sedulò perspicere *suffragationis Viniana* inania, & contemnere *Iceli* aliorumque huc illuc agitata consilia; cogitare contra unicam *Imperii* salutem, & illi etjam necessitudines privatas postponere. Inde in longum consulens, bene antea perpendebat, arduo suo molimini parum profectum iri, si rebus undique motis hominem imperitum aut pro-

propudiosum, Regno post se relinqueret; suam quoque gloriam haud durabilem futuram, si maximarum rerum instrumenta, quæ tanta industria ille jam parabat, *Successoris* inertia corrumperet. Præter hæc, judicium *Optimorum* & posteritas, alia mente concipiebat, & ita in seipsum componebat, quasi turpe ipsi foret, si faceret, ut potius alii homines, quàm alii mores succederent, & post *Neronem* nova seculi dedecora Imperium infestarent. Huc referendum quod *Tacitus* I. *Hist*. 13. 4. *Credo & Reip. curam subisse, frustra à Nerone translatæ, si apud Othonem relinqueretur*, & quæ in h. l. observavit *Ampliss. Dn. Præses*, *in annot. polit.* v. etiam *Plin. Paneg. c.* 7. *&* 8. ubi simile quid de *Nerva*, circa idem negotium, notatur.

XI. His probè expensis, haud ultra cunctatus est *Galba*, quin *Adoptionem & successionem Imperii*, qua nihil magis ex officio & dignitate *Principis* gessit, ex sui animi sententia decerneret. Licet enim nihil adhuc de *Vitellio* certum esset, anxius tamen fuit *Galba*, dicente *Tacito*, quonam vis exercituum erumperet, & nec urbano militi confidebat: qui aliqua saltem præsentis *Galbæ* reverentia præstringebatur, & quòd nullum probabile mutationis exordium præ manibus esset, id restringebat, & supprimebat utcunque illorum seditionem atque offensam, teste *Plutarcho* in *Galba*. Itaque *gladiatorum*, hoc est, non *Principum* credens, *in arena consilium*, Comitia Imperii, & ea sequenti *Oratione*, quam ego ex mente potius, quàm verbis *Taciti*, concepi, hunc in modum auspicatur: *Ego quidem, quotquot adestis, benè meminisse arbitror, quibus ominibus atque auspiciis, summam Imperii dignitatem inter vos sim consecutus. Placebat Superis, manebatque occulta fatorum lege, ut Senex ego, ætate extrema, post extinctam Cæsarum domum auratos Imperii fasces, & gravissimam curarum pondere sceptri molem, hisce manibus tractarem. Acceperunt omnes oraculi vice responsum illud, Avo meo, dum fulgur procuraret, datum, summum, sed serum Imperium familiæ portendi. Credo ego obversari adhuc oculis vestris canescentes repente illius pueri capillos, qui nuper intra ædem publicam sacra facienti, acerram tenebat. Nostis ipsi, haut defuisse tum qui inde augura-*

 gura-

gurabantur, successurum juveni senem hoc est, Neroni Galbam. Quid dirus Augustus acerrimæ mentis princeps? nonne salutanti ille inter æquales pueros, apprehensa buccula, quam tum gerebam, dixit: Et tu, fili, Imperium nostrum degustabis. Quid tum Tiberius, Augusti hæres? sentiebat ille quoque me imperaturum, verùm in senecta, unde exclamabat: Vivat sane, quando id ad nos nihil pertinet. Aspicite nunc albicantem hanc senio frontem, & conferte priscum hoc Imperii insigne, circumfusam purpuram, cum humerorum totiusque corporis defecto robore, & vera extitisse deprehendetis, quod auguriis istis edocti, maximorumque Principum effatis, moniti estis. Equidem, uti dixi, inter decrepitos ego lubens me numero, & extrema tangentes, non sentio tamen in animo ætatis injuriam, cum sentiam in corpore. Viget adhuc mens, & gaudet, non multum sibi esse cum corpore, faciens interdum controversiam mihi cum senectute: Cum verò in cogitationem ire juvat, & dispicere, argumenta defessi senii tam in Imperio, quam in corpore meo video: In eo enim prisca fides, obsequium, & reverentia rectori debita velut in senili corpore sanguis, & robur flaccent frigentque. Emortuus pæne in me est omnis civium amor: Expiravit quasi militum religio, & debitum ab Aula officium, tantum non animam ducit. Experior dolens, paucos Imperatores longissimam senectutem sine contemtu ad mortem perferre. Memini sæpius, quid Nymphidius Sabinus perfidus ille, cùm ex Hispania in hanc urbem à Senatu evocarer, dixerit, difficulter mihi vires suppetere, ut lectica Romam portarer. Extinctum quidem est fœdidum illud os, ultore ferro, sed superant adhuc haud disparis levitatis convitia, quæ quotidie auribus meis observantur, & quoniam haud insitivus intra limen hæres mihi est, nec per liberos fulta domus, orbitatem meam ab omnibus sperni, acerbè sentio. Quare antequam senilis anima in primis labris mihi hæreat, revocare destitutam Imperii meamque dignitatem illum cupio, quem dignissimum nunc judicabo ut orbi quietem, sæculo pacem, reipublicæ decus suum reddat. Ad hunc forte modum cum locutus esset in *Palatio Galba*, repente ex media turba *Pisonem*, (de quo supra mentio facta,) arripit, eumque *filium* suum appellans, in *Successorem Imperii* eligit atque adoptat.

v. *Ta-*

v. *Tacit.* 1. *Hist.* 15. *Sueton.* *in Galba*, *cap.* 17. *Plutarch.* & *Dionem in ejusdem vita.*

XII. Notari hîc inter *solennia*, &, ut hodie vocant, *caremonias Adoptionis* hujus velim, quod *Tacitus* & *Suetonius* (*locis cit:*) dicant, *Galbam manu apprehendisse Pisonem.* Neque enim ego frustra illud factum arbitror, sed firmiter credo fuisse id signum aliquod juris atque potestatis, quam *Galba* sibi in *Pisonem* isto modo asserere, & quasi vindicare voluit. Usus autem in eo est *Galba* exemplo *veterum*, qui adoptantes aliquem apud *Pratorem*, manu eum tenentes dicebant: HUNC HOMINEM FILIUM MEUM ESSE AJO. Unde etiam apud *Senecam libri* 1. *Controv.* 3. *In manum suam recipere*, est *adoptare*, uti observavit *Scipio Gentilis in Apolog. Apulei. num.* 666. Quæ prima hujus moris origo, caussæ, atque affinia sint, vid. apud *Gellium. l.* 5. *c.* 19. *Boëtium in Top. Cicer. Sigonium de Ant. Jure Civ. Rom.* 1. *c.* 11. *de Judiciis l.* 1. *c.* 12. *Polletum in hist. fori Rom. l.* 3. *c.* 2. *& in corollar. ad hoc c.* 4. *Brissonium de V. S. de formulis Rom. l.* 5. *in Antiq. Sel. Juris Civ. l.* 1. *c.* 7. *Rupertum ad l.* 2. 1. *ff. de Orig. Jur.* Observarunt hunc morem longis post temporibus alii quoque *Imperatores*, qui aliquem nuncupaturi *Casarem*, aut *Collegam Imperii* vel *successorem*, manu dextera eum coram exercitu retinebant, quem ritum expressis verbis indicavit *Amm. Marcellinus* in *Constantino* & *Juliano* cap. 7. in *Valentiniano* & *Valente cap.* 5.

XIII. Apprehensum verò manu *Pisonem Galba* non ilicò dimisit, sed eum ore quoque proprium sibi dixit, atque iis artibus erudivit, quibus unicè gerendi Imperii salus, dignitas & auctoritas continentur. Unde eximiam illam & gravissimam *Orationem*, quam in *Palatio* ad *Pisonem adoptatum* habuit *Galba*, adhuc hodie velut *compendium quoddam totius prudentia regnatricis*, *& eorum qua ad rem publicam pertinent*, agnoscimus, cujus *summam* paucis ego nunc, uti ingenium meum fert, recepto & ostendo. Continet ea, quod primum moneo, *summam aliquam judicii verè regii*, *& politici*, *gravitatem atque integritatem*, qua non solùm *optimi Principis* schema aliquod in seipso exhibet *Galba*, sed idem *Pisoni*

quoq; imprimit, quem taliter ad *Imperium* formavit, qualiter eum Romana felicitas, si propagari fataliter potuisset, omnino requirebat. Constat id *ex ipso actu Electionis*, quam maximè extollit *Galba*, ut ostendat, per eam suma *Imperia* legitimè & laudabiliter capi, atque deferri. Quid enim sublimius & illustrius in hujus rei fidem afferre potuisset *Galba*, quàm quod *auspicium Electionis* à singulari quadam *Divini Numinis providentia* accersit, dum ait, *se Deorum hominumque consensu ad Imperium vocatum esse* (*Tacit*. 1. *hist*. 15.) Repetit idem auspicium, ex eadem parte, *Plinius Panegyr. cap*. 8. ubi *Nerva Trajanum* eligenti, *Deorum* pariter *curam* associat, dicens: *sibi enim Dii gloriam illam vindicaverunt, horum opus, horum illud Imperium, Nerva tantum minister fuit. Imperatorem homines & dii fecerunt*. Huc referri possunt quæ *Athalaricus* apud *Cassiodor. Var*. VIII. *Ep*. 9. ait: *Ad regendos populos idoneos efficiunt quos ad Augustum culmen divina provexerunt*. vid. omnino *Ampliss. Dn. Præsidem, de Auspicio Regio*. Quàm sublime item decus Instituto huic addit *Galba* dum in eo multus est, ut *virtutis* unicè *merita* in hoc attendi & respici, demonstret. Hujus enim auspiciis impetrativa addici & litari in omni munere. His observatis, *Imperium* initia & formam omnem quasi annuentibus *Diis*, & monente natura, subsequi; Ea autem non tam *ex incunabulis* offerri, quàm *electione & consilio*, velut ex alto servari, & accipi, repetit, cum ait: *Optimum quemque adoptio inveniet. Adoptandi judicium integrum & si velis eligere consensu monstratur*, (*Tacit*. 1. *hist*. 16.) Hisce iterum congruit illud Plinii in Paneg. cap. 7. *Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus*, nempe qui sit *optimus*, qui sit *diis simillimus*. Item illud *Cassiodori libr. VII. Varior. Utile est unum eligere, cui debeant reliqui obedire*. Nam, ut *Theodoricus Rex* apud *eundem* inquit *libr*. 4. *Var*. *Ignavi esse nesciunt quos Judicio pepererunt*. vid. *orationem Hadriani* jamjam morientis, apud *Dionem l*. 69. Quare etiam *Aristoteles* ait *l. V. Polit. cap*. 10. *in princ*. Ὁ βασιλεὺς καθίσαται ἐκ τῶν ἐπιεικῶν, καθ' ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς, ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. Hæc sententia in hoc argumento maximè excellit, & omninò conferenda est cum *Xenophont. Pæd*. VIII. *à princ*.

In-

Interea tamen *successio generis* etiam propria quædam splendoris *auspicia*, *à Divina constitutione & ordinatione quadam* mutuata, habet. DEUS enim non sine singulari quadam providentia certis familiis maxima rerum gubernacula nonnunquam permittit, & meritorum Principalium seriem per unam stirpem longa propagatione interdum continuat. Cujus rei exemplum manifestissimum extare voluit in Populi, quem proprium quondam sibi elegit, Republica: Regnum enim *Juda* continua serie in eadem tribu, & familia *Davidis* (ob singularem *Altissimi* in hanc domum, curam atque amorem) permansit usque ad *Sedeciam.* Unde haud frustra *David* ait 1. *Paral.* 19. *DEUS elegit de Juda Principes, porro de domo Juda domum patris mei.* Et de eadem domo dicitur 3. *Reg.* 15. *Dedit ei DOMINUS lucernam in Hierusalem.* Possim hîc sollicitam *Divini Numinis* curam in alias quoque familias, in quibus fortuna regnandi consenuit, latius ostendere, sed propositi ratio id non admittit. Videtur autem *Galba* istam dignitatem nativitatis regiæ valde minuere, nec ad ista, quæ dixi modo, referre, dum ait, *generari & nasci à Principibus, fortuitum, nec ultrà æstimatur:* (*Tacit.* 1. *hist.* 16.) nisi quis *fortuitum* ita velit accipere, *ad quod cura hominum nihil valet:* Et ita *Galba* idem dixerit quod *Seneca Rhetor. l.* 1. *controv.* 6. dicit, *homines sibi nascendi sortem non facere posse.* vid. de argumento *Ampliss. Dn. Præsidem in annot. polit. ad Tacit. l.* 1. *hist. p.* 554. 555. 556.

XIV. Quod si *Electum*, & *adoptatum in spem successionis Pisonem* ultrà nunc consideremus, & digna in eo, *Imperio* fortunæ atque animi bona mirabimur, & laudabimus iterum eximiam *Galbæ* prudentiam, quæ meritum illis honorem publicè habuit. Postposuit enim hic eximio judicii documento, suorum propinquorum affectum patriæ amori, societates bellicas potiorum vinculo morum, ætatis evectæ dignitatem, maturioris indolis præstantiæ, cuncta ideò, *ut ei plurimum tribueret, in cujus anima virtus inest*, (*Vellejus* 2. 128.) & digna *Imperio authoritas* atque *Majestas* ex omni parte emineret, id est *Pisoni*, in quo præcipua *Imperiorum decora*, & digniores *tituli*, ante alios concurrebant, *virtus* nempe, & *morum*

eximia *gravitas*, *generis* utrinque *nobilitas*, *ætatis* justæ *vigor*, & *adversa fortunæ tolerantia*. *Virtutis* quidem & *morum* in eo *studium*, suprà jam commendavi, & nunc tantum addo, arduum illud & gloriosum fuisse. *Rara enim, & magnæ laudis est, cum virtutes specie dispares prudentia junguntur. Cicero ad Brutum cap.* 10. (Applicentur hîc, quæ in priori thesi dicta) Præter hoc, gloriari etiam potuit *Piso haut extrema luce natalium*, fecit enim eum quam maximè *nobilem*, antiquum & multis magistratibus insigne *Crassi Pompeique* genus; Quare atria ejus veteres ceræ, & nomina familiæ longo ordine multisque stemmatum illigata flexuris exornarunt, & favorabilia fecerunt. *Cicero* ipse sanè huic familiæ se nobilitandi causa, sociavit, cùm *Tulliam* filiam despondit *C. Pisoni, L. F. Frugi.* vid. *Treb. Pollionem in vita Pisonis Thessalici, & ibid. Casaubonum.* Hæc *nobilitas generis* acre fuit apud *Romanos*, ad *Imperium* telum; unde *Severus Imp.* ait: τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἔνδοξον οὖσαν, ἀεὶ οἱ πρόγονοι, ἢ δι᾽ ἀνδρείας ἀναρέτῳ ἐκτήσαντο, ἢ δι᾽ εὐγένειαν διεδέξαντο. *Herodianus* II. 13. *vid. eundem cap.* 2. *ejusdem libri* & *Orationem Maximi ap. eund.* VIII. 7. Inprimis, *suasoriam Agrippæ ad Augustum, apud Dionem libr. LII. Capitolinum in Gordianis, cap.* 30. *Treb. Pollionem in Valeriano, cap.* 1. Hujus rei causa est insita illa & altè infixa hominum mentibus opinio, qua omni nobilitati generosum aliquid inesse tantum non omnes credunt. *Habet autem*, ut *Seneca* ait *Epist.* 39. *hoc optimum generosus animus, quod concitatur ad honesta.* Itaque *Cicero pro Sextio* inquit: *Omnes boni nobilitati favemus*; Et *Aristoteles* 3. *Pol.* 8. ἡ δ᾽ εὐγένεια παρ᾽ ἑκάστοις οἴκοις τίμιος. *vid. eund.* 4. *Pol.* 4. & in priorem locum *Piccarti Commentarium l.* 3. *cap.* 13. *p.* 438. 439. *quique ibi citantur.* Præterea ea fuit *Pisonis ætas*, quæ optimè faciebat ad regnandi studia: Jam enim illa despumaverat, jamque vitia primo fervore adolescentiæ aliàs indomita, extinxerat, atque ad salutaria, mitigatis frequenti rerum patientia affectibus, venerat. Itaque nihil ab eo immaturum in Regno, nihil perperam, nihil asperum exspectari aut metui potuit, sed omnia gravia, cuncta seria, & ita *quasi Respublica jubeat.* Non ille vino aut floribus, non mulierculis aut popinis

nis deditus erat, sed sui nominis opinionem immunem ab omni flagitio servavit, nec per licita & illicita se fœdavit. Denique ipsa *fortuna* adversas vires in eum ideo exercuisse videbatur, ut inde disceret, firmius undique consilii robur imperandi artibus quondam addere. Reverà enim in omni re *nocumenta*, *documenta* sunt. Unde de se *Mithridates* olim dicebat: *Mihi fortuna multis rebus ereptis, usum dedit benè suadendi, ap. Sallust. in fragm. histor. lib.* 4. Et *Tacitus* de *Caractaco*, *Annal.* 12 13. *Quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut cæteros Britannorum Imperatores præmineret, v. Lips. Not. ad l.* 3. *pol. cap.* 4. §. 9.

XV. In eo denique prudenter & optimè arbitrio suo usus est *Galba*, dum id unicè egit, ut nova *Electione necessitatibus Reipublicæ* subveniat, & *ejusdem utilitates* promoveat. Hoc illis verbis intendit, quando ait, *se amore patriæ impulsum, ut principatum Pisoni offerret*, &, *se in Republica successorem quærere*: (ap. *Tacit.* 1. *hist.* 15. *n.* 2. 3.) quod ut evidentius probaret, removet *Adoptionis Pisonianæ* finem, ab eo, quem antea *Augustus in Adoptione Marcelli*, *Agrippæ*, & *Tiberii Neronis* intendebat: Ille enim per hos, suæ tantùm domus disciplinam stabilire voluit, nempe ut servi aliquando dominos, bona heredes, haberent. *Galba* contrà in *adoptando Pisone*, beatam civium vitam sibi proposuit, & per eum disciplinam majorum, quæ olim quidem interciderat, tunc verò nec quærebatur, *Imperio* voluit restituere, & illud opibus firmum, gloria amplum, virtute honestum reddere. Itaque graviter ad *Pisonem* ipse ait: *Nunc eò necessitatis jam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus Populo Rom. possit, quam bonum successorem, nec tua plus juventa quàm bonum Principem.* (ap. *Tacit.* 1. *hist.* 16. 1.) *Illius* autem *necessitatis pars* haud levis fuit, *finita Cæsarum in Nerone domus*; unde totius *rei Romanæ* moles, quasi submoto, cui incumbebat, fulcro, agitari cœpit & contremiscere: Antea enim satis quieta ea perstitit, cùm ex *familia Iulia* & *Claudia*, continuo ordine, munimenta status accepisset: quæ res initium debuit prudentiæ *Augusti*. Ille enim non minori cura quàm utilitate *Legem successionis* in *Imperium Rom.* introduxit, quæ quum ori-

primùm fato durare desiit, atque in certamen & quæstionem creatio *Principis* post *Neronem* vocari cœpit, majestas *Imperii* atque salus, incerta diu, & quasi vaga fuit. *Galba* ipse, licet *Electione* postea *Imperator* factus sit, eam tamen stabilire non potuit, tum alias ob causas, tum ob æmulationem, & contentionem Ducum, tum ob contumaciam illorum militum, qui longo *Cæsarum* sacramento imbuti, nova Imperia ferre non poterant, & vires suas cum aliis conferentes, æque se imperare posse quàm alios, ut magis, credebant. Itaque in longum consulens *Galba*, illam *Augusti Legem successionis* fundare iterum in *augusta domo* per *Adoptionem* voluit. Ingentibus enim malis edoctus jam erat *Minore discrimine sumi Principem quam quæri*, &, *magnis aut novis conatibus opportunos esse transitus rerum.* Contra, *pravas aliorum spes cohiberi si successor non in incerto*, & se ipsum per hanc viam securiorem esse, & pluribus velut munimentis insistere, optime potuit colligere. *vid. Lips. Polit.* 2. 4. *Ampliss. Domini Præsidis dissertat. polit. in Suetonii Octavium Cæsarem* §. 17. *in Galbam* ejusdem §. 1. Interea tamen vera manet illa sententia *Galbæ*, qua de se, & *Pisone*, dicit: *Loco libertatis erit, quod eligi cœpimus:* (ap. *Tacit.* 1. *hist.* 16. 2.) Ea enim formam regiminis principalis insigniter exprimit, cujus latiorem designationem vid. *in Ampliss. Domini Præsidis annot. polit. in Tacit. l.* 1. *hist. pag.* 554.

XVI. Omne autem boni *Principis* simul atque *Patris* munus implevit *Galba*, quòd imperaturo *Pisoni filio*, tam illustri optimorum monitorum face, prælucebat, à cujus splendore nostra hæc *Exercitatio* lucem aliquam nunc mutuatur. Probè sciebat *Galba*, non satis cautam esse inter obsequia fortunæ mortalitatem: Illa enim acrioribus stimulis animos explorant, quàm adversa rerum. Quare *Pisonem*, ad tam magnæ & tam subitæ fortunæ cultum, *primo omnium* erudit, & tacitè quasi eum monet, ne, *post tantam rerum experientiam*, *vi dominationis convellatur*, *& indulgentia fortunæ*, *in superbiam mutet*; Uti quondam *Tiberius* fecerat. *vid. Tacit. Ann.* 6. 48. 3. Sed, ut fortunam reverenter habeat, & sem-

per

per in melius, uti decet, potens ſit. *Deinde*, præcipua & ſanctiſſima humani ingenii bona, *fidem, libertatem, amicitiam* eidem *Galba* commendat. Singula prudenter, & utiliter. *Primo* enim *nulla res vehementius Rempublicam continet, quam fides.* (*Cicero 2. offic.* 14.) Et ſine ea juxta *Silium Ital.* 2. 484.

Non tellus pacem, non æquora norunt.

Oſtendit hoc *Ariſtoteles l. 1. Rhetor.* quando ait: Ἀκύρων τῶν συνθηκῶν, ἀνῄρηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία. *Fidem* igitur magnopere conſervandam cenſeant *Principes*, nec eam unquam *Imperio* poſthabeant, aut perjurio latebras vi atque fraudibus quærant, ſed promiſſa æquè in pace quàm in bello, tam hoſtibus quàm ſociis, tam perfidis quàm bonis ſervent. vid. *Lipſ. Polit.* 2. 14. *Grotium de Jure B. & P. lib.* 3. *c.* 19. *& ſeqq.* etiam *libr.* 2. *c.* 15. *Libertas* quoque inter maxima decora eſt illius *qui ſolus arbiter rerum jure ac nomine regio* (*Tacit. annot.* 2. 73. 4.) Quæris autem, quæ ſit ea? dicam *Senecæ* verbis, *Epiſt.* 51. *Nulli rei ſervire, nulli neceſſitati, nullis caſibus, fortunam in æquum deducere.* Hæc libertas Regi propoſita ſit, ad hoc præmium ille laboret, cum præcipua muneris ſui Majeſtas eo contineatur: Qui enim metu ab honeſto deterretur, aut blanditiis ad turpia invitatur, aut aſſenſum omnem in aliorum obſequium ſubmittit, ille decus ſuum alienæ potentiæ gratificatur, & licet *Argis* imperet, atque Regnis, quæ quondam

Liquit Pelops
Qua Ponto ab Helles, atque ab Jonio mari
Urgetur Iſthmus,

revera tamen impotens erit, & vilior ſervo qui quinque modios accipit, & quinque denarios. Nam,

tunc omnia jura tenebis,
Cum poteris Rex eſſe tui. *Claudianus.*

vid. imprimis *Gruteri diſcurs. ad Tacit. lib. V. hiſt. part. alt.* Prætereà *amicitiæ ſtudium* ad ſecuritatem, & firmitatem regni inprimis conducit. Nam

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia tela
Quàm tutatur Amor. *Claudian. in IV. Conſul. Honorii.*

Principi omnia amor conciliat, longeque valentior in regno ad obti-

nendum quæ velis, quàm timor. Plinius *l.* 8. *Ep. ult.* Unde *Panegyrista* ait *c.* 85. *Præcipuum* Principis *opus esse, amicos parare,* Et *Helvidius apud Tacitum hist.* 4. 7. 6. *Nullum majus boni Imperii instrumentum, quàm boni amici.* *Augusto* certè præcipuas imperandi curas id fuisse novimus, ut amicos diligenter legeret, utiliter adhiberet, & constanter servaret; quod opus quàm arduum sit, doctissimè, uti omnia, explicat *Dn. Præses in dissertat. polit. in Octavium Cæsarem, Suetonii.* §. 15. Neque verò exiguam regiminis benè administrandi partem *Galba* in communi illa sententia ponit, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quam sententiam, æquitati naturali omnino conformem, *Tacitus* his verbis extulit: (1. *hist.* 16. 6.) *Utilissimus idem, ac brevissimus, bonarum malarumque rerum delectus est, quid aut volueris sub alio* Principe, *aut nolueris.* Idem planè consilium adhibet *Mæcenas apud Dionem lib.* 52. *circa finem orationis,* qui locus optimè huc facit. *Lipsius l.* 4. *Polit. c.* 5. ubi fontes prudentiæ regiæ recludit, consilium illud ex *notitia vulgi* haurit, atque tractat haud vulgariter. *Dn. Præses* illam notitiam subtiliter dividit & præsenti proposito applicat *in annot. polit. ad Tacit. l.* 1. *hist. cap.* 6. Inde autem optimi P*rincipes* passim in *Historia Romana* commendantur, & tanquam benè formati ad gerendum *Imperium* ab ista cognitione laudantur. P*linius de Trajano* ait in Paneg. *cap.* 44. *Privato judicio Principem geris, meliorem imo te præstas, quàm tibi alium precabare.* *Antoninus Pius* legitur *Senatui Romano,* tantum detulisse Imperator, quantum cum privatus esset, deferri sibi ab alio *Principe* optavit, apud *Capitolinum in ejus vita cap.* 6. *Tacito Imperatori,* omnis *Senatus Romanus* acclamavit: *Quod bonum faustum salutareque sit, diu privatus fuisti. Scis quemadmodum debeas imperare qui alios Principes pertulisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus judicasti.* *Macius* (*ita Salmasius* hunc vocat ex *Msc.* Palati*ni* optima fide) *Falconius Nicomachus, Senator consularis,* singulariter postea de eodem dicebat: *Scit enim qualem sibi Principem semper optaverit: nec potest aliud nobis exhibere, quàm quod ipse desideravit,* & voluit. *Vopiscus in vita Taciti, cap.* 4. & 6. Adde *Lampridium in vita Alexandri Severi,*

ri, *cap.* 51. & ibi notas *Casauboni*, quæ benè merentur, ut legantur.

Sed & præter istas *regnandi artes, & monita*, ipsam quoque *gerendi Imperii necessitatem, & difficultatem*, juxta tradidit *Galba* Pisoni. *Illam* quidem hisce verbis indicavit: *Si immensum Imperij corpus stare ac librari sineRectore posset, dignus eram à quo Respublica inciperet.* (1. *hist.* 16. 1.) Idem graviter de ejus *Imperij* corpore *Florus* dicit *l.* 4. *c.* 3. nempe *illud haud dubiè nunquam ita coire, & consentire potuisse, nisi unius præsidis nutu, quasi anima & mente regeretur. Tacitum* similiter alibi quoque locutum, *Freinshemius* observavit, *in not. ad loc. Flori citat.* Benigna est hæc materia, de qua plura dici possent, sed ea concludi non possunt intra hujus *Exercitationis* modum atque spatium. Vide aliquid de ea apud *Aristotelem* 1. Polit. 2. & ejusdem *Interpretes* atque *Commentatores, Senecam, de Clementia. Lipsium,* 2. Polit. 1. & 2. *Gruterum in disc. ad Tacit.* 3. *Annal. part.* 1. *p. m.*51. *Rupertum in animadvers. ad* Pompon. *l.* 2. *ff. de Orig. Juris cap.* 12. *Difficultatem* verò *regnandi*, studio tractat, habita *oratione Galbæ*, atque infert. 1. *Ex vitiis Consiliorum & ministrorum*, per quos *adulatio, blanditiæ pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas, irrumpit.* (*Tacit.* 1. *hist.* 15. 6.) In eo igitur summa judicii politici, & prudentiæ verè regiæ caput consistit, quomodo & quantum P*rinceps, qui sua scientia non potest cuncta complecti* (*Tacit. Ann.* 3. 69. 2.) nec *de sua unius sententia omnia gerere* (*Livius* 44. 22.) iis obsequi debeat, quos in curarum partem adsumit, & quos publicè adjumenta credit, ne illa regni fundamenta, quæ *Galba* noster jecit, *fidem* nempe, *libertatem*, & *amicitiam*, imminuat. Facilis ea res esset, si omnes consulerent quod in rem est, si nemo obnoxiè sententiam diceret, si privatæ res nunquam officerent consiliis publicis. Sed rarissimæ sunt Aulæ P*rincipum*, quæ ab ista peste liberæ, &, *vis scire cujus rei inopia laborent sæpius magna fastigia? quid omnia possidentibus desit? ille qui verum dicat.* (*Seneca* 6. *de Benef. c.* 30.) Adsunt ibi præcipuè homines, sine falsi verique discrimine, solitas adulationes edocti, animo subdoli & perfidiosi, avaritiam & libidinem occultantes (*Tacit. Ann.* 16. 32. 3.) Multi in

parvis rebus fidem præstant, ut, cùm operæ pretium est, mercede magna fallant. Libertatem *Principum* per cuniculos tentant, & inscios sæpe, extremæ conditionis mancipia faciunt. Injuncta *Imperio* munia, & labores, soli invadunt; & inæstimabile illud bonum, SUUM FIERI, *Principibus* eripiunt. Ita tamen se gerunt, quasi unicè scirent suadere *Principi*, quod oporteat, cùm interea sæpius ut aliquid sui videantur afferre, etiam recta commutent. Loquuntur *byssina aulæ verba*, & magis cum fortuna *Principis*, quàm cum ipso. Lædunt novo calumniandi modo, non culpantes, sed laudantes, & in omnibus *speciem magis, quàm vim in amicitia retinent.* (*Tacit. Ann.* 3. 30. 6.) Ita *Principes*, *cùm omnia caverint, per ornamenta feriuntur Seneca præfat. l.* 4. *quæst. Nat.*) & non anteà sentiunt proditores, quàm proditi. vid. *Tacit.* 1. *hist.* 15. *n.* 6. 7.) Ne itaque in deteriora transeat *Princeps*, summè opus est, ut cum judicio cuncta audiat, nec aures suas ita formet, ut nil nisi jucundum & læsurum accipiant. Nihil generosum aut altum ab illis servitiis exspectet. Et quamvis idonea illa videantur, tamen semper cogitet illud *Ciceronis Epist. ad Q. Fratr.* 2. 1. *Species ipsa gratiosi liberti, aut servi, dignitatem habere nullam potest.* Sed pauci sunt quibus istud à natura aut usu judicium integrum. Imò, *bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* vid. omnino *Vopiscum in Aureliano*, cap. 43. *Alteram* imperandi *difficultatem*, *in Invidia* ponit *Galba*, quando apertè dicit: *Nos bello, & ab æstimantibus adsciti, cum invidia quamvis egregii erimus.* (*Tacit.* 1. *histor.* 16. 4.) Malum hoc plerumque *vulgi* est, *quod ægris oculis alienam felicitatem intuetur* (*Tacit. histor.* 2. 20. 4.) Sed & *Nobiliores* interdum, & magnos aliàs animos invadit, qui ingentibus honoribus & negotiis se quoque pares judicantes, acerbè ferunt si alius ea occupat. Unde *Sallustius ad Cæsarem ait*, *Orat.* 2. *Nemo alteri Imperium volens concedit*; *Et Seneca in Thebaid.* (quod tamen sobriè intelligi velim.)

Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque Regnum.

Maxima autem circa hanc rem difficultas est, imò quandoque insuperabilis, adeò ut ad vitiorum irritamenta nonnulli dela-

delabantur, qui adversum illum fortunæ magnæ comitem, amoliri à se volunt. Prudenter tamen, quibus modis evitetur, monuit *Lipsius*, *l. 3. polit. c. 11. n. 9. &c.* *Tertiam*, nec postremam imperandi *difficultatem*, *à variis Populi moribus*, & *pugnantibus inter se studiis Galba accersit*. Hæc ille summa ratione *Pisoni* explicat. Nam revera

Principis est virtus optima nosse suos. *Martialis.*

Ita autem de *Romanis* inquit *Galba*: (ap. *Tacit.* 1. *hist.* 16. 7.) *Neque enim hic, ut in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri servi: Sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Verissimè hæc *Galba*, & prorsus evidenter ad rem, quam hucusque statuo. *Romani* enim haud miti aut fracta cervice, jugum quodcunque tulerunt, atque flecti non minus turpe putarunt, quàm vinci. *Ea fuit voluntas omnium, ut, qui libertati in illa urbe finis, idem urbi sit*, (*Livius* 2. 15.) Huic quicunque plagas tendebat, eum statim eversio, odia, venena, gladii, à tergo sequebantur. Testantur id præcipuè *exacti Roma*, ob vindicandum libertatis decus, *Reges*, ardentes illæ *Legum agrariarum* faces, & toties *pro libertate patriæ*, aut *sociorum*, correpta arma. Quin imò ea fuit *gens Romana*, quæ etiam *victa quiescere nequivit* (*Livius* 9. 3.) *Romani* enim *graviores tunc sunt cùm vicuntur*, inquit *Balerus Cadusiorum Rex apud* Pollionem *in vita Aurelian. cap. V.* Unus ex comitibus *Annibalis* (creditur is fuisse *Aristo*) apud *Iustinum*, 31. 4. haud frustrà ait: *Cum Romano seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tum etiam cum victo & jacente luctandum esse.* Ut igitur commendaret *Imperium* suum Princeps *Romanus*, haud *dominationem & servos*, sed *Rectorem, & cives* cogitare debuit (*Tacit. Ann.* 12. 11. 2.) *Hominibus liberis, ingenuis, honestis, non ut mancipiis abuti, sed his quos gradu antecedat, quorumque sibi non tradita servitus sit, sed tutela* (*Seneca de Clement.*) Invitis haud facilè modum imponere, omnem captæ urbis formam abhorrere, domiti ut pareant magis, quàm serviunt curare juxta hæc, eum oportuit. Nam abrupta illa & *sine fine dominatio*, semper intolerabilis fuit civibus Romanis. Quare nec ea *Augusto*, licet

ille cuncta *nomine Principis* ſub *Imperium* acceperit, placuit. Et optimè *Tacitus* dicit *hiſt.* 4 8.6. *quomodo peſſimis Principibus ſine modo dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere.* Interea tamen idem *Princeps* inter præcepta imperandi illud *Taciti* quoque *Ann.* 16. 18. 1. obſervare debuit: *Contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis deminui.* Et illud *Ariſtotelis* Polit. 6. 4. Ἡ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅτι ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον. Nam *Romani* libertatem non ſemper æqua mente paſſi ſunt. Initia quidem illius plerumque bona, ſed haud rarò mali eventus, ad quos ſi acceſſit *Princeps* nimia *lenitate dulcis*, facilè fortuna tanti *Imperii* in præceps agebatur. Fatetur ingenuè apud *Livium* 2. 29. *App. Claudius*: *Non miſeriis, ſed licentia, tantum turbarum concitum.* Continebat diu veterem *Rom.* diſciplinam imminens *Pœnorum* hoſtium metus. at poſtquam *Corinthus*, *Numantia*, *& æmula Imperii Carthag.* everſa eſt, læta, vel potius decepta, libertatis ſuæ ſpectaculo *Roma*, luxuriari cœpit, & felicitate nova in perniciem *Reipublicæ* exultare. vid. *Florum* 3.12. & perpende ibi cauſas furorum civilium. Uſque adeò autem *libertatem* affectabant illi *rerum domini*, *ut hujus auram inde captantes*, *unde ſervitutem timebant*, *in eum ſtatum Rempublicam adduxerint.* (*Livius* 3. 37.) Quare *libertate diſcordi ſervientibus Romanis*, *utilius fuit tandem*, *unum eſſe cui ſerviant* (*Plin.* Paneg 32.) Sicque *Reſpublica* in ſinum *Iulii Cæſaris* ultrò conceſſit, & poſtea quoque *pacis interfuit omnem poteſtatem ad unum* (Auguſtum) *conferri.* (*Tacit. hiſt.* 1. 1. 2.) Itaque in propatulo nunc eſſe arbitror, quàm arduum & grave ſit (id quod antea jam intendi) *illorum* ingenia temperanter, nec promiſcuè habere, *qui aut ſerviunt humiliter*, *aut dominantur ſuperbe*, & (quod omninò neceſſe eſt) juxta hæc aciem *Imperii*, nunc intendere, nunc continere, nunc iterum remittere: Denique id efficere, ut *Populi Romani vis illa*, *& magnitudo venerabilis*, *ad imaginem antiquitatis relata*, *non licentia effrenis exultet*, *non abjecta languide jaceat*; *Sed ſic aſſiduis* Principis *monitis temperata ſit*, *ut morigeram ſe non terrori ejus præbeat*, *ſed benignitati*; uti *Nazarius* loquitur in *Panegyr. ad Conſtantinum.*

XVIII.

XVIII. Hinc causæ simul patent, quare pauci antiquis temporibus, *Romanum orbem* justo & felici regimine moderati sint. *Aliis* enim defuit *caput ad consilium de Republica dandum*, notitia Reipublicæ (*Cicero 2. de Orat. 82.*) *Aliis ἡ ἐξουσία μετριάσασα*, quæ juxta effatum *Cæsaris* apud *Dionem l. 43. πάντα κτηθέντα τηρεῖ.* Quorum numerus maximus fuit. *Alij* non satis eruditi fuerunt illis artibus quibus ad magnæ fortunæ cultum ingenia formantur. Talis fuit *Domitianus*, qui, ut *Tacitus in Agric. c. 7.* ait *ex magna fortuna, licentiam tantum usurpavit. Sunt* item *amici mali, qui Romanos pessimos etiam posteris tradiderunt suis vitiis laborantes* (ut loquitur *Lampridius in vita Alexandri Sev. c. ult. ubi v. not. Casauboni*) Inter hos non dubito ipsum *Galbam*, cum modo tamen, numerare. *Alij belluabantur viribus Romani Imperii*, & illud *fato quodam deformabant.* Tales fuerunt, *Vitellius*, *Caligula*, *Nero*, *Commodus*, *Heliogabalus*, *Maximini*, *& Philippi*, atque illa inconditæ multitudinis fæx, vid. *inprimis *Vopiscum in Aureliano cap. 42. & 43.* Memorabile autem, & planè singulare est illud exemplum *Neronis*, quod *Pisoni* hisce verbis (ap. *Tacit. 1. hist. 16. 4.*) *Galba* proposuit: *Sit ante oculos Nero, quem longa Cæsarum serie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere. Neque erat adhuc damnati Principis exemplum.* Rectè quidem illa se habent, quæ de fundata longo *Imperio Cæsarum domo*, & fatali vitiorum pœna differuntur, de qua vid. *Augustinum*, de *Civit.* DEI 5. 19. Sed rectitudo judicii, quo *Nero à Senatu* damnatus est, dubia adhuc videtur. Apparet quidem inde maxima *Amplissimi* illius *Ordinis* authoritas, atque potestati, quam ab eodem facto, magnificè, inter alia, extollit quoque *Clodius Albinus* apud *Capitolinum c. 13.* his verbis: *Et usque ad Neronem quidem Senatus autoritas valuit, qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, cum sententiæ in eum dictæ sunt, qui vitæ necisque potestatem, atque Imperium, tunc tenebat.* Utrum autem *Senatus Romanus* in hac re benè judicaverit, maximè controverti potest. Absolvere quidem *Senatum* videtur illa

ratio,

ratio, quam *hostilis in Rempublicam Neronis animus* dictat, & quam *Barclaius l. 4. c. 16.* atque *Grotius de I. B. & P. 3. 4. 11.* licet hic remissius (*v. Dn. Præsidis Comment. ad Grot. l. c.*) assumpserunt. Sed contrà pronunciant aliæ, æque firmiores rationes, allatæ ab *Amplissi. Domino Præside in dissertat. ad Neronem Suetonii* §. 17. quibus ego lubens, meritoque subscribo.

XIX. Hæc, velut præcipua momenta de ista *Oratione Galbæ* dixisse, nunc sufficiat. Possent quidem de illius *arte*, quatenus ad *Rhetores* spectat, nunnulla quoque afferri. Hanc enim inter præcipua facundiæ suæ opera *Tacitum* extare voluisse, eruditè judicat *Dominus Præses in annot. polit. ad Tacit. 1. hist.* 15. Sed ista non sunt hujus instituti. Possem etiam istius *orationis* ductu, interiora *Antiquitatis Romanæ* investigare, atque priscos illos *adoptandi lege Curiata* apud *Pontifices*, ritus, causas, atque formulas, nec non accepta per *adoptionem* imaginum jura, explicare. Sed prohibet talia chartæ angustia. Intereà ne quid cognitioni tuæ desit L. B. vid. *Gellium in Noct. Att. libr. V. cap.* 15. *Sigonium de Ant. Iure Civ. Rom. lib. 1. cap. 10. l. C. Bulengerum de Imper. Rom. lib. 2. cap. 1. pag. 72. Polletum in hist. Fori Rom. lib. 3. cap. 2. Ravardum de Auctorit. prudent. c. 6.*

XX. Extant passim in *Historia* similes ferè *orationes*, quibus *Vita*, aut *Regnis* decessuri *Principes*, *filiis* suis, aut *propinquis*, rei benè *gerendæ* curam commendarunt. Talis fuit illa *Micipsæ*, quam is, morbo atque ætate confectus, cùm sibi finem vitæ adesse intelligeret, coram amicis & cognatis, itemque *Adherbale & Hiempsale filiis*, habuit, apud *Sallustium in Iugurth. cap. X.* vid. in eam *animadvers. Dan. Parei.* Hanc orationem *divinam* vocavit *Spartianus*, qui refert, *Severum Imp.* ingravatum morbo, eandem filio suo majori (*Bassiano*) misisse: *In vita Severi, cap.* 21. Legimus quoque cygneam illam *Marci Imp.* cantionem, quam Senex ille, cum gravissimo morbo repente percuteretur, convocatis omnibus amicis, & constituto in eorum conspectu adolescente *filio Commodo*, edidit. Eam *Herodianus l. 1. hist. cap.* 4. tradidit, & notis illustravit *Ampliss. Dn. Præses, ad illum Anthorem*; in quibus alia ejusmodi *orationum* exempla afferuntur. Huc non imperti-

pertinenter referri posse puto exemplum *Basilij*, *Græci Imp.* qui in usum *Leonis filij*, futuri *Principis*, *libellum* edidit, quem κεφάλαια παραινετικὰ inscripsit, *probum*, *pium & dignum quem Principes legant*; uti *Lipsius* de eo judicat *in Not. ad l.* 1. *Polit. cap.* 9. Inter recentioris autem Historiæ monumenta, insigniter eminet *Oratio Caroli V. Imp.* quam ille biennio antequam moreretur, viribus tamen, & propemodum vita, jam tum defectus, ad *Philippum II. filium* habuit, cùm administrationem *Regnorum* & *Provinciarum*, facta abdicatione ipsi reliquisset. vid. *Famian. Stradam de bello Belg. decad.* 1. *lib.* 1. qui istam *orationem* doctè & graviter, Latino sermone vertit. Plura exempla non accumulo : Sed id addo tantum,

Ut esse Phœbi dulcius lumen solet
Jam jam cadentis :

Sic ista abeuntium aut dicta, aut monita.

XXI. Sed ad *Pisonem* nunc me iterum converto, qui *Galbæ* Imp. ritè jam constitutus *filius* atque *hæres*, cuique *Principatus*, de quo *Majores*, *I. Cæsar* nempe, & *Augustus*, armis certarunt, & quem ipse *Galba* bello adeptus est, quiescenti oblatus est. Quod equidem haud frequenter evenire solet. Nam *pauci fiunt per quietem Rectores populi*, *& rarum felicitatis genus*, *obtinere sine contentionibus Principatum*, inquit *Cassiodorus*. Nihil autem potuit tam eximium, aut inexspectatum à fortuna incidere, quod diu multumque compositum animum *Pisonis* statu suo turbaret. Audita enim *Adoptione*, ita se confirmavit, ut conversos in se totius *Palatij* oculos & ora fortiter sustinuerit, neque ullum infirmæ mentis signum, ex novitate rei, prodiderit. Affectus, naturali corporis facilitate ad subita pronos, ita posuit, ut ostenderit omnibus, se imperare magis posse, quàm velle. Sermo erga *Patrem Imperatoremq;* gratus, ac reverens, (*Tacit.* 1. *hist.* 17. 1.) non mobilis, non incitatus, nec citò in os prodiens, de se ipso moderatus, &, si formare eundem meis verbis licet, forsitan talis : *Ego quidem*, *optime Imperator*, *minimè ausus fuissem*, *tam amplam hereditatem augustæ domus tuæ*, *mihi polliceri*, *aut*, *tantas spes aliorum impediendo*, *Romani Orbis imperium occupare*, *nisi tua bonitate*, *atque consilio*, *ad ista invitatus*, *& adscitus essem.*

Nunquam enim eam de me opinionem habui, aut fiduciam, quòd prisca illa Sulpiciæ, & Lutatiæ gentis decora, mea nobilitas æquare, aut concussam tantis motibus rempublicam, meæ vires, mea prudentia servare posit. Tuum est illud judicium, quo me ex tota hac multitudine secernis, atque ex tot proceribus, qui adsunt, manu consilioq; gloriosis, solum dignum putas, in quem spem publicam, & senectutis tuæ requiem ponas. Meum igitur nunc erit, hoc agere, ut dictis tuis audiens sim, & ne Tu in caducum parietem inclines, aut respublica per me aliquid detrimenti capiat. Faciam autem, ut & ego quondam in locum liberorum populum Romanum adoptasse videar, & Tu sentias, arctius me Tibi alligatum quàm ut fortuna ambos divellere posit. Talia in *Palatio*, non ex præparato locutus est *Piso*, sed subitò deprehensus. Posteris temporibus mos erat, ut *adoptati Cæsares*, publicè in *Senatu* gratias agerent. *Capitolinus* id testatur in vita *Antonini Pij*, *cap*. 4. ubi inquit: *Adoptatus Antoninus Pius in Senatu gratias eidem* (Hadriano) *quòd de se ita sensisset, egit.* De *Cejonio Commodo*, *Spartianus in Adriano c*. 23. dicit, *eum præ valetudine, ne gratias quidem in Senatu agere potuisse Adriano de adoptione. Ælius Verus* orationem pulcherrimam (quæ *Spartiani* tempore adhuc legebatur) dubium an per se, an per *scriniorum* aut *dicendi magistros* paravit, qua *Calend. Januariis Adriano* patri, pro sua quoque *adoptione* gratias ageret. vid. *Spartianum in Ælio*, *cap*. 4.

XXII. Interea, ad consummationem tam augusti muneris, nihil reliquum erat, quàm publica ejusdem professio, & proclamatio; quæ ubi primùm fieri debeat, mox consultatum est. (*Tacit*. 1. *hist*. 17. 2.) *Alij* in *Rostra* procedendum putabant, pro quibus conciones ad populum habitæ, & magistratus suscepti atque positi, & ipsi *Julio Cæsari Regni Insignia* quondam oblata fuerunt. *Florus*. 4. 2. *Alii* dissuadentes *inascensum illum superbiæ posterorum Principum locum* terere, in *Senatu* judicium de *Imperio* primùm dari jubebant. Sed, quia magnis consiliis omne robur penes milites tunc erat, & invalida *Senatus* auctoritas jacebat, placuit ordo, quem tempus, & Reipublicæ status, potiorem monstrabant, nempe, ut in *castra* primùm iretur. Dum hæc agerentur, mira fuit, monen-

nente *Tacito*, & incredibilis apud omnes illius rei exſpectatio, cujus fama aliquamdiu ſuppreſſa, ſumptis inde viribus, ut fieri ſolet, in majus jam creverat. Dictus erat novæ ſolennitati quartus dies *Id. Januar.* qui exortus, mox fœda tempeſtate, & prodigiis cœleſtibus horrebat: Inundabatur paſſim terra largis imbribus, aer crebris & inſolitis tonitruum fragoribus quatiebatur, ignes hinc atque illinc minabantur. Videbatur adverſis auſpiciis, turbatis religionibus, adverſus morem militarem, diſciplinamque majorum, quicquam ſolenniter & publicè iſto die geri. Antiqua enim inter *Romanos* lex erat: JOVE. TONANTE. FULGURANTE. COMITIA. HABERE. NEFAS. vid. *Ciceron. libb. de Divinat. lib. 2. de LL. Oration. in Vatin. ad Pontifices. pro Sextio. Philippic. 2. Gellium.* 13. 14. *Livium l. 7. cap. 6. & l. 40. cap. 42. Tacitum. Hiſt. l. 1. cap. 18. Plutarchum in Galba.* Nihil territus fortuitis, *Galba*, nec omen inde accipiens, officio ſuo haud ſegnius fungebatur. Itaque *ſalvis auſpiciis* ea geri ſtatuens, quæ *Reipublicæ commodo* ſuſcipiuntur, nec præcaveri poſſe, quæ unumquemque manent, in caſtra pergebat, ubi more, & jure *Auguſtis* proprio ac ſingulari, milites in hunc ferè modum alloquebatur: *Quod fauſtum, felix, fortunatumque ſit. Perduco ad vos Licinium Piſonem virum fortem, atque nobilem, in quo robuſta maturitas, & vigor magnis rebus ſufficiens. Hunc ego more D. Auguſti, & exemplo militari, quo VIR VIRUM LEGIT, in familiam meam adoptavi, atque plurimum credens ipſius virtuti, proximum mihi conſtitui ut in vicem Imperij aliquando ſuccedat. Habetis nunc aliquam de me exſpectationem, quam habere poſſe, cuncti negaſtis. Imperabit vobis Piſo hic, & ſi Dij velint, diu imperabit. Ille enim, omnibus Imperij nervis, ad revocandam priſtinæ diſciplinam militiæ, annitetur; nec patietur, quemquam veſtrum degenerare à robore ac virtute, aſſuetudine voluptatum. Quieſcent, ſpero, nunc, nec per novas molitiones hunc rerum ſtatum abnuent, quarta, & duodeviceſima, in Germania, legiones. Deſinam illis videri Senex, ſi præter ſpem omnium, ſenectutem Imperij, quaſi reddita juventute, revireſcere audiverint. Neque enim ultra verba ac voces hactenus illæ erraſunt. Quare & vos lubentes accipite Piſonem quem meo ju-*

dicio probavi, & agite, ut hunc Principem factum, omnis Romana militia vobiscum gaudeat. Meminit *Plutarchus*, *Galbam* hanc orationem partim *habuisse*, partim *de scripto recitasse.* Frequens hic mos *Principibus*, & notissimus ex *Dione*, (qui summo studio ejusmodi orationes notavit) *lib.* 53. 56. *& alibi. Tacitus* diligentius persequitur illam *orationem Galbæ ad milites*, & nonnulla notat, quæ ejusdem *stilum*, *argumentum*, & *eventum*, perspicuè nobis indicant. Ad primum, referenda sunt illa *Taciti* verba, cùm ait, (1. *hist.* 18. *n.* 2. & 4.) *Galbam imperatoria brevitate adoptionem Pisonis pronunciasse; nec ullum orationi lenocinium additum.* Habet quidem suum *gravitas* locum, & ipsa *brevitas loquendi* haud incommodè, præsertim in *orationibus Principum*, adhibetur. Nam uti *Demetrius Phalereus* (quem nihil eorum quæ ad dicendum requiruntur fugit) *in libro de Elocut.* dicit: *Quod brevius est gravius est, & aptius ad imperandum*, &, ut idem, paulò post, dicit: *præcepta & jussiones, quæ Principi conveniunt, brevibus verbis formantur: preces autem, quæ humilioribus, verbosæ & longæ esse debent*, vid. *Lips. polit.* 2. 15. 15. *N.* Ista tamen sermonis gravitate, & brevitate, non ad omnes res gerendas uti *Princeps* debet, velut *GLADIO DELPHICO.* Nam utriusque virtus aliquando vana est, nisi comitatis permixta insit gratia, vid. *Dn. Præsid. annot. in. Tacit.* 1. *hist. p.* 538. *& seq.* ubi cuncta ex fontibus perfectæ eloquentiæ politicæ. In *argumento* autem illius *Orationis Tacitus* primò refert, *formulam* illam *militarem* (rei & loco convenienter à *Galba* adductam) qua olim VIR VIRUM LEGIT. vid. de ea P. *Victor. Lect. Var.* 18. 19. *Brisson. de formul. l.* 4. *Turnebi. Adversar. & Dn. Præsidem in annot. Polit. ad Tacit.* 1. *hist. p.* 559. qui observavit, *Augustum*, eandem formulam, ad *lectionem Senatus* transtulisse, apud *Suetonium*. vid. hunc *in vit. Aug. cap.* 35. & 54. *Deinde* notat *Author* noster, (1. *hist.* 18. 3.) *Galbam seditionem legionum Germaniæ ultro asseverasse, ne dissimulata in majus crederetur.* Rectè hæc, & prudenter *Galba.* Nam, ubi certus est malorum author, adversus famam, rumoresque hominum firmius statur, nec atrociora, quæ sparguntur, tam facilè decipiunt, aut, quæ quisque fingere potest, ita timentur. Unde *Julius Cæsar* milites suos *fama hostilium copiarum* per-

perterritos, non negando, minuendove (seu malis legere *inhibendove*, quod liber *Cujacij* habet, & *Casaubonus* probat) *sed insuper amplificando, ementiendoque confirmabat*, teste *Suetonio in ejus vita*, *cap. 66.* Sic illi, ad subita quævis parati fuerunt nec terreri ullis periculis potuerunt, docti, non præsentibus tantùm, sed futuris etiam atque contingentibus animum opponere. Intereà tamen, ut ad effectum magnorum interdum consiliorum & operum perveniat *Princeps*, multa simulet oportet invitus, & dissimulet, cum dolore quandoque; In bello præsertim, in quo sæpe exiguis momentis omnia inclinantur. Ibi sanè magnum haut raro malorum remedium est, si non intelliguntur, maximè cum in acie milites stant & jam differri bellum periculosum. Tum enim illi arma facilè abjicient, & summæ rei diffident, si suorum seditiones, & clades alibi exortæ, prodantur. Igitur læta omnia fingenda potius, & dissentire vultus Ducis ab animo debet. Quod equidem *Alexandrum*, illum orbis domitorem, in maximo discrimine aliquando fecisse legimus apud *Curtium l. 4. cap. 12. & c. 16.* Sed summa hîc opus cautione, ne adversa ista spernantur magis quàm dissimulentur, & *ne stulta dissimulatione remedia potius malorum, quàm mala differantur*, uti *Tacitus* loquitur *Histor. 3. 54. 1.* Illud etiam cum laude melioris consilii in *Galba* probandum est, quòd in Oratione, ad milites habita, exemplum *Augusti* suo proposito accommodaverit: Nam non potuisset illi majorem authoritatem conciliare, quàm ab eo, in cujus nomen omnes Imperatores velut quadam adoptione & jure hereditario successerunt. Apud milites quoque recens adhuc erat veneratio *Augusti Cæsaris*, cujus *nomen* ipsorum animos, velut quoddam *Deorum*, obsederat, ut per longa tempora inde velli non potuerit. Sed cætera *Galbæ* non ad istum modum erant; quod satis declarat *orationis* illius *eventus*, à *Tacito* (1. *h.* 18. 4.) sedulò quoque expressus. *Tribuni* quidem cum *Centurionibus*, & proximis militum, gratabundi respondebant, fortassis ex necessitate muneris magis, quàm sponte & ex animo. Reliqua multitudo iræ tristitiam, tristitiæ silentium miscens, nihil gratabundi significabat, nec *Pisonem* faustis ominibus prosequebatur. Videbatur enim illi, quasi vita cunctis erepta esset, quòd nullam men-

mentionem *Donativi*, cujus largitio priorum *Principum* liberalitate, etiam inter pacis ornamenta fuerat, & quod ob multos belli labores, tanquam debitum, ab omnibus hucusque expectabatur, *Galba* fecerat. Re:reare potuisset, monente *Tacito*, (1. *hist*. 18. 5.) *Galba*, quibus

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ,

si in præmium militiæ, aut in signum lætitiæ publicæ, quantulacunque liberalitate erga ipsos usus esset: Sed nihil tale ab eo extorqueri potuit, cui semel fixum erat, *Legere milites non emere*. (vid. *Tacit. 1. histor. 5. 5. Sueton. in Galba* 16.) Gravissimus hic erat error *Galbæ*, & qui omnem ejus in Imperio fortunam trahebat. Licet enim non deceat ἐπὶ χρήμασι κηρυχθεῖσαν καὶ πραθεῖσαν ἀρχὴν εἶναι (*Herodian*. II. 7.) *Custoditur* tamen *beneficiis Imperium* (*Seneca ad Polyb. c.* 31.) Et *quandoque minus flagitiosum est armis vinci Principem, quàm munificentia*. (*Sallust. in Jugurth. c.* 110.) Præcipuè autem interest Principum, ut in novo Imperio (quale omninò fuit illud *Galbæ*) effusius donent. Sic enim illud sibi commodè firmabunt, cum paulatim ex novis rebus aucti cives, tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa malent. vid. *Lips. Polit.* 4. 8. 21. & *seqq.* ubi simul modi & cautelæ. Nam ex nimiis largitionibus non minus quàm ex sordida avaritia, tum alia mala, tum contemtus oritur, quem suo ære olim sibi comparavit *Julianus*, v. *Herodian*. II. 7. adde his omnibus *Dn. Præsid. annot. polit. in Tacit. l.* 1. *hist. cap.* 2. *p.* 50. &*c.* & iterum *ibid. pag.* 538. Verissimè autem de *Galba Tacitus*: (1. *hist*. 18. 5.) *Nocuit antiquus rigor & nimia severitas, cui jam pares non sumus.* Adhibenda quidem est Reip. causa *Severitas*, *sine qua administrari civitas nulla potest* (*Cicero* 1. *Offic.* 25.) Sed cum modo tamen, & tempore, quia *severitas amittit assiduitate autoritatem* (*Seneca lib.* 1. *de Clement. c.* 22.) quæ *anima*, & *vita* ipsa *Regnorum* est. vid. *Lips. Polit.* 2. 16. & 4. 9. Dissolutionem itaque *Imperii* sequi oportuit, cùm vincula, quibus illud continetur, rupta essent, & *milites pacem jam omnem exuerent*, *Principis magis avaritiæ, quàm obsequii impatientes* (*Tacit. Ann.* 4. 72. 1.) Commodus hîc esset locus, illorum *Principum* liberalitatem per exempla recensere, qui, communium & propriorum bonorum non tam parci dispen-

dispensatores; ut *Galba*, in *Adoptionibus* & *Nuncupationibus augustis*, varia dona & ludos civibus, præsertim militibus, exhibuerunt. Sed, quia magnam horum partem collegit *Julius Cæsar Bulengerus de Imper. Rom. l. 2. c. 1.* ideò ista non repeto. Hoc tantùm addo, ejusmodi donativa adhuc sub *Valentiniano*, in usu fuisse (vid. *Amm. Marcellin. l. XXVI. c. 3.*) Et tempore *Anastasii* quoque; uti constat ex *Marcellini Comitis Chronico*, qui primus, omne ejusmodi munus, *Augustaticum* dixit; quod nomen recentior *Latinitas* servavit. vid. omnino *H. Valesium, in annot. ad Amm. Marcellin. l. XXVI.*

XXIII. Procedo nunc ex *castris* in *Senatum*, cum *Galba*; qui coram *Amplissimo* illo *Ordine*, *Adoptionem Pisonis* haud longiori aut leniori *Oratione nuncupavit*, quàm apud milites; his forte verbis: *L. Pisonem, quem hic cernitis, mihi, Imperio, & vobis necessarium, in familiam meam adscivi* P. C. *ut liceat mihi salvam, & sospitem, Rempublicam in sede sua, per eum sistere. Cujus rei fructum si & vos percipere aliquando vultis, rogo, ut sententias, & imperium ejus, publice admittatis, & probetis. Mihi satis erit, ut melioris status Author dicar, & moriens feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta Imperij, quæ ipse stabilivi.* Refugit in hac quoque *Oratione* (teste *Tacito* 1. *hist.* 19. 1.) lenocinium sermonis, quasi quendam ingenii furorem, *Galba*. Verùm, imprudenter, & ineptè. Quamvis enim *Oratori constet eloquentiæ officium* (*Seneca de Benef. VII.* 13.) &, *aliud in Imperatore quæratur, aliud in Poeta vel Oratore flagitetur:* (*Treb. Pollio in Gallienis c.* 11.) Debuisset tamen durus ille *Imperator*, honorem verborum illis viris reservare, penes quos judicium publicæ mentis ab antiquo; & quibus ille arbitrium eligendi Principis, quod apud eos fuerat, eripuit, iisdem nova quadam humanitate blandiri, decorum fuisset. Quare, sine dubio, invisa fuit *Senatui* ista *Oratio*, spirans undique horridam & intempestivam severitatem, qua ex suo ordine *Cingonium Varronem Cos. Design.* & *Petronium Turpilianum Consularem*, interemtum, data occasione, non absque tristitia & iracundia, recordari potuit.

XXIV. Longè aliter in *Senatu* se gessit *Piso*, qui judicium de *Imperio* novo, Ordini huic dans (quod & alii *Principes Electi*

Eti primo statim tempore fecerunt. *vid. Casaubonum ad Spartiani Adrianum, c. 6. & eundem, ad Capitolini Verum, cap. 4.) comi oratione*, uti *Tacitus* indicat, (1. *hist.* 19. 1.) eidem assurrexit, & fortunæ orienti cum decore & modestia suffragatus est. Patiar in hac quoque formanda, imbecillis ingenii mei vires periclitari, hoc modo: *Arduum & subjectum fortunæ, cuncta regendi onus, nunquam ego in me susciperem P. C. si ex meo more vivere mihi liceret. Neque enim animum iis artibus indui, quibus, firmior adversus fortuita, Rempublicam capessere, atque universam illam hominum multitudinem, inquietam, discordem, turbidam, æquo Imperio continere possem. Mihi secura quies, & ridens parvis in rebus libertas, potior semper visa est, quàm amplum finibus, sed triste curis atque tot solicitudinibus Regnum. Neque enim nescius sum, quid mali sit imperare. Gladij & tela cervicibus eorum impendent, qui Imperio præsunt. Ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur; quisquis vitam suam contemnit, illorum Dominus est. Nunc, quoniam præter omnem meam mentem, atque exspectationem, Augustæ domus, atque Imperij per orbem maximi, heres atque successor ab ipso Galba, Principe & Patre meo, dictus sum, gratias quidem eidem, quòd ita de me senserit, lubens meritoque habeo, atque sola obsequii gloria ductus, aspera omnia pervado. Vestrum autem adhuc est, æstimare quid velitis. Nam ego usq; ad Senatus judicium incertus, & varius fluctuabo. Quòd si & vobis placuerit, quod Galbæ placitum est, tenebo regimen, atque tota mente, & omni animi impetu, in Rempublicam incumbam. Pro judicio autem vestro, pristinam dignitatem ante omnia reddere vobis studebo, faciamque in Imperio, ut dignam Romani Principatus speciem in nomine vestro recipiatis. Denique ita liceat mihi Imperium gerere, quasi constet omnibus à vobis me electum esse.* Placuit *Oratione* sua *Senatui Piso*, quoniam is Imperatorium fastigium ad summam civilitatem deducturus videbatur; itaque, ut *Tacitus* indicat, (1. *hist.* 19. 1.) singulorum *Patrum*, prout quisq; affectus erat, favor aderat. Multi, quibus verus *Reipublicæ* amor atque cura fuit, recta & facili voluntate gaudium publicum testati sunt: Alii, saltem ut ægritudinem animi tegerent, majore lætitia, in plausus, & immodica studia proruerunt. Medii inter hos, & plurimi, qui vile puta-

putabant decus publicum, omnia probarunt, modò præsentibus fruantur, nec privatis rebus defraudentur. vid. *Tacit. l. c.*

XXV.

Sed longè alius fuit *Adoptionis* hujus *eventus*, quàm bonus quisque aut sperabat, aut providebat. Et, quod *Adrianus*, cùm adoptasset *Ælium Verum* (*Spartian. in vita Veri, cap.* 4.) atque *Gordianus*, cum filium suum videret (*Capitolinus in Gordian. Jun.*) dixerat:

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque ultrà
Esse sinent.

Id, dolenda *Imperij*, *Senatus* & *Augustæ Domus* vice, in *Pisone* quoque apparuit, qui ad instar *tragici Regis*, per amplissimam *Imperij Scenam* introductus, uno actu ejus mimum expressit, cum cruentus mox, miserabili funere, è *theatro* elatus est. Postquam enim *Galba* in *foro Romano*, apud *lacum Curtium*, piacularis publici odii victima factus esset, atque morte sua illud *Senecæ* dictum in *Thebaid.* firmasset:

Invisa nemo imperia retinuit diu,

Piso quoque, sæva militum seditione, & tumultu, in foribus ædis *Vestæ*, quo ex foro vulneratus jam, confugerat, à *Sulpicio Floro è Britannicis cohortibus, & Statio Murco speculatore*, jussu *Othonis* nominatim in cædem illius ardentibus, trucidatus est: atque destinatus *Galbæ* successor, mox ipsi in eodem fato, mortuus successit. vid. *Tacit. hist.* 1. *cap.* 40. *& seqq. Sueton. in Galb. cap.* 19. 20. *Plutarchum in ejusd. vit. Xiphilin. in Dione l.* 64. Ita citius occisus *Piso*, ad famam *Principis*, in Republica venire nequivit: nec aliud quatriduo illo, quod medium inter Adoptionem & cædem fuit, factum ab eo in publicum, dictumve, quàm *Oratio* in *Senatu* habita, de qua supra actum. *vid Tacit. hist.* 1. 19. 2. Fuisset quidem è re Romana, si inviolabilis ferro extitisset *Piso*, neque contra eum fuisset aliqua potestas eorum, qui neces infandas tristissima mente concipiunt; neque enim passus esset, tam excellens à *Galba* relictum *Imperium*, turpiter abjectum jacere, uti *Otho* & *Vitellius*. Sed securitatis ejus finis inde subsecutus est, unde novæ magnitudinis initium cœperat. Nam quum primùm Otho spe *Regni* atque *Adoptionis* (qua multis benevolentiæ signis primus à *Galba* dignus haberi vi-

ri videbatur, & ad quam prope accesserat consequendam) decidisse se, atque à *Pisone* occupatum esse (mutato jam judicio *Galba*) animadvertit, statim in amborum exitium vigilavit, & parricidiali scelere viam ad regimen paravit; cuius spem illum nondum abjicere sinebant *Mathematici* & *Chaldai* frequens genus hominum apud *Principes* & *Duces Romanos. vid. Plutarch. in Mario. p. 430. in Sylla p. 475. Tacit. Ann. l. 12. cap. 22. & 68. & alibi passim.* Item *Freinsheim. ad Curt. 4. 1. 22. & Valesii Annot. ad Amm. Marcellin. libr. 29. in princ.*) qui novos motus, & clarum *Othoni* annum, observatione siderum affirmarunt. Fuit autem *Othoni* præcipuum facinoris irritamentum, & adjumentum favor militum, quibus illius luxuria, specie liberalitatis imposuit tantoperè, ut redeuntem aliquando à cœna *Othonem Imperatorem* rapturi fuerint, nisi incerta noctis & tota urbe sparsa militum castra, nec facilem inter temulentos consensum timuisset. Horum itaque studiis fretus *Otho*, quicquid impio animo conceperat, sine multo labore patrare potuit. His accessit ficulnea adhuc *Pisonis* authoritas, quem velut juvenem trucem, & longo exsilio efferatum singulari apud milites oratione paulo ante illius cædem, contempsit, & invisum reddidit *Otho* vid. *Plutarch. in Galb. Tacit. Histor. 1. 21. & seqq.* Adde *Dn. Præsid. dissert. in Sueton. Galb. §. 13.* Mirum dehinc non est, *Adoptionem Trajani* magis ex voto successisse, quàm istam *Pisonis*. *Nerva* enim temerè fecisset si adoptasset alium quàm *Trajanum*, in quem nisi incidisset *adoptio*, irritamentum istud iratum, & fax tumultus fuisset. Nam in *Trajanum*, judicium & favor militum, tunc statim, cùm ad exercitum ille proficisceretur, & quidem inusitato indicio, enituit, ita ut si data esset omnibus potestas promendi arbitrii, quem *Imperatorem* vellent, alter non esset electus. vid. *Plin. Paneg. cap. 5. & seqq.* De *Pisone* autem non fuit eadem & tam constans inter omnes opinio. Quare alios non omnino negligere præ hoc debuisset *Galba*, præsertim eum, quem multis molitionibus dominationem affectare, benè sciebat. Præterea eò res devenerat, ut dubium visum fuerit, an dare *Imperium* possit, qui reverentiam amiserit? nisi id authoritate ejus efficiatur, cui daretur: cujus tamen authoritatis vim, pro suorum temporum more, apud alios non obtinuit

Piso-

Piso, licet ejus fundamenta firmiter in se habuerit: Unde post illius adoptionem *seditiones non desierunt, sed cœperunt*; uti graviter dicit *Plinius in Paneg. Traj. cap.* 8.

XXVI.

Permansit diu in *Imperio Romano* tristissimi hujus, ex adoptione *Pisonis*, fati memoria, qua perterritus unus aut alter *Princeps*, veritus est in vita de *Successore* cogitare. Non enim consistunt ibi exempla, unde cœperunt. Itaque *Julianus Imp.* cùm novissima verba in castris locutus esset, inter alia dixit: *Super Imperatore verò creando cautè reticeo, ne per imprudentiam dignum prætereàm, aut nominatim quem habilem reor, antepòsito forsitan alio, in discrimen ultimum trudam. Amm. Marcellin. l. XXV. cap.* 4. Ad quem locum *doctissimus Gallorum, Henr. Valesius* notavit quoq;, *Julianum* exemplum *Galbæ Aug.* reformidasse, qui affecta ætate, cùm *Pisonem Cæsarem* nuncupasset, & *sibi*, & *Pisoni* perniciem creaverit. Et fatendum omninò est, non minus periculo insidiarum subjacere, qui proximi Regnis destinantur, quàm quibus in primis testamenti partibus, pupillariter substitutum est (*vid. §. 3. I. de pup. subst. & in eum. Comment. Vinnij*) Id maximè quondam expertus est *Augustus* (lubens utor hujus exemplo) contra cújus *adoptionem*, inexpiabile bellum suscepit *Antonius*, furens alium sibi in Regno prælatum *à Julio Cæsare*; quæ res prima civilium motuum causa fuit. vid. *Florum l. 4. cap.* 4. Sed hæc tanti non sunt, ut illos *Principes* errasse dicam aut putem, qui *Imperij* aut *provinciarum Heredes*, vel voce nuncuparunt, vel alio judicio fecerunt *Successores*, nominatim. Hinc enim non tam certa imminere credo pericula & discrimina, quàm si quis more *Alexandri*, *dignissimum* tantùm succedere post mortem, jubeat; quo dicto majora certè inter *Duces Alexandri* de *Imperio* excitata bella sunt, quàm *Antonius* cum *Augusto* ad *Mutinam* aut *Actium* gesserat. Quòd si igitur *Subsidia Aulæ*, & *Dominationis*, *Principi* adsunt, manet *pium juxta & prudens consilium, ab iisq; semper Principibus usurpatum, qui Imperium recens partum firmasse in familia memorantur, Imperium in filij natu grandioris manus consignare, titulos & dignitates servare*, uti verba habent *Magnifici Domini Christoph. Forstneri in not. polit. ad Tacit. l. 1. Ann. c.* 1. Hujus rei certissimum *argumentum est, authoritas, securitas, &*

potentia Imperii, quæ singula, insigniter isto modo firmantur & promoventur. Et si antiquam temporum seriem evolvimus, deprehendimus, longissimo ævo *successionem* ordinariam in *Imperio Rom.* locum habuisse, quoties status ejusdem quietus fuit, & quando *Princeps* haud cruenta morte, nec ἄτεκνος decessit. Nam post *Galbam, Othonem, & Vitellium*, (*solstitiales* illos *Principes*) *Vespasianus* pacatum *filiis* tradidit *Imperium*, nec ad *Electionem suam* vel *milites* vel *Senatus* redire nisi sunt, quamdiu legitimus *Successor ex familia Vespasiani* supererat. Extincta verò iterum in *Domitiano* tota *familia Augusta*, *Nerva* designatus est *Imperator*, cui per *Adoptionem* successit *Trajanus*, *Trajano*, eodem jure, *Adrianus*, huic *Antoninus Pius*, *Pio M. Antoninus* simul cum fratre *Ælio Vero*, omnes *Adoptivi*. *Marco Imp.* dein absque controversia successit *Commodus*, filius. Post occisum *Commodum* diu in turbulento *Imperio*, vis juri prævaluit, & milites tumultuario judicio *Imperatores* constituerunt, atq; de eorum *Electione* sæpius cum *Senatu* qui idem jus vindicare sibi rursus cœperat, certarunt. Primus *Severus Imp.* denuò obtinuit, ut *filius* ejus, major natu, *Bassianus* (qui *Imperator* factus, *Antoninus Caracallus* dictus est) *Cæsar* appellaretur & Imperatoriis insignibus ornaretur. (*vid. Spartian. in Severo cap.* 14. *& ibi Salmasium*) Posteà *Maximus*, *Gordianus*, *Philipp.* licet per vim *Principatum* invaserint, *filios* tamen *Cæsares* dixerant; sed violentia occupati, in successione stabilitos relinquere non potuerunt. *Diocletianus*, (& post eum *Justinus*, dum adoptavit *Justinianum Imp.*) reduxit potestatem *Adoptionis*, adeoq; suo arbitrio Reip. *Principes* dedit. *Constantinus M.* divisit *Imperium* inter liberos, quod facere non potuisset, si jus eligendi penes alium fuisset. Post hujus tempora *Successio* non tantùm in *Orientali*, sed & *Occidentali Imperio* (quatenus ea per seditiones scelestas, aut tristia familiarum fata, vel mollitie temporum, non interrupta fuit) constanter recepta quoque fuit. vid. omnino *Onuphr. Panvin. de Comit. Imp. l.* 1. *c.* 1. *Zonaram*, & reliquos *Historiæ Constantinopolitanæ scriptores veteres*. Item *Gewoldum de S.R.I. Septemviratu, cap.* 4. *p.* 23. *Arnisæ. Relect. Polit. libr.* 2. *cap.* 2. *num.* 53. Deinde translato à *Græcis* ad *Germanos Imperio*, per *Carolum M.* mansit in hujus posteritate, continuus succedendi ordo, usque ad *Ludovicum Arnulphi Cæs.* filium. In quo

defi-

deficiente *stirpe Carolina*, quæ CX. circiter annos duraverat, *Imperij axioma* ad *Conradum, è Franconia* ortum, & postea ad *Henricum Saxonem, Aucupem* dictum, translatum est, cui successerunt mox *Otto I. Magnus*, ejus *filius*; post quem *Secundus* & *Tertius Otto*, *filius* & *nepos* ad idem culmen Imperiale evecti sunt. Mortuo *Ottone*, factiones enatæ fuerunt inter *Henricum Ducem Bavariæ*, *Hermannum Ducem Sueviæ & Alsatiæ*, & *Alboinum Marchionem Saxoniæ*, quis eorum *Imperio* præficeretur. Quomodo *Henricus* jure hereditario niti voluerit, añotavit *Cuspinianus in Henrico II. p. 261.* cui non convenit cum *Lehmanno*, qui maternum genus *Henrici II. Imp.* alio refert, *in Chron. Spir. l. V. c. 16. in princ.* In *Conrado II. Saliquo* creando, morientis *Henrici II.* judicium valuisse, & sanctum habitum fuisse, testatur historia; præsertim *Sigebertus*, & *Brovverus in Trevirens. lib. XI. Conrado II.* successit *filius Henricus III.* Huic iterum *filius Henricus IV.* & *nepos Henricus V.* qui improlis decessit; ut & ejus Successor *Lotharius*: post quem haud levem *Imperij* prætextum habuit *Henricus Bavarus* (vid. de eo *Cuspinianum p. 314. 323. 330. 337.*) Sed *Conradus III. Imperium* contra ipsum obtinuit. In *Friderico I.* haud parum valuit delegatio Patrui sui (vid. *Cuspinian. in Friderico I. p. 323.*) *Friderico* successit *filius Henricus VI.* Huic *Philippus Frater*, cui oppositus est *Otho IV.* vel, si *Primum* numeres, *V. Fridericus II. Imp.* etiam *filius* fuit *Henrici VI.* ex *Constantia, Regina moniali.* Mortuo *Friderico II. annor.* XXIII. circiter (*v. Lehmanni Chron. Spir. l. V. cap. 95.*) *Interregnum* intercessit, quo tempore magnitudo & potentia Romana valde decrevit, multa pristina jura imminuta, atque *Electio Imperatoris Romani à septem Electoribus*, spreto omni jure natalium invaluisse, probatione optima, creditur. vid. latè de hac re disserentem *Arnisæum, in relect. polit. lib. 2. cap. 6. sect. 5. Onuphr. Panvinium de Comit. Imp. cap. 9.* Unde postea *Rudolphus Habspurgicus*, (Imperator electus,) *omne jus hereditarium in Imperio repudiavit, & vel filio suo se hoc adoptaturum fore, negavit, justissimè in arbitrio Principum esse decernens, ut post mortem ejus liberè non magis filium ejus, quàm alium eligerent, nisi quem ad id culminis, ætate & gravitate morum dignum invenissent. Paulus Bernriedensis in vit. Gregor. 7.* Fuit nova palnè hæc res, nec ex usu paulo priorum temporum: quibus *Electioni* quidem multùm locus dabatur, sed


tantùm in casu, cum hæredes deficerent. Annititur quidem probare *Lehmannus in Chron. Spir. lib. V. c.* 17. singulos *Othones* per *Electionem Imp. Romanum* accepisse. Sed *Scriptores*, quorum ille authoritates adducit, per *Electionem* intelligere tantùm *consensum & approbationem*, & hac significatione vocabulum *Electionis* id ætatis *Historicis* consuetum fuisse, pluribus præjudiciis explicat *Arnisæus in rel. pol. libr. cap.* 2. *sect.* 4. Interea fatendum est, *Imperatoris Romani* per *solos Electores* (uti hodie vocantur) absque cæterorum *Principum & Statuum* consilio, *Electionem*, in *Rudolpho Comite Habspurgico* cœptam, & ad hæc usq; tempora continuatam, nulla expressa lege ante *Carolum IV. Imp.* sancitam esse; sed cùm antea nova quasi, & adhuc nutans esset, ab hoc demum reformatam, stabilitam, atque in *Auream Bullam* redactam fuisse. vid. *Onuphr. Panvinium de Comit. Imp. cap.* 9. *pag.* 131. *Arnisæ. relect. polit. lib.* 2. *cap.* 6. *Sect.* 5. *num.* 59. *Arumaeum de Comitiis Rom. German. Imp. c.* 2. *p.* 26. *& seq. Magnificum Dn. Nicol. Mylerum ab Ehrenbach, ICt. Serenis. Würtembergiæ & Tecciæ Ducis &c. &c. Consiliarium Intimum; & Illustris Consistorij Directorem Ampliss. in Archelogia Ordinum Imperialium, cap. IX.* §. 5. Ineptissimi igitur hodie sunt, qui controvertunt, an consultius sit *Imperio* nostro, nasci *Imperatorem* quàm eligi. Boni enim civis est, præsentem statum Reipublicæ boni consulere, &, quantum fieri potest, in melius interpretari. vid. *Gruter. disc.* 3. *in Tacit.* Cum itaque in *Imperio* nostro etiam post *Caroli IV. A. B. Electio* tot Constitutionibus, Sanctionibus, & juramentis confirmata sit, de mutatione ejus periculosissimè dissereretur. Add. *Arnisæi relect. politic. libr.* 2. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 1. *Arumæ. discurs. Academ. de Jur. Publ. VII. th.* 27. *Limnæ I. P.* 2. 3. 12. Intereà, ne quid detrimenti capiat res publica, per dubii *Successoris* incerta, solet ex more recentiorum temporum, vel *vivo Imperatore*, vel *in casu vacantis Imperii*, *Rex Romanorum* eligi, de quo multa adferri in medium nunc possent, nisi instituti ratio, & chartæ angustia ampliorem excursum prohiberent. Præcipuè autem de eo notanda sunt. *I. Comparatio, sive differentia illius, cum aliorum Regnorum Successoribus*: Ubi observari potest, multùm convenire *Regi Romano*, (ut hodie dicitur) cum illis, qui olim *Augustæ Domus Hæredes*, *Principes Juventutis*, &, post tempora *Adriani* Impe-

Imperatoris, *Cæsares* dicti sunt, qua de re vid. *Jul. Cæs. Bulengerum de Imper. Rom. l.* 1. *cap.* 4. *& Arnisæ. relect. polit. lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 92. Tales etiam ferè sunt, qui in *Gallia Delphini*, in *Anglia*, *Walliæ Principes* vocantur. vide plura quæ huc pertinent apud *Limn. l. P. lib.* 2. *cap.* 15. *§.* 3. *&* 4. II. *Differentia inter Imperatorem, & Regem Romanorum.* De qua vide iterum *Limnæum l. d. §.* 46. *& seqq.* & *ad A. B. cap.* 1. §. 1. *obs.* 5. III. *De potestate & auctoritate Regis Romanorum* notandum præ aliis, illum, qui *vivo Imperatore* eligitur, nihil posse *Imperatorium*, aut *Regium* facere, nisi ex commissione *Imperatoris*. vid. omnino quæ tradit *Limnæus ad Capitul. Maximil. II. pag.* 495. *&c. ad capit.. Ferdinandi I. p.* 471. *& seqq. ad Capitul. Rudolphi II. p.* 518. *& seqq. Item tom. V. p.* 80. *& seqq.* Aliud dicendum est de eo, qui *vacante Imperio* eligitur, mox in *Imperatorem* creandus. Superiori sæculo, de *Rege Romanorum*, superstite *Imperatore* eligendo, quæstio mota est in *Imperio*; quæ tamen mox bona pace composita fuit. In nupera *Pacificatione Monasteriensi & Osnabrugensi* actum est de eadem re, & placuit, ut aliquid *Decreto Comitiali*, pro tranquillitate & securitate *Imperii* constitueretur. His omnibus autem, quæ hactenus dixi, conferri velim *Clapmar. de Arcan. Rerumpublicarum.* 3. 10. ubi casus notatur, quo nominare *Successorem* exitiosum est. Quod autem ad cæteros *Principes*, atque *Comites* in *Germania* attinet, neminem esse puto, qui non firmiter credat, non potuisse florentes illorum res, ad istam magnitudinem evehi, nisi in illorum *Familiis*, beneficio priorum *Imperatorum*, *Successionis per filios atque hæredes jura* stabilita essent. De quorum origine, atque progressu, singulariter egit *Magnif. Dn. Mylerus ab Ehrenbach.* ICt. in *Archolog. Ordinum Imperial. cap. VIII. IX. X. XI.* Et quomodo ea sollicitâ curâ conserventur, atque omni modo ab interitu vindicentur, summa diligentia ostendit *Nicol. Betsius in tractatu Nomico Politico, de Statutis, pactis & consuetudinibus famil. illustrium.* De *Successione Principum Electorum in primogenitis, & hæredibus eorum*, proposito studio tractatum est in *Aurea Bulla Caroli IV. cap. VII.* ad quod extat singularis *Commentar. Marq. Freheri*, quem ejusdem *filius*, *Fridericus Freherus*, edidit *Ann.* M. DC. XV.

Hæc

Hæc pro ratione ingenii, & temporis, dixisse de proposita materia sufficiat. DEO T. O. M.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaq, tristia,
Sit laus, honor, & gloria ultrà omne sæculum.



XXVIII.

DE
PRINCIPALIUM
FAMILIARUM PERPETUITATE.

MAgnorum Principum felicitatem si quis animo pensitaverit, deprehendet, magnam illius partem in eo consistere, si tam ipsis Imperantibus liceat, securè Imperii fasces moderari, & Leges ad publicum emolumentum directas; sine timore vel periculo secuturæ dissensionis proponere, quam si subditi in parendo non negligentiores ad quævis obsequii munia se paratos exhibeant, & sicuti Principem, ita & ipsius edicta humili reverentiâ exosculentur.

Lips. l. 2. pol. cap. 6.

II. Cum enim aliàs omnia, quæ præclara sunt, tùm inprimis summum Imperium cum invidia conjunctum est. Ad hanc dignitatem omnes adspirant, deliniti partim impulsu blandientis naturæ, quæ per se avida est Imperii, & præceps ad explendam animi cupidinem: partim seducti vanâ persuasione, ut existiment, nec se vires & ingenium deficere, quo arduum ejusmodi munus subire, inque regali solio velut arbitri vitæ & necis residere queant. Unde cum spe suâ se frustratos vident, exardescunt in iram, & licet metu supplicii absterreantur à publicis molitionibus, occulta tamen odia animo fovent, proruptura sæpiùs ex occasione temporis, nisi prudenti remedio cohiberentur. Felix igitur ille Princeps, qui ab insultibus hisce immunis est, & cui hoc inexpugnabile munimentum contingit, munimento non egere.

Clapm. de Arc. Rer. l. 1. cap. 1.

Plin Paneg. cap. 49.

III.

III. Accedit autem proximè ad hanc felicitatem, eamque mirum in modum auget, quando Princeps non ſolum ſuo tempore omnia concinno ordine geri, ſeque ſubditorum amore ſatis tutum ſentit, qui proſpera quæque Domino precantur, & ſibi invicem de eo gratulantes, exclamant: Gunth. l. 3. Lig.

Quæ tibi Libertas poterit contingere major,
quàm Regi ſervire tuo?
—— —— Libertas maxima nobis,
tàm placido parere Viro. Id. l. 8.

Verùm etiam dum in vivis adhuc certum Hæredem & Succeſſorem videt, qui ejus lateri interim adjunctus, in adminiſtrando Imperio paulatim ſuccedat, & ſi quando fatis ipſe conceſſerit, eâdem deinceps majeſtate & potentiâ coronetur.

IV. Natura nobis immortalitatem negavit, & nemo eſt, qui ſibi poſſit polliceri, poſt mortem ſuam, ſine ſubſidiis Poſterorum, ea certò obſervatum iri, quæ ab ipſo vivente conſtituta ſunt, ut in effectum producerentur: Ideoque quod præprimis ad Principes referendum, ſi & ipſi velint, Leges latas vigere, & præſentem Imperii ſtatum poſt fata quoq; eodem gubernandi modo continuari, neceſſe eſt, ut certos hæredes habeant, qui pari Autoritate firmati, Anteceſſorum voluntatem illibatam defendere pro virili conentur. Hi ſunt munimen aulæ & regni ſubſidia, neque per legiones vel claſſes, quod per firma iſthæc Imperii munimenta effici poteſt. Scip. Amirat. diſc. in Tac. l. 1. diſc. 2. Eurip. Tacit. l. 1. Hiſt. c. 52.

V. Calluit hoc optimè Auguſtus. quocirca, ne orbitas ſua, quod ſenex ſine liberis decederet, contemtui foret, eam anxio valdè animo corrigendam, certumque hæredem ſtabiliendum curavit. Et licet fortuna (quaſi mirandæ Principis providentiæ obniteretur) primò M. Marcellum, mox Cajum & Lucium, Agrippæ filios, ejusque Nepotes eripuiſſet, non modò Hæredem ſibi Tiberium fecit, ſed ſuperſtite in Domo Tiberii filio Juvene, Germanicum inſuper per Adoptionem aſciri juſſit, non alia ratione motus, niſi eâ, quam Tacitus paucis & nervoſis verbis complectitur, nimirum, *quo pluribus Munimentis inſiſteret.* Curt. l. 6. cap. 9. Tac. l. 1. annal. c. 3.

VI. Quæ verba, cum paulò diligentiùs perpenderem, eorum Meditatio ad conſiderationem *Principalium Familiarum in Germaniâ* me deduxit, *quas itidem ut perpetua vaſti corporis Imperii munimenta par eſt venerari.* Quamvis enim ibi de Domo Auguſtâ, legeq; ſucceſſionis in eam inducendâ & firmandâ, adeoque de ſecuritate Imperatoris Romani agatur, non tamen inconveniens eſſe putabam, ſi ſententiam uſu & obſervatione certam, verbis gravem, ratione prævalidam, (prout unanimi Sapientum judicio, Hiſtorici iſtius effata profunda ac in ipſis prudentiæ penetralibus nata) ad illuſtriſſimas Principum Germaniæ Domos transferrem. Nam illis longè anguſtiori veritatis menſurâ competit, quod Imperatores de Conſiſtorianis extulerunt, dum eos partem corporis Imperatorii apellavêre: Siquidem hi non Magiſtratu vel Miniſterio publico, ut illi, ſed neceſſitudine pollent arctiori, nec Imperatoriæ tantum Majeſtatis, ſed Imperii totius illuſtrem verè partem conſtituunt,

Bœcler. de Auſp. Reg. c. 1. th. 1.

l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt. Buleng. de Imp. Rom. l. 3. c. 9.

quos inclita Robora Regni,
Et validas, nunquam pudeat dixiſſe Columnas.

Gunth. l. 1. Lig.

Ita ut omninò, quod ſtatim & ſignanter ponendum eſt, Principalium Familiarum conſervatio & propagatio in veriſſimis Imperii munimentis eminenti loco laudari debeat.

VII. De earum igitur perpetuitate dum meditarer, placuit in chartas animi ſenſa conjicere, eaque cum Præceptoribus & Commilitonibus meis communicare, ut illorum Sapientiâ & erudito colloquio de re totâ ampliùs erudirer. Quod ſi non ſecundum materiæ gravitatem & expectationem omnium præſtitero, hoc unicum tamen, ab ipſorum benevolentiâ & humanitate me ſpero conſecuturum, ut conatum potiùs, quàm tractationem ipſam approbantes, rem non pretio, sed voluntate & propoſito metiantur, benigneq; permittant, quò illud Poëtæ mihi ſuccurrat:

——— ——— *In magnis & voluiſſe ſat eſt.*

VIII. Aggredior itaque cum bono Deo, à cujus devotâ invocatione cunctarum rerum auſpicia fieri decet. Cumq; in quolibet opere nil melius ordine, quo ſine etiam natura conſtare haud potis eſt, nec ego ei hâc vice repugnabo, quaſi Gigan-

Briſſon. de form. l. 1. ex Cic. in Vatin. Scalig. Exerc. 1. ſect. 2. Cic. in Lal.

Gigantum more bellaturus cum Diis; verum præstituto ipsius ductui fideliter annuens, paucula *de vocabulis Principum, & Principalium Familiarum, & perpetuitatis, tùm de Autoritate & Eminentiâ Germanicorum Principum* præmittam. Quibus expeditis, & hoc adjiciendum, *Cur Principalium Familiarum Perpetuitas optari debeat, quibusve modis illa contingat aut paretur?*

IX. Et quidem quoad *vocabulum Principis*, cum varias olim interpretationes admiserit, & adhuc admittat, operæ pretium erit, ut ad removenda dubia & luculentiorem mentis explanationem, quid Antiquis notaverit, & quid recentius seculum per hoc velit intelligi, ulteriùs declaretur.

X. *Princeps* dicebatur is, *qui vel tempore vel ordine Primus erat*. Ita legere est apud Vellejum Paterculum, dum de Nino Assyriorum Rege ait; quod *Princeps* rerum potitus sit. Verba hæc Breviator Pompeji, describendo mores primævis rerum & populorum Natalibus usitatos, dilucidiùs enucleat, inquiens: Fines Imperii tueri magis, quam proferre mos erat, intra suam cuique patriam regna finiebantur: *Primus omnium* Ninus, Rex Assyriorum, veterem & quasi avitum Gentibus morem novâ Imperii cupiditate mutavit. Eodem sensu usurpari vides à dicto Vellejo: Assyrii *Principes omnium Gentium, rerum potiti sunt, i. e. Primi ex Gentibus,* quod Clariss. Dn. Bœclerus in Indice Vellejano notat. De Annibale, perito simul & audaci Bellatore Livius; Equitum Peditumque idem longè *primus erat, princeps* inibat prælium, ultimus conserto prælio excedebat. Sic de Turno Poëta:

l. 1. cap. 7. Iustin. l. 1. cap. 1. Vellej. l. 1. cap. 6. Liv. l. 21.

Princeps ardentem conjecit Lampada Turnus,
& flammam affixit lateri.

Virgil. l. 9. Æneid.

Adjungit se Cornelius Nepos, in pulcherrimo de Viris Excellentibus libello: Cumque triginta Tyranni, à Lacedæmoniis præpositi, servitute oppressas tenerent Athenas & dirâ immanitate grassarentur, ipse heroicam Thrasybuli Magnanimitatem, ostensam satis in magnificentissimo recuperatæ Libertatis facto, intentè celebrans, hæc de eo prædicat: *non solùm princeps,* sed & solus initio bellum his indixit. Quæ locutiones Autorum, sicuti ex contextu probè considerato, & adjunctis prudentissimorum Virorum annotatis colligi potest,

Corn. Nep. VIII, 1.

Tac. l. 1. An. cap. 9. non alio quàm hoc modo accipi debent. Nec aliter Tacitus, qui, postquam Augustus, urgente senio & consumtis vegetæ ætatis viribus inter vivos esse desierat, vulgum subitaneo casu attonitum, varios de eo sermones habuisse refert, hoc præcipuè admiratum, *quod idem dies accepti quondam Imperij princeps & vita supremus fuerit.*

XI. Denotabit itidem eum, *quem pro Autore vel Inventore cujusdam rei* allegabant. Unde Brissonius de formu- lib. 2. lis: Qui primus id censuerat, quod alii deinceps sequebantur, *is ejus sententia princeps & autor* dicebatur. Hujus opinioni Parens Romanæ Latinitatis majus adhuc robur addit, cum in Ipsius scriptis diversa inveniantur loca, quæ vocabulum istud eodem significatu exprimunt. Ita enim in epistolâ quadam ad Cassium: Etsi uterque nostrûm, spe pacis & Cic. l. 1c. Ep. ad Consul. & al. 15.) odio civilis sanguinis, abesse à necessariâ belli pertinaciâ voluit, tamen, quando ejus *consilij princeps* ego fuisse videor, plus fortasse ipse Tibi præstare debeo, quam à Te expe- Id. in Pison. ctare. Iterum: De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompejo *Autore & ejus sententia Principe.* Nec in boni tantùm commatis notam, verùm etiam ad sceleratissimorum quorumque factorum perpetratores devergebat. Nam cum Eumenes Corn. Nep. XVIII, 13. Cardianus, non defectu Virtutis, sed Macedonum perjurio, miserabili vitæ exitu defungeretur, Antigonus, Ptolemæus, cum reliqua sociorum colluvie, *Principes nefandi sceleris* audiunt. Et structis Jul. Cæsari insidiis, quæ vitæ perniciem intendebant, addit Suetonius: Conspiratum est in eum è In J. Cæs. c. 80. LX. ampliùs, C. Cassio, Marcelloque & Bruto *Principibus conspirationis.* i. e. iis, qui laudatissimi istius Herois necem primùm machinati, lethalium ejusmodi consiliorum Autores erant, & talia invenerant subsidia, quorum ope ne- Vellej. l. 1. cap. 11. fandum hoc facinus vires suas nancisceretur. Sic Metellus Macedonicus, quippe primus omnium Romæ ædem ex marmore in ipsis monumentis molitus, *vel magnificentia vel luxuria Princeps. i. e. Inventor fuit.*

XII. Usitatum porrò erat, *Principii nomen ad eos applicare, qui præclaris ingenii dotibus, vel Virtutum Eminentiâ reliquis* Justin. l. 2. c. 14. *excellebant.* Nitimur hac vice autoritate Justini, cujus hæc sunt

ſunt verba: *Inter Duces Princeps* Themiſtocles Civitatum teſtimonio judicatus, gloriam Patriæ ſuæ auxit. Sic Tacitus Viros Palladios, qui ingenuam literarum notitiam majori præ aliis ſtudio ſibi comparaſſent, *Principes bonarum artium nuncupat*, ubi Silium cum Suilio, ne quis ob cauſſam orandam pecuniam donumve accipiat, controvertentem inducit: Diſcors Suilio Silius acriter incubuit, veterum Oratorum exempla referens, qui famam in poſteros, præmia Eloquentiæ cogitaviſſent pulcherrima: *alioquin & bonarum artium Principem* ſordidis miniſteriis fædari: ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæſtuum ſpectetur. Nec alienum foret, ſi quis annecteret Ciceronis illa: Tantus in adoleſcente clariſſimo ac *Principe Juventutis* pudor fuit &c. Quo elogio Brutum quoque proſequitur, dum eum *Principem Juventutis* vocat tanquam maximæ expectationis Juvenem, in quo de fæcundâ virtutum ſcaturigine ſpes infallibilis eluceret. Quin ipſe Tullius, cùm ei tantum encomii attribuitur, *ut Princeps Eloquentiæ* audiat, nemo eſt, qui non inde colligere poſſit, conciſo & perbrevi iſthoc titulo omnia contineri, quæ celeberrimum Oratorum eum pronuncient, miro quodam providentiæ dono genitum, in quo totas vires ſuas Eloquentia experiretur, ita ut apud poſteros Cicero jam non hominis ampliùs, ſed ipſius Eloquentiæ nomen habeatur.

Tacit. 11. annal. 6.

Cic. Orat. in Ver.

Id. Epiſt. ad Attic.

Lipſ. l. 2. de Conſtant. cap. 5.

Quint. l. 10. Inſtit. Orat. cap. 1.

XIII. Variis inſuper modis veteres hoc vocabulo uſos reperimus. Quandoque enim ſumitur *pro præcipuo inter alios Viro, cui primas rei tutò committere poſſumus.* v. gr. *Princeps Ducum*, quo titulo Cornelius Nepos Datamem inſignit. Item, *Princeps Legationis*, qui ex dato literarum commiſſorialium tenore, maximum hâc in re Autoritatis pondus obtinet, cujusque conſilio & juſſu omnia inſtituuntur; quemadmodum ex Taciti verbis apparet: Pavidos & conſcientiâ vecordes, (ſeditioſos nempe milites) intrat metus, veniſſe Patrum juſſu, qui irrita facerent, quæ expreſſerant per ſeditionem. Utque mos vulgo, quamvis falſis reum ſubdere, Munatium Plancum, Conſulatu functum, *Principem Legationis*, SCti Autorem incuſant. Aliquando *etiam officii notam prætendebat*, ſicuti *Agentium in rebus Princeps*, qui litigantes ad Præfectum citari jube-

Corn. Nep. XIV, 5.

Tacit. l. 1. Annal. 39.

Buleng. de Imp. Rom. l. 6. c. 44.

jubebat, omniaque judiciorum acta exsequebatur. Sed latiùs hæc à *Bulengero* pertractata, quàm ut singula pagellarum angustiis includi queant.

Suet. in Iul. Cæs. c. 29.

Corn. Nep. II, 8.

XIV. Rursum *Principes* vocabantur, *qui potestate conjunctâ simul cum dignitatis auspicio fulgebant.* Eò tendunt verba Julii Cæsaris, quæ à *Suetonio* in ipsius vita enarrantur: Sæpè ex eo auditum ferunt, difficiliùs se *Principem Civitatis*, à primo ordine in secundum, quàm ex secundo in novissimum detrudi. Quibus alludunt illa *Corneli Nepotis in Themistocle:* Hic crimine proditionis absens damnatus, id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit, cumque ejus *Principes Civitatis* timere animadvertisset, ne propter se bellum his Lacedæmonii vel Athenienses indicerent, ad Admetum Molossorum Regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Ubi per *Principes Civitatis* hoc loco non eos intelligit, qui solo Autoritatis vel Honorum obtentu vigent, verùm qui Potentiâ & liberâ disponendi facultate præditi, utramque Potestatem nimirum & dignitatem possident.

Suet. in Tib. cap. 55.

Corn. Nep. V, 3.

XV. Aliter, si verba hæc *Excellentiæ tantùm vel Magnitudinis* Characterem induunt. Ibi enim nudæ cujusdam *περιφράσεως* vicem agunt, ad definiendam eorum conditionem, qui Honore rerumque gestarum amplitudine cæteris præstitere. Et in hac significatione *Suetonius de Tiberio:* Super veteres amicos ac familiares viginti sibi è *numero Principum Civitatis* depoposcerat. Nec quisquam melius dilucidat, quàm *Cornelius Nepos in Cimone:* Hic cum unus in Civitate maximè floreret, incidit in eandem invidiam, quam Pater suus, *cæterique Atheniensium Principes* (*i. e. Viri præcipui, clari, florentes*) Quæ nomina Honorem & Præcellentiam, non autem Potestatem arguebant.

Demster. Antiquit. Rom. l. 7. c. 5. & 10.

XVI. Sic *Princeps Senatus dictus* fuit is, qui in Catalogo Senatorum primo loco recitabatur. Is Honor prout eximius nemini, nisi Consulari & Censorio tribuebatur, quique semel Principatum hunc acceperant, locum illum apud alios quoque retinebant Censores, nec, nisi eo mortuo, alius Princeps Senatus declarabatur. Anteibat cæteros omnes etiam extra-

extraordinarios Magistratus, sed dignitate saltem, non potestate aliquâ.

XVII. Rationem si cuidam indagare libuerit, adeat *Clariß. Dn. Bœcleri Annotata in Tacitum.* Accidebat nempè in liberâ Republ. idque per arcanum Aristocraticæ dignitatis, quæ id unicè semper intendit, ut robur potentiæ penes se remaneat: & licet uni vel alteri conniveat, eminere inter Illustres Viros, hoc velut in decus Ordinis Optimatum fit, remq; eò callet dirigere, quò species tantummodò Majestatis illis relicta sit, iique Autoritate magis, quàm Imperio fruantur.

Bœcl. in Tac. annal. l. 1. c. 9. th. 7.

Boxhorn. Arcan. pol. l. 1. c. 4.

XVIII. Exemplum aliud si quis flagitaret, nullum commodius quàm *Venetorum* offerretur. Eorum enim Resp. propterea esse Aristocratia non desinit, postquam Dux creatus vel designatus fuit. Videtur quidem Regia *δύναμις* Ipsi delata, dum ornatus Corporis Regius est, vestis purpurea vel aurea, velamen linteum pro regio diademate, & tales ipsi deferuntur Honores, quos nec regia Majestas ampliores desideraret. Sed externa hæc sunt & velut umbra, quæ de vera & genuina Imperii possessione nihil sibi arrogant. Regia enim Majestas non consistit in apparatu externo, sed in summa potestate, quæ ut primùm remitti, aut sub alterius arbitrium cogi cæpit, à se ipsa cadit, & regii nominis jacturam facit. Externa autem duntaxat Ipsi concessa esse, inde probatur, quia sine consensu Consiliariorum ne minimum quidem aggredi potest, (*verba sunt Arnisai,*) sed Ipsi absente etiam Duce tantundem valent, nec minùs Senatum consulendi facultatem habent, quàm Dux Ipse, perindeque cunctis interveniunt deliberationibus, ac Ille, & si cæteri dissentiunt, solam consentiendi gloriam habet: adeò ut nihil proprium aut peculiare supra cæteros Magistratus Duci relictum sit, præter primum in Comitiis locum, præcessionem in Solennitatibus, & cum Regia veste supremum honorem. Unde, cum ea tantum exequatur, quæ Senatus jubeat, Itali Dominum vinctum & captivum vocant, qui suæ Autoritatis nutu vix aliquid obtineat, ac idem, quod aliis in regionibus Imperator vel Dux Exercitus efficere potis sit. Quin apud Eum singularem quandam Majestatis præeminentiam residere, tantum abest

Reinking. l. 1. cl. 2. c. 2. n. 245.

Casp. Contaren. l. 2. de Rep. Venet.

Arnis. Relect. pol. 2. c. 4. sect. 4.

Id. ibid.

Boxhorn. Arcan. pol. l. 1. c. 4.

Carpz. de L. R. c. 13. sect. 4.

& Camerar. oper. subcis. cent. 1. c. 7.

abest, ut etiam ex Concilii decreto ad crucem condemnari queat, & denigratam Ducis cujusdam Venetorum effigiem Venetiis in Camera Concilii extare Dn. Carpzovius, oculatus testis, corroborare non veretur.

XIX. Ut intra limites commoremur, in explicatione vocabuli Principis & hoc coronidis loco addendum, *Principem Juventutis* non solùm, quod suprà, modò *nobilissimæ indolis Juvenem*, modò Eum denotare, *qui ex numero filiorum primi nominis Senatorum Augustorumve electus, pueris ad Trojanos Ludos, turmatim congredientibus præsidebat*, vel *qui in Equestri ordine recensendo primus* erat; verùm etiam Imperatores *ex Filiis vel Nepotibus, aut aliis sanguine junctis* unum atque alterum, quorum præclaram indolem conspexerant, creare solebant, ad quos Imperii fasces imposterum transferrentur: & hi *Principes Juventutis* salutabantur, quos *Bulengerus de Imp. Rom.* convenienti perquàm titulo, *Imperii Candidatos* nuncupat.

Demster. l. 5. antiq. Rom. c. 25. Buleng. de Imp. Rom. l. 5. c. 8.

Id. ibid.

XX. Autorem hujus instituti Augustum Tacitus laudat, qui Cajum ac Lucium Agrippa genitos in Cæsarum familiam inducens, *Principes Juventutis* appellari, specie recusantis flagrantissimè cupiebat. Hujus vestigiis secuti Imperatores deinceps institére, & quos, vel amore & benevolentia erga illos, vel promicantibus Honesti scintillulis moti, vivi adhuc Successores designarent, tali nomine insigniebant. Ita Nero *Princeps Juventutis* à Claudio dictus est: Cajus Caligula Tiberio fratri, die virilis togæ adoptato, idem nomen attribuerat, idque diu in usu fuisse, ex veterum aliquot numismatum testimonio satis liquet. Posteà, quos in spem Imperii adoptabant Principes, iis postera ætas *Cæsarum* nomen impertivit: sicuti *Claudianus de Honorio:*

Tac. l. 1. annal. 3.

Lips. de Const. l. 2. c. 26.

Tac. 12. annal. 41.

Suet. in Cal. cap. 15.

Demster. antiq. Rom. l. 7. c. 13.

Barthius l. 2. Adversf. c. 17.

—— mutatus Principe Cæsar.

Et *Xiphilinus de Vespasiano*: Vespasianus interim Imperator à Senatu creatur, Titus & Domitianus designantur *Cæsares.*

Xiphil. ex Dion. ut Arnis. Rel. Pol. l. 2 c. 2. sect. 4.

XXI. Tandem *ad ipsos Imperatores* devolutum est, qui flagitante statu & tempore illud assumsere, Regia nihilominùs dignitate potiti, quamvis nomine carebant. Ita Octavius, cum exploratum haberet, Rom. speciem titulumq; servitutis magis, quã rem ipsam exhorrescere, ne Civium animos concitaret, Regium

Corn. Nep. l. 2.

Regium omisit titulum, *Principis* non adeò Reipubl. inusitatum optavit: Quo specioso nominis tegumento, perinde ac si melle illitum propinaret absynthium, omnem quam amissa Libertatis memoria suscitaverat, amaritudinem delinivit. Unde Tacitus de eo: Cuncta discordiis civilibus fessa, *nomine Principis* sub Imperium accepit. Eadem ratione Imperatores *Augustissimi acclamabantur Principes*: Et scriptores, si quando eorum mentionem faciunt, *sub Principis nomine* id expedire videntur. Hic, cum exempla passim obvia sint, sufficiat nobis unicum illud Thuani, cum ait: Divino provisum consilio arbitror, ut tot *magni Principes* (*i. e. Imperatores, Reges*,) eodem tempore Orbem terrarum moderarentur, ut quisque eorum æmulatione aut metu æmuli in officio se contineret, & alterius Virtus contrariâ alterius Virtute, quò minùs licentiosâ evagatione se effunderet, inhiberetur.

Scipio Amirat. in Tac. l. 1. disc. 1.

Tac. 1. an. 1.

Demst. l. 2. antiq. Rom. c. 2.

Thuan. l. 1. Histor.

XXII. Ne autem vetera nimis extollamus, recentium incuriosi, quid hodiè etiam in Imperio Romano-Germanico hoc vocabulum innuat, dispiciendum erit. Ibi videmus primò quidem & secundum excellentiam Principis nomen soli Imperatori competere, ut qui Summus Princeps velut illustre quoddam sidus emicat, cujus radii pellucido sese & indelebili splendore in exteras quoque partes Orbis latissimè diffundunt. Et eâ appellatione non solum in legibus Romanis, sed adhuc hodiè in publicis literarum inscriptionibus denotari solet: *Dem Allerdurchläuchtigsten, Großmächtigsten, Unüberwindlichsten FURSTEN und Herrn, Herrn N. N. Erwehlten Römischen Keyser. &c.* Quia verò usu invaluit, ut excelsi hujus nominis attributio ad præcipuos quoque Imperii & Principis Vasallos deduceretur, & ex derivatâ hâc accommodatione, multifaria iterum oriretur significatio, satius erit, ad evitandas ambages & amplexandam brevitatem, Lectorem ad eos remittere, qui in hoc scribendi genere plurimum industriæ collocantes, summam laudem merentur. vid. Limn. Jur. P. l. 4. c. 2. Reinking. de Reg. sec. & Eccl. l. 1. cl. 4. c. 8. & Schütz. J. P. vol. 1. disp. 8. th. 2. lit. A.

Tac. 2. ann.

Reinking. de Reg. sec. Eccl. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 601. Schütz I. P. vol. 1. disp. 2. th. 3. l. B. l. 1. ff d. ll. & t. t. de const. Prin.

XXIII. *Familia* ergò *Principalis* intelligitur tota illa series, quâ illustrissimarum Domuum Majores & ab iis orti à stirpe

 per

per ordinem Successionis & Propagationis ad proxima usque tempora numerantur.

XXIV. Atque hinc etiam manifestum arbitror, quid de *Perpetuitate*, quam ita appellavimus, sentiendum sit. Autores enim, si, quod longâ temporum serie sine ullo impedientis ruinæ obstaculo perstiterat, aut firmissimis imposterum momentis debebat iñiti, congruè describere conarentur, auxilio hujus vocabuli efficiebant. Lætitiam illius diei, *inquit Vellejus*, concursumque Civitatis & vota penè inserentium cælo manus, spemque conceptæ *perpetuæ securitatis æternitatisq;* Romani Imperii vix justo opere abundè persequi poterimus, nedum hic tentemus implere.

Vellei. l. 2. c. 104.

XXV. Notus est Curtii locus, ubi optat Domui Flaviæ, ut sui seculi tempora ejusdemque Domus vitam *perpetua aut certè diuturna* excipiat Posteritas. Quo voto dum *Perpetuitatem* precatur, ea est, quæ cum innumero simul aliorum bonorum augmento, Illustrium Generum Stemata nunquam sinit emarcescere, inq; infinitos descendentium gradus protrahit: Cum soboles Principum ad Reip. vota succedit, & adhuc futura spectatur numerosior, quod *Panegyrista* habet, imitatus procul dubio illa *Senecæ*, quæ optimi instar Commentarii, Curtiana pariter verba eo meliùs explanant, dum felicem & perpetuam Claudio vitam sincere optat: Dii Illum Deæque omnes terris diu commodent. Acta hic D. Augusti æquet, annos vincat. Quamdiu inter mortales erit, nihil ex Domo suâ mortale esse sentiat. Rectorem Romano Imperio Filium longâ fide approbet, & ante illum consortem Patris, quam Successorem accipiat. Sera & Nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum Gens sua cælo asserat! Huc etiam haud incommodè refertur, quod *Pedo in carmine consolatorio ad Liviam* pro Tiberii salute ingeminat:

Curt. l. 10. c. 9. — Pan. 6. c. 26. — Senec. consol ad Pol. l. 1. & Briss. de form. l. 1.

At tu, qui superes mæstæ solatia Matri,
Comprecor, illi Ipsi conspiciare Senex.
Perq; annos diuturnus eas, Fratrisq; tuosq;,
Et vivat Nato cum sene Mater anus.

Id. de form. l. 1.

XXVI. Olim cum vota pro Principum incolumitate susciperentur, *Perpetuitatem* vovebant, velut universæ felicitatis compendium, quà Principes ad maturam usq; senectutem, cum

cum lætâ præteritorum memoriâ, frui desiderabant. Sic à Senatu in gratiam Alexandri Severi acclamatum: Auguste innocens. Dii TE servent. Alexander Imperator Dii TE servent. Dii TE nobis dederunt, Dii conservent. Dii TE ex manibus impuri eripuerunt, *Dii TE perpetuent*! Sic *Martialis*, communibus populi formulis se accommodans, quò benigniore vultu potiretur, Trajanum tanquam ex buccâ vulgi alloquitur: Id. ibid. l. 2. ex Lamprid. in Alex. Sev.

Dii Tibi dent, quicquid Princeps Trajane mereris, l. 10. Epigr.
Et rata perpetuò, *quæ tribuére, velint.* 34.

XXVII. Aliàs cùm Principibus, ad solennitatem ludorum Circensium intrantibus, obviam irent, gratanti plausu inclamabant: Diuturnum faciet Deus Imperium tuum in multos annos. Et post: Diuturnum faciet Deus acceptum Deo & à Deo custoditum, firmum & sanctum Imperium tuum in multa secula. Sed quando fervidi erant in amore & ebulliente erga Principem affectu, longi sermonis impatientes Eos semper Augustos, Græci (Σεβαστὺς αἰωνίυς i. e. *perpetuos* Augustos reddidére) vocabant, quòque citiùs candidam mentis sinceritatem testarentur, totum Orationis votivæ contextum unico inserebant vocabulo, reiterato cantu intonantes: πολυχρονίαν, ac si dicas, *multi temporis perpetuitatem*. Demster. antiq. Rom. l. 5. cap. 5. Bœcler. d. Ausp. Reg. c. 3. th. 8. Demster. loc. cit.

XXVIII. Nec vivâ tantum voce id fiebat, sed certum est, in antiquis etiam monumentis inter solennes titulos, *Perpetuos* Imperatores Romanos appellari. Extant adhuc, prout ex obsoletis ruderibus erui potuit, aliquot inscriptiones, in quibus colligendis præclarissimi Viri, gratificantes secuturæ posteritati, multùm desudarunt. Romæ ad Arcum Septimii Severi, in grandi quâdam basi hæc leguntur: D.N. VALENTINIANO. *PERPETUO*. AC FELICI. SEMPER. AUGUSTO. Alicubi ad Brixiam in Columna: D.D.D. N.N.N. VALENTINIANO. VALENTI ET GRATIANO. *PERPETUIS*. PIIS. FELICIBUS. SEMPER AUGUSTIS. Grut Inscrip. vet. p. 285. Id. ibid. p. 1086.

XXIX. Quin Figurâ accedente majori, *Æterni* nuncupabantur. Nam Æternitas finem tollit, Perpetuitas modò Interruptionem. Unde *Æternitas* rerum, famæ, temporum ap. Tacitum. Poëtarum Æternitas, à *Nobilissimo Dn. Barthio* Beeman. Origin. ex Scalig. d. causs. lat. ling. c. 31. l. 11 an. 7. 1. 1. hist. 84. 7.

Agricol. 465. Barth. l. 54. Adversar. c. 13. *thio* allegata, cum nimium sibi blandientes, carmina sua sine interitu & sine duratura credunt,

—— —— *Gloria Vatum*,

Quæ manet, æternæ similis.

Orat. pro Archiâ. Et Cicero: Non quisquam est tam aversus à Musis, qui non *Æternum* laborum suorum præconium versibus mandari patiatur. Gruter. loc. cit p. 192. Ita Romæ fragmentum Epistylii effossum, in quo verba hæc penitus mutilata: *ÆTERNIS* PRINCIPIBUS HONORI. Id. ibid. p. 163. It. *ÆTERNI* IMPERATORES. DIOCLETIANUS. ET MAXIMIANUS. AUGUSTI. PERPETUI. Plura si quis Antiquitatis studiosus cupit, excellentissimum *Gruteri* opus, quod hodiè reliquis palmam præripit, & unde hæc desumta, ulteriùs evolvendo acquiescat.

XXX. Et hæc illustria nomina non tantum ob immortalem meritorum memoriam, sed aliquando etiam cum omine & voto propagandæ in annos familiæ ac Domus Principalis assumebant. Verùm enim verò sicuti in omnibus rebus ea est imbecillitas humana, quæ medium tenere nescit, ita & hîc luculenta ejusdem indicia prostant. Quis enim modum non excedi ac proinde turpiter errari diceret, inconvenienti superbiendo Elogio, & illa, quæ Divinitati competunt, humanæ fragilitati consecrare. Tenui filo pendet, quicquid humanum est, summaque celeritate præterlabitur hæc vita, nec tamen deterriti etiam ex Purpuratis nonnulli, qui insatiabili gloriæ desiderio, divinos sibi honores vindicarunt, eoque in profundam erroris detrusi foveam, miserandum stultitiæ spectaculum dedére. Paganin. Gaudent. pars 1. c. 5. d. morib. secul. Just.

XXXI. Nostrum quidem non est, in Magnatum facta inspicere, cùm difficile sit, solidum de iis ferre judicium, & verba planè temperata aut serica potius requirantur. Interim ipsa veritas assurgit, &, quod ipsius proprium, ut vera profitendo neminem timeat, errata illorum divulgat, quò ad luendam delicti ignominiam posteritati quoque innotescant.

Curt. l. 10. c. 4. Plutarch. in Alex. vide differt. XXXII. Non curat Alexandrum, cujus famæ terror totum aliàs Orbem invaserat, ut cunctæ Gentes velut destinato sibi Regi adularentur; sed cum Jovem Hammonem pro Patre asciscerent, severum Atheniensibus edictum præscribens, ut Deus deci-

decimus tertius coleretur, atque superatâ Perside & profligato Dario, deproperatis literis etiam Græcis denunciaret, ut Deum se facerent, Illa summam ab eo stultitiam commissam pronunciat. Exprobrat Ipsi per Hermolaum nimium Gloriæ appetitum, cum inquit: *Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerariq; Te ut Deum; Tu Philippum Patrem aversaris, & si quis Deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem.* Contra laudat Matrem Olympiadem, prudenter de vesano hoc fastu exclamantem: *O Fili, tu verò cum inter Cælites locari volueris, & id perficere summo studio sis conatus, nunc neq; illorum quidem, quorum omnibus æquale mortalibus & par jus est, particeps fieri potes, Terraq; simul & sepulturæ.*

Francisci Petrar. de rem: utr. fortunæ l. 1. dialog. 85. Ælian var. hist. l. 5 c. 12. Id. ibid. l. 2. c. 19. Curt. l. 8. c. 7. Ælian. d. l. 3. c. 30.

XXXIII. Nec veretur objurgare Diocletianum, de quo Historicus: Victoriarum successu elatus, Insignia Imperatorum admodum amplificaverat, inque splendorem adornans inusitatum, *non sustinebat à Senatu salutari amplius, sed adorari cupiebat.* Domitiano, quoniam intumesceret, ut ex sublimi arrogantia Procuratorum suorum nomine, formalem dictaret Epistolam, sic tumidè exordientem: *Dominus & Deus noster fieri jubet*: maximè insultat, ac idem de eo & omnibus ipsius asseclis, libero cujusq; arbitrio relinquit statuere, quod de Nerone Suetonius: *Erat illi æternitatis famæq; perpetua cupido, sed inconsulta.* Tàm turpe est, & tantam infamiæ maculam parit, obtemperare nimis affectuum dominio, qui laxatis frenis, animum dictamina rectæ rationis negligere faciunt, & pallidas fragilis corporis exuvias Divinitatem æmulari.

Zonar. 1. annal. Sueton. in Domitian. c. 13. Id. in Neron. c. 55.

XXXIV. Perrexit hæc lues ad inferioris itidem subsellii homines, cumq; animadverterent, elatos Principum Spiritus solâ divinorum nominum attributione placari, promtos se exhibuere & faciles, (prout fatale est plebi, placitis superiorum haud gravatim morigerari, solo interdum præsentium odio & cupidine mutationis: & pauci dantur Lacedæmonii, qui constanter refragantes dicunt: *Alexander si vult Deus esse, esto Deus.*) quidam metu, alii provenientis emolumenti gaudio invitati, par reputarunt, Deos aut Imperatores Deorum loco venerari. Inde *irrumpebat adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuiq; utilitas.* Numerosa enim parasitorum cottidiè accrescebat congeries, *qui libentius cum Fortuna Principis, quàm cum ipso*

Tacit. l. 3. annal. Aelian. var. hist. l. 2. c. 19. Tac. 1. hist 15. Id. ibid. & Boccal. Cent. 2. Rel. 74.

Principe loquebantur, & ad promerendam gratiam certatim adulantes, Numina Imperatores jactabant, ut intumescentes sæpè exquisito hoc blanditiarum studio, immunes se ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimarent. Extollebant supra modum eorum Majestatem, quæ Humanitatis jam nescia, Deorum naturam induisse crederetur, dumque firmum ipsis stabat Principium, Deos esse, vel ad nutum eorum blandicella fingebant carmina, & breves aulæ delitias nectareis Deorum Epulis
Tac. l. 1. hist. c. 36. longè præferendas, stultè mentiebantur: *procumbebant humi, jaciebant oscula, & omnia serviliter pro Magnatum Favore.* Tales habemus complures, atque inter eos coryphæum Martialem, Domitiano ita abblandientem:

Martial. l. 9. Epigr.
Ad cœnam si me diversa vocaret in astra,
Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis.
Astra licet propiùs, Palatia longiùs essent,
Responsa ad Superos hæc referenda darem:
Quærite qui malit fieri conviva Tonantis,
Me meus in terris Jupiter ipse tenet.

XXXV. Adeò invaluerat hæc intemperantia! Adorabant Imperatores, colebant absentium statuas, nec abstinebant, quin ipsis mortuis divinos è vestigio cultus destinarent.
Euseb. in vit. Constant. l. 4. Quâ de re exaudiendus omninò Eusebius, cujus hæc sunt verba: Duces Exercitus, Comites, & omnis Magistratuum Ordo, quibus erat adorandæ Principis purpuræ consuetudo, nihil de more solemni immutantes, stato tempore intrò ingressi, Imperatorem in areâ clausum, etiam post mortem genu flexo quasi vivum adorabant, unde Poëta:

Corippus l. 3.
—— —— Poplite flexo
Plurima divinis supplex dabat oscula plantis.

Incommoda, quæ hinc emersere, Nobiliss. Dn. Barthius in-
Barth. l. 36. Advers. c. 15. geniosè recenset, inquiens: *Idololatria seu Dæmonum sub statuis adoratio & cultus initium sumsit ex Imaginibus defunctorum. Cùm enim cæci & extorres sapientiâ mortalium animi, Necessitudinum suarum, fato functarum imagines ad similitudinem earum repræsentandam, & vel sic præsentiam ipsarum restituendam, colerent, impatientia in Superstitionem venit, & desiderium in religionem.*

XXXVI. Hæc cum ita se habeant, nemo inficiabitur, mo-

modum nimis transgressos esse, & Reges abutentes regali cultu & magnificentiâ, & subditos dum in attribuendis hisce titulis & immodicâ veneratione haud benè consulti processere. Sed cum hæc Quæstio obiter tractanda veniat, hoc inter prima observandum, nos Imperatoribus, Regibus, & iis, penes quos est rerum summa, debitos Honores & Observantiam non denegare, vel ea, quæ theses præcedentes continent, eum in finem protulisse, ut Majestatem è cœlo datam imminuere conaremur; quin profitemur magis & dextrè statuimus, esse verendam illam Amplitudinem, quam Deus cum pignore & evidenti suæ in Humana curæ notâ, tanquam characterem, ac certam suæ Majestatis Imaginem iis impresserit, à singulis devotâ humilitate colendam. Nec improbamus, divinis appellationibus & elogiis Reges ornari, modò rectam teneamus viam, & mentibus semper illud infixum hæreat: *Medium tenuere beati.* Bœcl. præf. de Ausp. reg.

XXXVII. Vocantur Dii, nec inconvenienter, modò justa restrictio intercedat, & quomodo id accipiendum, castè perscrutemur. Nimirùm cum videamus, *Dei imaginem Reges in terris repræsentare, Ejusque vicem sustinere. Ad hæc residere apud Eos aliquid divinæ Dignitatis, divini vigoris & Efficaciæ, sive aliquid tàm præsentis opis Majestatisque, quod communi hominum sorte non debeat æstimari.* Ultra progredi non licet, nisi ipsam summi Regis, à cujus potenti ordinatione cæteri dependent, supereminentiam inconsultè temerantes, abominandum blasphemiæ peccatum committere vellemus. Illud autem veritati consentaneum esse, libere affirmare possumus. Nam perspicua rerum testimonia adsunt, ineffabile esse Dei Cœlorum Regis ac Domini, cum Regali in terris fastigio commercium, Deumque peculiari quodam dono instruxisse Imperiorum Præsides, quo inclarescentes præ reliquis vel solo aspectu, aut titulo Regii Nominis, cordibus inferiorum dictent, *Sibi esse parendum.* Ambros. in ep. Rom. 13. Bœcl. d. Ausp. Reg. c. 1. th. 15.

XXXVIII. Apparet ad satiem in sanciendis Legibus & publicâ Edictorum promulgatione, ubi non solum Deus Mentem Imperantium salubriter informat, ad excogitan-

gitandum id, quod conducat Populo, & ſtabiliendæ ejuſdem ſaluti inſerviat; verum etiam tantâ armat Autoritate, ut ſubditi, velut perculſi interno quodam tactu, Principis verba pro oraculo æſtiment, & citra temerariæ rebellionis meditamenta, ſatis habeant, Principem habere, ad cujus nutum ſe accingentes ſubmiſſè obteſtentur: Tuum imperare, nobis Obſequii gloria relicta eſt.

Plin. Paneg. c. 83.

XXXIX. Regum Perſonam quod ſpectat, tantam, adjuvante Deo, præ ſe fert Majeſtatem, ut quivis illam humilimè revereatur, & certò credens, cum eâ ſpretâ, Ipſum ſimul Deum, interno nexu cum Regibus colligatum rejici, vehementer abhorreat, vel minimis onerare conviciis, multò minùs pernicioſum & lethale quid Ipſi intentare. Eadem proxima Deo,

Gunther. l. 5. Ligur.

Semper metuenda: ſuo quæ
Plena vigore manet, nulliq; impunè premenda
Creditur, & ſemper cunctis & ubiq; timetur.

l. 5. C. ad l. Jul. Majeſt. & Clapm. d. arcan. Rerūp. l. 4. c. 13.

XL. Hinc grande nefas & dirâ morte piandum ſtatuunt, ſacra Regum Capita tangere. Pugnant pro iis Leges, concordi Gentium applauſu introductæ, Corpora Regum eſſe inviolabilia, & maleficis iſtius ſanctionis Transgreſſoribus atrox ſupplicium denunciant, quod ad illos, qui perditiſſimæ Conjurationis conſcii; pari ſeveritate ſe extendit. Imò experientia edocti comperimus, ſceleratos ejuſmodi homines, ad necem Illuſtrium Virorum conductos, dum dignè mercedem adipiſci ſatagerent, metu inopinato perturbatos, puſillanimes, ſtupidos & vecordes extitiſſe. Unde hic metus? à ſolo Deo, qui panico terrore eos exanimat, quo à nefandâ intentione deſiſtentes, manum inferre non audeant, ſeque ceu elucente quodam miræ divinitatis fulgore, in ipſo opere impeditos, in rigidis tormentis ſæpè fateantur. *Hoc Deus facit, qui peculiarem Regibus ſecuritatem circumdat, ne violentur: & propiori ſua providentia curâ præſtat, ne violari, quoties pericula imminent, poſſint.*

Camerar. hor. ſubciſ. cent. 2. c. 7.

Bœcl. d. Auſp. Reg. c. 2. th. 6.

XLI. Quod

XLI. Quod si contingat, clandestinis interdum molitionibus Reges è medio tolli, haud unquam tamen impune auctores evasisse constat: adeò, ut nemo crimen hoc fœdum in fronte gesserit, quem non divina Nemesis à tergo statim sit subsecuta. *Nec enim erravere diu Manes ejus inulti*, (inquit Marcellinus de Autoribus cædis Gordiani Junioris,) *quod velut clarescente Justitia, omnes, qui in eum conspiravere, cruciabilibus interiere suppliciis.* Ita omni ævo tales detestandi Regicidæ vel duris nexi vinculis, horrendæ morti pœnas dedére, aut propria Conscientiâ flagitantis carnificinâ excruciati, tragicos sibimet ipsis comparavere exitus, sæpius etiam *eodem illo pugione*, quo Principi vitam scelere & perfidiâ iverunt ereptum, desperati se interemerunt. Et sic probato supremi Numinis cum Regibus commercio, non erubescimus, Eos sano sensu Deos in terris appellare.

vid F. rstn. Hypomn. pol. 114. & in not ad Tac. annal. Marcellin. l. 28.

Sueton. in I. Cæs. 89. & Casaubon. in not. ad h. l.

XLII. Simili ratione Æternitatis, Immortalitatis, epitheta ipsis competunt, non quod eos supra sortem humanam extollere mens sit, cum in commune provisum sciamus, ut omnes mortales una lex teneat, unum mortis imperium:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum Tabernas,
Regumq; Turres:

Sed Principes sui per istud admonentur officii, ut seriò perpendant, quam sanctum hoc sit, ac noverint, à Deo sibi commissum, cujus vice in terris eminenter præsint, & ob hæc iis vacare Virtutibus debeant, per quas æterni Numinis Imitatio servetur, Eorumque nomen maneat in animis Hominum, famâ rerum, temporum æternitate.

Francisc. Petrar. de rem. fort. l. 2. dial. 120.
Horat. l. 1. Carm. od. 4.
Besold. dissert. d. Majest. c. 2. th. 3.

Tac. in Agric. c. 46.

XLIII. Posset idem etiam responderi, quod suprà, divinâ sc. cautum esse moderatrice providentiâ, unicum hoc veræ felicitatis palladium animis subditorum inculcare, ut Reges æternos & Regum Corpora immortalia, i. e. ab omni refragantium murmure & invasione truculentâ esse custodienda, indubitanter sibi persuadeant. Quod argumentum dum *Clariss. Dn. Buxhornius* erudissimè tractat, nævos simul & delicta Regum ostendit, quando in opprimendis aut de-

Buxhorn. Arcan. Pol. l. 1. c. 4.

delendis Regibus aliis occupantur. Per hoc enim oculos subditorum aperiri statuit, & ipsorum juxta Majestatem labefieri, si Reges itidem ac vilioris farinæ plebem occidi posse videant. Idque Oratorem Gallum ad dissuadendam Mariæ Scotæ mortem contra Elisabetham, Angliæ Reginam, præcipuè adhibuisse ait.

Gerhard. d. Magist. Pol. aphor. 10.

XLIV. Concludimus ergò fundati doctissimorum Virorum calculo, vel nostram potius iteramus sententiam: Imperatores, Reges, *Deos, Æternos, Immortales dici posse, modò id non absolutè, sed certa cum limitatione & respectu fiat; nempè, ut Divinitatem istam non quæramus in nudis ipsorum personis, quippè quæ cum aliis æquè hominibus humanæ fragilitati obnoxiæ sint; verùm in eo, cujus Ministri & à quo ad illam evecti sublimitatem, ut in Imperio administrando Dei in terris vicarii essent: In ipso etiam imperandi ac judicandi munere, ubi Deus adest, viget in Regibus, agit, efficit, suique muneris secreta in fructus efficaces dispensat.* Cæterum si eo quo superbientes antea Imperatores, more usurpetur hæc loquendi formula, planè non ferenda est, tanquam impiissima fraus, quæ subditis metu, adulatione vel opinione vanâ seductis, Reges suos immortales præfigurat, ipsosque Reges, ut toti Orbi invisos, (Homines enim videtur despicere, qui postulat Deus credi,) ita variis pœnarum generibus reservat. Insigne Exemplum inter alia format Maro in Rege Elidis, qui per pontem aheneum quadrigis vectus, & jaculatus facem, tonitru & fulmen imitabatur, & fulmine post à Jove ad inferos detrusus fingitur. Ita ille:

Bœcl. præf. d. Ausp. Reg.

Besold. dissert. de Majest. c. 2. th. 4.
Justin. l. 13. cap. 1.
Curt. l. 6. c. 11.
Apollodor. l. 1.

Quatuor hic invectus equis & lampada quassans,
Per Grajum Populos, mediaq; per Elidis Urbem
Ibat ovans, divumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum cursu simularat equorum.

Addit pœnam:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas:
Nam Pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, (non ille faces, nec fumea tædis
Fulmina) præcipitemq; immani turbine adegit.

XLV. Reve-

XLV. Revertamur ad ſcopum, & præmiſſis, quæ requirebantur ad vocabula Principum, Principalium familiarum & Perpetuitatis enucleanda, neceſſe eſt ut ad ipſos *Germaniæ Principes* deveniamus, de quibus quando ſermo eſt, *Eos præſertim intelligi volumus, qui hæreditaria ſucceſſione ſtirpem ſuam propagant, certiſq; Domibus numerantur.* Horum tanta eſt Eminentia & Autoritas, ut meritò incomparabilis habeatur, nec inconcinnè aliquo modo ad eos referri queat, quod Pyrrhi Legatus de Senatu Romano, quem videns miratus obſtupuit, & in unum coactam Regum multitudinem dixit.

XLVI. Dignitatem hanc anxiè ſolicitare, quaſi micatim & per fruſta colligi debeat, ſupervacaneum arbitror, cùm ad ſatiem manifeſta luculenter ſeſe exerat, totque validæ pro ea militent rationes, ut earum quæ maximi ſint ponderis delectum habere oporteat. Si enim ſolas Neceſſitudines & affinitates Regias ac Imperatorias in animum revocare libet, illud ſatis conſtat, Illuſtres Principum Germanicorum Familias non aliis tantùm Populis Reges dediſſe, ſed ex ſe Imperatores genuiſſe plurimos, maximos.

XLVII. Si à Regia Carolingorum Familiâ incipiamus, his debemus Carolum M. Ludovicum Pium, Lotharium, Ludovicum II. Carolum II. Calvum, Ludovicum III. Carolum III. Caſſum, Arnolphum, Ludovicum IV. Conradum I. Jam Duces Franconiæ nonne dederunt Burgundiæ Reges, Imperio autem Romano Conradum II. Henricum III. Henricum IV. Henricum V? Porrò ex Gibellinorum ſtemmate prodierunt Imperatores Suevici, Conradus III. Fridericus I. Barbaroſſa, Henricus IV. Aſper, Philippus Bambergenſis, Fridericus II. Conradus IV. Ex Lüzelburgica ſtirpe ad Imperium pervenerunt Henricus VII. Carolus IV. Wenceslaus, Jodocus, Sigiſmundus.

XLVIII. Bavariæ Ducum & Palatinorum Rheni Familia Imperatores vidit Ludovicum V. & Rupertum. Ex Auſtriacis Imperatores numeramus, Rudolphum I. Albertum I. Albertum II. Fridericum III. Maximilia-

num I. Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II. Ferdinandum III. (Quanta sit hujus meriti prærogativa, tùm demum æstimabitur, si Augustissimi Imperii dignitas animo rectè concipietur. Nos quod fideles subditos decet, perpendentes meritò Herculeos Labores, qui ad augendam Imperii prosperitatem faciunt, summamque in Vasallos paternæ mentis Clementiam humilima vota, in humum proni proferimus: Ferdinande invictissime, Progeniem Tuam robora. Fac securi sint Liberi Tui. Tuum Imperium nulla vis lædat! TE Imperante non timemus, Te Duce securi sumus. Felices nos Imperio Tuo!) Ex Saxonicâ Witekindî Familiâ Henricus I. Auceps, Otto I. Magnus, Otto II. Rufus, Otto III. Mirabilia mundi dictus, Henricus II. Sanctus, Maximi Heroicorum Imperatorum celebrantur. Ex Ducum Brunsuicensium & Lüneburgensium Familiâ, Imperator Otto IV. memoratur. Sed actum ageremus, si, quod copiosissimi Indices Genealogici in recensendis ordine Imperatorum ac Regum Prosapiis, jam dudum præstiterunt, nostro labori vindicantes, Lectorem diutiùs detineremus: Majori nobis laudi cedet, veritatem ingenuè profiteri, quos hâc in re Informatores habuerimus, eorumque scripta, ulteriori disquisitioni satis accommodata, denominare. vid. Lampad. de constit. Imp. Rom. part. 3. cap. 5. §. 17. Henningis Theatr. Geneal. Reusner. in Genealog.

Brisson. de form. l. 2.

XLIX. Quod si non sufficiat, à Nobilitatis præstantiâ horum Eminentiam & Autoritatem comprobasse, singularis Jurium præcellentia defectum supplet, quâ bene pensâ, nemo, utpote convictus ipsâ rerum demonstratione, in dubium illam vocabit. Nimis autem longum foret, omnia illa jura sigillatim recensere, quæ ob multitudinem in immensum ferè opus excrescerent, ideoque meræ assertionis ergò aliquot saltem producere meliùs erit, unde liquidè appareat, rem ita se habere, & ex quorum diligenti inspectione plura colligere, ac velut ex ungue Leonem haud difficulter dignoscere possimus.

L. Evolventibus itaque Catalogum, Tituli Principum

pum primo loco considerandi veniunt, ceu locupletes Honorum Indices, non solum, quatenus Duces, Marchiones, Landgravii, sed etiam quatenus Illustrissimi, Celsissimi, Serenissimi nuncupantur. Gratiæ Dei suos Principatûs, præmissa ubique in mandatis & rescriptis suis formulâ, acceptos ferunt: Idque ex Privilegii indultu possidere videntur, quod ut maximè expressum quidem non extat, longissimi tamen observantiam temporis, ejus vice fungi communiter statuunt: cum ex adverso clarum sit, in multis Regionibus hunc titulum summæ Majestati reservari, nec absque crimine læsæ Majestatis usurpari posse. Et solo Principis nomine utentes, singularis prærogativæ notam habent, ut quæ in Regno Hispaniæ, Angliæ, Galliæ & aliis vel solis Regum viventium Filiis, vel iis tantùm competit, qui ex Regiâ progenie oriundi.

Carpzov. de L. Rom. c. 1. sect. 2.

Schütz vol. 1. disp. 6. th. 15. lit. A.

Limn. I. P. l. 4. c. 6.

Reinking. l. 1. cl. 4. c. 8.

LI. Accedunt alia jura: Non recognoscentibus superiorem æquiparantur: Dicuntur idem in suo territorio facere posse, quod Imperator in Imperio. Quam locutionem tamen eruditè examinat Lampadius de Constit. Imper. Germ. part. 3. cap. 3. §. 19. & seq. Reliquorum seriem Juris Publici Scriptores, unà cum discussione & ventilatione utili ante oculos sistentes, nos hoc onere sublevant. vid. Limn. I. P. l. 4. c. 8. Schüz I. P. vol. 1. disp. 8. &c.

Nolden. in Nucl. I. P. c. 2. n. 18.

LII. Incomparabilem porrò Principum Germanicorum Dignitatem haberi, nemo mirabitur, qui Eminentiam Imperii Romani perspectam paululùm tenebit. Non desunt enim rationes, quibus prisca illa Romani nominis gloria, Germanico Imperio nostro vindicetur.

LIII. Neque certè alia Gens fuit dignior, quæ in amplissimi Tituli Honorem succederet. Romanos studium Libertatis & Fortitudo seu virtus militaris ad summum illud Monarchiæ fastigium extulit: Atqui tales erant Germani Francique, cum ipsorum Reges Augusti nominari cœperunt: Italicâ virtute tum extinctâ aut subjugatâ. Romani aliorum Libertati subveniendo, Tyrannos & Oppressores populorum ulciscendo, ad apicem laudis excrevere: Tales erant, non jam Romani, sed Germani, cum antiqui tituli gloria patriam mutaret, & Viros quæreret.

LIV. Prognati igitur Germaniæ Principes tantis Heroibus Germanis, id æstimii & reverentiæ consequuntur, ut Exteri quoque spontè concedentes, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse, eadem illos fortitudine præditos, simili etiam alacritate, per naturalem sanguinis communicationem instillatâ ebullire, arbitrentur.

Tac, 13, an.

LV. Jam quod ad Magnitudinem Meritorum publicorum attinet, generosi tales stimuli nec hic deficiunt, vel torpidum sibi languorem obduci patiuntur, sed quos in dirigendis rebus aliis mirâ quâdam magnanimitate & promptitudine celebres videas, ita imprimis, quæ ad conservandum vel propagandum Imperii vigorem ac incrementum faciunt, summo conatu exequuntur. Si remotis bellorum turbis pacatâ tranquillitate frui licet, salutaria suggerunt consilia, quibus suffultum firmiter Imperium vires integras retineat, & amico benignioris fortunæ successu lætetur. Contra, si pro Patriæ gloriâ decertandum & imminentibus periculis ad arma accedere necessitas flagitat, pari animo induti, à scopo sibi proposito non deviant, cujus punctum in eo acquiescit, ne Imperium quid detrimenti capiat. Dextræ agiles ad præliandum, ex sincero erga illud amore nunquam defatigantur, erectus est vultus & vulnera ictusque gladiorum serenâ fronte excipit, eò quod laudabilius sit, dilaniatas plane genas & pectora, velut certissima cordati militis signa in forum producere, quam quæ in turpi fugâ illata sunt, cum despectu & æterno ignominiæ probro occultare. Quin si vel præsentissimum mortis exitium adesse sentiant, hoc solatii loco ducunt, quod dulce & decorum sit, mori pro Patriâ, famæque indelebilis conciliare notitiam, quando Posteritas suum cuique decus justè rependens, exstructo publicè tumulo inscribi jubeat, Eos pro tuenda Libertate Imperii occubuisse. Sic ad utrumq; parati, & belligerare fortiter pro salute publica, & fideli consiliorum prudentia devotam mentem contestari, gloriosa haud rarenter fidei ac virtutis suæ specimina exhibuere, ita ut, quod justum aliàs est, legitimè certantes, speciali Honorum & Dignitatis prærogativa sublimari, nec illi de Virtutum præmiis & gloriæ corona diffidere debeant.

Tac, l. 4. an.

Horat.

Tac. l. 4. an. Brisson. l. 7. de form.

Goldast. de statu Regni Bohem. l. 2. c. 18.

LVI.

LVI. Exinde patet, cur Principalium Familiarum propagatio optari debeat? Nam ratio applaudit & æquitas postulat, ut Posteros exoptemus habere, qui meruerunt habere, quo non solum in præclaris Filiis, abhorrentibus probè, illustres Majorum cineres turpi vita conspurcare, Patrum Virtutes conspici, verum etiam damnum, quod illorum discessus attulit, sua de novo præsentia, imitando patrios mores, resarcire queant. Secus est in illis, qui corpori tantum servientes, demissi in obscuro vitam agunt, & nihil amant moliri, quod æternitatem redoleat: Hi enim, quamprimùm terræ depositi, nulla insigni re gesta, cum vita memoria pariter Hominum excidunt, & timetur plerumque filius vitiorum, quæ Patri collibuerant, strenuus sectator, quemadmodum ex adverso juxta Venusinum, Tac. 2. an. c. 37. Senec. Ep. 14. Sal. in Catil.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam. Horat. l. 4. Carm. Od. 4.

LVII. Principum igitur Germanicorum virtutes & merita, cum sole meridiano clariora existant, merito Successores ex iis speramus, qui æmuli laudum Avitarum, surculorum instar in loca deperditarum arborum succrescant, Imperiique Germanici gloria perpetuis hoc modo fulcris nitatur. Recess. Imp. de an. 1544.

LVIII. Pergendum nunc est ad ultimam Dissertationis partem, quæ modis recensendis navabit operam, quibus Principalium ista Familiarum perpetuitas contingat aut paretur. Ibi rem paulò accuratiùs ponderantes comperimus, non fortè fortuna aut ex casu evenire, quod illustres Regum ac Principum Familiæ natales suos numerare incipiant, & per multa deinceps tempora, felici Prolis serie ac optata Gradum extensione lætentur. Sed à Deo, velut uberrimo bonorum fonte, ordiamur necesse est, Eique & teneras Generum primitias, & fæcundum illorum progressum attribuamus. Deus enim est, à quo incrementum hoc & initia dependent, & quod omnium Cordibus impressum, ore divulgatum personat, divinam benignitatem esse Basin hujus Universi, ita hic extra dubii aleam positum scimus, DEUM excelsis Stemmatis à primo lacte & incunabulis singulariter prospicere, quæ- Barth. l. 1. Advers. c. 15.

que

que ad omnigenam horum amplificationem & firmandas radices profutura, evidenti benedictionis cumulo aggregare.

LIX. Noverint itaque Principes, debita gratitudine Eam prosequi, neque confidentes superbè huic Perpetuitati, quæ irato numine citò dilabitur, piam sibi commendatam habeant Modestiam, quæ ut omnes omnium ordinum homines, ita imprimis Principes Viros decet, ut intelligant, & sint memores in omni actione, esse Deum, à quo proficiscantur, & emanent omnia.

Nov. 6 in princ. Comin l. 1. Comment.

LX. Hic cum de Perpetuitate Principalium Familiarum agimus, moveret nobis forsitan aliquis controversiam, cur igitur fiat, quod perpetuante ita Deo Familias, nihilo tamen minùs suas quoque periodos & clades experiantur? Respondemus verum hoc esse, quod vetustissimis Familiis intereuntibus, mediæ succedant, his postremæ, & rursum novæ exoriantur. Eadem etiam vicissitudo in mutatione Imperiorum obtinet, quorum nullum est perpetuum, (vid. pl. ap. Forstner Hypomn. Pol. 38. Richter. axiom. Pol. 1. seqq. & Lambert. Pan. in Aphorism. Polit. ex Polyb. n. 19.) sed ut hominibus singulis, adolescentia sua, robur, senecta, mors: Sic oppidis, Rebuspub. & Regnis. Et hoc, quod in Urbibus, Imperiisque videmus accidere, ad familias & Gentes Nobilitatisque fata, rectissimè accommodare possimus, ductore Vellejo, cum inquit: Quemadmodum Urbium Imperiorumve, ita *Gentium*, (i. e. Familiarum, annotante Cl. Berneggero p. m. in qq. Tacit. 153.) nunc floret fortuna, nunc senescit, nunc interit. Nam sicut DEUS sæpè unum aliquem populum cæteris vult & patitur antestare, ita nunquam desunt certæ in populis familiæ, quæ Claritudine reliquas multum superent. Quoque alterius Imperii diuturnior est fortuna, alterius brevior: ita Nobilitas hujus quidem Familiæ longissima Celebritate perennat, illius gloria caduca videtur.

Pontus Heuter, Præfat. rer. Burg.

Lipf. 1. de Const. c. 25.

Vellej. l. 2. c. 11.

Bœcler. in not. Vellej. ad h. l.

LXI. Sed omnia hæc, utut verissima, nihil tamen exinde elici potest, quod Illustres propterea Familias Deo non curæ esse, probet.

probet. Si enim Deus aversaretur earum propagationem, non sustineret, multas tàm diu viguisse, neque in emortuarum loca alias erigeret, verum aboleret penitùs, præpotenti brachio utens, cui omnia cum tremore obtemperant, & nihil in Orbe, licet validissimum, perennemque spondeat vivacitatem, quod non inferius suppositumque Deo. Jam verò intuentes Historias, reperimus, nonnullas longum perstitisse, alias noviter suscitatas, adhuc florere, neque perpetuitati universæ obstare vices partium, pro modo sortis humanæ; & divinæ arbitrio dispositionis, cui perpetuare Illustres Familias solenne est.

LXI. Ita interdum (ne de extraordinariis casibus loquamur, ubi divini Numinis ira vehementior, exardescens, severum Justitiæ officium administrat) ex defectu consanguineæ Posteritatis quasdam familiarum obiisse animadvertimus. Sed nimirum ut, de translatione Regnorum, ita de fatis Illustrium Familiarum, minimum est, quod homines intimè possunt perspicere. Magna hæc Magnus disponit Deus, & pro divinâ voluntate suâ transfert de uno in alium, *sine bono*, quia utilius mortalium conditioni novit, & securè credendum est, eum nihil mali agere posse. Reinking. præfat. de Reg. sec. & Eccl. Loccen. de Rep. ordin. l. 1. c. 2.

LXII. Tum si causas naturales disquirimus, ea est natura rerum mundanarum, ut ad summum productæ, rursus ad infimum, velociùs quam ascenderunt, relabantur. Senec. in præfat. 1. controv.

Sic omnia verti
cernimus, atque alias assumere pondera Gentes,
concidere has. Ovid. l. 15. Met.

Rebus cunctis inest quidam velut orbis, qui rotatus, assidue quicquid ex imo in altum produxit, rursùs in suum resolvit principium, & ad nihilum redigit, ut quantò plura recentium seu veterum revoluta cernas, tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis observentur. Cur itaque cum nihil genitum sit æternum, usitatas Familiarum Illustrium periodos nimis miremur? Tac. 3. ann. Id. ibid.

LXIII. Præsertim autem notatu dignum est, quod sicut Urbibus Imperiisque vel fatalis mors venit, vel violenta ingruit pernicies: ita illustres Familias, vel fortuita Orbi- Bœcler in not. Vellej. ad l. 2. c. 1.

tas, sæpè etiam *Posterorum extinguit segnities, vel tyrannica suspicio & crudelitas perdelet.* Illa Principem contemtum reddit, & misera res est, cum eò deventum, ut locum habeat, quod Tacitus de Vitellio: Tanta torpedo invaserat animum, ut si Principem eum esse cæteri non meminissent, ipse oblivisceretur. Hæc verò, ut exosa omnibus, ita vix diuturnitatem permittit. Infelix enim ille Princeps, qui exemplo Tarquinii Superbi, in caritate Civium nihil spei reponens, metu regnum tutatur. Et quid inde sequitur? Odium subditorum, occultæ machinationes, quæ consultantes de tollendo profani Principis Imperio, abrupto perpetuitatis speratæ filo,

Tac. 3. hist.

Liv. l. 1.

Tac. 14. an.

Ad Generum Cereris cum cæde & sanguine multo
Descendisse jubent tandem.

Imò in apertum malevolentiæ signum, terram gravem & onerosam ipsis imprecantur, funesto carmine addito:

Elias Sebedius de Diis German. l. 2. cap. 49. Senec. in Hippol. act. 5. scen. ult. & Brisson. de form. l. 1.

Illum terra defossum premat,
Gravisque tellus impio capiti incubet!

LXIV. Adeò cautè itaque providendum, & suum cuique tribuendum est. Quæ Deus hic facit, optimè facta: quæ secundum cursum naturalem accidere, æquo perferenda animo: quæ propriâ sibi culpâ attracta fuêre, itidem probè dignoscenda, nec illis immiscenda sunt, ne turpiter erremus. Sed intricatam hanc quæstionem solidioris doctrinæ viris committimus, contenti, meliora audire.

LXV. Sequuntur, quæ de Matrimonii Felicitate ac Fœcunditate breviter dicenda. Per hoc Illustribus Principum Stemmatis multum accedere nemo non videt. Nam ut taceam, hoc naturæ nexu Principum animos arctissimè conjungi, & non solùm, quæ per fœdera priùs & mutuam concordiæ sponsionem sancita est, Amicitiam eò magis stabiliri, verum etiam qui infenso antea odio inter se dissensere Principes, nil nisi detrimentum & totam partis adversantis exstirpationem quærentes, reconciliatos denuò ac virulentas inimicitias in placidum congressum novique amoris contractum mutatas esse; Hoc insuper magni æstimandum, quod illius auxilio certa basis & fundamentum excelsis substruitur prosapiis, quo firmiter stante, non lapsum aut ruinam timent,

ment, ſed inter turbas, hoſtiliaque pericula cum tuto ſubditorum commodo lætanter eminere poſſunt. Quivis enim in Filiis etiam Principes veretur, & cum aliàs ipſis defunctis quaſi claſſicum caneretur, ad ſupprimenda, quantum fieri queat, Principum nomina & facultates, adſunt Liberi, qui Patris Potentiam & Generis Perpetuitatem ab interitu vindicare allaborent. Non ſpernenda igitur Principibus Matrimonia, ſed in iis colendis juſta cautio adhibeatur, ne quid ipſorum ſaluti & Perpetuitati Familiæ officiat, & improvidâ feſtinatione objiciatur.

LXVI. Perpetuitatem hanc naturali etiam ſucceſſionum continuatione firmari videmus. Et hanc non tantum in Imperio, (quod tamen cum grano ſalis accipiendum, ſcil. rebus integrè ſtantibus,) ſed apud pleraſque alias Gentes in uſu fuiſſe, nullus ambigit. licet hoc non diffitendum, quod pro cujuſque Regni conſuetudine modi varient, nec eadem in iis convenientia reperiatur. Unde variæ de eâ re Quæſtiones ortæ, quas utpote à doctiſſimis Juris Publici & Feudalis interpretibus multum diſcuſſas, non noſtras facientes, brevitati magis ſtudendum arbitramur.

LXVII. Reſtat unus adhuc modus Adoptio, vetuſtioribus ſeculis haud incognita. Sed cum hodie valorem penè amiſerit, & apud illuſtres Perſonas vix ejus mentio fiat, non abſimile erit, Pacta ſucceſſoria, eorum loco contemplari, quibus id actum eſt, ut unius ſtirpe extincta, Patrimonium & Principatus, certâ ſucceſſionis lege ad alteram perveniret. Tale pactum initum novimus inter Saxoniæ Duces & Haſſiæ Landgravios, cujus inſtrumentum & verba ob formales literas probè annotanda, vid. apud Limn. l.4. cap. 8. Sic alias illuſtres Domos per pacta ejusmodi connexas, Carpz. de L. R. cap. 6. ſect. 7. refert. Briſſon. de form. l. 5.

LXVIII. Has autem Confraternitates (*die Erbverbrüderungen*, ut vulgò vocant) ſive fœdera Hæreditaria, an admitti conduceret, multi animis pependere, pluribus diſtracti rationibus, quæ negativam tuerentur; verum argumentis non imbecillioribus pro parte affirmante pugnantibus, validiora amplectimur, quæ in eo fundata ſunt, quod

tam Imperatoris, quam totius Imperii consensu suscepta, cui diffidere, quasi non ad publicum dirigeretur commodum, instar sacrilegii esset, præsertim cum in omnibus Imperii Recessibus & aliis sanctionibus, hæc apologia legatur: *GOtt dem Allerhöchsten zu Ehren und des gemeinen Wesens gesambten Aufferbauung*. innumeræ aliæ rationes, à Carpz. Dan. Ottone in Jur. Publ. oculis propositæ, nos hic breviores excusant.

LXIX. Hic subsistendum, & si quæ rudi Minervâ conscripta sunt, neque ad eam elaborata Elegantiam, ut lucem dignè mereantur, ingenii tenuitatem nobis subsidio fore confidimus, felicitati interim nobis ducentes, habuisse benevolum Lectorem.



XXIX.
LIBERTAS SENATORIA.

Libertas Senatoria describitur, lege & antiquitate valida ostenditur, & à cognatis rebus distinguitur.

INdicem quem nostra dissertatio sortita est, egregio rerum delectis & suis adeò vocabulis enuntiandarum artifici *Tacito* acceptum refert, quando hic Annalium suorum XIII. 49 magnum illum Thraseam, factum novissime SCtum, quo civitati Syracusanorum finitum gladiatoribus numerum egredi permittebatur, impugnantem, hanc obtrectatoribus sententiæ arguendæ materiem præbuisse tradit: *Cur, si Remp. egere LIBERTATE SENATORIA crederet, tam levia consectaretur?*

Ubi qualem Historicus Libertatem intellectam voluerit, cum quæ sequuntur ibi, tum alii ejusdem loci nos satis erudire possunt, scil. non illam in sententiis fortiter neque obnoxie dicendis fiduciam, quam παῤῥησίαν alias vocamus, quam-

quamque ſemper optimus quisque & offenſionum pro utilitate publica non pavidus, adeoque etiam non rarò Thraſea, aut iniquis Principum juſſis, aut perniciosis aliorum conſiliis opponere non dubitavit. Verum potius aliud & ſingulare quoddam curiæ Romanæ jus, quod inter cætera veteris Reipubl. ſimulacra initio relictum Senatoribus, à ſecutis verò Principibus paulatim imminutum, & denique plane ademptum eſt.

Ejus Juris modum, rationes, uſum in Republ. paulò diligentius in præſentia conſideraſſe, eo magis operæ fuerit, quod nullis hactenus, non nimis ſpecioſum, atque inſuper vix uni aut alteri veterum leviter perſtrictum argumentum, accuratè exequi vacavit. Illud ergò loco jam laudato tale nobis deſcribitur, tanquam quo *licuerit Patribus, quoties jus dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent exprimere,* (i. e. quod anteceſſerat, *de bello aut pace, de vectigalibus & legibus, quibusque aliis Romana continebantur, ſuadere diſſuadereve*) *relationemq; in ea poſtulare.* Alibi vero ab eodem Autore ſub perſona Tiberii, tanquam Jus, quo *à majoribus conceſſum fuerit, egredi aliquando relationem, &, quod in commune conducat, loco ſententiæ proferre.* Eſtq; idem illud, de quo Gellius alicubi loquitur, quando *Jus fuiſſe ſenatori* refert, *ut ſententiam rogatus, diceret ante quicquid vellet alius rei, & quoad vellet.* Atque id ex *Ateji Capitonis* lib. *de officio ſenatorio*, quem niſi invidiſſet nobis temporis malignitas, aut tam eleganti monumento idem pene fatum obtigiſſet cum aliis ſcriptoribus, quorum ſolum nomen, vel, ut adhuc felices fuerint, fragmenta quædam veneramur, foret certè, unde & pulcherrima quæque illuſtrandæ nobili huic materiæ haurire, & plura alia, quibus noſtra in his talibus cognitio perficeretur, depromere liceret.

A. 2. 38. 2.

N. A. IV. 10.

Et hoc ipſum quidem Jus ſolenni olim more in tabulas relatum, religione munitum, & vim in Republ. perpetuam obtinere juſſum, nec fortaſſe nudo tantum uſu ſenſim introductum eſſe, rationi conſentaneum maxime videtur. Licet enim ipſa ejus formula à nullo ex ſcriptoribus ad nos tranſmiſſa ſit, tamen ideo Patres abſque præſcripto ac authoritate certæ alicujus legis tantum in commune momenti habituram

ram potestatem adversante nullo in se trahere ac usurpare potuisse, verisimile non est, quum præsertim multa talia aut ab iis, qui reliqua nobis literarum monumentis conservarunt, interdum consulto prætermissa sint, aut temporum quoque injuriâ non multo post occiderint; imò etiam hodie, licet florentissimæ cuique ævi nostri Reipubl. haud desint, non tamen nisi raro ferè, innotescant. Sane C. *Plinius Secundus* jam tum suo seculo singillatim circa totum Jus Senatorium, quod
l. 8. ep. 14. publici partem esse asserit, conquestus est: *Priorum temporum servitutem, ut aliarum optimarum artium, sic etiam* ejus *oblivionem quandam & ignorationem induxisse.*

Quæ tamen utcunque sese habeant, interim satis antiqua libertatis nostræ primordia esse vel ex supra laudato *Taciti* loco apparet, qui à *majoribus* ea repetens, simul autem ibi, quare ab iisdem hoc in Senatores jus translatum fuerit, egregie ostendens, nequaquam illud temere coaluisse, sed deliberato cuncta consilio gesta, nec unâ ratione, ut publico decreto firmaretur, evictum & ipse tacite subinnuit, & nos etiam, post duas prius Libertates alias, quæ cum hac confundi forte possent, ab eâ distinctas, pluribus mox declarabimus.

Scilicet, si Patres non nisi rogati, & cum jus sententiæ dicendæ accepissent, h. e. ordine & loco suo hanc Libertatem nostram exercere poterant, per se satis liquet, esse eam aliquomodo diversam ab illa Libertate Senatoriâ, qua unusquisque etiam nondum sententiam rogatus postulare poterat, ut sibi de Republ. dicere liceret. Cujus equidem documentum pulcherrimum *Livius* duobus in locis suppeditat, &
3. 39. & 41. pr. in uno L. Valerium Potitum, licet prohibentibus minaciter Decemviris, acerrimum se tamen Juris ejus defensorem præbuisse; in altero etiam eundem suâ tandem pertinaciâ, ut, quæ vellet, dicere liceret extorsisse narrat.

3. 71. pr. Ubi tamen iis ipsis locis ex eodem *Livio* adhuc quendam alium, verum nihil minus quam παράλληλον, Magnus ille *Barn. Brissonius in suis form. solen.* incautius admiscuisse, obiter animadvertitur. Licet enim receptam & solennem illam vo-
l. 2. p. 135. cem *de Republ. dicere*, legamus, præter eam tamen prorsus nihil Juri illi simile occurret. Quippe quum nec, qui ea libertate usus

usus est, Scaptius, unus ex Patribus, aut ubi usus est, illud Senatus fuerit: Verum quilibet alia ibi omnia, adeoque in tributis populi comitiis plebejum quendam senem, cujus nullæ nisi solæ tum suffragii ferendi partes erant, consurgentem, nec jure ullo, nec exemplo, atque insuper invitis bonis omnibus, declamandi de Republ. licentiam sumpsisse sibi deprehendat.

Altera Libertas, quæ nobis sese offert ea est, quando scil. Jus erat, ut minores Magistratus, quamvis nondum Senatores, in senatu tamen Patres sui muneris admonere possent, quotiens quid contra leges in his rebus, quarum curam fidei illorum Pop. crediderat, aut gratiæ aliorum dari, aut potentiæ vidissent. Veluti apud *Plutarchum* Catonem posteriorem, cum adhuc Quæstor esset, nunquam non Senatui interfuisse in vit. c. 23. & legimus, hoc unum veritum, ne se absente artibus quorundam, quos ita hominum favorem emere consuesse noverat, aut ærario debita remitterentur, aut vectigalium aliqua portio periret. Quantum autem & hæc à nostra, ut quæ unice juri Senatorio & ordini annexa erat, differat, unusquisque, arbitror, facillimè animadvertet.

Origo Libertatis Senatoriæ & introducendæ ejus rationes explicantur.

Remotis ita, quæ commune quidem cum hoc Jure nostro nomen ferre poterant, de cætero autem aliquantum ab eodem deflectebant, propius nunc nobis accedendum, atque tum in causas quas ei originem dedisse credibile est, tum in reliquam constituentium διάθεσιν penitius introspiciendum erit.

Et hîc, veluti naturâ designante viam, ad illud statim instituti in civitate consilii publici principium deducimur. Quippe quum jam iis incrementis fortuna novæ Urbis sese extulisset, ut virium quidem ampliùs haud pœniteret, certorum tamen hominum, qui suâ prudentiâ feliciter easdem dispensare scirent, operam Respubl. requireret, tunc electis Senatoribus id munus datum, atque adeo injunctum est, ut ad ea, quæ felicitatem statui circumdare, vel accersere ruinam possent,

possent, nuspiam aversis oculis respicientes, tunc quando in commune eis consulendum foret, dictis cum fide sententiis, hæc quidem avertere, illa vero promovere laborarent. Additâ tamen simul officio huic religione, quâ constringerentur animi ob privatas cogitationes parum publico egregio intenti, atque interventu odii & gratiæ haud pauca forsitan silentio & dissimulatione transmissuri.

Utque suus disciplinæ honos etiam in curia constaret, ut ne quid confusè, aut per irritas contentiones tumultumve ibi gereretur, sed consideratè omnia, & modestè, & graviter pertractata consiliis vim, legibus robur, auctoritatem Patribus conciliarent, primo quidem Regibus, post ejectos vero illos, certis semper Magistratibus Senatum consulendi, & quum de Republ. tum de singulis negotiis ad eundem referendi cura incumbebat; ipsi vero Senatores loco, & ordine, & modo ad interrogata respondere certa lege cogebantur.

Hic jam consultandi ritus sicut & aptissimus, & summe necessarius expediendis rebus erat: Ita nondum satis eo ipso incolumitati publicæ prospectum videbatur: quia scil. frequenter fieri poterat, ut oblivione, ignorantiâ, aut interdum quoque vitio dictorum Magistratuum referretur minime de iis, quæ resciri tamen, & cum cura haberi, civitatis multum interesset: Atque tum cuiq; Senatorum etiam curioso talium, & memori, & patriæ cum maxime amanti reprimenda nihilominus fuisset oratio, eo quod sententiam de illis non interrogatus foret.

Quæ res, quantum de proposito muneris hujus, quantum de religione, quâ illud continebatur, detractura fuerit, quis non videt? Nempe frustra hîc Respubl. frustra Curia promissam fidem ab iis expectatura erat, qui ad alienam curam toti alligati & restricti, ne, licet inviti, interdum illam fallerent, in sua manu non habebant.

Ergo tunc à Regulâ excipiendi, imo novæ Regulæ condendæ oblata necessitas, & ut hoc impedimentum penitus removeretur, nec de facultate salutarium consiliorum quicquam Reipubl. decederet, Senatoribus id juris concessum est,

est, ut sententiam rogati non jam amplius oratione sua intra relationis fines sese continere cogerentur, verum egredi etiam aliquando illos, & si quæ alia in commune illis conducere visa forent, ea quàm liberrimè expromere, dicendo, quod vellent, illustrare, adeoque poscere, ut de iis ad Senatum referretur, possent.

In qua potestate quantum opis foret, vel tum præcipuè civitas & sentire potuit, & sensit, sicubi forte situm illud in relatione Magistratuum auxilium destituisset Rempublicam, sicubi illorum aut defecisset industria, aut vacillasset fides. Tunc nimirum surgere in Curia vidisses armatum illa Senatorum aliquem, qui seu ab externa vi, seu à civium perfidiâ, sive aliunde etiam impendere urbi periculum crederet, protinus audacter metus suos fateretur Patribus, protinus oratione acri atque valida partim aliorum incusando ignaviam, partim accendendo curam, ostentaret imminentis mali magnitudinem, enarraret seriem, extolleret fidem; & alibi quidem, ac in intestino scelere, expromeret, quos cognovisset socios, argueret suspectos, convinceret reos; alibi designaret hostium consilia, evolveret arcana, detegeret molimina; ubique vero aut ipse subjiceret aut ab aliis postularet remedia. Scilicet necesse erat eo maxime modo & præsentibus malis medicinam parari, & insimul fieri, ut licet ab illis, quorum fidei inprimis se & vigilantiæ crediderat, neglecta foret civitas, nova tamen ope hac subnixa non libertatis suæ minus, quàm salutis admodum secura degeret, ac si tandem tempestas aliqua incubuisset, eam haud dubie ab uno inter tot excubitores aliquantulum prævisam aut promptius declinaret, aut fortius exciperet, aut certe levius, & minori suâ clade sentiret.

Interim tamen extraordinarium hoc quasi præsidium erat, quod sicut ubi omnia per se à Magistratibus sincere provideque gerebantur, non æquè magnum usum in Republ. habebat, sed tanquam gladius in vagina reconditus, necessarioque demum tempore stringendus, aliquantum quiescebat: Ita comparari hac in parte non malè cum potestate illa videatur, quæ interdum extra ordinem decerni Magistratibus

 sole-

solebat, quando, in atroci scil. negotio, & desperatione omnium salutis, hâc solenni voce; *Darent Magistratus operam, ne quid Respubl. detrimenti caperet*, pronunciata, simul *per Senatum* eis, *exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atq; cives, domi militiæq; imperium atq; judicium summum habere, quarum* tamen *rerum nullius, sine populi jussu, Consuli* cæterisve Magistratibus *aliter jus erat*, dicente *Sallustio, permittebatur*.

Catil. c. 29.

Cæterum huic introducendi juris nostri rationi primariæ, quâ ut jam diximus, fortunæ & securitati civitatis non paulo melius provisum iri conditores ejus judicaverant; huic, inquam, præterea suffragabatur illud etiam, quod simul ita apparebat, singulorum provocari atque allici posse ingenia, ut majori cura bono publico intenderent, ut & sibi cogitandum sæpius de augmento ejus crederent, ut eo attentius, quicquid rerum hîc vel illic gereretur, observarent. Scilicet sicut haud dubie illic industriam languescere, socordiam verò augeri necessum erat, ubi non nisi de illis, quæ relatæ forent, vocem liberam emittere dabatur, ubi ab ingenio referentium curis omnium suspensis, ultra suis meditationibus ascendere, neque usum publicè, nec privatim gloriam habebat: Ita è contrario tunc ubi ex concessa Senatoribus quidvis in commune proferendi licentia majus affulgere lumen Curiæ cœpisset continuo unius quoque aut alterius feliciter exercita Libertas in exemplum apud reliquos itura, tunc quasi exposita cuilibet de civitate optime merendi gloria semper inventura æmulos, atque adeo pulcherrimum certamen excitatura videbatur inter anxios, ne fortasse minus ipsis patria, quàm aliis deberet.

Quæ res sicuti ad robur atque decus publicis consiliis parandum plurimum valebat: Ita adhuc aliud quidpiam, neque minus salutare ab usu Libertatis hujus Senatoriæ expectandum erat. Nempe illud, quod ita eorum Magistratuum, qui jus referendi sibi vindicabant, partim quoque acui posset sedulitas, partim temperari potestas.

Quoad primum quidem, quum dicti Magistratus sibi potissimum urbem ac imperium, omniumque in eo fortunas custodiendi arduum ac difficile onus impositum scirent, quum à se

à se majus aliquid excelsiusque, quàm à cæteris, atque adeo non levem aliquam, sed acrem, assiduam, indefessam in Rep. gerenda solertiam requiri satis cognitum haberent, nisi jam aut minus tantæ molis capaces, aut sui officii immemores, aut aliis charitate in patriam inferiores suspectari vellent, necessario omnes curas, omnes cogitationes suas eo, quantum poterat, impendere debebant, ut non magis alii, quam ipsi ingenio studioque suo civitatis commoda juvare viderentur: sicut, ubi egredi relationem, &, quæ vellent, promere negatum Senatoribus fuisset, tuto omnium incuriosi instantia atque futura pari ignorantiâ ac oblivione transmittere poterant, neminem è Patribus admonitione suâ tacitave exprobratione molestum ipsis fore certi & securi.

Quoad alterum vero, satis scil. infringebatur nimia illorum potentia, qui nihil soli rerum gerere, qui occulti nihil, nihil clausi etiam habere, non dissimulare longius, aut præterire quicquam inter tot observatores jam valebant: sed cum cœteris communicatâ potestate primo quoque tempore omnia sincere candideque exponere, aut, ne forte intellectâ fraude publice ab aliis silentii argueretur sui pravitas, vereri cogebantur. Quod rursus tamen, absque jure hoc fuisset, vix sperandum erat, quum nisi metu aliquo retineatur, frequens esse malis artibus soleat natura mortalium.

Tandem præter illa jam enumerata bona, queîs Libertas nostra Rempubl. mactare poterat, etiam auctoritati Patribus conciliandæ inservire credebatur. Cùm enim indubiè muneri huic Senatorio multa cura adjuncta foret, multi ingentes labores, eo autem demum labor atque cura impendi soleat, unde emolumentum honosve speratur, ideo amplificandam quoque ejus dignitatem apparebat, quæ ut antea, quum Senatores ad interrogata tantum respondebant, non æque speciosa erat: ita nunc, posteaquam illi liberam de rebus cunctis in Senatu disserendi, & relationem quoque postulandi facultatem impetrassent, insigni virium accessione factâ maxime illustris, atque adeo ipsorum Magistratuum splendori aliquo modo in Curia æqualis reddebatur.

Ubi tamen egregium Libertatis hujus temperamentum

in eo agnoſcimus, quod non ſtatim orationis ſuæ pondere & argumentis penetrare, & quæcunq; vellent, obtinere poterant, ſed quando ea perfici optarent, ut de illis ad Senatum referretur, prius petere debebant. Nam quod iſte tanquam publici conſilii dominus creviſſet, id demum vim ac robur in Republ. accipiebat.

Quæ ſcilicet omnia, hactenus à nobis latius deducta, ejus generis ſunt, ut quamvis nullus unquam Legislator tale quid ſanxiſſet, nihilo ſecius tamen in quavis bene conſtituta Rep. perpetuo valere deberent, quum & naturalis æquitas ea præcipiat, & civitatis incolumitas depoſcat.

In quibus rebus Libertas Senatoria valere debeat, disquiritur.

Poſtquam vero ea conſideravimus, quæ primos Libertatis hujus autores in conſtituendâ eâ reſpexiſſe, vero nihil abhorrebat, ſupereſt, ut etiam, quibuſnam proprie in cauſis & negotiis illa ipſa locum invenire, vimque ſuam & authoritatem Reipubl. præſtare debeat, aut poſſit, adhuc amplius diſpiciamus.

Tacito hîc noſtro, maxima quæq; rerum in oculis ſunt, atque ideo in loco illo, quem ut genuinam hujus argumenti ſedem ſtatim ab initio laudavimus, partim ea exempla, circa quæ absque inſigni in publicum aut damno, aut emolumento, neq; ſuſcipitur facile quicquam, neq; negligitur, enumerat; partim quoque reliquis, quæ enumerare omnia ſupervacuum duxerat, ipſum contineri imperium affirmat.

Nec apud *eundem* ſcriptâ ad Senatum epiſtola Tiberius velle aliud videtur, quando poſteaquam primum omnium ædiles aucto in immenſum luxui remedia poſcentes, utrum ex merito, an magis ex uſu dominationis hîc jam non diſquiritur, aliquantum perſtrinxiſſet, in hæc verba denique erumpit: *Quantulum iſtud eſt, de quo ædiles admonent! Quam ſi cætera reſpicias, in levi habendum! At hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita Pop. Rom. per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur. &c. Hanc P. C. curam ſuſtinet Princeps, hæc omiſſa funditus Remp. trahet.*

Scili-

Scilicet nil aliud hîc ille, quàm præcipuum dignissimumq; argumentum Libertatis Senatoriæ designat, idque ipsum allato similiter in medium egregio exemplo tale repræsentat, quale non leviora quæque, sed salutem populi, æternitatem imperii, atque adeo utramque Reipubl. fortunam propius nonnihil reliquis spectantia complectatur.

Et certe, si cum finem primarium, tum usum quoq; Juris hujus legitimum intuearis, vix aliter debere fieri censeas, quàm ut iis fere solum rebus, quæ ad felicitatem publicam tuendam quam plurimum momenti habent, à prudenti Senatore applicetur. Cum enim hoc, ut supra etiam jam dictum est, extraordinarium aliquid, aut certe subsidiarium sit, nunquam huc descendendum erit, nisi ubi ordinaria omnia auxilia Remp. deficiunt, cæteriq; quorum consiliis juvanda erat, aut plane nulla ejus cura agunt, aut pars imprudentiâ, pars studio, pars interdum metu quoque, tale quid silentio vel levi murmure transmittunt, quod neglectum aut interpellare prosperos successus, aut ingentibus damnis præbere materiam, si non in præsens, certe olim aliquando possit.

Aliter si fiat, ac omissâ maximarum rerum curâ ad minima vel aliis remediis facile coërcenda extendatur hæc Libertas, nec constituentiũ proposito sua satis ratio constabit, & cum hinc sperato fructu omnis etiam tanti Juris splendor atq; dignitas occumbet. Quod ipsum in primario & modo citato *Taciti* nostri loco cùm Thrasea transmitteret, præscriptos nonnihil limites excessit, & sic illam ipsam obtrectatorum suorum censuram meruisse aliquo modo videri potuit.

Inter illa tamen, quæ in argumentum Libertatis hujus Senatoriæ ut veniant, præcipue merentur, ipse Status Reip. & forma adeoque ea quæ aut perpetuitatem illi atque robur addere, aut ruinam quoque & perniciem accelerare possint, locum hic tenere principem merito videntur.

Scil. quum raro absq; clade quadam publicâ & perturbatione omnium magnarum conversiones rerum fiant, præsentem suæ civitatis statum, qualemcunq; etiam, amare & si quæ adversus eum comparata credi possint, illis quantum equidem in ipso fuerit intervertendis occupatum esse, alias quoq; boni ci-

vis est. Interim verò tamen ea omnia, quæ decere bonum civem, quæ curas ejus instruere possunt, excellentiore modo quodam senatori conveniunt, qui tanquam præstantior ex cæteris electus, ut vigiliâ, labore, industriâ & occupatione suâ somnos, otium, delicias, vacationem omnium defendat, nunquam sanè tanti nominis mensuram feliciter implebit, nisi eo etiam inprimis curam omnem atq; animum intendat, quo pacto ea, quæ tranquillitati publicæ, quâ singulorum quoq; salus continetur, aliquando officere possint, atq; adeo huc præcipue spectantia hominũ potentium, & quibus nulla fere Resp. caruit, ambitiosorum consilia, artes, molimina maturè & deprehendat, & oculis etiam omnium ac conspectui in Curiâ exponat.

Maturè, inquam; nam quæ tardè monentur, plerumque sero monentur, & malum, quod, dum adhuc nascitur, nullo negotio oppresseris; si insuper habeas, paulatim vires sumit, & in formidandam deniq; magnitudinem excrescit. Hucq; spectat maximè elegans quidã *Aristotelis* locus, ubi curam Reip. gerentes nocturnis vigilibus, tanquam procul visa & audita prope annuntiantibus comparans: Δεῖ, inqit, *τοὺς τῆς πολιτείας φροντίζοντας φόβους παρασκευάζειν, ἵνα φυλάττωσι καὶ μὴ καταλύωσιν, ὥσπερ νυκτερινὴν φυλακὴν, τὴν τῆς πολιτείας τήρησιν καὶ τὸ πόῤῥω ἐγγὺς ποιεῖν.*

Pol. 5. 8.

Quid? quod hoc ipsum Civilis Prudentiæ, veræ scilicet Senatoriæ virtutis, & cujus proprium maxime munus, recte consulere, præscriptum sit; habere explorata ratione, provisa consilio, præmeditata cautionibus, quæ hac viâ ad eversionem Reip. incedunt, teste rursus *Aristotele* cit. loco, quando de hac ipsa mutationum causa loquens: *τὸ ἐν ἀρχῇ γινόμενον κακὸν γνῶναι οὐ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ πολιτικοῦ ἀνδρός*, inquit.

Et hanc etiam gloriam egregius quisq; veterum sibi semper vindicare cupiens, in tali maxime negotio, si dabatur casus, Libertatem sibi senatoriam exercendam duxit: quos inter in Romanâ quidem Rep. qua nulla unquam bonis exemplis ditior fuit, *Cato* atq; *Cicero* præcellunt: ex quibus *ille* C. Cæsaris adhuc in Gallia bellantis periculosas libertati cogitationes & destinata omnia, non tanquam inimicus, sed quasi unus inter conjuratos & participes fuisset, dicente *Plutarcho*, exposuit: hic haud dubiam patriæ servitutem molientem Antonium, ut primus intelle-

tellexit, ita quoque postea non tacuit, sed continuis actionibus in Senatu publicè, inspiciendum civitatis hostem dedit.

Aliam nec minus pulcram usurpandæ Libertati tali occasionem suppeditare poterit enata forte alicubi facilis Bello inchoando materia. Ubi quoniam fortuna per omnia humana, maxime tamen in res bellicas potens, & ob id ipsum de eventu, qui nusquam minus, quàm in his respondet, nemo satis callidus, satisq; prudens est, jure suo optime utetur, qui omissis præcipitib. tuta atq; salutaria capessere monebit. Tuta autem nunc vocabimus, quibus & armorũ justitiæ satis cautum, & periculis quoq; ex eventu forte minus prospero oborituris, quantum quidem humano consilio provideri possit, via præsepta sit.

Si ergo ambiguum Jus belli, neq; satis exploratum fuerit, rectissime fecerit, qui hic constanter reclamaverit. Nam quum & de jure suo, quamvis satis cognito & comperto, interdum tamen decedere magis conveniat, ceu amplius docet *Hugo Grotius* de I. B. & P. quàm ob triumphi honorem aut potentiæ au- l. 2. c. 24 pr.
gendæ, aut explendæ ultioni quoq; iis, sine quibus nullum bellum cogitari potest, miseriis cives involvere, adeoq; eo descendere, ut, quod est apud *Tacitum*; *aut perire, aut, quod æque apud bonos miserum est, occidere necesse sit*: quanto magis, ubi frons causarum non satis honesta fuerit, mitioribus remediis agendum, aut verendum erit, ne fiat illud, quod senator Carthaginensis Hanno in elegantissimâ illa apud *Livium* oratione, civibus suis priori bello Punico non imerito accidisse testatur: ut sc. *eventus belli, velut justus judex, unde jus stabat, ei victoriam daret.* Idq; præsertim in bello civili, ubi & alterum, certissimum scil. ex eo, quocunque etiam eventu, periculum accedit. H. 1. 29. 5. XXI. 10.

Quo quidem nomine satis celebre magni Hospitalii in Gallia exemplum est, qui superiori sæculo hac in causa Libertatem Senatoriam egregiè exercuit, & pernicioso cuidam Reginæ Catharinæ à Lotharingo Cardinale, turbidi & violenti ingenii homine, persuasæ consilio, quo *regni causam prodi, pacis vias intercludi, bellique injustissimi necessitatem imponi*, haud vane augurabatur, acerrime, quanquam nullo cum successu, contradixit; referente *Thuano*, apud quem etiam liberrima, & in eodem argumento occupata Pauli Foxii ad Henricum III. G. R. oratio legi omnino meretur. lib. 42. pr. 468. l. 59. pr.

Cæte-

Cæterum, quod circa ſuſcipiendum bellum modo dictum fuit, nempe aptam prorſus hoc Jure utendi materiam illud ſenatori ſufficere poſſe, idem circa arduum ſive ineundæ, ſive abnuendæ pacis negotium ſalubriter tractandum ſuo merito valebit.

Quot enim, quæſo, & quam efficaces in publicum cauſas hîc offerre ſe neceſſe eſt, quæ modo ſuadendi, modo diſſuadendi etiam neceſſitatem viris patriæ amantibus injungat! Non repetam hoc loco, quare abſq; evidenti Jure, atq; adeo, quandiu mollioribus conſultis adhuc locus quidā ſupereſt, nec adverſarii extrema pertinacia omnem coituræ rei ſpem abſumpſit, turbare compoſita, & victoriā quam pacem malle, non iniquum modo, ſed & anceps, ac propterea à nullo ex cordatioribus alicujus Reip. conſiliariis probandum ſit: dicam tantum illud, etiam comiſſo ſemel bello, nunquā tamen adeo de illo proſequendo Senatori cogitandum eſſe, quin ſimul perpetuo ad pacem primâ quaq; occaſione reducendam ab eodē oculos adjiciatur.

Fac ita: vi magis ab initio, quàm cauſâ, ab alterutrâ partium, vel interdum etiam utraq; actum eſſe: interim verò paribus fere utrinq; incomodis acceptis, neutram adhuc ſibi diffidere, aut bello imparem videri; nonne tunc egregium Senatorem decuerit, optimum illud, &, ut *Caſar* inquit, *pene unicum tempus de pace agendi* non tranſmittere, ſed de eo ocyus arripiendo reliquos indeſinenter admonere?

B. C. 3. 10.

Rurſum indulſerit alteri nonnihil fortuna, & plures Victorias in ſinum ejus congerendo ferociorem hoſtis animum haud parum imminuerit: quam benè hic mihi aliquis generoſum prudentiſſimi illius & modo laudati Hannonis in Curia Carthaginenſi exemplum ſecutus, Libertatis Senatoriæ adhibebit remedium, & ſucceſſu nimio tumentibus aliis: *Si hoc tempus prætermittimus*, clamabit, *quo dare magis, quam accipere poſſumus videri pacem, vereor, ne hæc lætitia luxuriet nobis, ac vana evadat.*

Liv. XXIII. 12.

Quid ſi ex *unâ* parte nuſquam interruptis ſucceſſibus auctus, & non uno aut altero prælio, ſed pene bello victor ferociter incumbat; ex *alterâ* victis non vires, non ſubſidia, ſed adverſa omnia, & jam nihil amplius, quam, quâ aut ultionem ſibi pariat, aut finem, dextra cuiq; ſua relicta ſit: annon verò & tunc utro-

utrobique pacem suasisse, boni civis & Senatoris præcipuè gloria fuerit? *Ibi* quidem ea ratione, quod præter notum illud: *Bellorum egregii fines, quotiens ignoscendo* vel etiam paciscendo, *transigitur*; non facile quoq; victis hostibus ad desperationem usque insistendum sit, cum eâ ipsâ non audacia in iis magis, quàm rabies accendatur; *Hic* verò, quod necessitatis deniq; imperio parere, & quavis tutâ conditione absolvere bellum præster, quàm frustra renitendo se & sua omnia in casum dare. Tac. XII. 19. 3.

Modo tamen ea pax non nimis dura ac acerba fuerit. Nam tunc interdum illud quoque obtinuerit: *Cum dignitate potius cadendum, quàm cum ignominiâ serviendum esse*, ceu *Cic.* ait, qui egregium cùm in Philippicis suis, tum in illa etiam pulcherrimâ apud *Dionem* oratione, quando pacem Libertate Senatoriâ dissuadere conveniat, documentum dedit. Philip. 3. c. 14.

Scilicet, ut hìc ejus verbis utar, quando *facta pax non erit pax, sed pactio servitutis*; quando *pacis nomine bellum involutum*; quando *cum* eo hoste certamen fuerit, *quo cum nulla pacis ratio esse possit*, sed *in quo sit incredibilis crudelitas, fides nulla, qui non tàm servitutem alienam, quàm sanguinem concupiscat, cui nullus jucundior ludus sit, quàm cruor, quàm cædes, & ante oculos trucidatio civium.* Tunc nimirum speciosa illa & irrita otii ac concordiæ vocabula detestari, tunc arcanam illam fraudis & fallaciarum scenam evolvere, & quàm sibi initio fidem præstruere dolus soleat, ut tandem cum mercede magnâ fallat, alios docere, pulcherrimus Libertatis hujus effectus erit. Phil 12. c. 6. Phil. 7. c. 6. Phil. 4. c. 6. & 5.

Sed nimirum ut de reliquis quoque, quæ inter Libertatis Senatoriæ argumenta maximè eminent, breviter agamus opus est. Et hic quidem Legum etiam magna merito ratio habetur. Cum enim ab illis salus civitatis dependeat, eodemque plane fato Resp. nunc æquabili fortunâ, nunc in præcipiti agat, prout hæ aut bono in usu aut vicissim oblivione vel contemptu abolitæ fuerint: ideo etiam Senatorum quisque se assiduum illis custodem appositum sciat, neque unquam harum causam è publica dividat, aut sejungat. Si ita suadenda nova Lex aut dissuadenda fuerit, illustre exemplum *Thraseæ* circa faciendum novum SCtum apud *Tacit.* aut *Ciceronis* circa ll. Maniliam & Serviliam de agris dividundis (licet *hic* circa priorem defen- XV. 20. 3 seq.

Diol. 36. dendam cogitationibus privatis multum dederit) imitabitur. Si retinendam fortè in Republ. crediderit, quæ abroganda postuletur, *M. Porc. Catonem* circa l. Oppiam, apud *Livium*, & XXXIV. 2. *C. Cassium*, circa morem quendam veterem tuendum, apud *Ta-* XIV. 42. *citum* sequetur.

Est & ubi abrogari, interpretari, restaurari, corrigi, augeri leges oporteat. Ubique ibi optimus quisque ea, quæ ipsi è Republ. videbuntur, promere, muneris sui judicabit. Præsertim tamen hoc remedio adhibito quàm maximè cavebit, ne suâ auctoritate leges spolientur, ne aut plane nullum iis telum, aut forte tale tribuatur, quod sperni facillime possit. Quippe satius esse, nullas leges ferre, quàm eas, quæ contemni possint, aut quarum injuriam nemo ulciscatur, Imp. Ti- A. 3. 54. 4. berius eleganti ratione ostendit, quando apud *Tacit. Si velis*, inquit, *quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere, at si probibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est.*

Præivit autem hac in parte cuique bono Senatori exemplo suo *Libanius Sophista*, quando inter alias Orationem quoque *περὶ τῶν προςασιῶν*, seu de *Patrociniis* ad Theodosium M. Imp. composuit, eaque legem jam prius ab eodem Imp. contra illa Patrocinia conditam pœnâ propositâ sanciendam, & ita in effectum vere traducendam suasit. Quanquam enim ab administratione Reipubl. forte abfuerit hic Libanius, non tamen ex eo genere Sophistarum erat, quod forensia saltem argumenta in scholis tractabat, sed ex alio quodam πολιτικωτάτῳ & quod, ubicunque opus erat, consulere salutari voce imperio ad curam pertinere suam & sollicitudinem credebat; ceu de hoc ipso amplius consuli potest Jacobus Gothofredus in præfatione, quam editis ab se aliquot Libanii hujus orationibus præmisit.

Legibus benè adduntur Judicia, ut absque quorum vi & majestate fuerit, vanum illarum in Republ. auxilium futurum sit. Cùm tamen & hîc haud raro accidat, ut inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nasci oportebat, & nisi integerrimus quisq; exercendis judiciis delectis, pari quoq; sanctitate in iisdem agat, legum etiam autoritatem non tam per ea conservari, quam imminui necesse sit; Senatori quoque hoc

hoc in loco meminisse Libertatis suæ, & sive muneri huic homines, à quibus non nisi prava quæque expectare possis, destinari sive etiam ab iis, qui jam degunt in officio, vel eorum quoque assessoribus, seu consiliariis subverti jura, precibusq; aut pretio omnia pervia reddi conspiciat, tollere publicè vocem, ac in ejusmodi abusus declamare conveniet, insignibus rursum exemplis ad hoc ipsum excitando: quorum alterum ejusdem *Libanii*, qui similiter egregiam *κατὰ τῶν προσεδρευόντων τοῖς ἄρχουσι*, seu adversus assessores Magistratuum orationem Juliano Imp. inscripsit: alterum Q. *Aurelij Symmachi* est, qui l. 10. ep. 7. datis ejusdem fere argumenti literis ad Theodosium Aug. eundem ad mandanda melioribus viris officia talia excitavit.

Causa, in qua usus Juris nostri maximus & satis frequens esse possit, etiam illa est; si vectigalium augendorum spes, vel dissolvendorum metus prudenti Senatori forsitan oboriatur. Tunc enim hos nervos esse Reip. neque aliunde vel ornamenta paci, vel subsidia bello quæri posse cogitans, ita tamen hîc versabitur, ut cùm ratio quæstuum, tum necessitas erogationum inter se conveniant, neque cum injuria subditorum augeatur ærarium, neque diminutis imperii fructibus etiam illud paulatim dissolvatur. Cætera, quæ tractando huic argumento faciant, & Cic. pro l. Maniliâ, & egregius *Taciti* locus, ubi Neronis, an cuncta vectigalia omitti juberet, dubitantis imperiū attinuisse senatores refert, cuivis suggerere valebunt. XIII. 50. 1.

His tamen, quæ hucusque allata sunt, & corruptos quoque civitatis mores non immerito jungas. Nam & hi orationem Senatoris satis amplis copiis instruere semper poterunt, & olim quoque integerrimis viris præcipuè digni visi sunt, in quos acerrime in Curia inveherentur. Cato de se ipso hoc apud *Sallustium* testatur, & quasi Libertate hac potissimum in causa adhibitâ gloriari velit: *Sepenumero*, inquit, *P. C. multa verba in hoc ordine feci, sapè de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortales eâ causâ adversos habeo &c.* Neq; minus apud *Tacitum* exemplum Octavii Frontonis hoc nomine laudari posset, nisi ille ob minus tempestive cœptum hoc negotium alias non parum reprehendi meruisset; de quo ipso tamen in tempore memorabimus. Catil. 52. A. 2. 33.

Et hæc quidem præcipua fere argumenta Libertatis Senatoriæ visa sunt, circa quæ tamen omnia, ea semper adhibenda cautio est, ut discrimen quoddam inter ea, quæ incolumitatem Reip. & quæ potentiam spectant, assidue servetur. illa quam liberrime promenda neque unquam reticenda erunt: hæc vero justo moderamine indigent, & circumspectè admodum tractari volunt, quia scil. & Juris facilè hîc limites migres, aut diuturno bello, aliisque malis Rempubl. implices, aut si consiliis eventus non responderit, ipse tibi periculum odiumve concilies.

Ubi quoad primum quidem, & quàm facile boni alicujus specie ab honestate, & interdum etiam prudentiâ deflecti possit, notissimum alias Catonis Censorii exemplum docere potest, qui paulo ante Punicum bellum tertium quacunque etiam de re sententiam in Curiâ rogatus, nunquam tamen non: *Et Carthaginem videri sibi exscindendam esse*, suo adjicere suffragio solebat.

Plutarch. in vit. c. 51. & Flor. 2, 15. 4.

Erat hoc consilium, quo non tam incolumitati Romanæ, cui per leges pacis præcedente bello dictas, satis à Carthagine prospectum erat; quàm potentiæ, cui tot Regibus devictis jam nihil fere præter unam illam Urbem amplius obstabat, cavebatur; adeoque nec ita pertinaciter à Catone urgeri, nec quoque à Romanis statim approbari, & simul de eo quamprimum exequendo cogitatio suscipi debebat.

Verum nescio quomodo interdum consilia calida præ cautis magis placent, præsertim si de imperio, cujus alias avida est natura mortalium, extendendo agatur. Ideoque cum in hoc nostro & illud accederet, quod non nimis arduum effectu videbatur, facile ratio ejus, & in tantum quidem apud animos priorũ cladium memoria infensos valuit, ut mox contra ipsa belli jura, quæ majores eorum *non juste minus, quam fortiter gerenda esse* jactaverant, dediditios jam suos Carthaginienses bello aggredi, mox traditâ etiam classe omnia justè imperata facturos, insuper ut migrarent finibus, quod prius tamen ipsi in Saguntinorum causa nunquam satis in Annibale reprehendere potuerant, cogere non vererentur.

Liv. 5, 27.

Ubi quidem illis acerbitate rei hujus ad omnia extrema auden-

audenda accensis, mox cum obsidioni amplius ferendæ impares essent, manibus propriis in suam Urbem furentibus maturum exitium venit: Romanis verò statim post Carthaginem excisam, quam hic imprudenter etiam præ minus quidem specioso, salubriori tamen Scipionis illius Nasicæ, qui Catoni semper contradicere, & eadem prorsus Libertate singulis suis sententiis, Carthagini parcendum esse, addere solebat consilio, læta sane in præsens, sed olim exitio futura elegissent, apparere cœpit. Quippe metu hujus æmulæ ablato nimia continuo felicitas occulta illa vitia in securius peccante populo aperuit, & post inde orientium civilium bellorum crebra tentamenta urbs tot gentium prædatrix ipsa suis denique in prædam civibus concessit; pulcherrimo divinæ providentiæ consilio, quæ maxima quæque imperia eversionem atque vastitatem aliis moliri permittit, donec tandem, justitiâ fati ad impotentes possessores revertente, etiam ipsa aut suis, aut aliorum manibus evertantur.

Alias cum hoc singulari Libertatis Senatoriæ à Catone exercitæ exemplo prorsus illud ex recentioribus, Marchionis nimirum Ambrosii Spinolæ convenit, qui, dum anno hujus seculi 28. Rupella à Ludovico XIII. G. R. obsidebatur, nunquam in Catholici Regis conclave vocatus fuit, quin, qualiacunque etiam consultanda proponerentur, ipse tamen statim in hæc verba sententiam promeret: Ego Rupellam liberari oportere existimo: ut *Gramondus* docet. l. 18. p. 770. & 771.

Quando exercenda sit Libertas hæc, amplius exponitur.

Sed nimirum satis jam de iis dictum est, quæ per Libertatem hanc præ aliis tractari posse, & debere credebamus; ergo nunc ad alia pergendum, & quo tempore illam ipsam adhiberi deceat, breviter videndum erit.

Ubi præter illud, quod prudentem Senatorem minime latere debet, multum interesse, utrum idem illud ante, an post; sic, vel aliter affectis animis dicatur; Sciendum etiam est; omni quidem tempore hanc Libertatem exercendam

 esse,

esse, quo quidam ejus esse usus possit; interim vero egregiam præcipue occasionem usurpandæ ei patefieri, quando reliqui consiliarii privatis stimulationibus decus publicum posthabent; ut olim Xerxe in Græcos, Dario contra Alexandrum expeditionem parantibus acciderat, ubi Demaratus Lacedæmonius,& ad ejus exemplum Charidemus Atheniensis soli ferè quâ liberrimas sententias dixerunt, Item, quando vasta & periculosa consilia agitantur, quando infirmatis legibus, status mutatio portenditur, quando Respubl. aut corrumpi metuit, aut fortasse jam incipit; vel corrupta quoque emendanda iterum ac restauranda venit, aliisque quamplurimis vicibus, quarum partim quoque in superioribus fieri mentio debuit, omnes verò recensere nec facile, nec etiam necesse sit.

v. Senec. 6. de benef. 31. & Curt. 5. 2. 11.

Referri tamen etiam huc possunt opportuni maximè Libertati huic nostræ transitus rerum, & mutationes Principum. Tunc enim haud raro, quæ diu premebantur, erumpere licet, estque *optimus post malum* præsertim *Principem dies primus*; ceu in eadem fere causa Curtius Montanus inquit apud *Tacitum*, qui hujus ipsius rei elegans specimen in Helvidio Prisco, atque Eprio Marcello *alio* quodam loco annotavit.

H. IV. 42. 12.
H. IV. 7. & 8.

Quin & unum præ altero seculum Libertatis Senatoriæ magis capax esse solet, & sicut interdum tam sæva & infesta scriptoribus tempora currere videas, quibus etiam vera dicere periculosum sit: ita rursus aliquando ea, ævi alicujus felicitas est, ubi, ut *Tacitus* loquitur, *& sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere liceat.* Quod ipsum exemplo suo docuere Fr. Petrarcha, Dantes Aligerius, Johannes Bocatius, & alii, qui in media Italia, concessâ, ut *Thuanus* notat, seculo illi libertate, Curiæ Romanæ mores, & libidines amarulente satis carpere in scriptis suis soliti, impune hanc audaciam tulerunt, cùm tamen posteriores gentis ejus scriptores quam plurimum de illâ vitia adeò nimis ex propinquo arguendi licentiâ remittere coacti sint.

H. I. 1. 16.
l. 82. p. 48.

Verumenimvero ante omnia hoc loco circa temporum discrimina quam maxime providendum erit, ne tum hac Libertate uti quis præsumat, quando nulla uspiam effectûs alicujus spes affulserit, & irritandis magis, quàm in melius flecten-

rendis mentibus remedium hoc valiturum sit. Estque huc potissimum trahendum nobile illud & paulo ante huc dilatum Octavii Frontonis exemplum, quem *Tacitus* Tiberii temporibus post multa in Senatu contra luxum civitatis dicta, *modum* denique *suppellectili, argento, familiæ* postulasse refert. A. 2. 33. 2.
Ne enim nunc de ejus proposito dicam, quod etiam tale esse potuisse, ut invidiam creare aliis, Principique quosdam invisos sibi subvertendi, accusatoribus clarissimo cuique periculum facessendi materiam ita præbere voluerit, & arrepta ex miserrimo Libonis, quem irâ Tiberii pressum non ignorabat, exitu occasio, & socius quoque in hoc negotio ejus Q. Haterius, fœdissimæ adulationis senex, pene credere jubeant: tamen, absque hoc sit, tantam hac in postulatione negligentiam ostendit, ut non tantum non, quod hic maxime spectamus, eo tempore, quo, cum luxus in immensum ad cuncta, queîs pecunia prodigitur, erupisset, vix etiam nisi quam asperrimis remediis sisti poterat: verum insuper nec in illâ civitate, in qua corrumpere & corrumpi, perdere & perire seculum vocabatur; nec inter hos, qui maximam partem eo ipso morbo laborabant; nec sub Principe denique ex ὑποθέσει quadam tyrannicâ dominationi suæ, si circa talia detinerentur subditi, conducere credente, verba sese de majorum in luxu coërcendo institutis facere, scivisse aut cogitasse videatur.

Certè ipse Tiberius posteà apud *eundem* scriptorem, sive vero sive simulato etiam exemplo suo, unicuique, qui in argumentis talibus prudenter & feliciter versari velit, pensitandum prius esse satis docuit: *An coërceri* illa, quibus remedia quæruntur, *possint; num coërcitio plus damni in Rempubl. latura sit; quam indecorum quoque attrectare, quod non obtineatur; aut retentum ignominiam ac infamiam virorum illustrium poscat*; & similia, quæ pro diversitate rerum diversa sunt, in unum tamen fere à Muciano collecta in initio magnificæ istius orationis, quâ Vespasianum ad imperium capessendum hortatus, ita infit: *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipubl. utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit.* Et si quidem vel de successu desperare necessum, vel majus adhuc malum metuendum

A. 3. 52. 4.

Tac. H. 2. 76. 2.

dum

dum fuerit, certe pertinax custodire silentium, & omittere talia melius erit, quàm intempestivis & inanibus clamoribus adulta validaque vitia accendere, ac tandem hoc assequi, ut palam fiat, quibus emendandis impares simus: sicut fere Imp.
Id. A, 3. 53. 2. Tiberius in quadam suarum Epistolarum ad Senatum inquit.

Quibus Libertas Senatoria permissa sit, & an ad solos Senatores pertineat, exemplis etiam aliquot subjectis, declaratur.

Vidimus hactenus & Originem Juris hujus, & causas præcipuas, in quibus usui esse, & tempus, quo maxime opportune exerceri possit: verum jam ad eos, quibus id permissum sit, transibimus, ac cum supra Senatoribus illud attribuerimus, an itaque ad solos illos restringi debeat, inquiremus.

Et hîc quidem ante omnia notandum, quod Libertas Senatoria vel Lege quadam sancita sit, vel nulla Lex eam describat ac definiat. Ubi nulla Lex adfuerit, ibi omnino ipsa Reipubl. cui talibus remediis sæpissime consultum esse constat, necessitudo excitare debet bonos cives, ut curam suam & sollicitudinem pro communibus commodis promant; idque etiam apud plerasque gentes obtinuisse manifestum est. Nisi quod, si forsitan ad hanc necessitudinem accedat etiam officii religio, eo magis obligari unumquemque ad hanc operam Reipubl. præstandam facile pateat; sin minus, ipsa civilis conditionis pietas sufficere videatur.

Ubi lex adfuerit, tacitâ exceptione caveri videtur, ut tacentibus quibus Lex permittit loqui, alii viri cordati loquantur, quando scilicet tempora Reipubl. tali præsidio indigere vident. Quippe ut in cæteris Rerumpublicarum fatis; ita etiam in moribus artibusque hominum, qui earum gubernaculis admoti sunt, quædam vicissitudo est. Potest fieri, ut quos Lex Libertatis hujus exercitio destinavit, Senatores Reip. & consiliarii deficiant ingenio, destituantur constantiâ, labascant verecundiâ; aut privato etiam affectu & mutuis interdum concertationibus in diversum abrepti non pervideant facile verum, & insuper etiam corrumpant. An ergo tunc in evi-

in evidenti Reip. discrimine tacere, ac tanquam nihil talia ad eam pertinerent, eventum secure opperiri, viro gravi & prudenti satis pulchrum aut honestum erit? Non putem; si ulla, vel parvula, spes superet, excitari posse ciuium reliquorum animos ad cavendum aut propulsandum commune periculum. Sicut enim in certis causis quivis ciuis miles est: Ita etiam in certis causis quiuis bonus civis Senatoris aut Consiliarii munia usurpare potest.

Parauit certe sibi præcedenti seculo, hanc cum ciuis boni, tum viri prudentis gloriam, in Germania nostra, illustribus alias in eam & peculiariter in hanc Argentinam meritis conspicuus, Joannes Sleidanus: quando duabus Orationibus, & unâ quidem ad Carolum Imp. altera ad Ordines Imperii compositâ, rejicienda utrobique sanguinaria Pontificis Rom. ejusque asseclarum consilia, amplectendam reverenter reparatam cœlitus veræ fidei doctrinam, firmanda concordiæ bona, discordiæ mala expellenda suasit: exemplo prorsus Scriptoris rerum Romanarum principis Sallustii, qui itidem geminâ oratione C. Cæsarem Dictatorem adiit, & quæ Reip. in sua sede collocandæ ipsi conducere videbantur, summâ prorsus libertate & prudentiâ designavit; felicior tamen in eo aliquo modo Sleidano nostro, quod meliore consiliorum suorum successu gauisus, non æquè difficilem probandis iis Julium, sed multo magis adeo pronum offendit, ut partem eorum quidem, non sine egregio in publicum usu, & magnâ suadentis gloriâ, in exitum statim deduxerit, partem vero reliquam adhuc exequuturus fuerit, nisi proposita ejus eximia, nefaria patricidarum sica prævenisset.

Libertatis Senatoriæ alias ita exercitæ complura monumenta in Actis publicis, præsertim vero in consultationibus de bello Turcico extant; & egregium ejusdem quoque documentum superiori ævo datum est, quando contra Pontificem Rom. nihil non in Imperatores, Reges, Principes, eorumque imperia ac ditiones juris sibi arrogantis fastum, diuersarum gentium & religionum homines, Theologi, Juris Consulti, Philosophi acriter insurrexerunt, & hujus doctrinæ vanitatem atque impudentiam toti mundo deridendam propinarunt: quorum scripta pene omnia *Goldastus in Monarchiam* suam *Imperialem* nun-

quam satis laudandâ industriâ collegit, & sic de Rep. egregie meruit.

Sane in eo casu, quo Sixtus V. Pont. R. horrendam admodum censuram in Henricum Nauarræum & Condæum strinxerat, eaque illos tanquam sectarios, omni dignitate atque ditione, speciatim vero illo in Galliæ regnum successionis jure prorsus excidisse decreverat, *Thuanus*, eandem Libertatem in his, qui tum temporis in aula summam rerum moderabantur, desiderat, & quàm ab Annæ Momorantii & Mich. Hospitalii cordatâ prudentiâ, quâ ipsi olim in simili causa Pio IV. Pont. restiterant deflexerint, illis publice exprobrat, sicut amplius apud eum videre licet. Alias hanc de Pontificum in Reges potestate controversiam anno seculi hujus 15. & 20. in Gallia renouatam fuisse testatur *Gramondus* l. 1. p. 61. seqq. & l. 15. p. 678. seqq. cui etiam alius adhuc *Thuani* locus l. 28. p. 50. addi potest.

l. 82. p. 46. & 47.

Apud nos *Autonomiæ* illi, quam haud dubie à Iesuitis talium dogmatum plus nimium fæcundis adornatam *Francisc. Burcardus* I. C. Coloniensis emiserat, contradici totius Imperii Germanici interfuit. Et nuper etiam, cùm de pace unice necessaria publice instituta deliberatio foret, quin contra infestas Paci Germanicæ *Ernesti* cujusdam *de Eusebiis* (ut se appellitabat) nænias bene & laudabiliter publicis scriptis sententiam dixerint cùm alii, tum *Irenæus Eubulus*, nemo, puto, negaue rit. Quod ipsum sc. de iis quoque affirmari potest, qui promulgatam illam contra jam conuentam Pacem ab Innocentio X. P. R. Bullam cum summo dedecore & ignominia Reipub. nostræ conjunctam prudenter judicantes, stultæ eam arrogantiæ & improbæ temeritatis publicè conuincere feliciter tentarunt.

In Gallia etiam *Carolus Molinæus* magni nominis ICtus, & ut *Thuanus* alicubi loquitur, tam eruditione, quam judicio ac probitate conspicuus, Libertate illâ Senatoriâ in destruendâ Pontificiâ authoritate, quanquam magnâ apud illos, qui adversus Regni jura eam tuebantur, invidiâ susceptâ, non semel defunctus est; cujus quidem rei duo exempla modo laudatus *Historicus* enumerat: unum, ubi ille conditum ab Henrico II. G. R. in deprauatam Curiæ Romanæ circa dispensanda sacer-
do-

doria disciplinam edictum scripto commentario, illustrauit, & ob illud ipsum factum paulo post ab Anna Momorantio præsenti Regi eum commendante, hoc elogium meruit, quando ille ad Regem: *En homuncionem, inquit, qui, quod cum XXX. CIↃ. hominum facere nequivisti, ut Iulium Pontificem placatum haberes, libello edito perfecit.* Alterum, ubi tantæ libertatis adhuc retinens, cùm à Regis Hispaniæ legatis de Concilio Tridentino admittendo mentio injecta esset, consultationem continuo scripsit, quâ ob multas causas Concilium illud nullum, vitio indictum, habitum & terminatum contra antiqua Patrum decreta, & Regni Francici dignitatem ac libertatem, contendit. l.38. p.362. l.36. p.290.

In Belgio, quanquam circa aliud argumentum idem fere *Dominicus Baudius* præstitit, quando, cùm ibi de pangendis cum Hispano induciis ageretur, pluresque fraudis & insidiarum sub hoc nomine latentium metuentes, pace suspectâ tutius bellum esse crebris sermonibus jactarent, elegantem admodum Dissertatiunculam sub *Latini Pacati* nomine satis tempestive edidit, quâ illis, quæ metum aliquem incutere possent, remotis, & gloriosum magis & utilius fœderatis Ordinibus fore, si in inducias consentiant, omnesque ita & suscipere eos juste bella, & finire judicaturos, ostendit.

An autem & *Franco Gallia Fr. Hottomanni*, & *liber* ille, qui sub *Steph Jun. Bruti*, (sive is *Mornaus*, sive potius, ut aliunde constat, *Languetus* est,) nomine, contra Tyrannos prodiit, venire in hunc censum atque Libertatis Senatoriæ bene usurpatæ titulo laudari possint, de eo quidem jure dubitatur. Quippe ibi primum omnium notandum est, quod tale philosophandi genus, quo ab uno extremorum ad alterum continuo descenditur, & secundum illud Aristotelis in Ethicis ἀκρὸν λάβε, καὶ μέσον ἕξεις, summa omnia petuntur, quo vitatis infimis mediocria obtineantur, nec conveniens satis Libertati Senatoriæ, atque insuper etiam semper in eâ periculosum, & ideo nunquam æmulandum sit: v. g. quando, ut, his in exemplis accidit, malo illi, ne Reges ex tanta fortuna solam usurpando licentiam, concessa sibi omnia in omnes, adeoque dominationem potius & servos, quàm rectorem & cives cogitent, caven-

vendo, violento nimis remedio adhibito omnis prorsus potestas illis abnuitur, eaque è contrario ad populum translatâ, is, cui tantum ne metueret prospiciendum erat, tanquam metuendus ultro ostendatur: aut quando, quod superiore sæculo à quibusdam, licet bono forte proposito, publicis in scriptis minus caute admissum est, quo nimia bellandi libido coërceatur, statim eo decurritur, ut Christianis plane non bellandum esse, asseratur.

Neque enim, primo, muneris illius, à quo tamen Libertas nostra ordinarie dependet, & ad cujus simulacrum etiam ab alio, quàm Senatore semper exerceri debet, sanctitatem, fucus & mangonium potius, sine quibus tamen talia ostendi nequeunt, quam, quæ omnis boni consilii anima est, veritas decet. Deinde etiam, si fucus factus appareat, ut hîc quidem vix non denique apparet, cùm consiliarii ipsius famam & authoritatem gravissime lædi, tum simul quoque cæteris, quæ ex vero etiam ab eo dicta fuerint, omnem fidem adimi necesse est: Et postremo denique, ne malo illo, cui ita egregie provisum creditur, gravius longe aliud atrociusque ex ipso adeo immoderatæ medicinæ usu oriatur, nunquam satis cautum erit, cum nil quidem facilius fieri possit, quam ut, si in proposito primum exemplo maneamus, injuria ab una parte repulsa injungatur alteri, cuique præsens imperium semper grave esse solet, populus, tanta sibi in principem licere persuasus, spretâ obsequii gloria judicium in actiones ejus affectare, mox quandocunque visum fuerit frenum excutere, & in vagam ac immoderatam non tam libertatem, quàm licentiam se vindicare discat; quo tamen ipso nil exitiosum magis, aut æque concitandis bellis civilibus, & evertendis Rebuspubl. natum fingi vel cogitari potest.

Alias ut singulatim circa utrumque Librum, quando suis lenociniis lectoribus non satis cautis facile imponunt, aliquid notetur; in *Franco-Gallia* quidem, ubi per latus Galliæ Regum omnes reliqui petuntur, unusquisque paulo prudentior, multifariam illorum Regum tempora confundi, & quod hi secundum ea nunc majori nunc minori jure atque potestate gavisi sint, non attendi: Præterea verò nihil valide probari, & testimo-

ſtimoniorum vicem loca partim non ſatis clara, partim etiam ambigua, aut ex ſcriptoribus nequaquam ſufficiente talium rerum peritia inſtructis petita, adduci facile animadvertet.

Bruti autem *Vindiciæ* illo tempore in Gallia ſcriptæ ſunt, quo hæc de Tyrannis agitata quæſtio majores adhuc turbas excitare potuit, & reipſa quoque excitavit, quando jam antea ſatis Proteſtantibus infenſa factio Catholica, ubi tam pernicioſum inſuper ab illis dogma propugnari vidit, tanquam contra divinarum atque humanarum legum contemptores, Regisque & Reip. profeſſos hoſtes acrius multo inſurrexit, atque non niſi quam plurimo illorum ſanguine tantum crimen elui poſſe judicavit.

De cætero libellum hunc, eas hypotheſes, quæ tranquillitatem publicam in quibuscunque regnis perturbare valeant, defendere, iis firmandis plurima S. Scripturæ loca fœdè corrumpere, adeoque eam libertatem præ ſe ferre, quæ ut verba *Fabii* huc transferam, *comes ſeditionum, effrenati populi incitamentum, ſine obſequio, ſine ſervitute, contumax, temeraria, arrogans, nec in bene conſtitutis civitatibus oriri*, aut prudentem virum ſive ſenatorem decere poſſit, manifeſtum eſt. Dial. de Or. 40. 2.

Scilicet in toto hoc negotio omnia modo ſuo atque ratione fieri oportet, & ſi cancellos hic præfixos vel paululum egreſſus fueris, fruſtra jam idem, quod antea, aut privatim decus, aut publice compendium ſperaveris, de quo ipſo mox nonnihil latius agemus, ſi prius unam adhuc cauſam, quæ antecedentibus cohæret, & quidem; An etiam in aliena Republ. libertatis hujus quidam eſſe uſus poſſit, viderimus.

Ubi & poſſe maxime uſum ejus eſſe, & reapſe quoque ſæpius fuiſſe, reſpondetur; præſertim in eo caſu, quo Legatus aliquis perniciem à fœderato populo, aut dedecus fortaſſe quoddam ita ſe avertere valere judicabat; ſicut id quam plurima exempla docent. ex quibus hîc memoratu ſatis dignum illud Pomponii Belleurei, Legati Gallici videtur, qui Anno 1586. ab Henrico III. G. R. in cauſâ Reginæ Scotorum Mariæ in Angliam miſſus, præter elegantiſſimam illam & ſatis copioſam ad Eliſabetham habitam orationem, quam *Thuanus* hiſtoriæ ſuæ inſeruit, etiam ut *Cambdenus* teſtatur, ſemel atque iterum ſupplicium Principis illius ſcripto publice edito diſſuaſit. l. 86. p. 157. in Eliſab. p. 479.

De modo à prudenti Senatore, vel pro re nata bono cive, in hac Libertate adhibendo differitur.

Verum, prout diximus, ad illud nobis properandum est, ut quibus modis haberi temperanter Libertas nostra cum à prudenti Senatore, tum etiam à bono Cive possit, exponamus. Primum ergo statim illud, quod supra etiam modo tetigimus, monendum est: Seriâ Philosophiâ omnino niti Libertatem hanc debere, ablegatis omnibus σοφίσμασι & coloribus, ad opinionem falsam, quasi tempori necessariam, aut utilem, animis ingenerandam excogitatis, aut inventis.

Quo scilicet præter duos illos modo à nobis perstrictos
l.34. p.227. libellos, etiam ille apud *Thuanum* Anonymi cujusdam in Gallia pertinet, quo Principis & magistratûs ab eo instituti auctoritas detortis ex sacra scriptura argumentis cavillatorie in dubium vocabatur; à Protestantibus tamen Lugduni, A. 156[illegible] publice combustus. Nec non eo referri debet apud
l.36. p.294. *eundem* Joh. Begati, Senatoris Divionensis, Apologia, qua duas religiones in eodem regno admitti non debere, & vero id ad Dei contumeliam pertinere, nec citra publicæ quietis detrimentum ferri posse, multis rationibus probare conatus est. Quippe iis ipsis scriptis hi Autores nihil aliud, quàm ut, quacunque etiam ratione id fieret, suæ factionis hominibus, diversæ parti eo magis resistendi animum fiduciamque adderent, quæsiverunt.

Alterum, quod circa Libertatis Senatoriæ exercitium meritò observes, illud est: ut forma Reip. & legum auctoritas non mentem minus, quam linguam & calamum moderentur. Nam quisquis extra hos limites suaserit, ille dum præsentia fortasse ex usu rerum componere tentabit, ingentibus in futurum malis, & quæ in eversionem quoque Reip. valere possint, occasionem patefaciet. Quippe imputantur olim talia exempla, & dum sub iis excusatius omnia accipi mos est, ita progrediuntur paulatim, ut semper auctiora, non prius finem facile inveniant, quàm ubi eo processum fuerit, ut aut perire civitatem, aut nova formâ imbui necesse sit.

Præ-

Præterea non intempestive etiam, aut declamatorie in hoc negotio versandum est. Plerumque enim talis oratio iis animis accipitur, quibus illa *Musonii Rufi*, *bona pacis ac belli discrimina*, inter armatos, & omnem prolatationem, tanquam victoriæ inimicam suspectantes, differentis accepta est; ut nimirum *plerisque ludibrio*, *pluribus tadio* sit; alii vero insuper eâ ipsâ accendantur, & adversus monentem pervicaces fiant: de quo ipso etiam supra, cùm de tempore huic Libertati nostræ opportuno ageremus, aliquid dictum est. Accedit ingens etiam ipsius, qui suadet, periculum, quod etiam *Tacitus* hic non reticuit, quando: *non deerant*, inquit, *qui propellerent proculcarentque*, *ni admonitu modestissimi cujusque*, *& aliis minitantibus*, *omisisset intempestivam sapientiam.* Et adeo incommoda ἀντιπραγία, præterquam, quod vana & frustranea, etiam haud raro authori suo infelix est. Tac.H.3.81

Quod singillatim declamatorium dicendi genus attinet, quo Musonium, ut qui *studium philosophia & placita Stoicorum amulatus*, haud dubie tumorem inde arrogantiamque aliquam contraxerat, hoc loco usum esse historicus innuere videtur; illud certe ad explicandam Libertatem nostram nunquam ita feliciter adhiberi poterit, quin & ingens ille verborum inanium strepitus, & captata ubique sententiarum acumina, & ostentata nimis facundia, nec non denique ipsa gestûs ineptia, ut etiam hîc accidit, moveant fastidium auditoribus, & consilium quoque egregium ingratum irritumque reddant.

Quanquam ostentationem omnem alias à Libertate Senatoria non excludamus; quin desideremus ibi potius, & ubi adfuerit, insigni usui fore credamus. Sed nimirum differt stolida quædam & inanis in dicendo elatio ab illâ ostentatione, quam *Mucianus* aliquis decorè, & cum inventione quadam artificioque in Rep. adhibens, præter insitam vim eloquentiæ etiam decus dictis suis omnibus, & gratiam, & speciem eâ ipsâ conciliat. Quin enim hæc arcanis quibusdam radiis animos oculosque audientium perstringat, ipsam dicentis majestatem augustiorem efficiat, facilemque adeo assensum etiam ab invitis quodammodo extorqueat, negari, ut puto, non potest. Tac. H. 2. 80.

Si-

Sicut autem omnem declamationis speciem à Libertate hac abesse volumus: Ita quoque nec τὰ θεωρητικὰ, nec τὰ γενικὰ, hoc in genere omnino admittimus. *Illa* ideò, quod parum nobis ea hîc consilia se approbent, quæ miram equidem sagacitatis acrimoniæque speciem præbeant, inventionis etiam subtilitate, ac rationum copiâ se efferant, ubique adeo autoris sui ingenium ostendant: Interim tamen intra nudam contemplationis suavitatem subsistant, & quando in ipso rerum actu ad negotii, cui parabantur, formam, habitum, modumque exegeris, deficiant penitus, & tractatu inepta, temporibus aliena, stolida denique & ridicula plerunque appareant. *Hæc*, quod ipsa ratio minime ad summam profici posse, doceat, nisi vera rerum, quæ deductæ in deliberationem fuerint, species oculis animisque semper & ubique inhæreat, ac ad eam omnia quam proxime dirigantur.

Sed supersunt adhuc alia, quorum rationem maximam in Libertatis nostræ usu habere consultum est, & ista fere sunt: quod sc. verbis acerbioribus, & offensioni aliorum concitandæ nimis promptis, præsertim ubi responderi opus fuerit, abstinendum; quod modestiæ privati aliquando non obliviscendum; quod per modum etiam judicii, aut arrogantis definitionis nunquam; semper vero mitiori dubitationis, comonitionis, obtestationis, consultationis viâ hic progrediendum sit. Inprimis autem, quod ab odio, misericordiâ, favore, irâ, & similibus affectibus vacuum esse, non partium studio, non privatis utilitatibus duci; sed salutem publicam unice quæri, huc impendi omnes cogitationes, exigi labores, institui sermones, neque fines cogitari alios, quam quos ipsa præscripserit, oporteat. Nam prioribus vel omnibus, vel singulis neglectis sperato nos successu plerumque quidem destitui continget: Posterioribus vero admissis, majoris adhuc mali metus ostenditur, & cum à vero multipliciter aberrari, tum Remp. desertam male mulctari, ac privatorum etiam copias varie affligi necesse est. Quippe constat & constabit semper dicto
XXVI. 36. illi Liviano sua veritas: *Rep. salva facile incolumes cujusque res præstat: publica prodendo tua nequicquam serves.*

Hæc utilitatum privatarum hîc illata mentio egregii apud

Tac.

Tac. exempli nos admonere poteſt; ubi *M. Hortalus* Oratoris Hortenſii nepos, loco ſententiæ, ſubſidia liberis ſuis à Principe, in Senatu, petiiſſe, memoratur. Quippe poſſet hic alicui oriri iſta dubitatio: An non etiam iſte Libertate Senatoria malè & quidem contra *majorum* inſtitutum uſus eſſe videatur, à quibus, ut bene alias hoc loco *Tiberius, egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat, loco ſententiæ proferre, non ideo ut privata quisque negotia & res familiares ſuas augeret, conceſſum erat*? A. 2. 37. & 38.

Verum dari tamen innocenti Viri hujus in paupertate manifeſta, illuſtris ſuæ domus ruinam ita avertere volentis propoſito veniam poſſe crediderim, cùm præſertim etiam nobilium familiarum bona aut mala ad Remp. pertinere videantur, neque parvum inde decus eidem conciliari poſſe, Principem optimum, Auguſtum exiſtimaſſe appareat, quando ne clariſſimæ ſtirpis poſteri deficerent, *liberalitate decies ſeſtertium* Hortalum hunc *ducere uxorem, ſuſcipere liberos illexit.*

Nam Tiberium quidem *preces has ſuperbius accepiſſe*, nihil mirum eſt, quando tyrannis ſiniſtra erga eminentes interpretatio ſatis frequens, atque adeo nobilitas omnis ita exoſa eſt, ut non tantum nihil minus, quàm ejusdem ab interitu ſervandæ curam ſuſcipiant, ut potius, quicquid excelſum eſt, cadere cupiant, nec priusquam ingentem domuum illuſtrium ſolitudinem fecerint, ſecuros ſeſe eſſe credant. Certe vanitas illius vocis, quâ *idem Tiberius* poſtea, *omnia ſe dicta factaque Auguſti vice legis obſervare*, aliquando in Senatu jactavit, hoc exemplo quoque non obſcure deprehendi potuit: nam egregie ſc. Auguſtum imitatus eſt, qui, quam iſte familiam ad priſtinum ſplendorem excitare tantopere ſtuduit, ipſe pudendam ad inopiam dilabi vidit, neque interceſſit. Tac. A. 4. 37. 4.

Verum jam in viam nobis revertendum & ad ea rurſum, quæ amplius in Libertatis Senatoriæ uſu deſiderari poſſint, veniendum eſt. Quin ergo Prudentia hîc univerſe alias, perſpiciendis rerum non in præſens modo, ſed in futurum quoque commodis atque incommodis; evolvendis latentibus plerumque earum cauſis; artibus, prætextis, coloribus, quorum nimis frequens in civilibus uſus, diſcernendis, intelligendis,

 de-

deprehendendis ſemper requiratur; præſertim vero ab ipſa negotii alicujus tractatione adeo abeſſe nequeat, ut ſi abſit, etiam ea, quæ de cætero & benè, & honeſte, & vere dicta fuerint, non irrita modo & inania, ſed prorſus majori quoque malo Reipub. conciliando idonea ſint, vix quiſquam dubitabit.

Nam arctiſſimum ſane Divæ hujus cum Virtute commercium eſt, neque exempla deſunt, quæ nec in Rep. aut bono Senatore invicem disjungi debere, nec etiam, ubi disjunctæ fuerint, feliciter ceſſiſſe, ſatis evidenter oſtendant. Sicut notum & celebre alias, ita tamen magno præ aliis hîc documento illud Catonis, jam ſæpius nobis memorati eſſe poteſt.
2, 35. 2. Hic, ut *Vellejanum* elogium ſonat, *homo virtuti ſimillimus*, modeſtiæque, decoris, ſed maxime ſeveritatis ſtudioſus, & viciſſim contra alios, qui diverſis artibus in Republ. utebantur, ſemper obtrectator, & obliquus, dum omnia ad ſuæ vitæ normam rigore quodam, cujus illud ſeculum non capax erat, exigit, & *tanquam in Platonis πολιτείᾳ*, ut *Cicero* alicubi notat, *non tanquam in Romuli fæce ſententias dicit*, hanc quidem gloriam, ut *optimo* in Remp. *animo, & ſumma fide uti*, diceretur, meruit; interea tamen prudentiæ moderationem plerumque egreſſus, non parum publico nocuit, & hac aſperitate ſuâ nihil aliud, quam ut ingeniorum maximorum potentiam ad Remp. eo citius invadendam concitaret, effecit.

Inter recentiores pulcherrimum nobis & memorabile Libertatis Senatoriæ benè quidem ſatis, non tamen in univer-
Thuan. l. ſum prudenter exercitæ ſpecimen *Mich. Huraltus Hoſpitalius*,
92. p. 348. magni & ſupra laudati Hoſpitalii nepos præbet, libello illo
& 349. ſuo, quem A. C. 1588. *Veracis* nomine in Gallia evulgavit. Erat ille libellus revera talis, qualem hic titulus pollicebatur, & ſummâ integritate patriæ calamitates, trium, in quas tum Regnum ſciſſum erat, factionum opes, & malorum denique tantorum origines, quas ille partim Regis ſegnitiem, partim Guiſii ambitionem interpretabatur, exponebat. Etiam eo tempore prodierat, quo omnibus ſtudio partium accenſis, liberam & nemini addictam vocem publice audiri, concordiæ paciſque intererat, quam ſc. rarò pati poſſunt animi, ni ſitalibus præparati remediis turbas & errorem ſuum prius deteſtari diſcant. Ve-

Verum enim verò in eo tamen Scriptoris prudentiam nonnihil desideres, quod parum secum reputans, melius talia in secreto moneri quam palam prædicari; & infirmitatem partis Regiæ nimis ostendere, & Regis ipsius ineptam lenitatem atque patientiam acerbe traducere; Guisii contra fortem & ad magna natam industriam, felicemque virtutem tantopere laudare, aut decorum satis, aut parum periculosum credidit. Quippe eo ipso Guisio, sua sponte nimis elato, ad majora facinora audenda animum addi posse, cogitare debuerat, & vicissim ne contemptâ prorsus majestate imperantis, regnum super regem ruere inciperet, vereri. Quorum alterum quidem, annotante id *Historico*, factum, Guisiusque sic accensus, novis exemplis priora vincere conatus est: Alterum vero omnino futurum erat, nisi tot tandem injuriis & contumeliis exacerbatus Rex capessere fortiora remedia, & paulo post pugionibus aliquot à contemptu sese vindicare properasset.

Quemadmodum autem nisi Prudentia lumen suum Libertati Senatoriæ affulgeat, facile ea offendere & damnis etiam ingentibus Remp. mactare potest: ita rursus consiliatricis quoque hujus Prudentiæ proprium non modo adjumentum, sed & instrumentum, adeoque telum, Eloquentia est, quâ sine ista quodam modo languet, hebet, & semper suadendo, tandem nemini persuadet. Quomodo enim satis appareant, quæ non satis explicantur? Quomodo sic vel aliter sentiant, & decernant, quibus nondũ idoneis argumentis, cur ita sentiendũ, aut decernendum sit, ostensum est? Scilicet, & si omnia artificia & ornamenta hîc abesse jubeantur, tamen natura rerum, negotii cujuslibet ingenium, forma & habitus; item, an, & qua ratione id, quod suscipitur, utile Reip. aut gloriosum, temporibus congruum, statui & statûs consiliis non adversum, neq; etiam effectu arduum sit, & similia, prius exponenda sunt, antequam assensum audientiũ quis polliceri sibi possit. Quippe raò admodũ contingit, homines alia, quã ad quæ propriâ libidine feruntur, ita pronis auribus accipere, ut statim absq; præviâ & quidem copiosâ satis, ac evidenti declaratione ea arripiant, ac in exitum deducant.

Quid? quod haud raro fallere eos oporteat, ut noscere

bona sua, & salvi esse velint: An non, ergo tunc quam speciosissime adornare consilium suum, necessitatis erit, quodque simplex veritas non poterat, illud eadem exornata & expolita præstabit? Etiam interdum facundiæ maligne aut obnoxie suadentium, opponi aliam facundiam in Rep. necesse est, ac vicisset absque dubio illa apud *Sallust.* Cæsaris, de conjuratis Catilinæ, sententia, nisi tum Resp. Catonem suum habuisset, qui pari eloquentiâ instructus, in contrarium iret, & cæteros orationis suæ vi & pondere in viam revocaret. *Helvidii* certe *inexercitatam & ejusmodi certaminum rudem sapientiam* his artibus *Eprius Marcellus* apud *Tac.* elusit, & quàm præcipui nuper rerum Gallicarum arbitri *Richelii* generosa & magnifica dicendi ratio etiam gravissima quæque & singularia valde consilia, quum primo nullius assensum mererentur, pro unicis denique & optimis accipi fecerit, ex *Gramondo* discere licebit.

Catil. c. 51.

Fab. Dial. de or. c. 5. H. IV. 7. & 8.

His ita Prudentiæ simul atque Eloquentiæ viribus subnixa Libertas nostra, utrum voce melius, an scripto explicetur, definire eo difficilius videtur, quod uter etiam modus dextre adhibitus fuerit, de successu tamen non minus bene sperari queat. Interim ubicunque illud fieri possit, vel maxime ego vocem boni Civis aut senatoris desiderem: nescio enim quomodo suadentis præsentia aures sibi omnium facilius aperiat, citiusque visa & audita, quam lecta animos occupent. Non inconsultum tamen fuerit, simul scriptum quoque in eorum manus exhibere, ad quos aditus patere possit; nam ea ipsa, quæ sermone, cui brevitas hic maxime convenit, non satis explicata fuerint, latius hîc deducta, adhuc melius se ita mentibus insinuabunt, & obsequio multo proniores eas reddent.

Cæterum, quoniam sæpissime accidit, ut neutrum fieri possit, non immerito quæritur: An ergo edito publice scripto, & quidem interdum citra nomen Autoris, Libertas hæc bene exerceatur? Dici potest, quod si usquam nomen suum occultare liceat, id certe hîc admitti queat, si cætera nimirum omnia, & modestiam propositi commendent, & intra limites statutos subsistant. Secus enim tale scriptionis genus famosum libel-

libellum aliquem, cujus tamen institutum turpius merito censeas, quam ut tam sanctæ rei, qualis libertas nostra est, conveniat, facile referre, & sic decere bonum virum amplius non potest.

An per αἰνίγματα etiam hîc agere consultum sit, valde dubites; quando dum obscuriora & ambigua ea esse necesse est, vix per illa obtineri posse Libertatis hujus finis videatur, aut ne aliorsum, etiam & in contrarium potius accipiantur omnia, insuper verendum sit. Datur tamen non malo, ita sibi melius cavere volentium consilio hæc venia, ut & illa ratione Reip. studium & curam suam approbent; quandoquidem non semper successum omnem talibus deesse, & interdum quoque iis ipsis homines, ut plures de præsentibus cogitationes suscipiendas sibi arbitrentur, excitari compertum est.

Quin nec Satyras omnino hinc excludimus, modo turpitudine verborum rerumque obscœnitate vitatâ, ultra liberam vitiorum insectationem, aut errorum exprobrationem non procedant, nec fortasse in proteruam conviciandi & maledicendi libidinem erumpant. Nam vera quidem vocabula rebus imponere, atque nimis aucta vitia Satyrico sale perfricare, ut non æque liberum, aut tutum; ita tamen in publicum utile, & viris egregiis probatum semper, ac interdum quoque usurpatum fuit; adeo, ut ne quidem scriptores maxime sobrios, quin suis operibus, non sine arte tamen quadam, & servatâ instituti sui lege, tale quid insererent, abstinuisse videas; & quicunque apud *Tacitum* Vitellianos characteres diligentius paulo consideraverit, is fateatur necesse est, nec acerbius quicquam, nec rursus, in re tam seriâ, festivum magis ab ullo Satyrico dici potuisse.

Per Comica alias, & Dramatica quandoque etiam huic Libertati explicandæ locus erit; hueque maxime Vetus Comœdia spectabat, quæ non modo privatos, sed publicos etiam civitatis mores sugillare, quamvis, ut vulgata libertas in licentiam denique transire amat, nimiâ interdum petulantia solebat. Sed inter recentes ævique nostri scriptores, cuivis tamen pene ex antiquis comparandus *Barclaius* elegantissimum hîc specimen, & in spectaculo illo, quod sub fictis nominibus consilia

ſilia Melandriorum, Icoleontis libertati ſpecie pacis inſidiantium, exponens, Satyrico ejus inſertum eſt; & in venuſtiſſima illa *Argenide* ſuâ exhibuit. Hæc enim cum tota fere libertatis Senatoriæ prudenter & decore exercitæ nomine commendari mereatur, etiam perfectum & niſi quod numeris nullis adſtricta ejus oratio eſt, omnibus ſuis partibus abſolutum Drama appellari poteſt.

Inprimis tamen Libertatem Senatoriam ſub Veteris Hiſtoriæ imagine repræſentari decorum etiam, & tutum fuerit; repertique cum hujus tum prioris ſeculi magni quidam viri ſunt, qui hanc potiſſimum ſuis ſententiis ſecurè in publico exponendis artem adhiberent. Horum è numero etiam qui ingens in literis nomen, ac in Græcis quidem ipſi etiam *Eraſmo* præferri meruit, *Guil. Budæus* eſt. Nam hic in egregio ille & nunquam ſatis commendando opere, cui *de tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmum* titulum poſuit, pulcherrimum rei huius documentum dedit, & dum antiqua omnia lectoribus promittit, interim ſe ad præſentem ſemper Galliæ ſuæ ſtatum oculum reflectere, eique his conſiliis ſubventum velle, ſatis evidenter oſtendit.

Neque etiam alio *Antiqua Batauia Grotii*, quam eo pertinuit, ut cum Remp. in qua degebat, palam arguere non ſatis tutum judicaret, laudando publice antiquam, id ipſum, ſed tamen mollius occultiusque patraret. Cui Grotiano propoſito ſimile illud *Jacobi Gothofredi* fuit in tribus illis Orationibus, quibus *Vlpiani*, *Juliani*, & *Achaicæ* nomina indidit. Quippe & ille ſub veteribus exemplis Libertatem Senatoriam bono Imperii noſtri pulcherrime exercuit, atque adeo ita in univerſum ibi diſſeruit, ut & ipſe à mentione rerum, quas animo agitabat, abſtineret, & tamen prudentioribus, quo hæc omnia collimarent, haud difficulter apparere poſſet.

His ergo diverſis Libertatis noſtræ modis breviter oſtenſis non fruſtra illa Quæſtio adjicitur: Quonam itaque modo hodie in Imperio noſtro bonus aliquis, Reip. tamen negotiis alias non permixtus Civis eâ ipſâ Libertate commodè, ſecurè & laudabiliter defungi poſſit? Ubi quidem, relicto ta-

tamen cuique libero alia & meliora censendi arbitrio, & tutissimus & utilissimus modus ille videtur: quando scilicet, cum quædam controversia, aut aliquid aliud, quod Libertatis Senatoriæ remedium exposcere videatur, inciderit, ex antiquis rerum monumentis, quid olim in tali aut simili causâ actum, disceptatum, judicatum sit, edito publice scripto, bonâ fide, solide & clare ostendatur; suspenso tamen hîc judicio suo, & ad lectores candidos, adeoque eos, quorum de re totâ notio futura sit, rejecto. Namque ita Scriptor & invidiam partium vitaverit, & nihilo secius tamen, quid de præsenti negotio sentiendum sit, cuivis facile patebit.

Neque vero metuendum erit, ne omnes promiscue has sibi partes sumant, aliisque diligentiæ, aliis fidei, aliis etiam judicii non satis huc afferentibus, ipsi ita Libertati huic & decus omne & pretium & utilitas decedat. Quippe tale quid audere, tamque arduo operi haud succumbere, non quorumvis, sed eorum tantum esse, qui non evoluere demum priorum seculorum memorias necesse habeant, sed vasto eas ingenii sui ambitu conclusas circumferentes jam plene possideant, adeoque non peregrinentur amplius in Antiquitate, sed jam diu habitaverint; prudentissimus quisque mihi largietur.

Usus Libertatis Senatoriæ in diversis Rerump. formis monstratur.

Post modum in Libertate Senatoria servandum satis expositum; Usum quoque ejus ex propinquo speculabimur, & quidem; qualis ille in distinctis Rerumpub. formis esse possit, ostendemus.

Hîc nobis primo statim loco *Regnum* sive *Principatus* sese offert. In eo igitur Senatores & Consiliarios ita Libertate Senatoriâ uti debere notandum est, ut maxime caveant, ne Principis potestatem minuere, & præter auctoritatem consilii, potestatis consortium affectare videantur. Alias enim fiet, ut quandocunque Principes, qui plerunque tanquam rerum temporumque domini, trahere consiliis cuncta, non sequi volunt, spirare altiora illos, & quomodo suis consiliis necessitatis vim adjungant, cogitare senserint; etiam optima quæque ab iis proposita, tanquam arrogantiæ suspecta con-

temnant, & ne eorum parere sententiis coacti videantur, in diversa ac deteriora quoque interdum transeant. *Senatum* certe *Lutetianum* pervicaciâ illa suâ, quâ sibi competere edicta Regia aut confirmandi, aut rejiciendi potestatem asserendo, inde etiam eorum promulgationi crebro repugnabat; aliquoties nil aliud obtinuisse legimus, quam ut gravissime increpitus, dare denique manum, & Regis imperio invitus obedire cogeretur: quemadmodum *Thuanus* l. 29. p. 75. & l. 35. p. 251. nec non *Gramondus* l. 5. p. 278. seqq. ac l. 15. p. 669. seqq. illud ipsum annotarunt.

Quo postremo quidem loco, dignum mihi, quod hîc etiam memoraretur, visum est, illustre & multum aliis laudatum Libertatis Senatoriæ ad extremum usque halitum constanter propugnatæ, in *Lud. Servino*, Fisci Advocato, exemplum. Hic tunc, cum pro more suo confidenter & facunde, ingentique animi contentione, ad præsentem in Curiâ Regem, pro populo loqueretur, subito correptus deliquio, & mox intercluso spiritu exanimatus est; adeo ut primo quidam fingi hoc ab eo, & quo magis morientem populum exprimeret, simulari mortem crediderint. Scilicet non magis Imperatorem, aut militem, quàm Senatorem stantem mori decere, hoc exitu suo approbavit: vel ideo etiam non parum felix judicandus, quod adeo similem sibi, & in quo pro superstite haberi posset, successorem nactus est *Hieron. Bignonium*, virum eloquentiæ, virtutis, ac eruditionis famâ illustrem, & *Gallicum*, ut *Historicus* loquitur, *Catonem*; qui & ipse tamen nuper non sine magno Libertatis Senatoriæ in Galliâ damno, & omnium Eruditorum luctu, fato suo functus est.

Sed hi quidem officii sui partes pulcre impleverint: aliud vero documentum ejus, quàm ægerrime Principes à Senatoribus in jura sua involari, aut quicquam in iis rebus, quarum sibi curam unice servarint, attingi, ferre soleant, *Tiberius* olim
VI. 4. apud *Tac.* dedit: Cum enim, non tam quidem altiori aliquo consilio, quam adulationis studio *Junius Gallio* in Senatu censuisset; *ut prætoriani actis stipendiis jus adipiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi*; non tantum violenter continuo & velut coram rogitando: *Quid illi cum militibus, quos neq; dicta Imperatoris, neq; præmia, nisi ab Imperatore accipere par esset?*

esset? à Principe increpitum, sed & Curiâ statim, deinde Italiâ exactum *Historicus* refert.

Nempe semper & in universum hîc in Principatu meminisse imperantium, & summum iis rerum judicium datum esse, cogitare Senatorem oportebit. Nec non illud etiam: Placere modum libertatis etiam optimis Principibus; sævorum ingenia prudentiâ & moderatione leniri; mirandum Labeonem aliquem, Capitonem non culpandum, Lepidum tamen sequendum esse; & sicut inani jactatione libertatis unà cum famâ odium etiam fatumque plerumque provocari contingat: ita inter abruptam contumaciam & deforme obsequium eo laudis haud raro excedi posse, quo multi alii per præcipitia, sed in nullum Reip. usum ambitioso exitu inclaruerunt.

Principatum *Aristocratia* sequitur: In hac, aut mixtâ etiam Rep. valde excellenter locum hæc Libertas habet. Id quod & Romana exempla testantur, & ipsius etiam Senatûs multo amplior in tali, quam alio statu splendor & authoritas facile evincit. Sed legibus tamen Aristocraticis, & disciplinæ Curiæ perpetuo hic serviendum est, nec *Catonis* illa, quâ diem dicendi mora extrahebat, consuetudo approbari unquam posset, nisi Cæsaris & aliorum potentium continua adversus libertatem omnium molimina, hac ipsa sc. arte nonnihil reprimenda, necessariam eam Reip. fecissent. Quod etiam *Cicero* agnovit, qui cum *alibi* non diffiteatur; *constantiâ magis & integritate, quam consilio aut* l. 1. ad Att. *ingenio* Catonem Remp. *curare* videri; tamen in libb. de *legibus* ep. 15. hunc ipsum prolixæ orationis usum in eo laudat quodammodo, l. 3. c. 18. dum ita inquit: *Non brevitas modo Senatoris, sed etiam Oratoris magna laus est in sententia. Nec est unquam longâ oratione utendum, nisi aut peccante Senatu, quod fit ambitione sæpissime; nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est; aut cum tanta causa est, ut opus sit Oratoris copia, vel ad hortandum, vel ad docendum: quorum generum in utroque magnus noster* Cato *est.* Cætera, quæ ut nunquam non in usu Libertatis nostræ, ita quoque hic servari debent, partim cum *de modo* ageremus, satis indicata sunt, partim etiam mox infra indicabuntur.

Nunc quidem & de *Democratia* pauca nobis dicenda restant. In illâ clarissimos quosque Oratores Libertate Senato-

riâ egregie usos esse satis constat. Nam & interdum, quamvis non consulti aut ad dicendum invitati, nihilominus tamen quæ in præsentibus negotiis è Rep. esse credebant, gravi & composita oratione explicabant, & rursus cum de hac vel illa causa dicere rogati, aut dicturos se professi essent, plerunque alia quoque in melius mutando civitatis statui prudenter reperta adjungentes, quandoque etiam, de quibus nemo alias referre ausus erat, proponebant.

Exempli tantum causâ, quando aliud jam institutum nostrum non patitur, Orationes *Olynthiacas Philippicasque Demosthenis* : *Socialem* seu de *Pace*, nec non *Areopagiticam Isocratis*; ut & istam *Lysiæ contra Philonem* nominamus. Nempe facile cordatus lector singulorum, per quæ oratores eximios exercuisse Libertatem Senatoriam diximus, specimina ibidem deprehendet, & exinde etiam de iis, quæ tanti viri hac in causa alia occasione præstiterint, etsi omnia eorum scripta non evoluat, statim judicabit. Sane neque in *forensibus orationibus* inspergere ea, quæ ad Remp. in universum pertinebant, omnino omittebant, sed tanquam perpetui salutis publicæ custodes, dum alii ex Tribunis aut in vulgus grata, aut plane aliena, nonnunquam etiam nocitura loquebantur, ipsi imminentia etiam cum periculo suo, non minus verè, quam cordate libereque, & quocunque loco atque tempore, populo multo ante denunciabant.

Vbi quidem alias monendum fuerit, nisi talium potissimum, prudentiâ, cæterisque Senatoriis artibus valentium virorum ore efferri Libertatem hanc contingat, maxime de cætero periculosum ejus in Democratia usum esse. Quippe neque paucis aliquibus concedi eum posse; cum hoc jam æqualitatem dedecere videatur; nec rursus promiscue omnibus; nam inde turbas & contentiones aliaque mala oritura; Multo minus vero Tribunis; illos enim non nisi ad multitudinis arbitria loqui & tacere consuevisse: Certe ut aliquis inter Tribunos aliter faciat, h. e. publicam utilitatem, non favorem vulgi respiciat, spei magis, quàm formæ esse, in mera quidem Democratia, de qua nobis hactenus sermo erat.

Cæterum cum hodie puras & meras Democratias nuspiam dari,

dari, constet, de his etiam non multum laborandum nobis erit. Temperatæ quidem Democratiæ Libertate Senatoria & ornantur multum, & juvantur; ita tamen ut nec in his difficultate omni hoc negotium careat. Quamvis enim Democratiis temperatis naturaliter insit, ut vel collegium aliquod, vel magistratus, vel consiliarii Libertate Senatoria quoties opus erit, uti possint; ne sc. aut hinc libido populi grassetur, illinc paucorum dominatio increscat; Tamen ubi pauci isti populi oculos animosque in se traxere, tum illi quanquam rem Democratiæ adversissimam, ὀλιγαρχίαν nempe sæpe moliantur, populi auxilium, adversus homines libere & cordate consulentes, suis partibus adjungant, & sic utilissimas ac necessarias Reip. linguas aut ad silentium prorsus redigunt, aut ne oratione sua obtinere possint, efficiunt.

Quædam Libertati Senatoriæ adversa, atq; discrepantia enumerantur, & brevis epilogus subjicitur.

Et hic etiam diversus Libertatis nostræ usus est; restat itaque ut abusum quoque ejus, adeoque ea, quæ sub rei tam honestę imagine haud raro fallunt, quam paucissimis evoluamus.

Nempe sicut Libertatem nostram Reip. juvandæ destinari, vero etiam sinceroque proposito niti, moderatis rationibus & civiliter admodum gubernari omnino debere statuimus, nisi licentia, & quiduis potius, quam Libertas Senatoria audire velit: Ita sequentia ejusdem sancto nomini minime convenire, sed pleraque malis artibus accenseri debere, arbitramur.

E. c. in *Monarchia* aliquis auctoritatem sibi & potentiam in aula obtentu Libertatis Senatoriæ, sicuti in *Philotæ* causa apud *Alexandrum M. Craterus*, quærit. Alius favorem ita Principis adulatorie, ut sub *Tiberio* plerique *Senatores*, ambit. Alius rursum seditiosis molitionibus suis, ut sub *Dario* olim *Nabarzanes*, sub *Henrico* III. G. R. *Guisius*, hoc schema induit. Alius etiam invisos populo Principes, occultis & speciem hujus Libertatis præferentibus libris, quemadmodum prioris seculi exempla in Gallia testantur, facit. Neque talia omnia hic referre, servanda non immerito Dissertationi justa magnitudo concesserit.

Curt. 6.8.2. Tac. Curt. 5.9.3. Thuan. Id. l. 57. p. 969.

Interim non prætereundum callidissimum illud *Tiberii* in novo principatu σόφισμα est, quo artibus quoque dominationis Libertatem senatoriam pulcherrime adhibuit. *Offerebat ille se plerunque Magistratibus pro tribunali cognoscentibus consiliarium, assidebatque mistim vel ex adverso in parte primori, & si quem reorum elabi gratiâ rumor esset, subitus aderat, judicesque aut è plano, aut è quæsitoris tribunali legum, & religionis, & noxæ de qua cognoscerent, admonebat &c.* Nempe speciosa hic omnia, neque, si externa tantum spectes, inter
in v. c. 33. laudes Principis egregii & ad utilitates publicas proni à *Suetonio* immeritо relata. Sed nimirum aliud arcanum suberat, & ita ille statuendi potestatem judicantibus ereptum ibat. Id quod
A. 1. 75. 1. πολιτικώτερ@ *Tacitus in* loco illo, quo eadem alias de ipso refert, brevibus his annotasse satis habuit: *Dum veritati consulitur*, inquiens, *libertas corrumpebatur.*

Frequens tamen & in aliis Rerump. formis Libertatis nostræ abusus est. *In Aristocratia*, aut mixto statu, velata hoc prætextu contendendi illa adversandique libido ἐλλη ἀρχικὴν plerunque ὑπόθεσιν sapit: quod exempla *Appiorum* apud *Livium* testantur. In *Democratia* sub hac specie Tribunorum illa & Demagogorum importunitas populo imponit: de qua re *Demosthenes* toties in suis orationibus queritur.

Nihil verò, in omni etiam statu, sæpius contingit; quam ut interdum hic aut ille insanâ quadam gloriæ cupidine, & quo ipse etiam consiliis suis Remp. juvare, ac Libertatem istam exercere videatur; non tam quomodo profutura, quam quomodo nova in medium afferat, laboret: Ut quidam rigorem quendam stolidum & intempestivam contumaciam, exemplo quorundam se-
Aug. c. 54. natorum apud *Sueton.* pro libertate Senatoria accipiant: Ut mul-
A. 1. 26. 4. ti exemplo *Laconis* apud *Tac. consilii, quamvis egregii, quod non ipsi* tamen *attulerint, inimici* nil præterquam dicta aut facta aliena reprehendere sciant, & sic Libertate nostrâ se egregie defungi
Orat. 1. ad Cæs. f. credant. De quibus equidem illustrem *Sallustii* locum adscribere non piget, quando ita ille scriptor inquit; *Plerique mortales ad judicandum satis ingenii habent, aut simulant: Veruntamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus.*

Vix

Vix satis apertum os, aut lingua prompta videtur, quæ meditata pectore evolvat.

Ceterum cum & illi, & omnes hic enumerati, quique eorum rationes æmulantur, in usu Libertatis nostræ Senatoriæ graviter impingant, hacque suâ vecordiâ vel Reip. vel sibi ipsis periculum exitiumve attrahant; certe boni & cordati Senatoris aut etiam Civis fuerit, ad hos scopulos non obhærescere, sed recto itinere incedere, bonis artibus fidere, ad Remp. omnia referre, & debitum denique suis consiliis felicem successum secure expectare.

Et si quidem ille votis contrarius acciderit, tunc, Nec de futuro quenquam satis callidum satisque prudentem esse, quin etjam sæpe prava magis, quam bona consilia prospere evenire, quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat, cum *Sallustio* cogitato. Orat. 2. ad Cæs. pr. Sin vero ille tantum ab hominibus improbis interversus; aut ipsa sententia turpiter elusa ac illusa fuerit; tunc facti conscientiam satis sibi esse credito, & alio magnorum virorum, inprimis autem illo *Christophori Thuani*, Senatus Parisiensis primarii Præsidis exemplo se erigito. Hic enim, cum in Regis Henr. III. & Aloisiæ Lotharingæ nuptiis, ex sumptibus inutilibus ac superfluis, qui in ludicra spectacula sine modo quotidie fiebant, aliquid, quod in militum stipendia impenderetur, resecari debere, magnâ & assiduâ contentione clamaret, aulicis Remp. privatis rebus suis posthabentibus, vir moris antiqui nihil præter risum movit. Quem quidem risum ipse patienti tum & æquo animo pertulit, at iste postmodo, ut frequenter fieri amat, in fletum vertit, neque illud filius ejus *I. Aug. Thuanus* frustra, sed l. 61. p. 85. omnium aliorum consiliariorum solatio annotavit.

Et huc usque etiam de Libertate Senatoria disserere, præsentis instituti ratio permisit: reliqua occasioni temporique alii melius seponentur. Candidi vero interim Lectoris erit, si quæ hic bene dicta fuerint, iis acquiescere, cæteris ignoscere, omnibus se æquum & benevolum præbere.

XXX.
DISSERTATIO POLITICA
ad
Lysiæ Summi Oratoris Orationes
XV. & XXX.
ΔΟΚΙΜΑΣΙΑΝ ΑΤΤΙΚΗΝ
exhibentes.

CAP. I.

Cum jam per aliquod tempus constituissem, exercitationem aliquam Academicam conscribere, in delectu vero argumenti idonei semper hæsissem: commodè tandem facta mihi fuit copia elegantissimarum orationum *Lysiæ*, in quibus, cum inter alia præclara & utilia deprehendissem, *Orat.* 15. *&* 30. contineri consuetudinem *δοκιμασίας* Magistratuum apud Athenienses, idque argumentum cum ob raritatem, tum ob dignitatem mirifice mihi placeret, statim cum animo meo decrevi laudatissimum illum & nobilissimum morem, quem Athenienses à *δημοτικωτάτῳ Solone* acceperunt, hâc dissertatione delineare.

2. Hic mos ita se habet. Quum *Athenienses* Magistratus suos per sortem, beneficio fabarum, eligerent, nemo admitti poterat, qui non examen vitæ & morum subiisset, atque demonstrasset, idoneum se esse ad capessendam rempublicã. Quod si qui igitur parum laudatæ vitæ convincebantur, in illorum locum substituebantur, qui secunda sortitione lecti erant, *ἐπιλαχόντες* dicti: Sin autem probabantur, solenni jurejurando fidem suam reip. obstringebant, quod accuratè docet *Sigonius*. [l. 2. de rep. Athen. c. 3. & l. 4. c. 1.] Rationem hujus consuetudinis hanc intendit hominum cautissimus *Solon*, ne per incuriam, quod in sortitionibus sæpe fieri amat, fortasse constituerent eos homines *κυρίους ἁπάντων κοινῶν, οἷς οὐδεὶς οὐδὲ τῶν ἰδίων τι ἐπιτρέψειεν &c.* ut loquitur *Isoc.* [in Panath.] Præter hanc rationem, aliam adhuc suppeditat nobis *Lysias*, [orat. 25. de probat. Evandri.] nescil. *δι' οὓς ἡ δημοκρατία κατελύετο, οὗτοι ἐν αὐτῇ τῇ πολιτείᾳ πάλιν ἄρξωσιν* &c. causam statim subjungit, dicens; [in orat. pro Mantith.] *ὡς ἐν τῷ ἕκαστον δικαίως ἄρχειν, ἥ τε πολιτεία, καὶ τὸ ἄλλο πλῆθος σώζεται.* Et hanc ratio-

tionem maximè urget *Noster*, ideoque dicit; ἐν ταῖς δοκιμασίαις δίκαιον εἶναι παντὸς τοῦ βίου λόγον διδόναι. Confirmat nostram de δοκιμασίᾳ Attica sententiam *Pollux* his verbis: Δοκιμασία δὲ, τοῖς ἄρχουσιν ἀπηγγέλλετο, καὶ τοῖς κληρωτοῖς, καὶ τοῖς αἱρετοῖς, εἴτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν, εἴτε καὶ μή. Notanter dicit *Pollux*, καὶ τοῖς κληρωτοῖς, καὶ τοῖς αἱρετοῖς, quia non tantum sorte electi, tenebantur examen publicum sustinere; sed etiam αἱρετοὶ, hoc est, qui extra ordinem operibus publicis perficiendis, ex Senatus, populique decreto præficiebantur: imo idem etiam Magistratibus χειροτονητοῖς eveniebat. Erat autem Oratorum à civitate probatorum, si quem nossent ex candidatis, ordine Senatorio indignum, id significare, & quare eundem minus idoneum censerent, declarare: idque sub religione Jurisjurandi, quod ex principio *orat. Lys.* patet, qui ita loquitur: Ἐγὼ δὲ ὀμόσας, εἰσῆλθον εἰς τὸ δικαστήριον, τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν τῇ πόλει, ἔνεστι δὲ ἐν τῷ ὅρκῳ, ἀποφαίνειν, εἴτις τινὰ οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν. quam rationem mox repetit. Quum autem Athenienses, homines quippe πολιτικώτατοι, non sufficere existimarent, ante initum magistratum aliquem esse vitæ integræ; sed insuper requirerent, ut Senatores in ipsa administratione reipublicæ essent scelere puri, aliud adhuc quoddam genus δοκιμασίας excogitarunt, quod εὐθύνην nuncupārunt.

l. 8. onomast. c. 6.

contra Philon.

Quæ eo respiciebat, ut ii, qui magistratu abirent, rationes ad Logistas referrent, utrum munere suo probè, an secus defuncti fuissent. Qui igitur convincebantur rerum malè gestarum, pœnas ex lege dabant, docente eod. *Sigon. l. c.* Dicitur hoc *Lysiæ* εὐθύνην δοῦναι & per synonymiam δίκην δοῦναι.

3. Nomen δοκιμασίας *Interpres Pollucis* latinè reddidit *censuram*, *Sigon. probationem.* quam vocem etiam *Interpres Lysiæ* retinet, vocat tamen alicubi etiam *inquisitionem.* Confirmatur vox *probationis à Glossariis vett. Græco Lat. & Latino Græco*, itemq; *Onomastico antiquo*, ubi δοκιμασία per *probationem* & *examinationem*, atque hæc rursus per δοκιμασίαν explicantur.

orat. 13. in Alcibiad. it. or. 24. & 29. in Nicomach. hujus criminis reum. it. or. 25. prob. Ev.

4. Specimina duo Nobilia hujus δοκιμασίας proponuntur nobis in *Lysia*, uno X. Græciæ Oratorum, Scriptore optimo, perspicuo, & eleganti. Cujus quidem orationes plurimæ injuria

juria temporum, & incuria majorum, interciderunt, ex reliquis tamen nobis adhuc judicare integrum est, de viribus & nervis ingenii ipsius. Quantus autem fuerit stili puritate, & proprietate, sententiarum probitate, aliisque ornamentis rhetoricis, nostrum nunc non est dispicere, adeantur ipsi fontes, *Cic. Quinctilian, aliique. Plutarchus & Photius* vocant illum πιθανώτατον καὶ βραχύτατον, ex omnibus splendidissime de eo judicavit *Dionys. Halicarnass.* acerrimus Græcorum Censor, qui omnes ipsius virtutes, prolixè refert, inter alia autem hunc in modum de illo censet; πλείστους δὲ γράψας λόγους &c. τῶν μὲν ἔμπροσθεν γεγενημένων ῥητόρων, ἢ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀκμασάντων ἠφάνισε τὰς δόξας, τῶν δὲ ἐπιγενομένων οὐ πολλοῖς τισι κατέλιπεν ὑπερβολήν. Horum speciminum unum est *pro Mantitheo*, Magistratu recens lecto, quem nonnulli deferebant, quasi minus esset idoneus ad rempublicam gubernandam, propter amorem oligarchiæ, & vitæ improbitatem: *Lysias* verò adversariorum calumnias diluendo, docet, *Mantitheum* munere publico dignissimum esse ob rationes, quas infra notabimus. Alterum *Lysiæ* nostri specimen est *contra Philonem*, sortitione in senatum allectum, quem ipse vehementer accusat, cujus accusationis rationes infra quoque exponemus.

5. Ex lectione duarum harum orationum, nasci potuit occasio observationis alicujus politicæ, quàm laudabili nimirum exemplo Populus Atheniensis, in delectu Magistratuum proborum, aliis præiverit. Hanc Magistratuum probationem *Isocrates*, aliique magno opere commendant. Si enim Certaminibus Olympicis nullis interesse licet, nisi iis de quibus exploratum habebant, parentes ipsorum nulla infamiæ labe aspersos fuisse: quanto magis in vitam & mores eorum erit inquirendum, qui censores aliorum in rebus similibus futuri, & in excelso loco constituendi sunt?

v. Lys. or. 24. de pop. statu.

6. Quoniam verò duo in hac δοκιμασίᾳ spectabantur, ipsam proinde in duas partes secabimus. I. pars aget de moribus Senatoris, ad eam præcipuè civitatis formam, in qua vivit, relatis. II. de moribus privatis. De utroque capite operæ pretium est agere.

CAP.

CAP. II.

1. Concurrunt *officium boni civis* & *boni viri* in hac δοκιμασίᾳ, id eſt, oportebat & civem bonum & virum bonum eſſe, qui Senator aut Magiſtratus Athenis erat futurus, ex norma bene conſtitutæ reip. Quanquam autem Ariſtoteles aliàs diſtinguat boni civis & boni viri virtutem; in Magiſtratu tamen conjungit. Inquit enim: φαμὲν δὴ τὸν ἄρχοντα τὸν σπουδαῖον, ἀγαθὸν εἶναι καὶ φρόνιμον· τὸν δὲ πολιτικὸν ἀναγκαῖον εἶναι φρόνιμον. Itaque asserit, Magiſtratum & civis & viri boni virtute præditum eſſe debere. Nam Magiſtratus debet eſſe prudens, ut ſciat imperare, quia eſt politicus: politici autem propria & maxima virtus eſt prudentia. Non minori tamen cura anniti debet, ut ſit vir bonus, ne ea in remp. admittat, quæ parum decora ſunt; vel formam reip. in παρέκβασιν aliquam deflectat. Hæc igitur duo in δοκιμασίᾳ Attica ſpectabantur. Itaque *Mantitheus* utrumque ſtatim in propoſitione ſibi probandum ſumit, *ſe nimirum, & civem & virum bonum eſſe:* & contra, *Philonem utraque hac virtute deſtitutum eſſe*, oſtendit *Lyſias*. l. 3. polit. c. 3. (al. 4.)

2. De priori prius erit agendum. Boni civis officium duabus rebus abſolvitur: I. *amore & ſtudio reip.* II. *Facultate civilia munia, imperando vel parendo, exequendi.*

3. Amor & ſtudium in remp. intelligitur ita: ut officio civis, qua civis eſt, contineri cogitemus, ut amet præſentem ſtatum, ſive eam reip. formam ſalvam velit & firmam, cujus eſt civis. quod *Ariſtoteles* ſimili à nautis deducto egregiè illuſtrat. Etſi enim nautæ diſſimilia obeunt munia; nihilo tamen minus, ἡ σωτηρία τῆς ναυτιλίας ἔργον ἐστὶν αὐτῶν πάντων· ὁμοίως τοίνυν καὶ τῶν πολιτῶν, καίπερ ἀνομοίων ὄντων ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστί. Sicut igitur navigantium commune eſt opus navigatio, finis verò ejus, navis in portum deductio, & ex ea emergens ſalus omnium: ita omnium civium una & communis eſt aliqua virtus, & finis, reip. nimirum conſervatio, quæ ex amore & ſtudio erga eam maximè profluit. In hac conſervatione ſalus totius civitatis eſt fundata. quoniam ex mente *Iſocratis*, ἐστὶ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἄλλο, ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσηνπερ ἐν σώματι φρόνησις. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ βουλευομένη l. ſup. cit. in Areopag. & Panathen.

περὶ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττουσα, τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα, καὶ πάντων αἰτία τῶν ταῖς πόλεσι συμβαινόντων ἀγαθῶν. 13. Philipp. quia igitur, suffragante *Cicerone*, omnibus bonis expedit, remp. esse salvam, nullo alio fundamento salus ipsius firmius innitetur, quàm amore, quo eam civis bonus tenetur prosequi.

4. *Amor autem reip.* non tantum in eo consistit, ut civis, rebus suæ civitatis maximè florentibus, illam amet, & nihil contra eam moliatur vel machinetur: sed quod caput fermè amoris in rempublicam habetur, insuper requiritur, ut eidem nutanti & periclitanti pro viribus subveniat, neq; periculis sese subducat, sed caput eisdem fortiter objectet, quo in argumento *Mantitheus* non exiguam fiduciam & robur collocat, dicens: *πρὸς τοίνυν τὰς στρατείας, καὶ τοὺς κινδύνους τοὺς πρὸς τοὺς πολεμίους, σκέψασθε οἷον ἐμαυτὸν παρέχω τῇ πόλει.* ordine deinceps recenset, quanta animi constantia & firmitudine pro patria pugnârit. ex eâdem ratione *Lysias Philonem* in odium inducere conatur. quod vitæ & facultatibus suis parcens, oppressæ reip. nullas suppetias tulerit, adeoque utilitati privatæ magis, quam publicæ saluti consulerit. asserit igitur hominem illum Senatui maximè esse idoneum, qui remp. prosperè agere velit, etiamsi id cum domestico fiat incommodo: *διὰ τὸ ἀναγκαῖον σφίσιν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι εἶναι μετέχειν τὸ μέρος τῶν δεινῶν, ὥσπερ καὶ τῶν ἀγαθῶν μετέχουσιν*, ut ibidem *Noster* loquitur.

Cic. l. 5. Tuscul. quæst. 5. Ex quo probare non vult calcatum vulgo proverbium: *Patria est, ubicunque benè est*, quod *Poeta* generalius
Stat. l. 8. Theb. ita expressit:

Omne homini natale solum.

Et Ovid. l. 1. fastor.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Ut volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Pro aris & focis potius dimicandum esse judicat *Lysias*, ita disputans: *καὶ γὰρ οἱ φύσει μὲν πολῖταί εἰσι, γνώμῃ δὲ χρῶνται ὡς πᾶσα γῆ πατρὶς αὐτοῖς ἐστιν, ἐν ᾗ ἂν ἐπιτήδεια ἔχωσιν, οὗτοι δῆλοί εἰσιν, ὅτι ἂν παρέντες τὸ τῆς πόλεως κοινὸν ἀγαθὸν, ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν ἴδιον κέρδος ἔλθοιεν. Διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα αὐτοῖς*
l. 4. fam. ep. 9. *ἡγεῖσθαι.* Propterea bonus civis patriam non minus diligere debet,

bet, quando deformior est, sed misereri potius, sicut scribit *Cic.* & si vires adsint in libertatem asserere. Fœdissimam illi sibi maculam inurunt, judicio *Lysiæ*, qui, patriâ sub ictu relictâ, aliò sese conferunt, & ruinæ otiosos se spectatores ex tutiori loco præbent. quum tamen Horat. l. 3.

Dulce sit & decorum pro patria mori. carm. od. 2.

quo modo Cato apud *Lucan.* Brutum suum instituit. l. 2. pharsal.

6. Exempla fortissimorum patriæ propugnatorum, apud historicos plurima occurrunt, qui immortalem adepti sunt gloriam. Meminerunt Deciorum, Bruti primi Cos. Codri, Thrasybuli, aliorumque *Livius*, *Sallustius*, *Justinus*, passim, *Cornelius Nepos*. Eximiam meruerunt laudem Athenienses, qui nulla pericula detrectârunt, vitæque prodigi omnia sibi tentanda & sustinenda putarunt, ut remp. pristinam recuperarent, sicut id, præter *historicos*, ex *Lysia* constat, qui & ipse suis sumtibus 300. equites bono reip. armasse perhibetur. Et, quicunque id facere abnuebant, civium loco amplius non habebantur. inde est, ut contra *Philonem Lys.* ita ratiocinetur: ὅςις ἂν ὅσον δυνατὸς ἦν ὠφελεῖν, τοσοῦτον κακὸς ἦν, πῶς οὐκ ἂν εἰκότως ὑπὸ πάντων ὑμῶν μισοῖτο. Val. Max. l. 5. c. 6.

7. Hic autem affectus partim *natura & ingenio* suscitatur: partim *disciplina & proposito* paratur firmaturque.

8. Sunt enim homines omninò diverso ingenio præditi, ut alii magis *regnum*, alii *aristocratiam*, alii *democratiam*, quinimo harum formarum excessus sive παρεκβάσεις appetant. Quemadmodum in omnibus rebus vel appetendis vel fugiendis, hominum ingenia varia sunt: alia enim in has, alia in illas diducuntur partes, prout quemq; sua trahit voluptas: ita quàm maximè hoc observatur; singulis nationibus non tantum singularem quendam genium, cum lacte quasi materno, & aëre patrio infusum esse, ut his vel illis affectibus, studiis & moribus præcipuè sint addicti. hinc majorum suorum virtutes vel vitia, quasi sorte quâdam sibi contraxisse videntur. Aliis enim inest naturalis quædam levitas; aliis gravitas: aliis Bœotica quædam tarditas; aliis Attica ἀγχίνοια: aliis mansuetudo; aliis quædam ferocia: de qua re vid. *Barclajus.* Sicut igitur homines universim diversissimis sunt præditi ingeniis; ita & pro hac inge- in Icon. animor.

niorum & studiorum varietate, alii amant hanc, alii aliam
l.7.polit.c. 71. reip. formam, quod ipsum Aristoteles nobis suggerit, dicens: σχεδὸν δὴ κατανοήσειεν ἄν τις τοῦτό γε, βλέψας ἐπί τε τὰς πόλεις τὰς εὐδοκιμούσας τῶν Ἑλλήνων, καὶ πρὸς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ὡς διείληπται τοῖς ἔθνεσι. Inde docet, homines frigidiora loca incolentes, libertatem constantius tueri, adeoque ad tolerandam monarchiam non aptos esse, quod de *Germanis Tacit.* sæpius affirmat. Asiæ verò populos contra, qui servitute & regno de-
v.Tacit.l.4 hist.c.17. spotico sub regnis Persarum, Parthorum, Macedonum, & deinceps Romanorum, semper fuerunt pressi. Græcos autem suos, ut magno animo & intelligentia pollentes, dicit *Aristot.* optimam & liberrimam reip. administrandæ rationem habere. Et sanè ita est. vett. Græci, nunquam passi sunt sibi imponi jugum, usque ad tempora Romanorum; sed semper Ari-
in Panath. stocratiæ, vel Democratiæ, ἀριστοκρατίᾳ tamen μεμιγμένῃ, ut *Isocr.* testatur, naturâ suâ favebant. Romani quoque, licet resp. eorum variis mutationibus fuerit obnoxia, popularem tamen statum vel mixtum, natura sua omni tempore amaverunt, usque ad Julii Cæsaris tempora, qui perpetuam sibi dictaturam sumsit, atque Monarchiæ Princeps extitit, quæ in sequentia etiam secula permansit, etiamsi nonnulli sæpius recalcitrare voluerint, & interdum quædam per simulachra aristocratiæ, inprimis sub novis Principibus administrata fuerint à populo, qui illustribus familiis, monarchiæ capacibus, non multum favebat; In populari enim Imperio, cui P.R. præcipuè antea suetus erat, plerunque iniquior æstimatio illustriores familias excipit, è prava multitudinis opinione, quasi libertati plebis nihil magis adversetur aut obtrectet, quàm generis prærogativa, & honor sanguinis. Itaque cum in omni hominum genere, quædam voluntatum & studiorum circa imperii formas dissimilitudo animadvertatur: ut alii quidem unius imperio sponte faveant; aliorum natura optimatium potestati accommodatior sit; nonnullos popularis libertas unicè afficiat (ut hactenus verbis *Exc. Dn. Præs. ex Diss. in Tib. Cæs.* §. 2. & 5. utar) luculenter apparet, nullos esse gratiores & utiliores cives, quàm qui formam civitatis suæ amant naturali quâdam propensione.

5. Præ-

9. Præcipuum ergo erit in cive eminente, & ad regendam ope & consilio remp. deligendo, si ingenio sit in reip. formam sua sponte propenso, ejusdemque studiosus & amans in omni fortuna. Sed manendum est nobis in democratia, cujus exemplum habet respublica Attica, ad cujus administrationem ineptos & perniciosos esse judicat *Lysias* eos, quorum, ut *Philonis*, ἐπιτηδεύματα πάσης δημοκρατίας ἀλλότρια. Quanquam autem in ea inprimis legum & judiciorum adversus spiritus oligarchicos severitas spectetur; quia tamen hæc ad δεύτερον τῶν pertinent, isto negotio nos supersedebimus. Illa vero δοκιμασία, de qua loquimur, τῶν προφυλακτικῶν est.

10. Hinc præcipua & perpetua custodia democraticæ reip. est, ne in senatum adsciscantur, aut Magistratum gerant, ingenia oligarchica aut tyrannica. Talia definiuntur *superbia & crudelitate*. *Superbiæ* indoles est hæc, ut omnes alios præ se contemnat, & alto supercilio despiciat, invadit illa homines præcipuè eos, qui secundo fortunæ afflatu utuntur, vel magnitudine aliqua animi excellere sibi videntur: unde volunt esse Principes omnium, neque disceptatione, nec ullo jure, nec legibus communibus vinci se patiuntur, vel teneri arbitrantur: existuntque in rep. plerumque largitores, ut gratiam imperitæ multitudinis, & auram popularem venentur, sicut tales χαρακτηρίζει *Cicero*. ex quo deinde provenit, ut fiant autores factionum, faces & tubæ seditionum, neque curant, quibus artibus quàm maximas opes consequantur, & in id omni studio contendunt, ut vi potius sint superiores, quàm justitia. nam istiusmodi ingeniis

——— ——— ——— *Summo dulcius unum* Stat. l. 1. Theb.
Stare loco.

Ex qua ratione hoc sibi symbolum cum *Niobe* constituunt: Ovid. l. 6. metamorph. f. 3.
Major sum, quàm cui possit fortuna nocere:
Excessère metum mea jam bona.

Nunquam cogitantes de querela *Capue*, quæ æmula quondam erat Romanorum, apud *Ausonium*:

Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem!

Sed omnia pro lubitu suo agunt; in rep. principes se constituunt, suoque ingenio adblandientes parasitastros admini-

ſtrationi publicorum munerum admovent; viros prudentes, paupertate, bonæ mentis plerumque ſorore, depreſſos, à muneribus & officiis publicis arcent, tandemque, poſtquam indies majores ſpiritus ſumſerunt, ex rep. libera dominatum faciunt.

Sen. Herc. fur. v. 252. & 342.

11. Succenturiatur demum ſuperbiæ *crudelitas*, quæ ex lex eſſe cup t. cujus ſymbolum: *Jus eſt in armis.* &

Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis.

orat. de popul. ſtatu.

Aufert hæc, & rapit imperium falſis nominibus. maximos honores decernit delatoribus, & improbitatis ſuæ juratis miniſtris. quod *Lyſ.* noſter expreſſit de XXXvirali oligarchia: *οὐ γὰρ τοὺς τῷ πλήθει ἀγαθοῦ τινος αἰτίους γεγενημένους χάριτος παρ' αὐτῶν ἠξίουν τυγχάνειν, ἀλλὰ τοὺς πλεῖστα κακὰ ὑμᾶς εἰργασμένους εἰς τὰς τιμὰς καθίστασαν, ὡς ταύτην παρ' ἡμῶν πίστιν εἰληφότες.* quod argumentum, ſi quisquam alius, ſplendidè perſequitur *Cornel. Tacitus* plur. locis. Ex delationibus naſcuntur innumeræ cædes, nam:

Juven. ſat. 4.

—— —— —— *Quid violentius aure tyranni?*

inprimis virorum illuſtrium, quorum virtutes hominibus oligarchicis & tyrannicis vehementer ſunt ſuſpectæ. cujus rei plena eſt hiſtoria Romana apud *Sueton. Tacit. Herodian.* & alios. Crudelitas autem ubi ſemel radices egit, nunquam ex animis truculentorum illorum hominum evelli poteſt, quia

Lucan. l. 1.

—— —— —— *Nullus ſemel ore receptus*
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

Tales homines erant XXX. illi tyranni, Athenienſibus à Lacedæmoniis præfecti. evidentiſſimum documentum habemus in noſtro *Lyſia orat.* 11. *contra Eratoſth.* unum ex illis XXX. Tyrannis, qui Lyſiæ fratrem in urbe ſibi obviam factum comprehendit, & cum nonnullis aliis indicta cauſâ, eâ morte peremit, quâ Socratem ſublatum eſſe dicunt. Hic *Eratoſtenes*, ex ingenio ſpiritus oligarchici, & accuſator & Judex erat *Polemarchi*, fratris Lyſiæ, de quo *Noſter* ita: *οὗτος μὲν γὰρ, κατήγορος καὶ δικαστὴς αὐτὸς ἦν τῶν γινομένων.* & mox poſtea de omnibus tyrannis ita loquitur: *καίτοι οὗτοι μὲν τοὺς οὐδὲν ἀδικοῦντας ἀκρίτως ἀπέκτειναν.* digniſſima ſanè eſt illa oratio, quæ tota legatur. exhibet enim perfectam deſcriptionem non tantùm

orat. cit. 11.

XXX.

XXX. illorum tyrannorum, satisque clare & prolixè crudelitatem facinorum ipsorum exponit; sed etiam hypotyposin habet omnium aliorum, qui animo in rempublicam solent esse infesto ac oligarchico, ex qua breviбus exscribere libet atrocitatem & immanitatem XXX. tyrannorum, quam *Lysias* his verbis complexus est: *τὺς μὲν ἐκ τῆς ἀγορᾶς τὺς δ' ἐκ τῶν ἱερῶν συναρπάζοντες, βιαίως ἀπέκτενον. τοὺς δὲ, ἀπὸ τέκνων καὶ γονέων καὶ γυναικῶν ἀφελόντες, φονέας αὐτῶν ἠνάγκασαν γενέσθαι, καὶ ὐδὲ ταφῆς τῆς νομιζομένης εἴασιν τυχεῖν.* quibus verbis nihil rotundius & simul explanatius dici potuisse videtur.

12. Solent autem homines oligarchici nonnunquam crudelitati suæ quasdam *προφάσεις καὶ σκήψεις* prætexere; quâ in re mirum in modum etiam subacti fuerunt illi XXX. viri, de quibus *Noster*: *ἐπεὶ δὴ δ' οἱ τριάκοντα, πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες, εἰς τὴν ἀρχὴν καθίστησαν, φάσκοντες χρῆναι τῶν ἀδίκων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν, καὶ τὺς λοιπὺς πολίτας ἐπ' ἀρετὴν δικαιοσύνην τραπέσθαι. καὶ τοιαῦτα λέγοντες, ὐ τοιαῦτα ποιεῖν καὶ ἐτόλμων.* Ex quibus fluit, omnibus viribus prohibendum esse, ne ingenia oligarchica sumā rerum in democratia potiantur. orat. cit. con. Eratosth.

13. Quia verò non rarò evenire solet, ut homines *πονηρῦ κέμματος*, in principio mira vafritie & calliditate animum tegere possint, quod in Monarchia Romana, in *Nerone*, *Commodo*, aliisque videre est; & demum postea, quando dominatum suum satis stabilitum & confirmatum credunt, erumpant, & ad ingenium redeant, alio opus erit remedio. Ut nimirum, quod in democratia facilè fieri potest, adamantinis legum, judiciorum, & coercitionū vinculis constringantur, ne ea faciant, quæ democratico reip. statui parum congruunt, aut civili consuetudini, ac libertati populari intoleranda sunt. Apud Romanos vetus atq; insita Claudiæ familiæ superbia, *Tacito* memorata, *apud Livium, superbissima & crudelissima* it. *imperiosissima & superbissima* dicitur, *Suetonio* dicuntur Claudii *adversus populum violenti & contumaces*. Hæc plurimarū Romæ turbarū causas dedit, & adhuc intolerabilior fuisset in mera democratia: sed propter jus ex aristocratia mixtum, populus facilius ista sustinuit. l. 1. annal. c. 4. l. 2. c. 56. l. 9. c. 29. c. 2. in V. Tib.

14. Diximus hactenus, affectum benevolum in remp. excitari *naturâ & ingenio*. Dicendum nunc de altero, quo amor

in

in civitatem paratur, nempe *de disciplina*, quæ provenit I. *ex bona educatione.* Nam in natura hominum & ingenio, non satis firmum, & omnibus numeris absolutum præsidium ad conservandam rempublicam esse putamus; quia ingenium humanum, inprimis juvenum, valdè est instabile, &

Sen. Thyest. v. 308. *Pejora juvenes facile præcepta audiunt:*

idcirco amor & studium in remp. arcta & severa educatione fortius est confirmandum. Ex proba educatione omnia bona in civitatem Atheniensium redundasse autor est *Isocrates.* (In Areopag.) Præfecerant illi quondam Censores morum, quibus inspectio juniorum demandata erat. Tantum autem ibi ponderis habebat proba educatio, ut eam omnibus legibus præferre non dubitet *Orator modo nominatus.* (or. allata.) Neque leve accuratæ educationis exemplum elucet in nostro *Mantitheo*, hunc in modum gloriante: *μέγιστόν μοι ἡγοῦμαι τεκμήριον εἶναι τῆς ἐμῆς ἐπιεικείας, ὅτι τῶν νεωτέρων, ὅσοι περὶ κύβους ἢ πότους ἢ περὶ ταύτας τὰς ἀκολασίας τυγχάνουσι τὰς διατριβὰς ποιούμενοι, πάντας αὐτοὺς ὄψεσθέ μοι διαφόρους ὄντας* &c. ex quo apparet, nisi Mantitheus egregie fuisset educatus, & per exactam disciplinam à commercio malorum segregatus, eum nunquam de se potuisse talia prædicare. Omnium illustrissimus est locus, *viri maximi*, *Aristotelis nostri*, de educatione dicentis: (l. 8. polit. c. 1.) *ὅτι μὲν οὖν τῷ νομοθέτῃ μάλιστα πραγματευτέον περὶ τῶν νέων παιδείαν, οὐδεὶς ἂν ἀμφισβητήσειε, καὶ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν οὐ γιγνόμενον τοῦτο, βλάπτει τὰς πολιτείας.* Præcipit autem ibidem, juvenes iis moribus esse imbuendos, quibus maxime illa respublica gaudet & juvatur, in qua vivere debent, exempl. gr. in Populari statu, populares mores imbibere decet: sicut in statu optimatium, eos, quibus Aristocratici delectantur. Educatio autem ipsa, ex mente *Aristotelis* sit publica. *δεῖ γὰρ τῶν κοινῶν κοινὴν ποιεῖσθαι καὶ τὴν ἄσκησιν.* Sed quia hæc instituto nostro non magnopere inserviunt, lubenter ea prætermimus.

15. Hinc est, quod viri summi, *Plato, Cicero, Isocrates, Plutarchus* tanto studio de diligenti liberorum educatione scripserunt. Potest juvenis manu parentum & aliorum, quorum fidei comissus est, fingi ad instar ceræ, ut imago universæ educationis ipsius, in omnem secuturam ætatem sit mansura. Semina virtu-

virtutum, maximâ curâ & diligentiâ, ita ei sunt inserenda, ut in naturam abiisse postea videri possint: vitiorum verò tetro aspectu ob oculos posito, inclinationes ad illa paulatim sunt exscindendæ. maxima profectò debetur puero reverentia secundum *Juvenalem*: Sat. 14.

Nil fœdum dictu visuq; hac limina tangant,
Intra quæ puer est. nam
Gratum est quod Patriæ civem, populoq; dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus.

id. ibid. conf. *Hor.* passim. Ubicunque igitur hæc duo, bonum ingenium, & proba educatio conspirarint, ibi de prospero successu, & salute publica non erit dubitandum.

16. Comparatur II. vel augetur studium in rempublicam *literis & doctrina*:

Doctrina sed vim promovet insitam, Horat. l. 4. carm. od. 4.
Rectique cultus pectora roborant.

ἡ μὲν ὅρασις ἀπὸ τῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων, solitus fuit dicere *Aristoteles* apud *Diogen. Laert.* Etsi quosdam impetus amor ille in rempublicam à natura sumit, tamen est perficiendus doctrina: avidè hæc animo haurienda, sed ad usum quoque deinde transferenda, ab illis præcipuè, qui in spem patriæ succrescunt, & in luce hominum ac foro aliquando versari debent. unde dogma Euripideum discendum, cujus memoriam nobis conservarunt *Aristoteles & Stobæus*: quum aliquis principi cuidam suasor esset & autor, ut verborum flores & lenocinia aucuparetur, Princeps laudabiliter respondit: l. 3. polit. c. 3. serm. 43. de Princip.

Μή μοι τὰ κομψ', ἀλλὰ ὧν πόλει δεῖ.

17. Studia verò talium esse debent, *prudentiæ civilis & militaris*, partim usu; partim assidua historiarum evolutione acquisita. Cui ex more & ingenio hodierni inprimis seculi, accedere debet scientia *architecturæ*, & similium artium, quibus reip. negotia carere non possunt. Ita olim laudatissimi quique Virorum informati & educati fuerunt. vid. omnino Xenoph in pæd. Cyri.

18. Sed ne discedamus ab exemplo: qui in democratia, ut Athenis, de quibus nobis sermo est, vitam acturi sunt, debebant potissimum talibus scriptis gaudere, ex quibus cogni-

tionem rerum Atticarum haurire liceat, qualia consignaverunt Historici, Oratores, Poetæ. Ex illis *Thucydides* & *Xenophon*; ex Oratoribus *Demosthenes* & *Isocrates*, nocturna diurnaque manu versandi. *Isocrates* præsertim solus, civi in populari rep. honores gesturo, plus prudentiæ, & utilis disciplinæ præmonstrabit, quam omnis peregrina versutia, cum suis artibus ad fallendum, opprimendum, dominandum plerumque pertinentibus. Quid de peregrinis istis versutiis & technis sentiendum sit, complexus est, *Cl. Dn. Pras. in diss. de peregr. Cas. German.* §. 47. *Livii* historia Romana, civi democratico rempublicam gesturo, non parum suppeditabit accuratioris disciplinæ, ut intelligatur ex ipsa mixtura moris Aristocratici, Democraticarum artium sinceritas, & variæ declinationis gradus cognoscantur.

19. Studium erga rempublicam acquiritur & conserva-
l.5.Ethic.c. 1. al. 3. tur III. *legibus*, ad reipublicæ cujusque formam examussim accommodatis, monente *Aristotele*, qui ita philosophatur: *οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων, σοχαζόμενοι ἢ τοῦ κοινῇ συμφέροντος πᾶσιν, ἢ τοῖς ἀρίςοις, ἢ τοῖς κυρίοις, ἢ κατ' ἀρετὴν, ἢ κατ' ἄλλον τινὰ τρόπον.* quod ipsum latius ibidem diducit, monstrans quomodo leges unicuique præscribant, vitam suam agere, ac nihil mali in rempubl. admittere. *Michael Ephesius* doctissimus hujus libri *Interpres*, *τὸ τοῦ κοινῇ συμφέροντος πᾶσι καταςο-*
l.1.rhet.c.4 *χάζεσθαι* ad *δημοκρατίας* refert. cum alter, quem *Daniel Heinsius Andronicum Rhodium* putavit, minus accuratè, *ad quamvis reipublicæ formam applicet.* Nobilissimus apud *eundem*
l. 1. c. 8. *Arist.* occurrit locus de legislatione, ubi ad nostram rem ita disserit: *ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἐςὶ σωτηρία τῆς πόλεως. ὥστ' ἀναγκαῖον εἰδέναι, πόσα τέ ἐςι πολιτειῶν εἴδη, καὶ ποῖα συμφέρει ἑκάςῃ, καὶ ὑπὸ τίνων φθείρεσθαι πέφυκε.* Nam ut idem habet: *τὸ τέλος ἑκάςης πολιτείας οὐ δεῖ λανθάνειν.* Sed nunc de illis legib. peculiariter sermo est, quæ mores democraticorum, sive consuetudinem
Arist. l. 1. rhet. c. 8. & l. 4. pol. c. 8. it. l. 6. c. 2. democraticam præcipiunt & formant. de quibus regula: *nunquam feliciter aget respubl. democratica, in qua civibus remp. administrantibus impune licebit violare leges Democraticas*, illæ verò omnes spectant libertatem, siquidem *δημοκρατίας τέλος*
Orat. 13. *ἐλευθερία.* Si quando igitur leges democraticæ remittuntur,

tum

tum Democratia fit debilior, ut tandem migret in oligarchiam. *Aristoteles ibid.* cont. Alcibiad. leges patrias violantem.

20. Hinc est, quod *Lysias* dicit: δοκεῖ δέ μοι καὶ πολίτου χρηστοῦ, καὶ δικαστοῦ δικαίου ἔργον εἶναι, ταύτῃ τοὺς νόμους διαλαμβάνειν, ὅπῃ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον μέλλει συνοίσειν τῇ πόλει. Immo non posset stare ulla democratia, nisi acerrima custodia, & severa sanctione, legum democraticarum vigor conservaretur. Lege Alcibiadis historiam; quo potuissent bono cive uti Athenienses, nisi mores inciviles & oligarchicos tentare, mox apertius exerere, etiam peregrè inferre eum sivissent. De quo *Noster orat. contra Alcibiadem* filium patri simillimum, gravius adhuc censet, eumque non tantum coercendum fuisse, sed citius necandum existimat, inquiens; εἰ τηλικοῦτον ὄντα ἀπεκτείνατε, ὅτε πρῶτον εἰς ὑμᾶς ἐλέβετο ἐξαμαρτάνοντα, οὐκ ἂν ἐγένοντο συμφοραὶ τοσαῦται τῇ πόλει.

21. Ad officium porrò boni civis, spectat in δοκιμασίᾳ Attica, ut aliquis facultate civilibus muneribus, imperando parendoque, fungendi, sit præditus. de quo tractat magnus noster *Aristoteles*: ἀλλὰ μὴν ἐπαινεῖταί γε τὸ δύνασθαι ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι καὶ πολίτου δοκίμου ἡ ἀρετὴ εἶναι, τὸ δύνασθαι καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι καλῶς. & rursus: δεῖ δὲ τὸν πολίτην τὸν ἀγαθὸν ἐπίστασθαι καὶ δύνασθαι καὶ ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν. Hæc facultas in rep. democratica, sed & Aristocratica, mixtaque, fere concurrit, id est, ut unus idemque per vices scientissimus imperandi parendique sit: sed & de cetero suppletur altera pars in imperantibus, animi civilitate, & communi sensu, ut princeps, exempl. gratia, animum privati quodammodo induat, cogitetque, *quid aut voluerit, aut noluerit sub alio principe.* Aristotelis locus potissimum ad civem democraticum pertinet, illustraturque à *Cicerone*, qui sic philosophatur: *nam & qui benè imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modestè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse: itaque oportet & eum, qui paret, sperare, se aliquo tempore imperaturum: & illum, qui imperat cogitare, brevi tempore esse parendum.* l. 3. polit. c. 3. l. 3. de leg.

22. Sicut autem ex omni in rep. actione & vita τὸ δημοκρατικὸν τοῦ ἤθους καὶ ἰσόνομον potuit cognosci: ita δοκιμασία Attica apud Lysiam singulare ejus rei argumentum petit *ex ipso statu, & mutatione aliqua, sive perturbatione reipublicæ.*

 23. Per-

(de qua v. diss. Ampl. Dn. Præs. de amnest. ad Vell. c. 1. §. 16. seqq.)

23. Perducta eò res erat, ut pauci ad se omnia traherent, adeoque *οἱ τριάκοντα* superbissimam, crudelissimamque oligarchiam exercerent: *Lysias* ergo, licet plura alia argumenta adducat pro Mantitheo, hinc tamen potentissimum argumentum petit, volens ostendere, tum maximè potuisse perspici, qui à populari imperio animo essent alieno, nec ne. hîc enim locum habet illud poetæ: *qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi, neque commovetur animus in ea re tamen, scias posse habere jam ipsum sua vita modum.* Mantitheum autem rationes suas ab oligarchica ista consuetudinne omninò sejunctas habuisse, studioque in remp. constanti meruisse, ut Magistratu dignissimus judicaretur, ita demonstrat: Si Mantitheus spiritu fuisset oligarchico, & amans novitatis, in exilio certè non commoratus fuisset, sed commodissima hac occasione arreptâ, partibus tyrannorum accessisset, quoniam, *ζῆν μὲν γὰρ διάγειν ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ χαλεπὸν ἦ, ἐξαμαρτάνειν δὲ τῷ βυλομένῳ ῥᾴδιον.* quem arietem *eidem* intorquet, quando ita argumentatur; *ὥς τε γὰρ τότε ὐδὲν ἐξήμαρτον, ὕτω πολλῆς διδομένης ἐξυσίας ἧπε νῦν σφόδρα προθυμηθήσομαι χρηστὸς εἶναι εὖ εἰδὼς, ὅτι ἐὰν ἀδικῶ, παραχρῆμα δώσω δίκην.* Tantum autem abest, ut Mantitheus in remp. peccaverit, ut potius contra hostem fortiter decertaverit; adeoque patriæ studiose subveniendo, salutaris civis, eamque ob causam honorum publicorum capax fuerit. Quemadmodum autem ætate XXX. virorum, animi oligarchici fuerunt detecti: Sic Romæ temporibus Marianis, Sullanis, Catilinariis, cognoscere potuerunt, quinam civium essent cupidi rerum novarum.

Terent. Andr. act. 1. sc. 1.

in orat. de populari statu.

Conf. Isocr. de Bigis. Amartyr. & advers. Callimach.

24. Ex his, quæ dicta sunt, non inelegans quæstio politica oritur, & ab *Oratore nostro* alibi tractatur: *An venia sit danda viro, qui vocatus vel coactus adjunxit sese improbis rerum dominis?* censetur omninò iniquum, improbis sese associare, decreta ipsorum tacendo probare, & ad flagitia illorum connivere. Possit tamen is rerum status incidere, ut bonus vir, etiam ubi mali dominantur, non planè debeat à rep. se abstinere. Quia hic bonus alii cuidam pravo aditum præcludit, & ita numerum improborum minuit. Bonus ille nihil mali machinabitur, ipse leges iniquas non feret, &c. Quæ omnia facturus vel aucturus fuisset nefarius civis, qui loco boni viri

ri reip. esset adhibitus. Bonus porrò, si malis consiliis apertè contradicere non audebit, interrogando tamen & disputando, quædam in controversiam vocabit & denique, occasione oblata, ipso facto conamina malorum reprimet, vel penitus abolebit. Quam quæstionem eruditè valdè, singulis momentis probè consideratis, discutit *Noster*, & inprimis hoc argumentum urget: *Si boni malis in urbe non fuissent permissi, exulibus nunquam patuisset reditus in urbem.* orat. 19. Polystr. & loc. parall. or. 24. & 25.

25. Licet autem haud rarò magnum constantis in remp. fidei argumentum esse hoc possit; majus tamen nonnullis videntur dedisse Theramenes, Autolycus, Thrasybulus, cum sociis, æternam laudem adeptis, qui partim vitam, partim patriam amittere maluerunt, quàm democratici status violatoribus non resistere. v. sup. laudatam diss. de amnestia c. 1. §. 20. seqq.

CAP. III.

HActenus boni civis officium. Nunc *boni Viri munus* considerandum erit. quod alteram δοκιμασίας Atticæ partem tenet, ubi omninò requiritur, ut is, qui *Senator*, *aut Magistratus in Democratia vult esse*, *sit vir bonus.* Vir autem bonus ex sententia *Aristotelis* καλοκαγαθίᾳ præditus esse debet, hoc est, universo virtutum choro stipatus, quem Justitia universalis in se complectitur. *Cicero* virum bonum *innumerabilibus officiis* contineri ait; debet hic omni & loco & tempore, eodem se habere modo, neque de statione sanæ mentis pati se dejici. debet esse τετράγωνος, ἀμετάπτωτος & ἀμετακίνητος. Ratio hujus est duplex: 1. quia *fundamentum* omnis bonæ administrationis in republ. est *Virtus*. Quæ proprium hominis bonum. Quod unicum est immortale, contingens homini mortali. bona omnia sub se complectitur. nam omnia in se habet, omnia assunt bona, quem penes est virtus, ait Plautus. Ubi autem fundamentum probe est jactum, ibi partes reliquæ omnes appositè coagmentari possunt. Hinc *Isocrates* ἀνάγκη γὰρ τοῖς περὶ ὅλων τῶν πραγμάτων καλῶς τὰς ὑποθέσεις πεποιημένοις, καὶ κατὰ μέρη τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχειν ἐκείνοις. In quacunque igitur rep. summæ rerum præficiuntur viri boni, hoc est, eximiis virtutibus insigniti, in ea necesse est, omnia ex voto procedere. Altera ratio, ob quam *Senator Vir bonus* esse

l. 3. off. Tacit. l. 4. hist. c. 17. Sen. ep. 98. Sen. ep. 98. Amphit. act. 2. sc. 2. In Areopagit.

tenetur, est hæc; quia eminentiores cives, id est, Senatores

l. 3. d. ll. c. 4. & Magistratus ceteris exemplo esse debent. Utrumque complexus est *Cicero*; *Ordo (Senatorius) vitio vacato; ceteris specimen esto.* Quapropter omnes, qui ad dignitates publicas sunt evecti, debent *παντὸς ἀλόγου πάθους καὶ πάσης κακίας ἀμέτοχοι εἶναι*, ut vult *Philo de Judic.* *ἄτοπον γὰρ* (inquit *ille ibid.*) *ἁμαρτήμασιν ἐνόχους εἶναι τοὺς τοῖς ἄλλοις τὰ δίκαια βραβεύειν ἀξιοῦντας, οἷς ἀναγκαῖον καθάπερ ἀρχετύπου γραφῆς ἀπομάττεσθαι τὰ φύσεως ἔργα πρὸς μίμησιν.* Cui calculum adjicit *Isocrates* hac sententia: *τοὺς μὲν μετοίκους τοιούτους εἶναι νομίζομεν, οἵουσπερ ἂν τοὺς προστάτας νέμωσιν: αὐτοὶ δ' οὐκ οἰόμεθα τὴν αὐτὴν λήψεσθαι δόξαν τοῖς προεστῶσιν ἡμῶν.*

Conf. Lips. l. 2. pol. c. 9. Tantum autem præsidii collocat Mantitheus in eo, quòd sit vir bonus, ut hanc ipsam rationem juxta eam exaudiri velit, quâ probat, se esse bonum civem. sic autem ille: *ἀξιῶ δ' ἐὰν μὲν τοῦτο μόνον ὑμῖν ἐπιδείξω, ὡς εὔνους εἰμὶ τοῖς καθεστηκόσι πράγμασι* &c. *μηδὲν πω μοι πλέον εἶναι. ἐὰν δὲ φαίνωμαι περὶ τὰ ἄλλα μετρίως βεβιωκὼς*, &c. *δέομαι ὑμῶν ἐμὲ μὲν δοκιμάζειν.*

in Panath. 2. Quandoquidem autem *οὐδεὶς ὅς τις οὐχὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων προκρίνει εὐσέβειαν, τὴν περὶ τὸν θεὸν, καὶ τὴν δικαιοσύνην, τὴν περὶ τοὺς ἀνθρώπους*, laudatissimo Oratore *Isocrate* innuente: Eminentior quoque virtus apud *Lysiam* nostrum, primo loco ponitur *Justitia.* cujus pars est *publica privatis anteponere*, de quo cap. sup. quoq; jam actum fuit. Est quidem *τοῦ δημωφελοῦς καὶ κοινῇ συμφέροντος ὀλίγη τοῖς καθ' ἕνα φροντὶς, τὸ δὲ καθ' αὑτὸν ἕκαστος εἰ μὴ προχωροίη, οὐδὲν τι μέγα ὠφελεῖσθαι νομίζει.*

Herodian. l. 2. c. 3. Sicut Pertinax Imp. conqueritur. Et sanè multitudo ita est animata. Longè verò aliter comparatus esse debet Princeps vel Magistratus in rep. aliqua. ille enim privata publicis postponere debet, quem ordinem

l. 1. offic. c. 17. describit *Cicero. Omnibus* (inquit ille) *qui reipubl. præfuturi sunt, utilitas civium sic est tuenda, ut, quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum.* Ut enim tutela, sic procuratio reipubl. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt; non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. *Privatæ res*

l. 2. c. 30. *semper offecère, officientq; publicis consiliis*, ait *Livius.* hoc autem mirum non est, *quia pessimum veri affectus & judicii ve-*

Tac. l. 1. h. 15. *nenum est sua cuiq; utilitas.* Quod præceptum, cum *Philo* valde neglexerit, *Lysias* eum à Senatoria dignitate rejiciendum

esse

esse asserit. de toto hoc negotio vid. *Cic. l. c. & Isocr. orat. de pace sive sociali.*

3. Pars hujus *Justitiæ* est etiam *æquitatis amor & studium.* [l.6.pol.c.2.] Nam, ut est apud *Aristotelem*, in Democratia φασὶ δεῖν ἴσον ἔχειν ἕκαστον τῶν πολιτῶν, hæc æqualitas ex ipso fine Democratiæ manat, qui est libertas. cujus hæc nota; ut vicissim omnes imperent, ac pareant. *Lysias:* [orat. 34. pro forma reip. recepta.] ἡγοῦμαι ταύτην μόνην σωτηρίαν τῇ πόλει, ἅπασιν Ἀθηναίοις τῆς πολιτείας μετεῖναι. Nam sicut aliæ formæ rerump. certis quibusdam fundamentis innituntur, ita etiam status popularis, peculiare habet quoddam Jus, in quo æqualitas spectatur. Consentit *Isocrates*, qui ita scribit: [in Areopag.] Ἐν γὰρ τῇ τῶν ἀρχῶν αἱρέσει, καὶ τῷ βίῳ τῷ καθ᾽ ἡμέραν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύμασιν, ἴδοιμεν ἂν παρ᾽ αὐτοῖς (λακεδαιμονίοις) τὰς ἰσότητας καὶ τὰς ὁμοιότητας μᾶλλον, ἢ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἰσχυούσας: οἷς αἱ μὲν ὀλιγαρχίαι πολεμοῦσιν: οἱ δὲ καλῶς δημοκρατούμενοι, χρώμενοι διατελοῦσιν.

4. Notetur autem *argumentum*, quod *Lysias* petit à *Justitia erga proximos*, ad Justitiam erga *rempubl.* qua Mantitheus insignis fuit. Exigua ipsi substantia, à patre fuerat relicta: ex qua tamen duas sorores non tantum honestè elocavit; sed fratri, qui id ipse fatebatur, plus, quàm sibi assignavit. geminus planè *Proculeio* illi, ab *Horatio* laudato. [l.2. carm. od. 2.] Et contra, hoc ipsum argumentum, tanquam validissimum iterum adhibet *Lysias* in vituperio *Philonis*, quem vel ex hac unica ratione repudiandum esse ducit, quod erga familiares, inprimis verò matrem injustus fuerit; dicit enim: τοιαῦτα γάρ ἐστιν ὥστ᾽ εἰ καὶ μηδὲν αὐτῷ ἄλλο ἡμάρτητο, διὰ μόνα ταῦτα ἱκανὸν εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι. Huc pertinet *Ciceron.* tractatio, [l. 2. off.] quibus rebus & virtutibus in republica authoritas & benevolentia comparetur vel teneatur. Ducuntur autem homines aut benevolentia, ac beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aliisque rebus, quæ singula ibid. eruditissimè pertractata, legi malumus, quam huc transscribere.

5. Justitiæ partem fecere Ethnici *pietatem:* [In Panath. Areopag. Plin. l. 14. nat. hist. c. 19. Cic. act. 4. in Verr.] Nos Christiani primo loco in omni & cive & viro bono eam requirimus. Commendat hac in parte magnoperè Athenienses vett. *Isocrates.* Magnum est pietatis & religionis in animos hominum imperium. Religione enim vita constat. Omnes moventur religione, & de-

os

cõnf. Isocr. l. 1. ad Nicocl. & laud. Busirid. os patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur. *Aristoteles* civitati maximè necessariũ esse cultum divinum fatetur. *Plutarchus* adversus Colotem ita sentit: facilius sibi videri urbem, condere sine solo, quàm opinione de diis penitus sublatâ, civitatem coire aut constare: religionem videlicet συνεκτικὴν εἶναι πάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. Atque hæc Ethnici, à veræ religionis notitia alieni. Christiani autem religionis multò accuratiorem debent habere curam, planè persuasi, eâ neglectâ vel prolapsâ necessariò quoque remp. pessundari. Siquidem, quando Deus, Autor & Gubernator omnium bonarum Rerumpubl. despicitur & relinquitur: fieri non potest, quin civitas ab eo vicissim derelinquatur. Debet E. omnis Magistratus Religionis veræ esse studiosissimus.

l. 7. polit. c. 8.

6. *Humanitas* quoque in Magistratu vehementer est laudabilis. Quando is cum suis civibus, ita versatur, sicut Pater cum suis filiis vivere solet. Quo modo efficitur, ut subditi amorem & fidem erga Magistratus tenacissimè servent & custodiant, majoriq; promptitudine animi imperata exequantur. Debent autem ista humanitate non cives duntaxat gaudere; sed etiam ignoti & exteri. Hanc ob causam *Aristoteles* reprehendit *Platonem*, qui permiserat, χαλεποὺς εἶναι πρὸς τοὺς ἀγνῶτας.

l. 7. pol. c. 7.

Neque, ut *Plato* quidem sentit, optimi sunt custodes, qui canibus sunt similimi, qui notis quidem adblandiuntur, ignotos verò allatrant, & dentibus petunt. Non ita. πρὸς οὐδένα γὰρ εἶναι χρὴ τοιοῦτον. Prorsus indecorum est, si Magistratus sit

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.

Nam, qui erga peregrinos difficiles sese superbosque præbent, eadem, si facultas erit, importunitate, adversus cives utentur. Et, verendum esset, ne inhumani & austeri mores in crudelitatem adversus quosque degenerent.

Et hæc de celebri illa δοκιμασίᾳ Magistratuum, & Senatorum Atheniensium, quod statum inprimis democraticum attinet, breviter dicta sufficiunto. Plura quidem adhuc in medium proferri potuissent, de reliquis præsertim virtutibus, quæ Magistratum exornare solent: verum quia ratio nostri propositi noluit nobis permittere, omnia persequi, satis esse duximus, præcipua capita attigisse, & ad reliqua, veluti digitum intendisse.

XXXI.

XXXI.

PRÆSIDIA PACIS.

MAgnum, ſed, ut in bellicoſa civitate, rarum erat apud Romanos feſtum *Augurium Salutis.* Quod *Dio Caſſius* tale divinationis genus fuiſſe oſtendit, quo omnia captabantur, an fas eſſet, populo ſalutem à Diis precari: die inprimis ſolenni, i. e. quo nullus in hoſtem exercitus eductus, nulla pugnata pugna eſſet. Quæ etiam cauſa fuit, cur inter bella civilia & perpetuas tot annorum diſcordias, celebrari iſta ſolennitas non potuerit. Itaque Cæſ. Auguſtus, referente *eodem Hiſtorico,* maxime lætatus eſt, illo honore, quod poſt bella civilia, Actiaco prœlio finita, *Augurium Salutis* factum eſt. Tum enim clauſæ ſunt Jani portæ, adeoque opportunum viſum eſt tempus, ſolennia tamdiu intermiſſa, & ante annos ab illo tempore quadraginta quatuor, parum proſperè tentata, fauſtiore ſucceſſu repetendi, Concurrerunt ad felicitatem tanti Principis adornandam, ſive ad ſæculum iſtud Auguſteum inſigniendum, tria iſta incomparabilis celebritatis ſpecimina, *Templum Jani clauſum,* (i. e. pax per orbem terrarum diffuſa) *Augurium Salutis* celebratum, & *Ludi ſeculares* inſtituti. Sicut autem his tam ſingularibus ſæculi ſui titulis plurimum tribuit Auguſtus: ita trina hæc fecilitas ſæculum hoc noſtrum, proximoſque ejus annos longe luculentius beare viſa eſt. Remota enim omni ſuperſtitione Ethnicorum, Germania noſtra itidem incomparabilium ejuſmodi feſtorum celebritate inuſitata adhuc perſonat, Deoque laudes & grates habet, & auguſta maximorum Principum nomina, quibus ad hanc felicitatem DEUS uti adminiſtris & actoribus dignatus eſt, ſolennium obſequiorum pietate extollit atque veneratur.

lib. 51.

lib. 51.

Et ſi quidem ſummatim agendum eſſet, beatiſſimo PACIS vocabulo, tergeminam iſtam, de qua agimus, ſolennitatem non jejunè exprimeremus. *Pax* enim eſt, quam poſt diuturna bella, ab omnibus deſideratam, à plurimis deſperatam, DEUS inſperato plane beneficio, communi patriæ reddidit; neque jam Jani, qui nullus eſt, ſed belli, imo Orci, unde bellum exoritur, portas clauſit; illudque proprium noſtris annis carmen fecit, ex *Poëta*:

Fff fff *dira*

Virgil. 1. Aen.

——— *diræ ferro, & compagibus arctis*
Claudentur belli portæ, Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Pax est, sive pars solennitatis & celebritatis, quæ ob pacem Germanicā agitatur, illud *Salutis augurium*; quando non ex avium volatu, non ex curiosa dierum hariolatine, sed ex sanctissimis, vereq; cœlo proditis oraculis, DEO pacis nostræ Auctori supplicamus, ut nostra tempora, nostra pectora, consecrata & apparata esse velit jubeatque, ad insequentium annorum quietem & securitatem, pie ominandam, prudenter meditandam, feliciter impetrandam. *Pax* est, imo fundamentum & hujus novæ pacis, & pristinæ in Germania concordiæ, quæ bellis tam atrocibus temerata est, *Secularis memoria*, *Pacis à Religione nomen adeptæ*: quæ non ludis quidem, ut Romani talia temporum intervalla insignire solebant, sed religiosis officiis serioque æternitatis studio, cohonestanda & concelebranda est. Indigni certe ad omnem posteritatem tantis muneribus haberentur, qui ad ea vel intelligenda, vel celebranda, non satis ingenii, non satis curæ deprehenderentur attulisse. Sed ingenii quidem palmam, aliis merito relinquimus. Studio autem & proposito boni civis nemini cedere, inter ea est, quæ jure sibi vindicant, quicunque Germaniam patriam habent non novercam.

Congruentissimam itaque felicitati sæculi rem videmur facturi, si veluti in pio salutis Augurio, *PACIS GERMANICÆ PRÆSIDIA* pro captu & simplici officii civilis proposito, ita meditemur, ut aliorum prudentiâ nostras cogitationes erudiri, & favore secundari, eadem opera exoptemus.

Si quis ergo *Præsidia Pacis* voluerit requirere, ipsa Pacis natura & indoles monebit, in eo tutelam ejus consistere, si injuriæ omnes absint, & ex diverso officia civilis socialisque vitæ & necessitudinis, studiosè colantur. Quibus partibus veteres Philosophi *Justitiam*, i. e. virtutem maxime socialem & continendæ paci civili unice accommodatam describunt, sicut videre est, apud *Cic. in officiis.* Nos, quibus hoc compendium loquendi alio loco non incommodum videtur, hic malumus singillatim quædam enumerare.

Pri-

Primum ergo inter *Præsidia Pacis* locum merito sibi vindicat

PIETAS.

Et quanquam nulla pietatis pars sit, quæ non paci firmandæ servandæque aliquid præsidii polliceatur; potissimum tamen hoc volumus: ut firmo constantique animi proposito DEUM pacis nostræ auctorem & conservatorem unice credamus; ut Deum, qui Principibus & Proceribus nostris, mentem pacandæ Germaniæ indidit, supplices exoremus, quo servandæ tuendæque pacis immobile studium iisdem commendet; ut DEI opem auxiliumque, adversus omnia ea, quæ possunt pacem infirmare, aut perturbare, primum & summum, sine quo nulla secunda, nulla inferiora, vel valere possunt, auspicium constituam'. Dum hæc adferuntur, non potest non in oculis nobis esse sæculi nostri genius, à serio cordatoque pietatis studio, plurimum aversus. Verbo equidem ubique præferuntur pietatis elogia; quotienscunque de malis Reipublicæ vel præteritis vel imminentibus sermo suscipitur. Conspirant in eo monumenta publica, in historiis & Archivis: neglectum Divini Numinis puniri periculis & detrimentis Reipublicæ, sed quando propius rem ipsam inspicimus, pleriq; humanis consiliis operibusque omnia Reipublicæ fata tribuere videntur, infausto utique omine, & ad perpetuitatem pacis parum accommodato. Persuasissimum enim omnibus esse debet, ad pacem colendam nihil esse efficacius studio seriæ pietatis, quæ ad Deum pacis auctorem irretorto oculo respicit, quæ pacis magistra est, quæ sui in terris operis summam, in pacis fructu & consuetudine constituit.

II. BONI MORES.

Hocquoque *pacis præsidium*, in fundamentis cæterorum collocandis præstruendum est; eo magis, quia ex pietate potissimum oritur. Quid enim valeant bonæ leges in Civitate, nisi boni moris disciplina, autoritati legum animos præparet, formetque? Hinc est, quod rectissime Prudentes statuunt, omnis ejus curæ quæ in tuenda ornandaque Republica ponitur, principium à bonis moribus repetendum esse: qui nisi in civitate sint, frustra de cæteris præsidiis cogitatur.

Itaque hac de re bene disserit *Julius Pflugius Episcopus Naumburgensis, in oratione de ordinanda Republica Germaniæ,* ante annos paulo minus centum scripta: *Rempublicam satis bene administratam esse, dum boni atque antiqui mores in natione nostra viguerunt. Hominibus nostris,* inquit, *ut nihil fuit antiquius, quam honeste vivere, ac de patria bene mereri, ita vicissim nihil odiosius quam turpiter vivere, & patriam deserere: ut Respublica nostra, etiam cum minus quam ante posset, moribus tamen bonus hominum nostrorum, se ipsam satis bene tueretur; & appareret, verissimum esse, quod sapientissimi homines in ore habent, non esse, cur quisquam statum Reipub. bonum non virtute potius ac pietate, quam pecunia, opibus, potentia metiatur, cum finis ejusdem sit, ipsa bene beateque vivendi ratio.* Inter mores illos antiquos quorum meminit, fuit præsertim, Fides, Constantia, Fortitudo, Parcimonia, Frugalitas, Continentia. Hi mores, quotiens mutati sunt, totiens Respublica in periculum non corruptionis modo, sed diminutionis atque eversionis incidit. Bonis itaque civibus studiosissime videndum erit, an non in hos mores maxima labes invecta sit, tum ante hæc bella postrema; tum in ipsis bellis augmenta ceperit, & nunc post pacem nondum persanata sit. Ut enim de *Fide* ordiamur, quæ à natione nostra illustre quondam cognomen tulit, ut *Fides Germanica,* pro sincerâ, candidâ, constanti, genuinâ celebraretur: Verendum sane est, ne valde degeneraverit apud multos patrium hoc & gentile bonum. Apud majores nostros *mores cuique sui pro jurejurando erant,* ut hoc *Libanii* verbis dicamus, Senatorum Judicumque suorum laudem præfantis *Tom. 2. Operum. oratione 28.* Hodie consuetudo peierandi, astutia simulandi ac dissimulandi, vafrities cavillandi, quæ promissa, quæ dicta, quæ conventa sunt, prorsus infecit sæculi mores. Sive à Gallis, Italis, aliisque nationibus hæc tantum xenia reportamus Germani: sive licentia bellicorum temporum & facinorum, ut cœpimus dicere, has in Germaniam reliquias ita dispersit, quasi novorum bellorum semina. *Fortitudo* saltem, inquis, antiqua Germanica, non decrevit bello, sed aucta est? Nihil minus. Fortitudinem enim nemo unquam constantiâ tantum & peritiâ pugandi æstimavit: sed præsertim disciplinâ & amore honestatis: quæ nisi subsit, nullis virtutum titu-

Apud Goldastum in Politicis Imperialibus Parte 16.

pag. 618.

titulis locus est. Auximus sane peritiam & consuetudinem bellandi: sed omnem disciplinæ amorem & scientiam amisimus. Fertur Regis Galliarum superiore sæculo, dictum de Germanis, *Joachimo Camerario* quoque annotatum, *in rebus anni* 1558. *Germanos nationem esse, illam quidem militarem & fortem, sed præterquam quod igne & ferro non vastent suorum regiones, non videre quid hostes detrimenti amplius dare possent.* Multum detraxit hoc dicto de vera fortitudinis laude; utinam proximi temporis memoria, non plus detraheret! talia enim fuerunt bella nostra, ut non disciplinæ tantum militaris detrimentum nobis inveherent, sed omnis prope boni moris oblivionem, propinato incolis Germaniæ, veluti lethéo poculo infunderent. Sancta olim erat *patria necessitudo:* adversus quam ut Germanus quisquam militaret, nullo peregre sacramento induci potuit. Sancta amicitiarum inter populares sinceritas: sanctum Juris communis, decorisque civilis studium. Ad quod violandum, ne cui sua dignitas aut familia licentiam faceret, Nobilitati quoque placuit gravissimum istud & Germanico nomine vere dignum *censura genus*, quo ad ludos equestres & militares nemo admittebatur, qui ullo probri genere (raptu, adulterio, homicidio, aut simili infamia) contaminatus esset. Dici posset amplius, si locus & instituti ratio pateretur, plerasque *Ordinum Equestrium leges*, à Germanis profectas inter prima commendasse receptis in collegium Equitibus, curam honestatis, pudoris, justitiæ, temperantiæ. Verum, quantum bella nostri temporis deflexerint animos, non est nostrum, prolixe dequeri. Hi sunt nimirum fructus bellorum, de quibus conqueritur etiam Tiberius apud Tacitum: *externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Intemperantiam* autem & *luxum* inter ea esse, quibus civitatum status & fortuna debilitatur, nullo negotio ostenditur. Quando enim in victu cultuque nullus servatur modus, perierit oportet apud cives communis ille honesti amor, quo tanquam spiritu civilis socialitas viget, omnisque rerum ad felicitatem & incolumitatem ducentium series continetur. Deflexi autem à publicæ salutis sensu, studioque animi, strenua ignavis, generosa mollibus, præclara inanibus,

Tom. 3. German. Rer. Freh.

1. A. 540

bus, posthabent; totoque rerum expetendarum bono civi & fugiendarum delectu, fine frustrantur. Nimirum sacrosanctos civilis conditionis, quæ æqualitate constat, limites ambitio migrat: omnique humani Juris terminos avaritia dissipat. *Luxui* enim *Ambitio* magistra; *Avaritia* famula est. Illa impendiorum & profusionum machinatur consilia, designat genera, captat præmia: hæc, ne absumendi materia desit, opes conquirit, & flagrantibus cupidinibus tanquam incendio ligna subministrat. Tetriorem avaritiæ vultum ambitionis blanditiæ & delinimenta, quadam simulandi calliditate velut excusant. Ita, dum utraque sibi tendit, Respublica in medio relicta merces fit facinorum, de quibus ambitiosi & avari inter se contendunt. Dumque hac ratione, multi per rapinas spoliantur, multi ad rapinas pelliciuntur, perit amor pacis & concordiæ, acciditque, ut bellum ultro placeat. Et in Germania quidem nostra, nullum putes forte à luxu periculum superesse: postquam instrumenta luxus bello absumpta videntur. Nimis tamen videtur remansisse apud nonnullos eadem pereundi perdendique libido, quæ in pace fuerat. Sed huic rei succurrendum est, tum aliis modis, tum restitutione legum, quæ inter bella oblivioni traditæ, securiorem fecere luxum. Novum enim inter *præsidia pacis* titulum meretur.

III. LEGUM AUCTORITAS.

Imperium nostrum Germanicum eâ *Legum* sapientia & æquitate instruitur, ut nullus possit reperiri populus vel olim vel hodie, cujus Eunomia præferri mereatur. In quam rem magnorum virorum extant dissertationes & panegyrici: quos non exscribimus. Nobis enim *de una tantum & altera lege*, cujus vinculo pax in solidam firmitatem colligatur, propositum est mentionem inferre. Præcellunt judicio omnium illæ leges, quæ ad ipsum totum Reipublicæ statum pertinet, & vastum illud Imperii corpus connectunt, amplitudinem ejus disponunt, membra interioribus inter se vinculis devinciunt, quales sunt: *Aurea Bulla*, *Constitutiones de Pace publica*, *Capitulationes Cæsarum*, *Pax Religionis*, & nuper *Instrumentum pacis*. Imprimis autem *Pax religionis*, & *Instrumentum* Pacis in hoc transcursu non possumus non inter sacrosancta pacis

præ-

præsidia venerari: quando recogitamus, utramq; hanc constitutionem non nisi incomparabili gravissimorum bellorum impendio, infinitis cædibus, totaque malorum & plus quam Iliade constitisse: flagrantissimisque desideriis, suspiriis, lacrymis, & lethali pene deliquio totius Germaniæ, unico ultimoque remedio subvenisse.

Invitaret sane nos secularis celebritas, quam OB PACATAM ECCLESIAM ET RELIGIONI CHRISTIANÆ QUIETEM PARTAM anno superiore vergente agitarunt, qui Augustanam Fidei formulam profitentur; ut in admirationem & considerationem tanti boni digrederemur. Quis enim non videt cœleste & divinum hoc bonum, sive originem ejus, sive argumentum, sive conservationem reputemus, plane mysteriis plenum esse? Sed, quoniam hujus tractationis ea est amplitudo, ut in hunc scripturæ modum cogi nequeat, summa tantum fastigia velut indice digito demostrare licebit. Reperendæ ergo sunt animo, omnes illæ tragœdiæ, quæ per quadraginta circiter annos, dissidentes in Religione animos superiore sæculo ita perturbarunt, & exacerbarunt, ut spei vel parum vel nihil ad concordiam restituendam, & infesta odia comprimenda superesse videretur. Inter hos metus generosissimæ *Caroli V. Imperatoris, & Ferdinandi Fratris Ejus, Romanorum Regis*, mentes ad sanctiora conversæ consilia, divinis auspiciis, restituerunt, quod humanis concertationibus paulo post interiturum erat. Quærunt hic, non uno proposito consilioque plerique; unde Augustissimo Cæsari tam repentinum pacandæ religionis propositum? & repentinum quidem fuisse, non satis bene dixerit, qui totius negotii seriem altius introspexerit. Sed ut emature sceret, quod incomparabile par Fratrum inter arcana Reipublicæ præsidia animo conceperant, variæ adferuntur causæ. In quibus primo loco collocari solet, *infida & subdola Pontificum Romanorum amicitia; tot eorum simultates, tot adversus Austriacos consilia*, nunquam diu celata, sæpe prorsus dementi ratione patefacta. Hinc *importuna illa & abnormia postulata*, cum diminutione Imperatoriæ dignitatis conjuncta, nullamque vel tralatitiæ prudentiæ imaginem præ se ferentia. Certe, ante constitutam religionis pacem Paulum Papam IV. ad Gallicas partes transiisse, ne *Bzovius* quidem *in anna-*

In anno 1555. p. 305. *annalibus*, haud magno judicio compilatis dissimulare potuit: qui & ex *Theatinorum quorundam*, quos elogio sanctitatis, honorat, *literis* demonstrat, *hunc Pontificem minime studiosum pacis publicæ, sed instigatu & delationibus hominum turbidorum, maximarum calamitatum causam extitisse.* Unde mirum non fuerit, si Maximus Princeps Carolus talem Pontificis perfidiam ad paciscendum cum nostris incitamentum habuerit. Huc accessisse dicunt *Gallici & Turcici belli metum:* adversus quem non nisi pace domi stabilita, satis se muniri Cæsar credebat. Additur *terror ille Oenipontinus*, quem Mauritius Saxo, Germanicæ libertatis assertor fortissimus, Carolo incusserat. Hæc, inquam, omnia aliquid ad pacem Religionis momenti attulisse non frustra creduntur. longe tamen efficacioris fuisse stimuli *interiorem illam instinctionem, quæ Carolo animum pridem talibus consiliis attemperabat*, non desunt quæ nos credere jubeant rationes. Ecce enim qui Smalcaldicum bellum minoribus de causis susceperat & profligaverat, nunc nihil agitat de Oenipontina offensa demenda, & fama vindicanda. Imo post Passaviense fœdus, cum munimenta libertatis Germanicæ in Mauritio Saxone extincto concidisse viderentur, magnaque Cæsari timendi cavendique caussa decessisset, religioni plena pax confirmatur ab eo, quem non jam periculi, sed religionis & conscientiæ necessitudo huc vocabat. Cum enim non defuissent, qui excelsam Caroli & Ferdinandi indolem non simplici illecebra ad acriora, quam tutiora potentiæ augendæ consilia deflectere anniterentur; quasi & tempus fatumque Germanis adventasset, quo Dominum pati docerentur, & exstirpatio religionis tum repurgari cœptæ, Cæsarei muneris præcipua pars esset: DEUS T. O. M. arcanis hortamentis tanti Principis mentem admonuit, impetum sufflaminavit, prudentiam altiori disciplina perfecit. quo factum est, ut prorsus persuasum haberet, peregrina illa & vasta consilia, quibus nonnulli res Germanicas inquietatum ibant, Deo minime cordi esse: Tum Majestate imperatoriâ indignum esse, dominationi Pontificiæ suam fortunam & manum commodare, adversus eam religionem, quæ ex verbo DEI revinci non poterat; cum præsertim sciret, cujus vitio nulla in colloquiis conciliisque (quæ ipse generoso con-

ſo conſilio ſæpe commendabat) ſpes eſſet. Ita Princeps non minus glorioſe triumphare, quam feliciter bellare ſolitus, pacis amorem & concordiæ publicæ deſiderium, ex omni occaſione præ ſe tulit. Factum id eſt, cum depoſito imperio Gandavi Legatum Pontificis alloqueretur, Pauloque citra ambages neque ſine tacita exprobratione nunciari juberet, *ut publica Chriſtianorum tranquillitati conſuleret.* Quod hactenus, ut ante dictum eſt, Pontifex ſcilicet minime fecerat, Miraculum vere fuit, ſed divinum: *Cæſar Pontificis Doctor & Magiſter; Miles ſacerdotis ad pacem amandam conſultor.* Quo eodem tempore & fratrem moneri Cæſar voluit: ne *Germaniam domeſticis bellis ulterius atteri pateretur; Turcis utique prædæ futuram, niſi pace convaleſceret.* Atque, ne vicinus tantum morti hoc pacis ſtudio incaluiſſe videatur Carolus, ſatis conſtat jam ante complures annos tabulas teſtamenti eum confeciſſe, in quibus Filium hortatus eſt: *ut pacem tantopere à Deo hominibus commendatam coleret, neque in bellum niſi ægre & juſtiſſimas ob cauſas atque prorſus coactus, conſentiret.* In iisdem ſupremæ voluntatis tabulis præceſſerat; *ſe poſt tentata omnia, ad componendum religionis diſſidium nullum aliud remedium idoneum, quam concilium reperire potuiſſe.* Quæ omnia *Bzovius in annalibus* repetendo 1558.
confitetur. Sed & Ferdinandus frater gratulari ſibi impoſterum ſemper ſolebat, quod DEUS ſibi hanc mentem indidiſſet, ut pacem religionis ope conſilioque juvandam conficiendamque exiſtimaverit.

Nec minus religionis eſt in ipſo ſanctiſſimæ conſtitutionis argumento, quod alii totis voluminibus ſibi explicandum ſumpſerunt. Nos in hac feſtinatione *unanimem conſenſum & heroicum concordiæ ſtudium in omnibus Ordinibus imperii ac Statibus; aſſeverationem verborum graviſſimam & Germanico nomine prorſus dignam; ſanctionem acerrimam ac ſeveriſſimam,* prono cultu veneramur, & *Comitiorum Auguſtanorum anni 1555. decretum*, ſæculi novi ac felicis auſpicium, pignus, compendium deprædicamus. Vocat enim nos illa Providentiæ divinæ in res Germanicas cura, quæ non minus benigne *conſervavit* Germaniæ tantum munus, quam admirabiliter inſtituit. Fas equidem erat legem publicis comitiis, ſanctione Severiſſi-

rissima, fide contestatissima firmatam, nullo cujusquam verbo ac ne cogitatione attaminari, violarive. sed longe secus accidit. Pacem religionis infamarunt calumniæ; cavillatæ sunt disputationes; distraxerunt litigia; territarunt arma. Frustra id quidem. DEUS enim præsto erat, qui muneri suo perpetuitatem parabat. Recidit in autores turpis calumnia. Quis enim est, qui non detestetur *Campanellam*, *Carafam*, Sciolos alios, qui Caroli V. imprudentiam & parvi lentitudinem animi incusare non verentur, quod is, cum Mauritium Saxonem Septemuiratûs insignibus ornaret, nihil in religionis negotio urserit, nihil extorserit? scilicet in tam humiles animas & depravatas, non cadit rectum de generosis gravioris prudentiæ actionibus judicium. Quare ne Ferdinando quidem, ejusdem cum Fratre ingenii Principi pepercerunt maledicæ linguæ: dum alii non satis constantem in pertendendis contra Protestantes consiliis incusant; alii Religionem in quæstu habuisse, nullaque conscientiæ cura, ut Imperium sibi pararet, talis pactionis blandimento irrepsisse in Germanorum animos, flagitiose ementiuntur. Quæ tam turpis calumnia etiam ab illo Gallo, qui absolutum *Ministri Status*, ut hodie appellant, exemplum sibi visus est formare, incaute, & prorsus imperite recocta est. Quam enim abludit ab omni ejus temporis historiâ, adeoque ab ipsa ratione, Ferdinandum, jampridem de imperio, etiam Fraterna suffragatione, certum, intempestivi ambitus postulari? Nihil dicemus de illa malignitate, speciem religionis indutâ, quam *Dillingenses commentarii*, & Loiolitici sub personato *Francisco Burcardo* furores, in Pacem religionis profuderunt. Quin imo (quod nemo bonus civis & Germanici sanguinis memor sine horrore audiat) repertus est ante annos non adeo multos vir non incelebris, qui publice auderet scribere: *pacem religionis à Pontificiis & Protestantibus vere observatam, quo facta sit animo*: quasi diceret, tam Catholicos quam Augustanæ Confessioni addictos, non ex animo consensisse in hanc pacem. Quæ audacia gravissimis utique pœnis digna, omni exemplo caret; atque ut in posterum careat Reipublicæ interest. Non defuerunt, sicut diximus, qui Carolum, qui Ferdinandum, ob pacem religionis initam, incusarent. At, qui fidem tantorum Heroum in dubium vocaret, eosq; non ex animo pepigisse, i.e. quid

Minist. d' Estat.

De autonomia.

notat etiam Schutzius Coll. Iuris Publ. vol.2. disp. 4. thes. 9. pag. 150.

quid aliud quàm publicis ſanctiſſimiſque cæremoniis ipſique jurisjurandi religioni illuſiſſe, citra piaculum ne cogitari quidem, nedum pronuntiari, nemo fuit quin crederet. Verum nos relictis tam triſtibus, quibus res ſanctiſſima non niſi impie temerata eſt, molitionibus, DEO potius iterum gratias agimus, quod in hujus temporis felicitatem ſeruavit tantum Securitatis Germanicæ munimentum.

Quod ut eſſet inexpugnabile, in omnibus, quæ hoc toto ſeculo celebrata ſunt, Comitiis, nominatim confirmatum eſt. Neque *Comitiorum* tantum *decreta & Receſſus Imperii*, ſed *Inſtrumentum* quoque *pacis*, ſolenniſſima formula *Pacem Religionis, ſancte & inviolabiliter ſervandam* denuo ſanxit; *declarationem* nonnullorum *perpetuo* valituram adiecit; omnesque & undecunque profectas *contradictiones* irritas & inanes pronuntiavit. Vt jam nihil opus ſit, Bullam iſtam Jovis Latialis prolixis commentariis refutare. Sacroſancta eſt & ad omnem poſteritatem venerabilis, & contradictionibus quibuscunq; ſuperior, Majeſtas, Sereniſſimorum Principum, Auguſti Cæſaris, Regum, Ordinum ac Statuum Imperii, quæ huic pactioni auctoritatem & vim irrefragabilem eſſe voluit, juſſit. Fuit itaque, ſicut eſſe debuit, nuper, quando ſecularem Pacis Religionis memoriam inſtauravimus, inter titulos & argumenta pietatis publicæ, imprimis nobile ſtudium celebrandi, & coram DEO commendandi hanc vere auguſtam, vere Germanico nomine dignam ſummorum Heroum noſtrorum prudentiam & moderationem: qua certe totius pacis Germanicæ firmitas continetur. Permiſſis enim quæ olim increbuerant, & adhuc hodie quibusdam in locis obtinent, diſſidiis ex religione captatis, Pax Germanica, præter nomen inane nihil haberet. Jubet me ipſa Pietas, ut HERO meo SERENISSIMO AC POTENTISSIMO SAXONIÆ ELECTORI, PATRI PATRIÆ, TOTIUSQUE GERMANIÆ SINGULARI PRÆSIDIO, ſubmiſſiſſime gratuler, quod, poſt tot in Religionem Chriſtianam inſtauratam merita, nuper etiam tanto Feſto, in quo & ſanctiſſimorum Majorum, & Ipſius virtus inter publicos laudum, gratiarum, gaudiorum titulos fuit, ſuum auſpicium commodavit. Nimirum non poteſt obſcura eſſe divina in res noſtras benignitas, quæ ſummum Heroem, videre, inſtituere, illuſtrare vo-

vid. Ludov de Monteſperato: in vind. pacific. Oſnabr. & Ioh. Hornb. in exam. Bullæ Pap. Innocent. X.

voluit illum diem, quo nullus fere vel complemento temporis perfectior, vel SERENISSIMÆ DOMUS SAXONICÆ meritis cumulatior, vel fatorum exantlatorum in melius profectu beatior, nominari potest. Sed hæc quidem æternus annalium honor perpetuitati famæ commendabit: de quibus tenuitas stili mei, post humillimam professionem devotissimi ad omnia obsequia animi, me jubet conticescere.

Neque opus fuerit longum sermonem ordiri, de *Instrumento Pacis*: quod inter leges Imperii nostri, singulari divinæ providentiæ consilio receptum consecratumque est.

Illud unum adjicere, officii fuerit, quo patriæ omnes Germani obstringimur. Supplices, inquam, ad DEUM preces fundimus, ut civibus nostris mentem sanctissimi pacti amantem, Augustissimo Cæsari ac Principibus nostris auctoritatem & consilia implendi perficiendique, quod semel instaurandæ ex ruinis imminentibus patriæ decreverunt: exteris studium pacis nostræ fovendæ conciliet, inspiret, conseruet.

IV. ÆQUITAS JUDICIORUM.

A legum sanctitate ad *Judiciorum æquitatem* ipsa res deducit eum, qui de *Præsidiis pacis* cogitationem suscipit. Omnis enim bonarum legum vigor sanctissima Judiciorum autoritate consummatur. Et quoniam illa res in Imperio Germanico, varietate temporum aliquid difficultatis contraxit, summopere iterum prædicanda est *Augustissimorum Principum* providentia, qui non tantum, de Templo Justitiæ per omnem Germaniam instaurando exornandoque in Osnabrugensi formula asseveratissime admonuerunt; sed in nuperis quoque Comitiis in eam curam incubuerunt, & adhuc vigili oculo omnia perlustrant, quæ tam salutari operi perficiendo idonea contingere possint.

Quid aliud hic, quam pium & simplex votum, pro felici successu nobilissimorum consiliorum, addere fas est? Si quid amplius desideretur, majoribus opus est autoribus, qui ista suadeant, eloquantur, explicent. In quibus *Magnifici & Nobilissimi* OELHAFII singularis prudentia & pro patriâ studium non potest non omnibus bonis civibus probari, & à me hoc loco, venerationis ergo, commemorari: cum præsertim de aliis ad *Tem-*

vid. Templ Pacis orat. 3.

plum

plum Pacis communiendum pertinentibus, ut de *Onerum Imperii æquabili partitione & dispensatione*, similibusque gravissimis argumentis, talia differantur in illo opere, quæ & pondere rerum ingentia, & expositionis facultate illustria, merito habentur. Nam *præsidia pacis* omnia & singula satis demonstravit Ipsa *Pactionis Osnabrugensis Formula*. sed quomodo ad tutelam pacis adornari & in totum Imperii corpus efficaciam suam diffundere debeant, id vero *Mæcenatibus suis* & *Patriæ patribus* amplius consultandum, expediendum, maturandum, supplicibus votis jam pridem Germania, in eventum exoptatum suspensis animis intenta, commendavit. Hujus desideriis inter privatos suffragari, & felicitatem sæculi in Academia, id est, in ea officina, quæ nos ad omne actus publici specimen præparare debet, pie meditari, fas & jura sinunt. Sequitur ergo

V. PRUDENTIA ADMINISTRANDÆ REIPUBLICÆ.

Prudentiam Pacis servatricem, recte faciunt opinor, qui partim ad *Statum Reipublicæ*, partim ad *Actiones* in *Rep.* referunt: eo dispositu, ut à priore pars posterior pendeat, suamque æstimationem accipiat, neque enim prudenter in Republica, vel imperando vel parendo versabitur, qui ad statum sive formam Reipubl. non omnia exegerit, direxeritque. *Prudentiam Status*, ut ita vocemus, non una hominum genera, nec unis de causis in Republica violant. I. Fatale quodammodo periculum est, à *Peregrinorum Ingeniis consiliisque* sive etiam à *peregrinis consiliis*. nam & domi sæpe inveniunt Respublicæ, qui ad omnem posteritatem peregrinitatis rei non immerito audire debeant, eò quod nihil illis præter externi moris exempla in Republica placerent: quique ex sua patria, modo Galliam, modo Hispanicum regimen, modo Italicam πολιτείαν constituere aggressi essent, si proposita eorum provenissent. Ita superiore sæculo in Gallia non defuisse feruntur, qui ad Turcici Imperii instar Franciam redigendam censerent; subornato Ponceto quodam qui suaderet, *Proceres ante omnia è medio tollendos, & nobiles sensim carpendos. Nam cum in regno tres Ordines sint, eos aliorum quasi vindices & assertores esse & regiæ potestatis quasi ar-* Thuan. l. 57.

arbitros ac moderatores, ita ut qui legem aliis debet dicere ab iis plerumque accipere cogatur. ad tollendos autem proceres & nobilitatem in ordinem cogendam, placere, ut bellum religionis colore, qui apud alios duos ordines, Ecclesiasticum & Plebejum, speciosus est, alatur. nam sic paulatim ad internecionem eos, præsertim quo quisque generosior est, deleri posse: neque defuturas artes, quibus ii, queis belli fortuna pepercerit, in pace opprimantur. Sequuntur hujus generis alia: *de proceribus & nobilibus per periculosas & sumptuosas legationes ac subtracta honoraria & pensiones atterendis; de comitiis vitandis tollendisque; de primoribus civitatum opprimendis, de mœnibus & munimentis urbium arcibusque diruendis.* Hæc *peregrinæ Politicæ* tentamenta, subinde atrox bellum concitarunt. Quare optima ratione in *Capitulationibus Cæsareis* provisum, declarat *Vir Magnificus Benedictus Carpzovius*, ut illustria in Imperio officia, non nisi illustribus Germanis committantur. II. Quibus summa ratio & prima lex prudentiæ esse debet, *eum Reip. Statum amare & tueri, quem majores instituerunt, avi & patres nostri comprobarunt, tot Augustissimi Cæsares jurisjurandi religione confirmarunt.* Nam qui subinde ad ulteriorem antiquitatem respiciunt, & ad ejus exemplum omnia componi volunt, ex iis audire velim, quid tot sanctissimis cærimoniis & legibus, per quarum ruinam, ad ulteriora ista incedendum esset, faciendum? Si qui autem de antiquissima illa Romani Imperii formula nihil immutatum, sed omnia in hunc diem durare, vel credere ipsi vel aliis persuadere possunt: illorum sapientiam inauditam, qui capiat rerum temporumque haud imperitus, nescio an unquam exstiturus sit. Prudentissima est Eprii Marcelli apud Tacitum & huic loco propria vox: *se meminisse temporum quibus natus sit: quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, præsentia sequi.* Scilicet ubi absoluta unius potestas, ex lege & pacto recepta obtinet, imprudenter & arroganter se gerit, qui ad morem liberæ Reipub. formæ agit & loquitur: ut invicem, ubi libertas aut mixtus status valet, obnoxie loqui & agere, neque concesso jure uti, nec prudentis nec constantis viri est. III. Hujus prudentiæ, præsertim hodie, pars est, *ne prudentes viri se perfusoriis assertionibus accommo-*

Comment. L. Reg. Germ. c. 10. sect. 2.

4. Hist. 8.

modent; quibus tota de Statu Reipubl. controversia intricatur. IV. Omnis ævi experientia docet, *infausta esse quæ de mutanda Reip. forma suscipiuntur, consilia.* Lege & intellige historias, quæ unquam Respublica, semel constituta, bonis consiliis in alium statum mutata est? quicquid ad demutandum & corrumpendum Reip. Statum consultari agique vidimus, pravis consiliis originem suam debet. Per ea, cum Respublica in summum discrimen est deducta, tum vero DEUS novum Reipubl. Statum singulari suæ providentiæ opere, constituere solitus est; ut pro eversione imminente, conversio; pro afflictione, concussio; Rempublicam non perderet, sed in alium statum transponeret. Hæc per mutationem instaurandæ Reip. specimina, vere divina sunt opera: sicut hominibus propriæ sunt molitiones convellendæ, infirmandæ, destruendæ civitatis formæ. V. Ita autem felicissime status Reipub. conservabitur, *si suprema ratio Status constituatur in unitate Reipublicæ*: Vt ita administretur Respublica tanquam unum corpus. Habet enim hic locum, & meliore philosophia, quàm ipse autor explicaverat, applicandum venit Platonicum illud: *Rempublicam tanto fore feliciorem, quanto ad unitatem fuerit restrictior*; sive, *eo plus felicitatis in Republica esse, quanto plus unitatis.* Quicquid ergo ad divellenda omnium commoda pertinet, quicquid ad unam partem extollendam, alteram deprimendam spectat, ad prudentiam status parum idoneum debet videri. VI. Talia enim ad *novam & pravam rationem status* deflectunt, *quæ Prudentibus nostris plurimum vitanda est.* Quid ad Germanos cives, quæ exterorum vafrities excogitavit, & specioso *Rationis Status* titulo præscripsit, commenta, & mysteria κακοπολιτείας: ne sane ea ignoremus, ipsa securitatis nostræ ratio suadet. Ad cavendi enim agendique peritiam pertinet, eorum ingenia & inventa nosse, quibuscum Reipublicæ nostræ negotii aliquid haud raro intercedit. sed inter cives, civiliter; inter Germanos, Germano candore; in Republica optime constituta, optimis, id est sincerissimis consulendi agendique rationibus vivendum est.

Prudentia quæ ad actiones pertinet amplissimæ considerationis est, & per omne argumentum Reipublicæ discurrit:

Ita-

Itaque non est hujus loci, ad singula sermonem porrigere. Ingenium Germanorum in prudentia consiliorum & actionum, hodie incusare, non nisi per magnam imperitiam aut malignitatem, possunt Exteri. Qninimo non desunt rationes, quibus ostendatur, neminem popularibus nostris in hoc genere præferri posse. Itaque ne refutatione quidem dignos putamus, qui acceptas à veteribus quasdam nænias, nulla temporis aut negotiorum distinctione, impotenti cavillandi studio redintegrant. Nos satis scimus, quæ in Germania parum prudenter actitata sunt, non ab ingenii vitio, sed ab aliis causis, quarum commemoratione hic merito abstinemus, provenisse. neque tam obesæ naris, puto, illi ipsi criminatores, putabunt Germanos, quin astutiarum & vaframentorum intima, quibus se & alios fatigatum eunt, qui soli præter cæteros sapere sibi videntur, animadvertant, intelligant, caveant. Non defuit hactenus ad istam quoque prudentiæ partem ingenium; neque deerit in posterum. Jam vero, quantum est quod usus & exercitatio robur adstruxit? si vel sola sesquisæculi disciplina utamur: nihil est, ex omni prudentiæ publicæ privatæque argumento, quod non intra hoc temporis spatium, suas vices, suos casus, sua momenta, sua fata, per utriusque fortunæ genera, per consecutionum variarum seriem, per intertrimenta & successus, per eventa & prodigia, nec impleverit modo, sed geminaverit, imo cumulaverit. Huc respicientibus irretorto oculo, non poterit obscurum esse, quid sequendum, quid vitandum sit, quomodo prudentia deliberandi, dexteritate agendi, Respublica servari, à corruptelis vindicari, felicitatis publicæ instrumento perornari debeat. Si præsertim consilii in Republica & de Republica capiendi, tum laboris ad perficienda consultata sumendi, auspicium à DEO repetatur: qui solus, Principibus solertiam, administris industriam largitur; veramque prudentiam non humanis tantum disciplinis docet, sed arcano motu instinctuque ad efficaciam salutarem temperat. Prudentia Imperii Germanici moderatrix, per corporis late fusi vastam molem, ita distrahitur, ut parti consulere nequeat, qui totum animo non complectitur. & in tot tamque prægrandibus membris, cum semper aliquid sit quod altero firmius

mius aut infirmius valeat, suaque commoda aut incommoda alteri debere aut non debere cupiat: itaque nullus tam vigil tam perspicax oculus est, qui omnia obtutu pervidere, providere, discernere, ac quæ, ex quibus, & quando consecutura sint, arbitrari possit; nisi ille, qui totus est lux, totus est oculus, conspicilia præparet, nubeculas discutiat, aciem dirigat.

Prudentiæ insuper in medium conferendæ, & sociato provisu acuendæ firmandæque, salubri instituto *Comitia* majores nostri destinarunt. *Comitiis* aliquid sanctum inest, in omni regiminis genere: etiam ubi omnes unius jussa aspectant. *Non enim audiendos esse, qui Regem infra dignitatem facere ajunt, cum conventus habet*, præclare disputat *Hospitalius Galliæ Cancellarius* apud *Thuanum*. *Quid enim magis regium*, lib. 27. pr. inquit, *quàm jus suum cuique tribuere? aut qui fieri illud commodius potest, quam cum facultas datur omnibus mala sua, incommoda, questus, libere ac publice, ubi fuco ac fraudi locus non est, expromendi? Sic enim fit, ut reges officii sui admoneantur, & populos antiquis tributis levent, nova non imponant, nimiis & damnosis sumtibus abstineant, munera publica ac magistratus minime venales habeant, ad episcopatus ac cætera sacerdotia non nisi dignos provehendos, curent, quæ hodie pravo usu negliguntur: quippe cum Reges non nisi alienis oculis & auribus, videant & audiant, alieno arbitrio vivant, & de summa rerum statuant, à suis veluti fraudulenta indagine cincti; & qui alios ducere debebant, ipsi ducantur.* Cujus generis plura ibi adferuntur. In mixto autem Reipublicæ statu, & in Libertate, ipsius formulæ partem Comitia faciunt; ubi de communi consensu ordinum, decerni & statui, quæ ad Rempublicam pertinent, summa ratio est. In nostro certe Imperio, sanctissimis, quibus Respublica describitur, legibus, Comitiorum jus & auctoritas sancitur. His Comitiis, nihil habet orbis, quod majestate Procerum, aut splendore libertatis æquare possit. Sicut & aliàs Reipublicæ nostræ nihil ex omni antiquitate par aut secundum nominari potest. Unde *Thuanus*, accurati judi- lib. 2. cii scriptor, postquam Reipublicæ Germanicæ Amphictyonicum concilium XV. populis constans & Achæorum fœdus XII. civitatibus in unum corpus collectis institutum, compa-

vid. Polyb. 2. 41. rare cœpit, opus habuit adjicere: *Verum hac cum Germania comparata, quasi musca ad elephantum: nam facile fuit, ut populi inter se contermini, exterorum injuriis obnoxii, cum alter alterius ope indigerent, una convenirent, & idem sentirent communis salutis tuendæ causa. quemadmodum & facile ii conventus aut externis opibus, aut domesticis dissensionibus postea dissoluti sunt: Quamvis eorum umbra quadam etiam sub Romanis Imperatoribus remanserit. mirum vero tot potentes populos, non vicinorum metu, aut ulla necessitate adductos in hanc status formam consensisse, & semel acceptam, per tot sæcula tam constanter retinuisse, ut nullum robustius corpus, licet ex debilibus plerumque membris conflatum, si singulos spectes, aut hodie sit, aut olim fuisse homines meminerint. & quod magis admirabile est, cum ex diversis administrationum generibus constet, summa concordia ab eo tempore inter eos extitit; nisi si quando, semina dissensionum inter eos tacta sunt, quibus id effectum est, ut excusso imperii jugo, Pontifices in Italia rerum potiti sint, & ad alias nationes atque adeo Germanos ipsos paullatim Pontificii nominis terror pervaserit, salva tamen & incolumi in Germania ad nostra usq; tempora Imperii majestate.* Adjiciendum est his admirandis, quod inter nova discordiarum semina, natasque exinde exitiabiles pene concertationes, hodieque stat Reipublicæ majestas: Pacisque (faxit DEUS) invictæ vigor, tum in aliis rebus, tum in Comitiis instauratis elucet. Sicut autem Achaicus consessus, nostris comitiis exæquari nullo modo potest; Ita *leges Comitiales* Achæorum non possunt non omni laude dignæ haberi. Inter eas fuit, quæ moras consultationum, & frustrationes præcideret, efficeretque, ne cunctando senescerent consilia, quando constitutum erat: *ne ultra diem tertium concilium gentis traheretur, verum ut eo omnino die decretum fieret.* Non dissimilis prudentiæ altera lex fuit: *Nec cui exteræ gentis legato Concilium daretur, nisi editis prius mandatis scriptis, per quæ ante appareret, cujus causa concilium postularetur.* Ita prospectum fuit, ne quid in concilio legibus Reipublicæ adversum, aut utilitatibus alienum moveretur; atque de exploratis sententia dici accuratius posset. Fertur & alia lex: *ne cui Achaici concilii civitati seorsum legatos mittere ad exte-*

exteros fas esset. Adversus munerum quoque corruptelas, egregie cautum est: *Ne quisquam donum à quoquam Regum caperet.* Quæ omnia præclare explicat & ex *Polybio* præcipue repetit, magni nominis Jureconsultus *Jacobus Gothofredus in oratione*, cui titulus est *Achaica, seu de causis interitus Reip. Achæorum.* Nostris Comitiis boni consilii nunquam potest copia deesse, si scopus Germanicæ libertatis, ac Imperii majestas, &, ex utraque, DEI gloria, deliberationibus consultandis auspicium faciant: neque locus relinquitur aliorum spectantibus propositis, quibus ab omni ævo optima deflecti, maxima debilitari consueverunt. Fuit inter solennia fere argumenta comitiorum, deliberatio de bello Turcico; cui quæ objectæ sint moræ, quæ difficultates innatæ, non est nostrum differere. omnes certe sciunt, vel ad mentionem rei tam probatæ quondam, animos hominum diverse trahi, & solicite cuncta circumspicere ac suspicari. Sed nos alia vocant: nec omitti inter præsidia pacis debet

VI. REI LITERARIÆ CONSTITUTIO.

Pax enim *& Quies bonis artibus* etiam hoc nomine indigent; quatenus boni moris disciplina, & administrandæ dexteritas Reipublicæ, doctrinâ traditur capacibus animis, & perficitur. Scholis ergo bene constitutis, quin de pace bene sperandum sit, dubitari nequit. Nemo certe tam imperitus est civilis vitæ, quin bonos in Republica mores, educatione scholastica, & religiosa Theologorum institutione unice generari & formari intelligat. Sine bonis autem moribus parum cætera ad solidam felicitatem perficere, supra dictum est. Quò itaque propius componendis moribus scholæ fuerint attemperatæ, eò habendæ erunt meliores rectioresque. Vix autem in perpetua pace res scholastica à corruptione, & inolescentibus næuis immunis servatur. Vnde judicium fieri potest, quantum tam diuturna, tam sæva bella, labis consciverint rei tam delicatæ sanctæque. Verum ista in meliorem statum reducere, altioris fuerit curæ, quam omnibus publicæ salutis moderatoribus in parte officii DEUS ipse monitu instinctuque commendavit. De literis & studiis ipsis, quibus per

plures annos operatum me habuit parentum voluntas, cum venia doctorum virorum pauca quædam hoc loco interrogare licebit. I. *An scholis illustribus, non tamen summis* (Gymnasia vocabulo veteri significatione nova appellitant) *plurimum esset profuturum, si ad docendas, quæ ibi traduntur, disciplinas, mature largioribus stipendiis conducerentur, qui primum ipsi docenda serio condiscerent?* ita, ut e. g. unus græcæ literaturæ, alius hebraicæ, alius Latinæ eloquentiæ, & variæ eruditioni, alius Philosophiæ canonicæ aut naturali, aut activæ, in peregrinationibus Academicis juberentur vacare; hanc Academiam, hos viros, primum; hos deinde; hos postea adire; indeque ex præscriptâ peritè formulâ, hæc aut ista, aut illa eruditionis præsidia reportare. Ex quibus scilicet postea ad gravissimum docendi munus periti vocarentur, quique à peritis didicissent; neque facile, ac cuivis committendum judicaretur munus scholasticum. II. *An ex usu & natura Academiarum sit, operam dare, ut sint quod dicuntur, id est literarum Universitas, sive ut nullum studiorum genus negligatur, nullum contemnatur; sed omnia cultu & honore afficiantur ab omnibus, qui barbarorum nomen, studiis Academicis directa fronte adversum volunt subterfugere: ut series & ordo profectuum sit, ut conjungenda conjungantur; ut obiter tractata, & per compendium percepta, sine probro nemini jactare, aut in modum eruditionis penitius hausta arrogare fas sit: ut bonorum autorum (quorum apud paucissimos vix perfunctoria notitia est) & antiquitatis erudita sapientisque reverentia renovetur?* III. *An industria Academica in lectionibus audiendis, in speciminibus edendis, in disputationibus habendis, ad pristinum vigorem & quomodo restitui possit*; ne ex opinione, sed profectu, nec ad speciem, sed ad usum, serio æstimandi pensandique studio, omnia à discentibus referantur? IV. *An idonea spei argumenta de re literaria in posterum in majus provehenda prudenter cogitanti in oculis sint?* Verum, hic quoque satis habere debeo tetigisse hunc locum: quem implere soli possunt, qui usu docendi pollentes, tum cætera interpretari sciunt, quid de tot *novis methodis*, quibus σκιαγραφίαν artis magis, quàm πραγματείαν rerum sectari, inter artes hodie est, judicandum sit;

sit; Itemque in medium consulere, *quibus adornari præsidiis debeant, qua cura, quo delectu, illa scripta vel vetera vel nova, quæ ad erudiendam juventutem, suggerendaque & docentibus & discentibus adminicula, publice adhiberi fas est.* Mihi ad finem properandum est. Quem ut bono omine constituamus, non alienum videtur, apponere

VII. ISOCRATÆA DE PACE GRÆCIÆ CONSILIA.

Aurea est oratio *Isocratis de pace*, ex qua, forte aliqui erunt, qui nostro ævo utilia eruere cupient. nos summatim annotabimus ea, quæ salubritatem pacis vel obtinendæ vel firmandæ Atheniensibus repræsentabant. Inter quæ I. existimari debet *emendatio consultationum de Republica.* Oraculum est, quod *Sallustius* observat: *Omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas, ea corrupere; post paulo imminuta opes, deinde ademtum imperium, postremo servitus imposita est.* Vera autem consilia valere non possunt, si fit, quod Athenis factum Isocrates conqueritur: *convenitis*, inquit, *tanquam ex omnium sententiis electuri, quod Reipublicæ conducat; nihilo tamen minus interim tanquam de eo, quod factu optimum, jam certi, nemini vultis auscultare, nisi grata & vobis placentia suadentibus.* Tacitus diceret, *aures vestræ ita formatæ sunt, ut nihil nisi jucundum & læsurum accipiant.* Hinc fiebat, ut cum alieni cupiditas in Atticis esset maxima, nec minor ambitio, nemo plus in consilio fidei & autoritatis haberet, quàm belli autores suasoresque. ex bello enim sperabant, quæ corrupti libido animi exposcebat. Ex talibus autem consiliis ad arma instigantibus, plurimas maximasque Athenis calamitates provenisse, perpetuis superiorum temporum exemplis constabat. II. His ita constitutis, orator suadet, *pacis leges quàm justissimè & moderatissimè, i. e. relicta singulis civitatibus sua libertate, componi debere.* Quo enim plus Justitiæ & moderationis in pace fuerit, eò plus firmitatis habituram esse. III. *Quomodo pax semel confecta conservari debeat*, gravissima & prolixa dissertatione ostendit. Scilicet 1. *immodicas animi libidines compescendas*

Orat. 2. de rep. ord.

 esse.

esse. quippe ubi quietis & otii tædium odiumque sit; ubi aliena appetantur, ubi jura negligantur, ibi pacem durare non posse. Itaque 2. *ambitiosa & vasta de premendis insolenti potentatu cæteris Graciæ civitatibus, imperioque maris per fas & nefas obtinendo,* abdicanda esse. 3. *Non externis militibus, sed domesticis, more majorum, fidendum esse.* 4. *Leges non multiplicandas, sed studiose inviolabiliterque servandas esse.* 5. *Consilia quæ Statui Reipublicæ & libertatis conducunt, unice sequenda esse.* 6. *Magistratus esse constituendos peritia & fide præstantes.* 7. *Fiduciam securitatis non in similibus adversariorum delictis, sed potius in recte factis prudenterque consultis reponendam esse.* 8. *Pietate, Temperantia, Justitia & reliquis virtutibus unicè pacem fundandam esse.* 9. *Demagogos & Sycophantas probe noscendos: minimeque audiendos esse.* Quæ omnia tandem in summam colligit cunctosque patriæ amantes cohortatur, ut ea dicant scribantque de Republica, quibus civitates ad virtutem & justitiam incitentur, quæ unica felicitatis civilis origo, & Pacis duraturæ fundamentum est. Attuli ista hactenus sive potius excerpsi, ut cupiditas excitaretur apud Commilitones, legendi meditandique orationem, quâ gravior, sanctior, prudentior, & ad nostram Pacem accommodatior, in antiquitate quidem nulla extat. Neque dissimulo, me eadem opera nonnihil compendii sectatum esse, ut, quæ de rebus maximis dici plurima possent, & forte, si temporis mei ferret ratio, deberent, ex idoneis autoribus repetenda esse, subinde declararem.

Atque adeò nunc in fine hujus minime elaboratæ Scripturæ, DEO O. M. Pacis Principi, quietis publicæ fundatori, Germaniæ instauratori, felicitatis Patriæ conservatori, genua reverentissime inflecto, piasque suppliciter preces allego, ut SERENISSIMUM HERUM MEUM, CUM TOTA ELECTORALI SAXONICA DOMO, tanquam INGENS PACIS ET FELICITATIS GERMANICÆ PRÆSIDIUM sospitet, & ad omnem posteritatem *hoc electissimo instrumento beandi ornandique, quicquid super est ævi usque ad initium regni Pacis, cujus nullæ sunt vices, nulli termini,* suam mortalibus indulgentiam exhibeat, suæ benignitatis thesauros repræsentet.

XXXII.

CLYPEUS REGIUS.

I.

Ingressus in hunc Sermonem. Delectus Argumenti, ex Hieroglyphicis. Scopus ad Historiam & Sapientiam civilem relatus. Ordo dicendorum.

CLypeus regius, huic Dissertationi, in usum Academicæ Exercitationis natæ, veluti Index præfigitur. Si quis hoc obscuriùs fieri putabit, tuebor me exemplis, ex ultima antiquitate, ne nostro quidem ævo ignotis aut inusitatis.

II. Sapientissimi Veterum, maxima quæque tum civilis prudentiæ, tum naturæ mysteria solebant *imaginibus*, *Symbolis*, *sacris sculpturis sive Hieroglyphicis*, quæ vocantur, complecti.

III. In ipsis *sacris & verè Divinis monumentis*, non exiguæ nec profanæ significationis Symbola, permulta occurrunt; sicuti vel ex *structura Templi* & *sacra supellectilis*, & *habitus sacerdotalis* (ne alia nunc attingamus) obvium est perspicere.

IV. Ex *Nationibus* huc præter cæteros Ægyptii incubuere; ex *Philosophorum* generibus, Poëtæ: felicius, infelicius; aptius, ineptius, neque enim semper propitiâ Minerva res successit. Interpretandi studium attulere *Valerius Pierius*, *Laurentius Pignorius*, *Causinus*, & *commentariorum scholiorumque scriptores veteres & nuperi*.

V. Ex infinitis speciminibus forte obversari cœpit oculis meis eruditus & ingeniosus labor, quo tres Poëtarum principes, HOMERUS quidem ACHILLIS; HESIODUS, HERCULIS; VIRGILIUS, ÆNEÆ CLYPEUM finxerunt & formarunt. Iliad. Σ. Ἀσπὶς ἡρακ. Æn, lib. 8.

VI. Alias res agat oportet, qui non animadvertit, plus quàm picturam aut simulacri oblectamentum in istis tam ope-

operosis descriptionibus exhiberi. Si dicendum quod res est, *omnis civilis prudentiæ summa*, verum tegmen, quo magnarum & publicarum rerum actores muniuntur, Clypeis istis perscribitur atque designatur.

VII. Quare, non obscurâ ratione, lector, qui ingenium talibus scriptis debitum attulerit, hinc fabricabit CLYPEUM REGIUM, id est præsidium armorum ac instrumentum, non jam Achilli & Æneæ ad militiam, Herculi ad pugnam; sed REGI, ad muneris & operis Regii fortunam accommodandum.

VIII. Quod ut clarius appareat, repetemus primo; CLYPEI INTER ARMA ÆSTIMATIONEM ET SIGNIFICATIONEM; deinde, CLYPEI, ut REGIUS FIAT, ELABORATIONEM interpretabimur: Tertio, & præcipue, USUM VIRTUTEMQUE REGII CLYPEI, IN PRUDENTIA REGIA contemplabimur.

IX. Atque in his, tum aliæ *historiæ Regiæ*, tum præsertim Patriæ sive Suecicæ nobis lucem, vim & spiritum mutuabuntur. Æquum enim est, ut suæ quisque gentis res gestas, præ ceteris, studiosius meditetur.

Deum, ut annuat; Lectorem, ut faveat cœptis, rogamus.

II.

Clypei in armis nota prærogativa. Clypeus Poëtarum à nonnullis ad Magiam naturalem refertur. Artis Heraldicæ in eo specimina. Significatio Regii muneris operisque in eo præcellit.

IN Armis propugnantibus CLYPEUS & GALEA præcipuam æstimationem habent, ita, ut sæpe, cum conjunguntur, totum hominem militariter armatum referant. Exemplo sunt, *Trophæa Veterum*. Et ratio non obscura, ex *legibus & moribus*, tum *ludorum* militarium, tum veterum *Certaminum* petitur: quando superioribus sæculis indecorum habebatur, ictus aliter inferre, aut infra cingulum. Pectus & caput opponebant

Chiflet. ad vindic. Hisp. lum. Prærogat. 4. Proverb.

nebant adversariis pugnatores, quorum illud Clypeo, hoc Galeâ tegebatur. Sed de Galeâ, nunc non agimus.

II. In *Clypeo* adornando plurimus labor. sicut in Exemplis Poëtarum ante nominatis apparet. Quare curiosis ingeniis, multa commentandi & divinandi occasio suppetere visa est.

III. Quidam enim, Homerum, Hesiodum, Maronem, in fabricâ Clypei, MAGIAM NATURALEM ET MYSTERIA OCCULTARUM VIRIUM voluisse exprimere, arbitrantur. Itaque variè *mixturam metallorum*, ad altiores virtutes elevandorum; *Characteres; fabricandi tempora & artes*, inquisitum eunt; & ex figmentis suis, quandam quasi disciplinam & sapientiam extruunt.

IV. Plus ad veri fidem pollentia afferunt, qui ARTIS HERALDICÆ, ut vocant, signatas hinc imagines arcessunt, exponuntque. Adsunt *Metallorum Auri* præsertim & *Argenti*; *Colorum*; *Symbolorum*, insignia, discrimina, exempla. Neque multa videntur in præceptis & observationibus extare, ex quo *Armorum descriptio* in artem ivit; quibus non talis *Clypei non-enarrabile textum*, vel specimen, vel rationem & lucem suppeditare queat.

V. Juvaturque hæc opinio perpetuâ illâ sentiendi loquendique consuetudine, à vetustissimis temporibus in propiora propagatâ, de *Armis Heroum*, eorumque singulari *origine*, *virtute*, *formâ*: quæ omnia ad *divinum munus*, aut *Fortunæ beneficium consiliumque* referre solebant; non sine fabulis quidem; Sub quarum ambage aliquid veri significari, plerumque creditum est.

VI. Hoc enim est inprimis ad veterum sapientiam eximium, ut non Heroici modo, Martiique; sed *Regij* præsertim *operis munerisque contextus*, Clypei talis imaginibus exhibeatur, omniaque Regni agendi decora tam operosâ picturâ figurentur. VIRTUS præsertim & PRUDENTIA REGIA, expressas hic videntur habere figuras. Aut, si conciso genere loquendi utimur, in *Prudentia Regia* inest, quicquid pace belloque validum aut decorum est.

VII. Ipse *Virgilius* interpres esse potest hujus senten-

Lib. 6. Æneid. tiæ. Cum enim, *imperii regendi pace belloque artes* commendasset, & in Romanorum gestis exempla præcepisset; l. 8. Æneid. postea Clypeo Æneæ eandem *Famam* eadem *Fata nepotum* inscribit.

VIII. *Divinum munus* faciunt talem Clypeum, tum *beneficij*, tum honoris causâ, neque promiscue, datum. *Admirabile* faciunt & *venerandum*. *Arte varium*, *virtute potentissimum*, concinnant. Hinc Æneas

—— Dea donis & tanto lætus honore
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit
Miraturque.

Et de Vulcani Cyclopibus præcesserat:

Ingentem Clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum.

IX. Quæ omnia, *Regium* quid spirant. Nam & Majestas Regum, *à Deo*, cujus vices in terris gerit, deducitur: & virtus Regum actioque, *divinis* viget auspiciis: & successus fructusque Regij operis, *communem hominum sortem excedit*. Quare & symbola, ac insignia, quibus hæc denotari & exprimi solent, *divinitatem* quandam habere, etiam remotâ superstitione & nugandi licentiâ, putantur. Juvat hoc genus sapientiæ propius & singillatim intueri.

III.

Heroum, Regumque Clypeus est, qui à Poëtis describitur. In quo Nativitas & Indoles Regia signatur. Educationis & Studiorum Regiorum imagines. Virtutum Regiarum Symbola. Operum Regiorum pignora. Artificii & Fabricæ comparatio & collectio.

HEROES fuerunt, quorum de Clypeo sermo est; id est, à divino numine magnis publicisque rebus gerendis destinati: Singularibus & supra communem mortalium sortem dotibus artibusque instructi; vi mentis atque ingenii inusitatâ eminentes, operum mirabilium patratores; quibus varii ancipites-

pitesque casus haud raro intercedunt: inter homines reliquos, quodammodo Reges; inter Reges, fatis operibusque Regiis maximi clarissimique regnatores. Eo enim redeunt, quæ de Heroibus antiqui commentantur.

II. ACHILLES inter Reges Græciæ non supra verum ab excellentissimo Poëtarum deprædicatus; ut *Philostratus* judicat: inHeroicis ÆNEAS, præter alia Regia merita, novi & incomparabilis regni conditor, Virgilii præsertim ingenio descriptus; nec vanè à sociis indicatus:

Rex erat Æneas nobis, quo justior alter Æne. lib. 1.
Nec pietate fuit, nec bello major & armis:

HERCULES autem, tyrannorum domitor, quicquid ubique monstri aut sceleris fuit, virtute animi atque robore dextræ comminuendo, omni Regio fastigio sublimius opus regium perfecisse judicatur, quotiens è fabulis veritatem eruere, scriptores antiqui & novi solent. Grot. de I. B. lib. 2. c. 20. n. 10.

III. Retinebit, in gratiam triplicis exempli, hæc dissertatio nostra illam viam & rationem, ut pleraque de CLYPEO REGIO dicenda, referamus ad ORIGINEM ET EDUCATIONEM REGIAM, tum ad MERITA ET FACTA REGIA, tam in condendis, quàm in tractandis Regnis.

IV. Licebit nobis, aliter more *Homerico* uti, quàm vulgo solebant. Quamvis enim talem Clypeum habuisse Achillem, ut Homerus describit, merito neget apud *Philostratum* inHeroicis Protesilaus; quia tamen Poëta jucundissimum ac ingeniosissimum in eo fabricando argumentum excogitavit, *Urbesque & astrorum ignes & cœlestia signa, pacis præterea belliqne instituta & decora depinxit*; non erit obscura in fabularum imagine veritas, nec ex commento, doctrina sapientiæ non elucescet.

V. *Divina* ope, & *Parentum curâ*, *Clypeus accommodatur Heroibus*. Deus est nimirum, qui format & armat Heroes; Illustribusque Familiis hanc fortunam adjungit; Ut magnam ex se indolem, per seriem Heroicæ successionis, progenerent, jura gentibus, exempla sæculis daturam. Gravis est, & prudentiæ specimine magnifica *Diodori Siculi* sententia, cum genus Herculis recensuisset: *Virtus ejus non tantum* lib. 4.

 in

in actionibus & praclaris facinoribus spectari debet, sed etiam antequam nasceretur, cognosci pravidérique potuit.

VI. Mira sæpe est, & quodammodo imperscrutabilis, Fortunæ Regnorum industria, in moliendis machinandisque matrimoniis, conservandâ prosapiâ, excitandis incrementis, sive, ut propius ad rem loquamur, generandis Regibus Heroibus. In Suedicis memoriis, RAGNERUS, patri Hundingo successurus, ab injusta noverca ad jumenta pascenda ablegatus, omni spe regiæ conditionis quasi fulmine dejicitur. Adversus extremas calamitates en subito adest Achilli Thetis, Æneæ Venus, & regnaturi juvenis indolem Regia virgo Suanvita in oculis & ore legit, ex desperatione ad spem Regni excitat; &, ut illæ Divæ clypeum, ita hæc *Gladium* porrigit; vere Regium; & mox Regiâ manu vibrandum. Absint superstitiones, quanquam illis temporibus valdè familiares. Gladium credamus, consilium & instrumentum excitandæ ad regnum capessendum Regiæ indoli opportune suggestum suppeditatumque. *Johannis Magni nostri* eximium in hac re judicium est. *Non tulere fata*, inquit, *ut Regius sanguis inter servilis conditionis angustias obsolesceret, quem natura aliorum genuerat præsidem & rectorem.*

Saxo Grāmat. Hist. Dan. lib. 2. Ioh, Magn Hist, Goth, Sueton, lib. 2, c. 15.

VII. Qualis illa Indoles in GUSTAVO ERICI DE WASA; quam Johannes Daniæ Rex ex ipso pueri vultu deprehensam, vero vaticinio celebravit; *Hic si vivet, Vir erit magnus?* vixit: magnus & vir & Rex fuit. Et tantarum rerum fidem generosa paterni maternique sanguinis nobilitas in ore, in oculis, conspicua & præsaga imagine expinxerat.

Loccen. Hist. Suec. lib. 6. p. 200.

Quæ propior sceptris facies, quis dignior aulâ
Vultus erat?
Scilicet —— *mens ardua semper*
A puero, tenerisque & jam fulgebat in annis
Fortuna majoris honor.

Claudian.

VIII. In GUSTAVO ADOLPHO adhuc puero, exsplenduit Regiæ virtutis indoles, à condito orbe paucorum cepit spiritus. Atque inter rudimenta militiæ, cum incredibili ardore confligendi cum hoste teneretur, Rex

Pater

Pater in subsidiis eum collocaverat. Lacrymas non tenuit Regius adolescens, quod à spe confligendi, & virtutis suæ existimatione, submotus, & quasi in tutiorem locum relegatus videretur. Quasi cum poëta diceret vellet:

Cur annos obicis! pugnæ cur arguor impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus
Verteret, & Patri non degeneraret Achilli. Claudian.

Quo Parens animadverso, in primam aciem transtulit cupientem, vestigia magnæ indolis agnoscens. At cum hostis interim à tergo coortus esset, rursus deplorabat suam infelicitatem, quod à certamine longius abesset. *Quis illa cum cerneret, non jam tum etiam tempestatem illam, quæ hostes suos obruit, prædiceret?* ut hoc oratoris eximii verbis efferamus. Matth. Bernegger. in laudat. funebri.

IX. At ne quis à laude apud nos cessaret sexus, quanta in TANTI PARENTIS INCOMPARABILI FILIA CHRISTINA eluxit Indoles? Quis non ipso aspectu commotus, cum poëta exclamasset:

O quam Te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, ó Dea certe: Virgil.
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?

Cælestis indoles in tot Heroum Regumque maximorum stirpe, etiam fœmineâ, plusquam viriliter emicuit; & poëticas ambages ad verum revocavit.

X. Et quis hic præterire queat Divinum germen CAROLUM Regem nostrum? In cujus ore, Parentum Avorumque majestas, omne Regium decus suspensæ ab hoc spectaculo Patriæ ostendit promittitque. Faxit Deus, ut

Magnorum soboles Regum, genituraque Reges
Vivat, & Arctoum repleat virtutibus orbem.

Pignora habemus, quæ futuri fidem faciunt. Instandum est votis & pietate precum, ut mox abundè eventus respondeat.

XI. Indolem ejusmodi Heroicam & Regiam, multa sunt in Clypeo Homerico quæ significant; præter ea, quæ jam diximus. Nam admirabilis illa *metallorum & elementorum commixtio*, contemperatas optime in unius ingenii vim vi-

res opesque portendit. Et dum *totius mundi*, *omnisq; Reipublicæ argumentum*, uno concluditur Clypei ambitu, facilè licet intelligere, hanc fabricam non aliis accommodari posse, quam ingeniis omnis sapientiæ & actus civilis capacibus. Quæ *prima sortis*, & *divina* vocari, mos est.

XII. Neque in singulis tantum Principibus Heroibus, quos certis populis & temporibus Deus, ut conditores, aut servatores attribuit, Indoles hactenus descripta elucet: Sed integris aliquando *Familiis* fato singulari competit. Sunt exempla in oculis, in præcipuis Europæ imperiis. Domi quoque non pauca invenimus. E quibus Inclyta Gens de WASA, rei Suedicæ, verè fatale & incomparabile bonum fuit. Intestina Discordia, & Tyrannis, bestiarum, quæ res humanas vastant, truculentissimæ; Sueciam in eo collocaverant statu, quo nihil potest esse miserius. Hic vero Deus, maximum illum Heroem GUSTAVUM ERICI, ex captivitate in libertatem; ex libertate in liberatorem; ex liberatore in Regem, per varios casus, per mille rerum discrimina provexit. Ex hoc sanguine CAROLUS IX. rebus difficillimis sustinendis; & postea, infinitæ gloriæ ac securitati parandæ, GUSTAVUS ADOLPHUS, quem merito Magnum usurpant, veluti benefica sidera, enituerunt; suffecitque his decoribus tutandis & amplificandis Serenissima Regina CHRISTINA: nisi quod animo à conjugali fœdere alieno, metu deficientis *Familiæ tam Heroicæ, tam Suecis auspicatæ*, septentrionem terruit. Sed unde formido, inde remedium extitit. Demonstravit enim & fecit successorem, ex eadem Familiâ per maternam originem prosatum Heroem, CAROLUM GUSTAVUM, qui instauravit Regiæ Fortunam Domus, & avita utrinque merita quibusdam quasi pignoribus Patriæ promisit; imo in FILIO CAROLO exhibuit. Absolvet, & proprium Sueciæ faciet tantum munus, cœleste Numen; pluresque Heroes & Reges emittet ex *Familiaris Fortunæ* penetralibus; qui manu sua, ferre *Clypeum septentrionis propugnatorem* queant.

Suaning. in Christian. II. lib. 2. c. 12 n. 13. Loccen. hist. Succ. lib. 6.

XIII. Licet enim, si fabulas respicimus, quilibet horum Heroum, eas detrectare, & cum Poëta queat dicere,

non

——non Mulciber auctor
Mendacis clypei, fabricataque vatibus arma
Conatus juvere meos: Claudian.

Si tamen, quod sub fabularum ambage occultari, antiquitas; & explicando repeti, fas esse junior ætas credidit, attendimus; non meretur nullam æstimationem fingentium ratio & auctoritas. Adeo nihil abest earum rerum, quas in hoc theatro spectari dignum æquumve est.

XIV. Ipsa præsertim Educatio Heroica et Regia, eximiè in Clypeo sæpius nominato scribitur. *Cœlum* cum suis *sideribus*, *Ignis*, *Aer*, *Oceanus*, *Tellus*, *Natura rerum cum suis elementis*, hic consignantur. Regia est enim & Heroica totius universi cognitio: in cujus partibus hærent, quæ inferiora sunt ingenia.

XV. Minerva apud Homerum Diomedi tribuit *scientiam*, *Deum & hominem noscendi*; id est, si interpretes Sapientiæ intentos audimus, rerum divinarum et humanarum cognitionem. Quam qui consecutus est, ad quandam quasi similitudinem accedere videtur; Ut Pythagoreorum habet ratio, & modus philosophandi, cujus aliquod specimen reliquit *Ocellus Lucanus*, *de Natura universi*.

Eustath. ad Iliad. Σ. I. v. 128.

XVI. Ascendendum est altius, illis, qui Heroi Clypeum Regium formare cupiunt. Rex imaginem & vices gerit regnatoris omnium Dei. Ut imitari velit & possit Deum, propius ad hunc lucis & sapientiæ fontem accedendum est. Notitia Dei opus est Regi uberiore & sanctiore, quam quæ potuit cadere in sapientum primos, horumque principem Homerum; aut Heroes gentium, Achillem, Æneam, Herculem. Melius præcipit futuris Regibus, qui teneris auribus inclamat: *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis: diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis.* Nam ut postea additur,

Sap. 6. v. 21. &c.

v. 26. tur, *Rex sapiens, stabilimentum populi est.* Nulla *est au-*
Arnob. *tem religio verior, officiosior, potentior, quàm Deum Prin-*
adv. Gent. *cipem nosse, scire Deo Principi supplicare, qui bonorum*
lib. 2. *omnium solus caput & fons est.* Hic solus Regum & Principum, rex & auctor & Princeps & Dux est. Multum
de Civ. Dei dixit, neque tamen quantum diceret intellexit *Seneca, Au-*
lib. 5. c. 8. *gustino* quoque laudatus, quod ante omnes Regibus pronuntiandum est: *Duc me, summe Pater, alti dominator Olympi, quocunque placuerit; nulla parendi mora est.* Verbo dicam: aurea Clypei Regii pars & præcipuum munimenti robur est, RELIGIO, QUÆ RECTE PIEQUE NOVIT ET COLIT DEUM. Non debent à latere Regis discedere graves & pii Theologi, qui Regiam disciplinam probe calleant, & bona fide doceant: ne vel ignorantia, vagandi; vel fucus aut superstitio, illudendi occasionem præbere olim queat. Utroque enim modo, ab auxilio Dei, & felicitate regiminis disceditur.

XVII. Eat in Exemplum, è domesticis adoreis, GUSTAVI MAGNI industria; qui, ut omnia *Sancti Bibliorum Codicis* monumenta perdidicerat; ita Regis pietatem & religionem in *Regio Psalte*, Regia facta, & fata, in *Regum libris*, quique consimilis argumenti sunt, admirari & meditari callebat. Optabat etiam, & auspicio regio incitare & conquirere destinaverat, *interpretes illorum Librorum*, solidâ prudentia & pietate, quæque his explicandis abesse non debet, facundiâ, instructos.

Tac. Agr. 4. XVIII. Ex reliqua *sapientiâ, modum tenuisse*, beatum Regii Educatores existimant; quando temporis & aliarum curarum rationes accuratius subducendas sumunt. NATURÆ OBSCURITAS, veteribus dicitur; quæ claritas erit, tum per alia subsidia, tum si cum opificis cultu conjungatur, quod in animo habuerunt *Theologi Veteres*, in luculentissimis de
lib. 4. veri Hexaëmero commentationibus; & exemplo breviore *Lactan-*
Christianismi: *tius, de opificio Dei*, tum ex Junioribus *Arndius.*

XIX. Regum ingenia non abhorrere ab his studiis, vel

vel Alexandri laudata merito munificentia ostendat, Aristotelem in naturis animalium perspiciendis omni ope impendioque adjuvantis. Quod & nostro Sæculo Magnæ Britanniæ Rex optimus CAROLUS I. in conatibus *Harvæi* fovendis, singulari cum laude præstitit. Plin. hist. nat. lib. 8, cap. 16. Athenæ. dipnos. lib. 9.

XX. Imo in universæ naturæ amplitudine indagandâ & explicandâ, Regio auspicio successoris Serenissimi CAROLI II. multa cotidie & magna tentari perficique, labores egregiæ Societatis, in hoc eruditionis & studiorum genere, subtiliter operosæ, satis superque demonstrant.

XXI. Interiora naturæ partim constituunt, partim explicant, MATHEMATICÆ SCIENTIÆ: neque magnus Physicus absque Mathesi, aut magnus Mathematicus absque Physicâ multum profecerit. Conjunctio igitur utriusque sapientiæ, quiddam parit pulcerrimum & admirabile, & regio favore dignum. Qua in re, forte nostra ætas antiquitatem quodammodo vincit, nisi quod plurima etiam antiquis cognitiora, amisimus, & ignoramus, vel vix per nubem speculamur. Proposuit sibi hanc conjunctionem doctissimus *Mersennus in cogitatis Physico-Mathematicis:* ubi & candide variorum inventorum utilitatem laudat & explicat. Et jam pridem Galliam præcellere in hunc diem usque dicas in hoc genere; dum Christianissimi Regis auspicio & incomparabili munificentia, ut omnes aliæ doctrinæ, ita Physicæ & Mathematicæ, cotidianis incrementis provehuntur ac extimulantur.

XXII. Magna indoles his studiis attollitur supra humiles cogitationes; & eruditur, ad discernendas à vera sapientia inanes & sine usu exituque contemplationes ac molitiones. Insidiari & interdum illudere solent Regum opibus, mirabilium promissores operum; in Architectura civili & militari, in arte Navigandi & Fabrica Navium, in Metallis eruendis tractandisque, in unionibus extrahendis, in Opticis, in Tacticis, in Tormentis & sclopis, in omnibus denique magnarum rerum moliendarum instrumentis. Luce scientiarum, quas laudavimus, opus est, ne decipiant grandiloqui; pro Naturæ & Artis commercio, utriusque prodigium haud raro venditantes.

XXIII. Ipsa Ars vitæ Civilis, tota & plena exhibetur in Clypeo Homerico; per utriusque temporis in quæ hominum occupatio tribuitur, negotia, Pacis Bellique. Quod ex
ad Iliad.Σ. veteribus, apud *Eustathium*, *Demo* sapientissima fœmina, & *Cercyræus quidam Sophista* diligenter annotarunt. Et BELLUM quidem *Homerus* sobrie pinxit, duplicem belli gerendi rationem, *aperto Marte*, vel *ex insidiis*; *varios* itidem *casus*, & *multam mortis imaginem*; tum *finem belli* per *excidium* aut *mulctam* indicans. Arma etiam consilio temperanda, Martis & Minervæ, quasi *vim* & *consilium* diceres, sociatum certaminis regimen ostendit. In Heroico *Hesiodi* Clypeo, eadem omnia, & præterea amplius exhibentur: *discrimen*, bella *ex animi libidine* sumentium, quos contentionis vesanus amor, quasi mentis inopes impetu in hostem agit; & *æqui Jovis auspicio* arma induentium; quorum his victoriam, justitia causæ, illis pavorem clademque temeritas & iniquitas sua conciliat: Vices belli sæpe ante finem ancipites, quando modo pelluntur, qui modo pepulerant. *Lapitharum* & *Centaurorum*, *aprorum* & *leonum* certamina, curiosius etiam superadduntur; non nisi ad injustos, truces, immanes, feros, rationi parere nescios bellatores pertinentia.

XXIV. In Clypeo Regio nostro, nec Martis robur ac vim, sine Minervæ prudentiâ, extare volumus; nec utriusque virtutem commendamus, nisi *Themis* accedat tertium numen. Nisi forte poëtam hic audiamus:

Iuvenal. *nullum numen abest, si sit prudentia.*

Minervæ certè fabula, eam consilii copiam signat, quæ primam juris habet rationem. Quis enim consilio auspicari & tractare bellum dicatur, nisi omnis prudentiæ auspicium & moderamen in jure belli reponat, justeque non minus quam fortiter id gerere instituat? Regium est, nec timere bella, nec provocare.

XXV. Quare prudentiam vere Regiam dixeris, causas bellandi justificas à suasoriis discernere; harum illecebras non magis admittere, quam Hercules blandimenta voluptatis,

tis,

tis, contra sapientem disciplinam virtutis apud *Xenophontem*, admisit. Hæc, ut opinor, ratio Regiis consiliis intentos Reges nostros permovit, ut publice in Academia Upsaliensi explicari juberent, optimum hujus argumenti scriptorem *Hugonem Grotium*, qui præclaro opere, *de Jure belli ac Pacis*, omnem à bellis non suscipiendis modo, sed gerendis quoque finiendisque, ut injustitiam, ita temeritatem submovendam sibi desumsit. lib. 2. Memorab.

XXVI. PACATUM CIVITATIS HABITUM Clypeus Achillis præclare repræsentat. Hic *Sponsi*, *agricultores*, *messores*, *vinitores*, *pastores*, *Judices*, in suis occupati operibus conspiciuntur. Et *Judices* quidem, auctoritas & gloria circumstat: Reliquorum labores innocuæ genius lætitiæ, *musicâ* & *choreis* solatur.

XXVII. Privata videntur, connubii, agriculturæ, reique rusticæ universæ nomina. Sed Regiis curis comprehensa, publicam æstimationem assumunt; felicitatemque regni non minima parte constituunt. Conscripsit vir doctus *Oeconomica Legalia*. Superest labori locus nobilis, si quis animo concipiat, & in literas mittat, OECONOMICA REGIA. Inter Senatores Regis Regnique Sueciæ fuit, qui crebris usurpabat sermonibus; Oeconomicam scientiam Reipublicæ necessariam non satis studiosè appeti; & propterea destinaverat à Reginâ petere, quo liceret in Universitate Upsaliensi *Professionem Oeconomicam* condere & dotare, cui præficeretur, qui œconomicas artes, ex literis, & peregrinatione, gentiumque exemplis cognitas, ad remp. referret. Io. Gryphiander.

XXVIII. Licet enim Unius regni ratio princeps & architectonica magis ad Oeconomiam pertineat, quàm alterius; illud tamen dubio caret, quod ea quoque regna, quorum status vel ob situm, vel ob vicinos æmulosve potissimum militia fundari videtur, œconomicis consiliis & inventis militiam suam meliorem faciant. Domestica exempla vel ideo nequeunt omitti, quia in Christiano orbe vix occurret similis dispositio. Quid enim magis sustentat Mili-

tiam *Suecicam*, quam illa *militum per prædia rustica descriptio?* Optimumque videtur firmioris reipublicæ status temperamentum, si ad utrumque tempus, Belli ac Pacis, æquali robore, opibusque instruatur.

XXIX. MERCATURÆ *majoris* & NEGOTIATIONUM, magna & multiplex in hanc rem virtus est. *Tanta est Mercaturæ vis*, inquit *Bornitius*, ut *sæpe remp. ad fastigium summæ potentiæ perducat; & culturam terræ emolumento publico & privato superet.* De potentiâ amplificandâ, non ambigitur, & exempla vel è Belgio obvia sunt. Sed quæ de cultura terræ additur comparatio, cautione opus habet: Nam mercatura variis casibus non modo imminui, sed intercidi potest. Igitur major & certior ratio publici commodi in stabiliori terræ variè excolendæ studio reponenda est.

de rer. sufficientia. tract. 3. c. 1.

XXX. Et præstitit quidem egregiam in hoc genere operam *Jacobus Bornitius*, *quem modo laudavimus*, quando *de sufficientiâ rerum in rebusp. & civitatibus procuranda, per culturam agrorum & metallorum, per opificia omnis generis, per mercaturam nauticam & terrestrem, per ministeria varia*, opusculum edidit, quo nolint carere, qui civilia tractant studia. Sed, sicut in locos communes & titulos sedulo colliguntur, quæ huc pertinent: ita interior hujus argumenti pars adhuc culturam expectat: scilicet *consiliorum & eventuum circa has curas specimina, inventa, artes.* Ex historiis & variarum ætatum experientia, provisuque ingeniorum in hanc quoque prudentiæ partem fœcundorum, *construendo opere*, quod genium habeat, ad Regium Clypeum aspirare dignum. Hujus confecti non modica esset gloria; utilitas etiam ingentior.

XXXI. MORUM ET CIVITATIS CONSTITUENDÆ REGENDÆQUE SCIENTIA, sicut Regio muneri propria est, ita in Clypei Regii insignibus pulcram & amplam figuram facit. Cumque *lectione*, *peregrinatione*, & *conversatione* eam parari, plerique consentiant: multa quidem de his studiis dicta scriptaque sapientum extant, sed

ſed felicem judicare debemus Principem, qui Educatores & magiſtros nactus eſt, Indoli Regiæ ad recta & alta tendenti ſuppetiari doctos peritosque. Copia *legendorum* & meditandorum, multis vel indicibus vel conſiliis prodita eſt. Sed Studia Regum, temporibus & negotiis reipublicæ adſtricta, neque diſcurſus multos, neque diſputationum ambages deſiderant.

XXXII. Ut legat imperaturo Utilia Regium germen, idonei doctoris vox præmonſtratrix multa commendabit, plura ſubminiſtrabit. ſciat & legerit optima, qui non præceptoris magis quàm conſiliarii operâ, apud eum fungitur, quem à varia lectione, haud raro ſumma reipublicæ ratio excludit. Deus moderetur oportet, & genius præſtigiis calliditatis non contaminatus eum virum, qui huic officio dignum os commodare debet. Ubique ſalebræ, illecebræ, tricæ: quibus Regia inſtitutio, niſi pio magnoque animo tractetur, implicatur.

XXXIII. Regiam verè curam dixeris, ſi Rex qui regnaturos genuit, deligat etiam viros idoneos, & inducat ad ſcribendum ea, quæ Regiæ diſciplinæ, ex ipſo uſu & tractatu rerum, quàm maximè videantur convenire. Non ſtaſtim placebunt, aut ubique valebunt omnia: ſed ex pluribus ſpeciminibus, proclivior erit ad hanc metam via. Prudenter ac decorè Patrem Regi miſcuit, neque patrium magis quàm *Regium*, in hoc genere, *Donum* prodidit Rex Magnæ Britanniæ, in opere notiſſimo, & undique celebrato. Iac. R. Δωρ. βασιλικ.

XXXIV. Duo autem inprimis ex pluribus ſcilicet præcipua, ad regnandi ſcientiam abſolvendam commendare fas eſt: SACRORUM VOLUMINUM SIVE SANCTIORIS PHILOSOPHIÆ præſidium; & HISTORIARUM COGNITIONEM, tanquam pulcerrimum imperii inſtrumentum. Laudari magnopere meretur, quantum ad inſtitutum operis attinet, *Johannis Boteri* ſtudium: qui, cum videret, multis magnisque viris non diſplicere turpem & falſam iſtam ſententiam, quaſi *Regem, ſi majeſtatem ſuam ſalvam atque incolumem velit eſſe, non oporteat, intra Evangelii fines adminiſtrationis ſuæ rationem continere*; copioſius eam opinio-

nem refutare & ex omnium sensibus evellere, atque divinis oraculis primum in Regiis curis locum assignare aggressus est, conscripto opere, cui titulus, *Sapientia Regia.* Neque, quicquid boni etiam ethnicorum libri continent, alio pertinet, quàm ad tria illa quæ fecit, capita: primo, *regna & victorias à Deo pendere*; deinde, *ea hisce rebus conservari, quæ res Deum nobis conciliant*; postremo, *hisce everti, quibus Dei in nos ira accenditur.* Hinc est, quod Clypeo Regio ubique inserta animadvertitur divinitas.

XXXV. *Historiam* quidem, omne Clypei decus & argumentum *Maro* concinnavit. Quæ hoc ipsum, quod modo dictum, vel testatissime docet: cujus scholam, Regiam esse, nemo abnuat. HISTORIA TEMPORUM, mature concipienda est animo. Subsidia varie suggeruntur: inter hæc imagines ne concinnæ quidem, sed ineptæ monstrosæque, valde vereri aliquis possit, ne illa compendia, memoriæ & judicii dispendium portendant. Cordatum esse debet, quicquid Regiis profectibus destinatur. Veteres cautè & sobriè in omni arte memoriæ versati sunt, unamque omnibus prætulerunt *Exercitationem.*

Fab. Quintiliā. Instit. orat. lib. 11. c. 2.

XXXVI. HISTORIAM LOCORUM, non desunt, quæ facilem & suavem reddere possint hodiè; & accedunt cotidie nova industriæ hujus meditamenta. Res digna, quæ munificentiâ Regiâ ad majora semper incrementa provehatur.

XXXVII. IN GENEALOGICIS, vana & vaga, temereque asserta vel conficta aspernari, loco & animo excelso dignum est. Hic quoque GUSTAVI ADOLPHI Magni Regia gravitas laudanda est, qui, licet antiquissimâ stirpis Regiæ nobilitate, editus esset, vanitatem tamen hominis, qui originem ejus à Noacho deductam in Tabula peregrè obtulerat, merito derisit. Et postquam sagacior ætas nostra, probationes exigere cœpit à Genealogicis, publice sordent commenta, quibus ante quasi auctoritas artis obtendebatur. In Regia disciplina, non est nullus huic notitiæ locus. Sicuti enim inter boni Regis notas habetur,

tur, ſuum quidem genus ornare, ceteras autem familias illuſtres in ſuo Regno fovere ac tueri: ita easdem noſcere verum fuerit, & tali conſilio conſentaneum. cum prætertim hæc cognitio multum de Reipublicæ & regni fatis contineat.

XXXVIII. Quamvis autem Hiſtoriam omnem omnium gentium & ſeculorum perdiſcere ei convenit, qui altiſſimo loco eſt conſtitutus, *Domeſtica* tamen & propior propiorem curam meretur. Hactenus non caret laude recti judicii *Didacus Saavedra*, qui Politicam Regiam ſereniſſimo Hiſpaniarum Principi dicaturus, ſymbola ſua & exempla potiſſimum ex Hiſpanica Hiſtoria, eaque Regiâ, deſumſit. v. præfat. ad Pr. 1640.

XXXIX. RERUM PUBLICARUM PRINCIPATUUM IMPERIORUMQUE TOTIUS ORBIS HISTORIAM variis linguis, operibuſque tradere agreſſi ſunt multi. Et adhuc tamen, abſoluti operis idonei ſpecimine caremus. Nam & veterum hoc in genere curæ, *Ariſtotelis Reſpublica, aliaque aliorum opera* interierunt. Vix eſt res unius hominis; nec alterius, quàm publica munificentiâ & ſubſidiis adjuti. In hoc genere, unum ſæculum, non unam affert mutationem & varietatem, inde novæ deſcriptionis neceſſitas ſubnaſcitur.

XL. De ſuæ quiſque ætatis rebus, varii varia, Rex omnia, colligere amat. Quo in ſtudio *Relationes* quæ vulgo vocantur & emittuntur, non ſufficiunt. Ipſa publicè actorum monumenta & pignora expetuntur. Non male faciunt, qui animoſe ſumtus huic curioſitati publicè utili impendunt. Et commovit ſe duobus ferè abhinc ſæculis ea induſtria, ut Archivorum inſignium Muſeis, non domi tantum, ſed foris ubivis gentium acta, ubere inſtructu, cuſtodirentur.

XLI. Quod de domeſtica Hiſtoriâ dictum, Clypeo Æneæ æternis figuris inſculptum eſt. Hic enim, omnis Romana hiſtoria, Romanis condiſcendis artibus conſecratur: non ſine civilis judicii ſtudiique expreſſis imaginibus. Origines, incrementa, vices bonorum malorumque, uſque ad faſtigium poten- Virg. Æn. 8.

potentiæ; intra quam fuit, si rectè repures, quicquid postea maximum fuit.

XLII. Clarius etiam, quomodo Reipublicæ præfuturus adolescens debeat se, in tractanda historia patriâ adhibere, *Claudianus* ostendit, qui parentis monitus ad Filium regnaturum ita exhibet:

de 4. consul. Honor. v. 396. &c.

Interea Musis, animus dum mollior, insta,
Et, quæ mox imitere, legas: nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve Duces. assuesce futuræ
Militiæ. Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metî satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despice mores.
Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel solus, quid fortis agat, te ponte soluto,
Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc, nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas Tibi Punica famam,
Regule: successus superant adversa Catonis.
Discitur hinc, quantum paupertas sobria possit:
Pauper erat Curius, cum Reges vinceret armis.
Pauper Fabricius, cum Pyrrhi sperneret aurum.

& quæ alia sequuntur.

XLIII. JUS DICERE POPULIS pars est officii Regii luculentissima; *Clypeo Achillis* magnificè consignata. Quare Educatio Regia non omittere potest eam curam, quo Regnaturi mens DIVINI HUMANIQUE JURIS INTELLIGENTIA imbuatur. Suedica exempla non parum disciplinæ hujus continent. Codex, nec multitudine Legum prægravis; nec paucitate mancus: Judicia, præsertim Regia Aulica, quæ vocantur, multis auctoritatis & gravitatis præsidiis ornata ac munita: Jurisconsulti ad latus Regis Revisuri judicata, præstantes. Rex Carolus IX instaurator & confirmator Juris

Tac. 4. Annal. 38.

Loccen. Hist. Suec. 1608. lib. 8.

Juris Suedici æterna laude cluet, quod nova latinâ versione accuratius explanari, inter GUSTAVI ADOLPHI Regis destinata erat. Brevis & facilis consequendi & disceptandi juris via: qualem beatis antiquitus sæculis Poëtæ tribuunt. Nullum interim peritiæ juridicæ, alibi ad summa provectæ, subsidium deficit. Nisi festinandum esset, ostenderemus, non satis bene informatum, nec sibi consentaneum fuisse *Arthurum Duck*, ubi de Suecorum legibus loquitur.

de authorit. juris Civ. Rom. lib. 2. c. 14. n. 5. usque ad fin.

XLIV. Quid abesse potest Regum Filiis in omni Regiâ institutione; sive præceptores quæruntur, sive in convictum & comitatum assumuntur; quorum prudentiâ Regiæ artes tradantur instillenturve? Non impensæ, non egregii ministri desunt Regnis unquam, nisi quæ ruitura, fato suo urgentur. Sueciæ etiam domi nascuntur incitamenta Educatoribus ad recta consilia, Educandis ad summam omnis profectus laudem. Non ad exuendos sed deligendos & fovendos magistros, *satis amplis doctoribus* sunt *instructi* Reges nostri, *majoribus suis* & parentibus. Ne ad longinqua eamus, quantis honoribus, præmiis, & quod his est amplius, favoribus præceptores suos & Educatores prosequebatur Rex GUSTAVUS ADOLPHUS & Regina Christina, Regiarum laudum duo sidera? Nec mirus illustre exemplum hujus virtutis Filio in spem regni genito, (quod ut plenus regiis moribus & artibus diutissime gubernet, Deum veneramur,) Divus Parens reliquit. Ille *Torstensonium*, Martem Suedicum, quo duce, militiæ labores condidicit, parentis loco habuit; Ejusque Filiis, post fata patris, invicem se pro patre, non verbis modo sed factis exhibuit. Ille venerandum senem, *Lenaum* Archiepiscopum, cujus librum institutionis christianæ Religionis descriptum, non avide modo perdidicerat, sed individuum peregrinationis viaticum circumtulerat, itidem, ceu Patrem amavit, coluitque. Et quid non expectent à Filio per omnia decora patrissante, qui nunc patrio provisu adolescentiam Regis firmant, vel ut Administratores Regni Atlantes, & Senatores, vel ut Doctores, vel ut ad omnia Regi Regnoque utilia comites ac ministri assidui ac domestici. Nam pietas, quam Reginæ OPTIMÆ MATRI promittit Regia Filii in-

Tac. 14. A. 25. 5.

doles, verbis exprimi non potest. Extat Numus Divæ Memoriæ sacer, magni Regis LUDOVICI XIII. Christianissimi, anno 1617. editus, una facie Regem solio insidentem, & è regione loco honoratiore Matrem; ab altera parte junctas Regias manus ostentans, pulcrâ inscriptione; UT SALOMO, SIC EGO MATREM. Probum & jure optimo nixum exemplum.

XLV. Licet autem, ut dictum est, vix unquam summæ fortunæ desint, electissima Educationis Regiæ instrumenta & adjumenta: Suecia tamen parum intelligere videri posset sua bona, nisi sibi ex voto & supra votum quodammodo contigisse gauderet celsissimarum artium copiam, quibus ad fabricandum Clypeum, *Septentrionis Ancile*, grandibus auspiciis, indefessis laboribus, pulcro ordine, mirifico bene de rep. merendi certamine, opera confertur. Non Martis, non Minervæ, non virtutis aut Consilii nomina in Clypeis Heroicis magis celebrare aut perpetua reddere, ingenium Homeri, sapientia Hesiodi, Eloquentia Virgilii potuit: quam vestra vos merita, ô nomina æternitati nata, ad posteritatem prædicabunt.

Hom. Iliad Σ. & T. XLVI. Perficitur ergo divina arte Clypeus *magnus*, *firmus*, REGIUS: & *orbe*, cuncta virtutis Heroicæ auspicia pignoraque complexo, concluditur: *Splendorem* emissurus, ut *Luna*, in omnes orbis partes. Sueciæ Carolus, Achilles: Carolo Suecia, Thetis est: hæc, ceu

Ovid. 13. metam.
—— pro nato cærula mater
Ambitiosa suo fuit, ut cœlestia dona,
Artis opus tanta, præstanti *pectore princeps*
Indueret: quique hæc *Clypei calamina nôrit*,
Oceanum & Terras, cumque alto Sydera Cœlo.

Quem Divus Parens Clypeum gestaverat, hoc elogio ad omnem posteritatem auctus noscitabitur:

Ex Ovid. ———— OBSTANTIA FATA REMOVI.

Qui aptabitur Filio, merito indicabitur

———— PATRIÆ SIGNUM FATALE SALUTIS.

ap. Hesiod. XLVII. In *Herculis Clypeo Hesiodeo*, nec *penetrato*, nec *pene-*

penetrabili, aliis ornamentis accedit *Concilium Deorum*, in eoque *Phœbi Sonans Cithara*, & *Musarum amabilis cantus.* Quod genus formæ nobilioris omisit in eodem Herculis Clypeo describendo *Quintus Calaber.* Illustria & Regia facta meritaque, illustres postulant scriptores. Igitur fovere ingenia & artes, Regii non modo consilii sed exempli est. Quamquam autem non desint, qui historiam rerum ac temporum propiorum non statuunt scribi oportere: eo quod rationes actus publici interiores sine quibus historiæ Utilitas non explicatur, in secreto reponendæ sint; videtur tamen adhuc superesse via hujus expediendæ difficultatis; si scribantur quidem, sed non nisi opportuno tempore divulgentur historiæ. Præterea, nemo sane optaret, Julium Cæsarem abstinuisse manum à commemoratione rerum suarum, eo quod multa, ex aliis supplenda, aut alio habitu cognoscenda sunt. Sunt & hodie exempla libertatis in scribendo non vulgaris: ejusque incitandæ tuendæque consilia & artes. Quæ tamen omnia, non nisi publico consilio provisuque regi & administrari, nequaquam autem privatæ quamvis egregiorum virorum industriæ relinqui debent. Interea *Ephemerides Politicæ*, foris *Legatorum*, domi *Palatinæ* ac *senatoriæ*, perpetuis historiis argumentum & Materiem in Utilissima Archivi parte, ceu Thesaurum, reponunt ac custodiunt.

XLVIII. In *Æneæ Clypeo* virgiliano, *vis Romana*, & fastigium potentiæ, quale non est aliud in historiis; & Augustus triumphis felix, pacis artibus etiam copiosior, magna omnis prudentiæ regnatricis exempla præbent. Futura in præteritis consignantur. nam virtutem fortuna plerumque sequitur; neque spes luculentæ messis fallit eos, qui virtutis semina Regio solo mandant. Inscriptum, & jam prævisum huic Clypeo carmen, Romanarum artium summam referens, dixeris: Æn. 8.

Parcere subjectis, & debellare superbos. Virg. 6 Æn.

XLIX. Si sortes Virgilianas, absque omni superstitione, liceret captare, abesse vix potest, quin statim Lector, in Serenissimum Regem Carolum, ad paterna & avita decora efflorescentem, accommodaret illud divinum:

HÆ TIBI ERUNT ARTES:

Quint Calab. lib. 6. paralip. Et illud, veluti auctarium adderet, quod Eurypili Clypeo, Herculis certaminibus adornato, pulcerrimum ineſt, de Heroica Regum indole, apud Poëtam:

—— οὐ γάρ τι θεῶν γένος οὐρανιώνων.
ἄπρηκτον τελέθει, καὶ ἀμήχανον, ἀλλά οἱ ἀλκὴ
ἔσπεθ' ἀπειρεσίη, καὶ νηδύος ἔνδον ἐόντι.

—— *neque enim ſoboles auguſta deorum*
Ignavos motus, ceu machina tarda, capeſſit:
Robore ſed firmo jam primâ ab origine pollet.

IV.

Uſus & Virtus Regii Clypei: in negotiis belli, & Pacis: in curis & conſiliis ordinariis; & extraordinariis: domi, foriſque.

SEd jam Clypeum ſibi aptaverit Rex, & Heroicorum operum patrandorum fatale inſtrumentum circumferre cœperit. Quanta hic ſurgeret rerum ſcribendarum ſeries? quanta, in admirationem & exemplum ſine exemplo irent, Virtutis Regiæ Spectacula? Sed ſervanda eſt lex cœpti operis. igitur in paucis, ſed inſignibus, ſpeciminibus, vim & robur Clypei Regii deſignabimus.

II. Habebat Suecia *Buſiridem*, hoſpitum mactatorem. 1520. Io. Magn. hiſt. lib. 24. c. 3. Chriſtiernus iſte fuit, qui *per ſpeciem convivii* illuſtres optimosque viros *contractos*, *immanitate barbarâ trucidaverat.* Quo diſperſo terrore, ceu fulmine afflati, ſervitute oppreſſi jacebant Sueci; appoſitis diris canibus prædæ futuri: cum GUSTAVUS Primus, Magni Alcidæ functurus munere, divini & fatalis

Oppoſuit molem Clypei, texitque jacentes.

Ita ſubmota tyranni rabies & in libertatem reſurrexit Suecia. Quot ille Liberator diſcrimina, quot à tyrannidis miniſtris tela immiſſa excepit clypeo inpenetrabili? At quæ emiſit ipſe, certam hoſtibus cladem portendebant. Servant me-

memoriam tantæ rei *Nummi à Gustavo Liberatore cusi*, cælaminibus Clypei Regii accensendi; qui ab unâ parte ARMATI VIRI IMAGINEM, ab alterâ, DUAS SAGITTAS præferebant. Loccen. hist. Suec. lib. 6.

III. Quanta IN MILITIA Gustavi hujus fuerit DISPOSITIO, & ex dispositione, regni securitas veluti Clypei Regii opus emerserit, vel Comitiorum Arhosiensium decreta anno 1544. ostendere queant. ubi *omne regni, provinciarum, civitatum, pagorum robur in indicem mittitur; ad omnes regni partes, veluti excubiæ & præsidia, munimenta, labores, consilia dispertiuntur*; ad exemplum singularis prudentiæ. Indid.

IV. Sicut autem, hostili nunquam potuit succumbere dextræ tantus Heros; ita *occultis quoque insidiis & fraudibus* frustra tentatus est. Deus erat Clypeus Gustavi. cujus luculenta pro eo cura, quando *immanis conjuratio de Rege vel sulphureo pulvere, vel sicâ, vel venenis tollendo*, mirabiliter detecta in exitium conscelaratissimorum capitum recidit, potuit conspici. Indid.

V. Quantus fuerit *in legibus ferendis, in moribus Cleri emendandis*, in *œconomiæ publicæ institutis*, longa esset enumeratio. Fœdera longe lateque ad negotiationum incrementa diffudit: &, quod inter rariores curas referri debet, hic est, qui Europæi orbis, & præsertim Germaniæ, potentatibus Sueciam non unis vinculis conciliavit & illigavit.

VI. Inprimis ad gloriam & perpetuitatem rei Suedicæ eximium fuit Clypei Regii argumentum, quod *in Comitiis Arhosiensibus Sueciæ regnum, quod suffragiis & electione antea deferebatur*, HÆREDITARIUM *factum, & ancipiti, incertæ ac sæpe pravis aliorum cupiditatibus ac turbis opportunæ eligendi rationi tollendæ, & maximè insignibus ac ferme incomparabilibus Gustavi Primi Regis erga regnum ac patriam meritis remunerandis instituto succedendi modo, ad familiam Regis Gustavi ac mares ejus hæredes ac posteros, solenni lege & pacto, quod* UNIONEM HÆREDITARIAM *vocant, alligatum & adstrictum est.* Dixi hoc verbis *Cl. Loccenii ex hist. Sued.* 1544. lib. 6.

VII. Si unquam regni obtinendi modus summâ prudentiæ ratione, & eventu felici est mutatus; Suecia certe le-

gem successionis constitutam, pro fatali & cœlesti pignore
1604. &c. regni, ab eo tempore habuit, & hoc ipso sæculo non semel instauravit. Faxitque Deus, ut Sueciæ nunquam redeat illud tempus, quo regem magis quærere quàm sumere debeat. Hic est Clypeus, quo dissidia domi, improbæ spes foris depelluntur; *Clypeus Gustavianus*, omni præsidiorum salutis publicæ copiâ & ornatu dives.

VIII. Antequam à Gustavidarum communi clypeo discedamus, non alienum fuerit mentionem signi Heroici facere, quo præsaga futuri Natura Gustavi illius Primi *pectus rubra cruce* muniverat. Prima quasi genethliaca vox illa extitit: *Hic Christianæ religionis studium, tutelam regni existimabit; posterisque exemplum, nunquam sine periculo negligendum, transmittet.* Stat in hunc diem, contra varia molimina & *rubrum librum*, aliaque pericula, rata omini & spei, & consilio fides; Stabitque. quid enim non auguremur boni, ex Indole illa Regiâ, omnium Regiorum consiliorum & operum auspicatissimâ imitatrice?

Loccen. Hist. Succ. lib. 6.

Ind. p. 416.

IX. Nepos Gustavi Primi ex Carolo IX. *Gustavus Adolphus* Regium Clypeum suscepit librandum adolescens, in summis rerum difficultatibus; imminentibus undique bellis: quæ paulatim, partim ut potuit, propulsavit; partim frustra componere tentavit: Donec, Russis præsertim, fortitudine supra ætatem eximiâ pacem extorsit. Quanta in illo Rege virtutis fiducia? *Clypeo Regio* feliciter & decorè utitur; eo se, patriamque & cives tutatur, indefessus operis & laboris: Coronam tamen Regiam nondum capiti suo imponi vult; *donec*, inquit, *fines Regni mei ab hostibus vindicavero*, quasi plus in meritis Regiis, quàm in insignibus, esset.

Loccen. Hist. Succ. lib. 8.

X. Inter initia regni, *vectigalia*, nervus reipublicæ, constituta; *res Academica*, regni præsidium, ordinata & instaurata; *peregrinandi*, anceps inter bona & mala, consuetudo, iis limitibus & legibus conclusa, ne Patriæ noxia esse posset; neve hostiles apud gentes, hostiles animi ex non-animadverso formarentur. Quæ, si magis placet Heroicum carmen, ita signavit eximius Poëta:

Re-

——Redeunt artesque Scholaque,
Et studiis nova templa patent; non præmia Musas
Destituunt, sed colla levant contemta Camœnæ,
Seque inter Scopulos atque invia saxa, lacusque
Et Dryadum saltus spectat Doctrina renasci.
Vrbes ipse jubet alias & mœnia condi,
Et Gothicas fulcit mansuris legibus arces.
Hic vallos operi, tum propugnacula signat,
Et tutos aperit portus, pulcrisque colonos
Pollicitis, placidisque levat commercia jussis.

Barlæ. in Tumul. Gustav. Adolph.

XI. Duo sunt quæ maxime mireris in hoc Heroe: quod fundamenta reipublicæ, quæ jecit, manserunt in vestigio suo, meliorque tam *Pace*, quam *Bello* status, etiam tum duravit, imo incrementa cepit, cum in ipso ætatis & victoriarum robore, interceptus, Infantem Regno Filiam reliquit. Tanto facilius amplitudo regnorum attollitur, quàm incolumitas constituitur.

XII. Non fefellit eum fiducia venturæ sortis, crebris sermonibus testata. Cum enim amici sæpe monerent, ne assiduis belli periculis caput Regium, in quo sors cunctorum sit, objectaret: respondere solebat: *nunquam regno, etiamsi aliquid sibi humanitus contingat, defore propitiam Dei tutelam, & Procerum virtutem.*

XIII. Quare si *Clypeus Gustavianus* denuo adornandus foret; inter præcipua symbola, extaret FORTUNA, & FAMA, & EGREGIORUM MINISTRORUM PEPLUS. *Fortuna* in seriem fœcunda hæc est, quam *Fama* gentibus tradidit; & *virorum fortium* humeri continenter sustinuerunt. Acceperat ipse Rex Gustavus Adolphus à Divo Parente, amicos Sapientiâ pacis & virtute belli præstantissimos. Sed plures ille suis auspiciis, exemplis, consuetudine fecit & reliquit tales successoribus suis adjutores. Distrahunt intuentem illustria Heroum nomina, quem primum, quos primo pares nominare deceat, anceps est animadversio. Ipse Rex candidissimè suorum virtutes æstimavit, quorundam etiam merita in futurum prævidit & vaticinatus est.

XIV. Talis certe ab illo tempore fuit *Regni Senatus*, ut

ut posteris miraculo & exemplo esse possit. Tenent *Regis Regnique in Suecia Senatores*, locum quasi medium, quo intervallum illud inter Regem & populum, tam præclarè expletur, ut nec Regiæ potestati quicquam decedat, nec libertati civium sua desit fiducia: tanta felicitatis publicæ contemperatione; quantam optarunt potius quàm descripserunt Sapientes. Hæc Chymia politica, ut ita dicamus, Clypeo Regio occultæ & arcanæ virtutis characterem impressit, quo longe lateque invalescit.

XV. Sicut *arma* sunt membra militis; ita viri tam illustres, *Pars corporis Regii* merito habentur. Horum forti fidelique operâ totius regni utilitates & necessitates explicantur. *Principes hujus Senatus*, antequam Rex aut Regina in suam tutelam perveniunt, vel, si Rex valetudine aut absentia attinetur, diemve suum obiit, Vicem Regiam sustinent, & in omnia regimen obtinent. Ita facilius consilia & beneficia in omne corpus dispertiuntur.

XVI. Sunt enim Iidem Collegiorum, in quæ administrationis publicæ ratio describitur, capita. Quorum *Drocetus* quidem regali nomine & officio summum à Rege Justitiæ ac judiciorum præsidem agit: *Marschus*, seu Archistrategus Militarium curarum, dispositionum, legum, arbiter est; *Ammiralius*, seu Architalassus, omnis rei & militiæ navalis moderator audit: *Archicancellarius*, civilium negotiorum expediendorum, omnisque scripturæ publicæ temperandæ, auctoritate pollet: *Archithesaurarius*, Fisci & Ærarii, subsidiorum regni, erogationum, compendiorum, curam gerit. Quibus accedit *Commerciorum* ordinatio & provisio.

XVII. Horum Procerum vigili curâ, sicut jam ante effectum est, ut auctoritati & potentiæ Rei Suedicæ, per infantiam & puellares annos Serenissimæ Reginæ CHRISTINÆ nihil decederet, multum imo accederet; ita, ut nunc quoque Divi Parentis Sceptrum & Clypeum, non sine incremento gloriæ, maturâ ætate suscipiat Rex Carolus, *spes septentrionis*, eorundem supremorum Capitum & Munerum provisio erit.

XVIII. *Comitia* non minimam partem Clypei, sub cujus

jus tutela Suecia floret, roborant. Hic collectis Regni Ordinibus primò accuratè recensentur, quæ inde à superiorum novissimorum Comitiorum tempore, in Republica evenerunt, aut decreta & acta sunt. Refertur deinde de Republica: & ordines, in suo quisque Senaculo deliberant: dicuntur sententiæ; & denique perscriptæ recitantur: Senatoribus Regni inter Regem & Ordines consulentibus, & consultis; agentibusque, donec proveniat Comitiale Decretum Legis vicem ad omnes habiturum. Occasione horum Comitiorum, omnis generis *desideria* civium ad Regem deferuntur; & benignè excipiuntur.

XIX. Est & in subitis *conventus arctior ex omnibus Ordinibus delectorum*; cui tamen idem pondus auctoritatis inest, quod integris Comitiis. Neque enim tempus anni, aliaque impedimenta, semper sinunt ex tam latè fuso Regni corpore, numerum ampliorem exciri.

XX. In his & reliquis consultandi decernendique generibus, anima consilii, *secretum*, vix alibi accuratius custoditur. Quo pertineant illa & ista, belli, pacis, legationum momenta, non nisi exitu comperiri solet. Facilè enim occurritur istis conatibus, qui prænoscuntur, antequam fiunt. Legem, certe morem prudentiæ Suedicæ dixeris, nihil insolidum, aut ad summam reipublicæ parum pertinens, aut provisis haud abunde præsidiis, aggredi.

XXI. Sed quomodo *Clypeus Regius* ab Heroibus Septentrionis gestatus, & à Serenissimo Rege CAROLO deinde gestandus & adhibendus sit; annalium est, non brevis scriptiunculæ, labor. Et de *prudentia Regia*, Clypei symbolo comprehensa, suffecerit specimina quædam attigisse potiùs, quàm commentarios instituisse.

XXII. Unum & alterum tantummodo adjiciemus. Ad Regna munienda & protegenda, auspicatum & felix signum in Clypeo Regio lucet, *singularis Fæderum pro pace jungendorum prudentia*. Quæ in bellicas societates ineuntur amicitiæ, multum sanguinis & cladium portendunt. At vero sancta est & salutaris fœderum ratio, quæ pro pace

gentium facit. Nunquam tam bene cum rebus humanis agetur, quin pericula genti à gente immineant; quin æmulationes, metus, suspiciones, animos & curas Regum exerceant. Verum ne erumpant hi motus in cruenta bella, sub *Clypeo Regio*, non tantum instaurandæ sed servandæ tutandæque Pacis securitas convalescit.

XXIII. *Clypeus Fœderum* est, cujus conserta robora quædam, quà fas est, signari merentur. Tempestivis fœderibus efficitur, ut maxima potentia non magis formidabilis sit quàm modica: ut Fortunæ & Ambitioni, potentissimis ad perturbandam gentium quietem nominibus, limites ponantur: ut amici esse discant, qui inimici esse mallent. Quam pulcra Pacis inventa insunt huic prudentiæ? Bellum parare & sanguini parcere: communes facere utilitates, domesticarum virium opùmque collatis in medium officiis, absque querela & jactura ullius gentis: fidere, absque negligentia; diffidere, absque injuria: amicos non destituere, inimicos non parare: plus auctoritatis, ex certa pace, quàm gloriæ ex incerta victoriâ, lucrari: incrementa aliis non invidere, detrimenta domi non metuere.

XXIV. Amata Deo consilia, quantum possent felicitatis párere toti Christiano orbi? Quod multa non viderunt sæcula, prope in spem veniret, ut Fœderum consuetudine, Europa, amica amicorum suorum, nullam barbararum Christianoque nomini infensarum gentium vim vel sentire vel expectare posset.

XXV. Quid potius, pii civis voto pro Regis Regnique salute congruat, quàm si *Clypeum Regium*, ut nemini impune lacessendum, ita solis qui Pacem sæculi & Christiani orbis odisse potuerunt, terribilem, ad posteros celebrari exopet? Non aliud inter Regia decora illustrius, quam VIRTUTIS INVICTÆ, sed PACIFICÆ ET SOCIABILIS.

XXXIII.

XXXIII.

Consideratio

MERCATURÆ POLITICA.

I.

QUando de Origine mercaturæ in civitate quærimus, ea nobis omnino ex fine civitatis deducenda est. Propositum habet quævis societas civilis, parare sufficientiam omnium rerum ad victum & amictum in vita beatè & feliciter agenda necessariarum; hæc sufficientia non nisi mercaturæ adminiculo obtineri potest. Indiget administratio, provisio, cura reip. multum pecuniariæ opis, quæ non alio modo felicius paratur, quam ex mercatura, quia id sine privatarum apud cives facultatum dispendio; aut cum exiguo, parumque molesto fieri potest. Civium singulos sibi divitias parare, subsidium reip. in necessitate futuras, conducit: mercaturâ vix alius fœcundior quærendæ rei modus est. Si cives ad laborem applicandi sunt, mercatura id præstat. Verbo dicam; quævis societas civilis ad bene vivendum coiit; quod mercaturæ beneficio absolvitur. Mihi itaque qui de mercatura tractare suscepi, semper ad felicitatem civilem, ad cujus necessitates supplendas illa in remp. introducta est, respiciendum: hinc scriptioni materia, hinc verbis modus repetendus erit.

II. Quod si ergo in mercaturæ primordia inquirimus, & quibus incrementis ad hanc, quâ nunc habetur, plenitudinem excreverit, ita se res habuisse videtur. Cùm primùm res omnes quæ nunc in possessione habentur, ex usu communi in privata dominia abiere, ob varietatem rerum ad vitam sustinendam necessariarum fieri non potuit, ut cuique in longum tempus suppeterent, quæ necessitates ejus desiderabant. Igitur ut suis invicem necessitatibus succurrerent, quo quisque vel occupatione, vel labore, vel aliis nominibus quæsito abundabat, & quo vel ex parte, vel in totum ad tempus carere poterat, id cum altero, qui hujus rei sufficientiâ destituebatur, habebat contra alicujus, quâ ego indigebam copiam,

municabat; sub pacto, ut de illo quo ego indigerem, ipse in vicem quantum conventum erat redderet. Hinc commutandæ rei origo.

III. Quoniam autem cum non exigua incommoditate & difficultate conjunctum erat, invenire semper aliquem qui simul & meæ rei indigeret, & posset quæ mihi necessaria erant reddere; adhæc, quæ invicem commutabantur, difficulter & molestè transferri possent, singulorum utilitas postulabat, ut in societate esset aliqua communis mensura, qua omnium rerum commutabilium pretium æstimaretur, & cujus beneficio quisque quid vellet, & à quo vellet, sibi posset comparare. Quod cùm à singulis & privatis ita fieri non posset, ut omnis incommoditas tolleretur, (quia nemo privatâ auctoritate aliquid in societatem introducere potest, quod firmiter in omnes valeat) ipsa rei natura indicabat, ab iis qui voluntatem & consensum omnium sustinent, id est, à rectoribus societatis id faciendum esse. Ab his nummi ex auro, argento, aliaque materia signati sunt, quorum pondus, pretium lege definitum repræsentaret; signum, esset compendium examinis, & infucatæ bonitatis argumentum. Ita emptio & venditio nata est.

IV. Hæc ut mercaturam, quæ societatem non egreditur, absolvunt, ita quasi incunabula tantùm sunt prolixæ hujus mercaturæ, quam inter diversos & dissitos longè populos hodieque videmus exerceri. Nam postquam dilatatum est humanum genus, & homines ad excolendam & perficiendam suam vivendi rationem animum adjecerunt, alii locorum suorum inopiâ, alii lucri cupiditate, quæ infinita est, apud alios quoque populos illi suæ indigentiæ remedium, hi cupiditatibus suis materiam quæsivêre. Quorum conatibus & optatis cùm læto successu fortuna responderet, usu & arte tandem in hanc amplitudinem mercatura evaluit.

V. Atque hæc non sine singulari Dei providentia & consilio ita facta sunt, qui dum nemini hominum, nulli terræ omnem sufficientiam elargitus est, & alteri ab altero utilitatem & auxilium monstravit, homines ob inductam lapsu Adami humanæ naturæ malignitatem in irreconciliabiles dissensiones ituros, his invicem utilitatibus junctos animis quoque unire voluit.

VI.

VI. Sub mercaturæ vocabulo comprehendo quicquid Græcis sub ἐμπορίαν, αὐτοπωλίαν, & καπηλείαν cadit. Adeoque præcipue intelligo negotiationem, quâ quis rem mobilem emit venditque, non ut opera & uſu ejus naturali utatur, ſed revendendi lucrandique animo: deinde etiam quatenus in ſuis principiis, emptione & venditione vertitur. Atque hæc ita præfari libuit.

VII. Ergo quæ à ſocietate civili ad ſuam felicitatem ex mercatura petuntur, ſunt, ut jam fere in principio innui, Res neceſſariæ; ſubſidia pecuniaria; & propoſita peculiaria, quæ nonnunquam imperantes extra alimentorum & divitiarum rationem habent. Res neceſſariæ, vel ad vivendum neceſſariæ ſunt, vel ad bene vivendum. De prioribus ſciendum malo loco ejus reip. conditionem ſtare, quæ vel loci ſterilitate, vel per imprudentiam in eum ſtatum commiſſa eſt, ut vita ejus unicè à mercaturæ incolumitate pendeat, & quæ ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem requiruntur, caſibus & cladibus alienis obnoxia ſint. Neque enim de αὐταρκείᾳ, quam civitatis perfectionem Philoſophus ubique celebrat, talis reſp. gloriari poteſt, quæ non intra ſe maximam alimentorum partem procreat, ſed precariam prope vitam agit, & quoties ſive is, à quo copiæ petendæ ſunt, ſive intermedius aliquis & conterraneus, vel ex malevolentia noſtræ felicitati invidet, vel aliquâ calamitate affligitur, toties noſtra reſpubl. de vita periclitatur. Adeoque talis neceſſitas vel imbecillitatis exiguæ confeſſio eſt, vel corruptæ reipubl. indicium.

VIII. Sit nobis exemplo reſpubl. Romana jam à laudatis & priſtinis moribus deficiens, cujus cives Africam & Ægyptum potius, quàm Italiam ſuam olim fœcunditate haud incelebrem exercentes, eò quòd, ut *Tacitus Ann.* 12. 43. 4. loquitur, navibus & caſibus vita eorum permiſſa erat, ſemper in penuriæ metu (2. 59. 4.) ſæpe in periculo, ut h. 3. 48. 5. aliquando in ipſo diſcrimine deficientis annonæ extiterunt. 12. 43. 3. Unde non immeritò Tiberius apud eundem Tacitum. 3. 54. 6. in epiſtola ad Senatum tam acriter conqueritur, *quod Italia externæ opis indigeat, quod vita P. R. per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvatur, quodque ea res funditus aliquando remp. tra-*

here possit. Quod malum adhuc hodie Italiæ grave est, & magnorum sæpè periculorum causa; notante *Forstnero in libr. Omissorum, notâ ad Tac. 3. 54. 6.*

IX. Itaque in consiliis de mercatura, etiamsi forte aliunde minori labore & sumptu tenuiori alimenta advehi & haberi possint, hæc tamen semper primaria cautio esse debet, ne advectionis studio quicquam agriculturæ decedat, neque quæ ex nobis ad vitæ sustentationem habere possumus, ab aliis precariò obtinere necesse habeamus. Atque hæc palmaria ratio est, cur in qualibet rep. agricultura præ mercatura colenda sit. Aliam non minorem affert *Verulamius* de vita Henrici Sept. in excellenti & valde politicâ ἐπιεικείᾳ ad legem quandam ab ipso hac de re latam, & *Aristot. Oecon. l. 1. cap. 2.* Quando verò aut infelicitate soli, aut oppidorum propinquitate nimiâ, copia alimentorum domestica deficit, ut fit in Hollandia & alibi, tum tanquam pro aris & focis, pro capite & salute in talium rerum mercaturam incumbendum, & societatibus, amicitiis, fœderibus, legibus, privilegiis & quibusvis promovendæ mercaturæ inventis ad progressum ejus & securitatem nostram adspirandum.

X. Ad bene vivendum autem, à nulla non republ. minus infeliciter mercatura, & si legibus ad veram civium utilitatem attemperetur, salubriter potest usurpari: cujus utilitas ad bene vivendum in eo posita est, ut sit in civitate omnium quæ ad felicem vitæ sustentationem expetuntur sufficientia, & ut ea sit quàm minimo potest pretio comparabilis.

XI. Inter ea sine quibus civitas nulla subsistere potest referuntur, ab Aristotele subsidia ab opibus, & pecuniis, *ἔτι χρημάτων τινὰ εὐπορίαν ὑπάρχειν δεῖ, ὅπως ἔχωσι καὶ πρὸς τὰς καθ' αὑτοὺς χρείας, καὶ πρὸς πολεμικάς. Pol. 7. 8.* Ad quas publicè privatimque parandas non postremo loco mercaturam ponit *Idem, Oeconom. l. 2.* Ita autem ea ritè ad hunc finem dirigitur, quando aut omnibus aut pluribus fit lucri faciendi copia, neque ex impensissimo aliorum in mercaturam studio aliis parandæ substantiæ materia subtrahitur. Magis enim expedit reip. ut omnibus sufficiat, quàm ut quidam præter cæteros abundè habeant.

XII. Præterea mercatura imperantibus ad arcana nonnun-

nunquam consilia validè & efficaciter inservit. Ad magnam hominum multitudinem à novarum rerum cogitationibus abstrahendam, frequenti exemplo utilissimum imperantibus visum est, mercaturæ subsidio, quæ necessario nexu artium manuariarum incrementa secum trahit, homines ad laborem & lucri dulcedinem applicare. Horum enim studiis & cupiditatibus ut nihil magis conducit, quàm pax, ita adversatur quicquid paci inimicum: unde subministratis ditescendi occasionibus, quacunque republ. contenti, rectoribus suis molesti esse desinunt. Hinc porro infert *Dn. Forst. Not. ad Tac*, 3. 46. 4. parum eos reipubl. suæ conversiones animadvertere; modo mercaturæ suæ utilitate & lucri dulcedine non priventur. Cujus rei experimentum exemplo non obscuro etiam hodie Christiano orbi ostenditur.

XIII. Quemadmodum ad continendam à turbis hominum frequentiam efficax satis remedium est, ita ad conciendam non inane inventum. Eum enim sibi quilibet ferè præ cæteris locum habitandum eligit, ubi sustentandæ familiæ & parandæ rei familiaris materia pinguior est & copia uberior. Eum etiam in finem prudenter usurpata est, ut magnis amicitiis & confœderationibus initium & fundamentum esset. His enim moribus, vix est ut arctiori ejusmodi amicitiâ homines cohærescant, nisi mutuis invicem utilitatibus conjungantur & contineantur. In quem usum jam olim mercatura celebris & honorata fuit, memorante *Plutarcho in Solone cap.* 3.

XIV. Id quoque inter laudata imperantibus artificia est & esse debet, ex iis quæ ad mercaturam pertinent, prudenti consilio quædam eò dirigere, ut præter id, quod ad mercaturam & capiendas ex ea utilitates conferunt, ad aliam quoque necessitatem magnum momentum afferant. Sic Heinricus VII. Angliæ Rex, ut sunt verba *Baconi de Verulamio in vita ejus, curam adhibens, ut regni potentia non minus mari quam terrâ augeretur, in Classis sui adornationem & incrementum, ordinavit, ut vina & glastum ex partibus Gasconiæ & Languedociæ allata non nisi navibus Anglicis importarentur.* Ita quoque Hispaniæ Rex, ut est apud *Crantzium Saxonicorum XI.* olim (circa annum 1419.) *Alemannis interdixit, suos portus ne ingrediantur; præcipiens ut Bruggis expectarent suo-*

rum

rum ex regno mercatorum adventum. Addit causam auctor: *Vidit oculatus Rex ob Germanorum in suos portus navigationem, navib. procurandis nullam suis esse curam.* Plurimas utilitates, quæ præter lucri materiam, ex Indicis navigationibus in Belgarum societatem redundant, & propter quas illæ tam acriter à confœderatis Belgis propugnantur, lege apud *Baudium de Induciis belli Belgici libr.* 2.

XV. Ex iis quæ dicta sunt, nemini obscurum esse potest, necessarium esse, ut aut resp. speratis ex mercatura utilitatibus excidat, aut ea inter primarias curas sit rectoribus civitatis, qui eam ad reip. emolumentum applicent prudentiâ, temperent legibus, dirigant consilio, sublevent ope, tueantur auctoritate, firment providentiâ: qui sciant quid circa omne hoc negotium juris, quid consilii sit; quibus item personis, & in quantum licita; quomodo publicè, quomodo privatim usurpanda: qui definiant exportandorum & importandorum modum; evitent quæ cavenda; promoveant augendæ mercaturæ subsidia; tollant impedimenta.

XVI. Ars hæc sive prudentia senatoria fundatur in perfecta notitia præsentis reip. & arcanorum in ea consiliorum; alitur & augetur notitiâ eorum quæ exteris vel abunde adsint, vel desint, & scientiâ geographicâ; perficitur judicio exacto & pragmatico circa ea quæ nostræ reip. honesta sint quæ turpia, quæ utilia, quæ noxia, quæ bona, quæ meliora; absolvitur prudenti & fideli horum ad civium & reip. usus applicatione. Nimirum respiciendum ante omnia, quis sit status, quæ ratio reipublicæ; cui vitæ generi resp. potissimùm incumbat & incumbere debeat; qui sint civium mores; quæ locorum opportunitates; quantæ civium nostrorum facultates; quanta rerum quarumlibet tum apud nos, tum apud exteros vel abundantia, vel necessitas: pro harum rerum, & earum quæ cuilibet loco propriæ sunt, diversitate, diversus circa mercaturam modus, diversæ leges, diversa consilia formanda sunt.

XVII. Sunt autem emolumenta quæ ex mercatura in civitatem fluere possunt, applicanda ad utilitatem rei tum publicæ seu patrimonii civitatis, tum privatæ seu singulorum. Patrimonium civitatis augeri potest ex mercatura ipsa sive negotiatione, & ex vectigalibus. Ex mercatura seu negotiatione ad subsidium reip. lucrum

lucrum & divitias petere imperantibus, & inter eos etiam Principibus, tam non est pro inhonesto habendum, ac pro sublevandis civibus niti. Nam secundum æstimationem rectam ea imperantibus honesta sunt, quæ cùm in se non inhonesta sint, prout utilitas parentium suadet fiunt. Ergo subjectorum conditio interroganda est; quæ ut vix unquam imperantibus mercaturam dissuadet, ita pro vario suo statu alium atque alium exercendæ ejus modum poscit. e. g. si regio parandæ rei difficultate premitur, aut aliquâ calamitate cives in facultatum jacturam inciderunt, ut tum talis Mercatura eo modo temperetur, quo commodis suis & lucris quàm minimum decedat.

XVIII. Neque verò alia mercatura imperantibus convenit, quàm magna illa & honestior, quam Græci μεγαλεμπορίαν vocant, quæque dum fisco prospicit, singulorum quoque, quantum ejus fieri potest, utilitatem cogitat: neque aliter exercenda, quàm ne rectores civitatis à cura reip. abstrahat & avertat. Factum Theophili Imperatoris Constantinopolitani (quod ex *Zonara tomo* 3. à Domino Præside in Vita Ludovici Pii refertur) qui navem Uxoris, mercaturæ muneribus profundè depressam & ex Syria reversam exussit, motus indignitate, ut præ se ferebat, rei, quasi turpe esset & imperatorio fastigio adversum, mercaturæ utcunque operam dare, addito colore quod pro privatis mercatura inventa sit, generosum magis & ob felicitatem ævi sui & regiminis spectatum exemplum est, quàm ab aliis quibusvis citra respectum sui temporis & suæ reip. usurpandum.

XIX. Ne monopolium quidem exercere imperantibus inhonestum est. Neque enim per se monopolia naturæ repugnant (quâ de re videndus *Aristoteles. l.* 1. *Pol. c.* 7. *Grotius de J. B. l.* 2. 12. 16. *Salmas. de Usuris cap.* 9. *p.* 554.) neque semper reclamante utilitate publicâ fiunt. Quin imò multum sublevantur cives, quoties egente republ. cùm collectis & tributis cives prope enecandi essent, monopolii publici subsidio tanta molestia minuitur. Rependitur publica utilitate, quod privatis uni aut alteri decedit: & iidem illi possunt incumbendo alii parandæ rei modo acquirere, quantum ipsis ereptâ hac lucri faciendi occasione prævertitur. Interdum longo usu & consensu publico monopolia quædam imperantibus in partem stipendii concessa sunt.

XX. Pretia de rebus monopolii ab imperantibus constituta, si intra terminum à justitia naturali præscriptum (de quo infra) consistunt, nihil ab æquitate discedere manifestum est. Possunt autem salvâ justitiâ qui reip. præsunt augere rerum pretia supra modum naturalis in vendendo æquitatis, eo jure modoque & eodem ferè consilio quo civibus tributa imponere, exteris vectigalia; à quibus parum differt hæc monopolii exercendi ratio; & hoc insuper commoditatis habet, quòd occultius & insensibilius, adeoque tutius & cum minori molestia ac difficultate fit, quicquid exigitur.

XXI. Illud præterea hoc loco annoto: quò laxior est civilis libertas, eò magis necessarium est publicæ mercaturæ exercitium; quia cum libertate restrictior quoque esse solet exigendæ pecuniæ modus; & nihilominus administratio reipubl. æquè pergit esse opum in futuros usus sepositarum indiga. Quæ causa est cur à rebuspubl. liberis magis, quàm à principibus mercatura frequentetur.

XXII. Vectigalia originem & jus suum debent sumptibus in viarum & mercium transeuntium tuitionem impensis. Transitus naturaliter mercibus omnibus debetur. Declarari solet hoc jus ex hypothesi juris illius primævi, quo ad noscendam rectiùs dominiorum distinctioné, omnium rerum nondum ad usum præsentem occupatarum comunio concipitur, ita ut, postquam res pleræque omnes ex usu comuni in privata dominia translata sunt, permanserit circa usum innoxium, id est, qui citra ullum domini dispendium, incommoditatem, periculum fit, invariata libertas. Neque enim hujus libertatis immutatio ad perfectam & plenam possessionem necessaria videtur. Hujusmodi alienæ rei usus est transitus mercium innocuus. Adeundus omninò *Grotius de J. B. lib. 2. cap. 2.* nisi quod quæ habentur de origine dominii præsertim. §. 2. benigno interprete opus habent; partim admitti omnino non possunt. Hic tamen transitus, ne quis erret, non ita necessariò debetur, quin possit ex jure aliunde nobis adversus alterum parto interrumpi, puta ex pacto (qualia exempla *Grotius* affert *d. J. B. 2. 3. 15.*) ex consuetudine, ex injuria, ex damno vel periculo jam dato, aut certò ex transvectione orituro, aut alio quodam actu æquivalente.

XXIII.

XXIII. Jam quando viæ, pontes, portus & talia instaurari, & si edacitate temporis aut transeundo attrita sunt refici debent; aut merces militibus vel custodibus publicis à raptorum vi atque injuria tutandæ sunt, aut labore vel aliis impensis publicis adjuvandæ, jure optimo quicquid in transeuntium subsidia impendendum est, ab iisdem reposcitur. Atque hinc pendet justitia vectigalium naturalis, tantum enim jure naturæ debetur & exigi potest, quantum bona ratione insumitur.

XXIV. Verùm ab hoc juris naturæ canone usus & consuetudo populorum non parum discessit. Tantum enim abest ut modus causæ non excedatur, ut ex quo mercatura in aliquam amplitudinem evaluit, à plerisque omnium temporum populis inter instrumenta fisci locupletandi habita vectigalia sint, & iis etiam locis interdum imposita, ubi aut nihil, aut parùm ad præstandam securitatem requiritur. Nempe non tam à jure modus quæritur, quàm ab eo quod sine graviore molestia fieri potest; idque ut videtur in jus Gentium abiit; facilibus ad hanc rem rerumpubl. moderatoribus; qui quod alteri ab alterius civibus dependitur, id ipsi inter se compensant; à suis verò tributum colore & pallio juris naturæ obvelatum exigunt.

XXV. Hæc consuetudo utut longo populorum usu firmata sit, id nihilominus certum manet, nimia vectigalia imponere exteris, inhumanum esse, civibus tyrannicum. Est ergò moderatio adhibenda, & prudenti omnium quæ adsunt, subsunt, circumstant pensitatione arbitrandum quantum conducat. Et quidem si cives respicias probè examinandus erit publice necessitatis modus; laxior vel adstrictior imperandi potestas & consilium; observata longis retrò temporib. consuetudo; regionis opes; reparationis facultas vel difficultas; & quos in civitate onera vectigalium maximè feriant. *Optima autem & laudatissima via est, à volentibus impetrare: consensus magnitudinem vectigalium minus invidiosam faciet*, ut sunt verba *Excell. Dn. Præsidis in nota ad Herodian.* 2. 4. quo in loco cautiones circa hanc rem aliquàm multæ ponuntur, & ostenditur quàm non expedita res sit, de vectigalium æquitate vel iniquitate sententiam ferre, etiam hanc ob causam,

 quòd

quòd nonnunquam cohæreat res tributaria cum arcanis imperii: quæ nec propalare consultum, nec inquirere licitum aut decorum sit.

XXVI. Si de exteris deliberatio est, consilii ratio potissima consistit in intuitu finitimorum, quomodo nostri cives à finitimis in re & negotio vectigalium habeantur, & haberi possunt. Deinde si de rebus importandis agitur, plerumque quidem non tam exterorum quam incolarum causa vertitur, ac propterea ex iisdem observationibus & cautelis modus vectigalium determinandus erit: quod si verò sejuncta causa est, attendendum quanta sit nostra rerum quas inferunt indigentia, & quantum boni malive in civitatem importent; tum quanta exterorum advehendi cupiditas & lucri faciendi materia; denique an merces easdem commodè ad alias civitates vehere possint. Si de exportandis, quanta sit nobis eorum quæ suis usibus petunt copia, exteris verò quanta indigentia, sive an aliunde æquè suis necessitatibus prospicere possint. In nudo mercium transitu, ad necessitatem transeundi advertitur, quæ iterum ex variis, quæ circumstant, æstimanda est. Est enim hoc omne negotium merè *πειρατικὸν*, neque exactè regulis, rectius autem & felicius exemplis docetur, quibus in tam contracto scribendi genere non datur locus. Adeundi scriptores hac in re proprii, & inter eos præcipuè *Obrechtus in Secretis Politicis*, & *Hermannus Latherus de Censu.*

XXVII. Eorum, quæ in quæstione de modo vectigalium, tum in civibus tum in exteris, attendenda dixi, diversa ratio facit, ut frequenter in mercibus iisdem, mitiora civibus vectigalia sint, duriora exteris; interdum contra mitiora exteris duriora civibus. Neque tamen temerè de consilio imperantium in deteriorem partem pronunciandum est. De mercibus, pro quibus vectigalia exigi debeant, id quidem negari non potest, favorabiliora esse & gratiora in vulgus quæ non gravant annonæ & alimentorum necessitatem: neque tamen hoc ita in regulam abit, quin, si aliorum remediorum defectus, ingenium regionis, res nata postulat, aut consuetudo vel consensus civium permittit, aliter bono jure & successu fieri possit, ut iterum docet *nota supra laudata in Herodianum.* Tantum de mercatura publica, & redundante ex ea ad usum publicum utilitate. Sequitur

tur mercatura privatorum, quam auſpicabimur à perſonis quibus honeſtè competat.

XXVIII. Mercatura neceſſitatis inventum eſt, ſocietatis humanæ externum vinculum & cui, niſi aliquid alieni accedat, cum juſtitia & æquitate optimè convenit. Nemini igitur ſuâ naturâ illicita eſt, aut inhoneſta. Ergò quando illiberalis, inhoneſta, ſordida apud Græcos Latinosque audit, fit hoc, non ſuâ culpâ meritoque, ſed partim ob vitioſitatem quæ mercatoribus lucri cupidine facilimè ad avaritiam prolapſis, frequenter innaſcitur; partim in reſpectu ad perſonam, quatenus exercitium mercaturæ pugnat cum occupationibus & negotiis, quæ muneris cujusque & officii ratio ſibi vindicare ſolet, adeoque vitium πολυπραγμοσύνης in homine culpâ non ſuâ procreat; partim denique in comparatione ad artes liberales & meliorem eruditionem, quibuſcum nunquam ſuſtinuit certamen ſubire dignitatis. Atque adeo mercatura non polluit hominem, ſed homo mercaturam.

XXIX. De Principibus & imperantibus aliis quatenus ipſis mercatura conveniat ſupra dictum. De magiſtratuum (ex veterum more vocabulum accipio) mercatura privata malè dicitur ſentire *Ariſtoteles Polit.* 3. 3. & 7. 9. ubi inquirit quinam debeant eſſe cives, id eſt, οἷς κοινωνεῖν ἔξεστιν ἀρχῆς, ut ipſe explicat; & *Plato de Legibus*. Et *Ariſtoteles quidem Pol.* 3. 3. laudat conſtitutionem Thebanorum, quæ vult τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς, μὴ μετέχειν ἀρχῆς. Ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς alii vertunt, *à mercatura*; *Lipſius Pol.* 3. 6. 15. fortè ſuæ hypotheſi indulgens, *à commerciis*; Vir quidam in literis valde eminens, *ab omni mercatura*: cùm tamen ἀγορὰ *Ariſtoteli* ſit negotiatio artificum & concionum ſeu καπήλων qui in foro verſantur ad ſua vendenda, ut oſtendit *Salmaſ. de Uſuris p.* 340. & *alibi*. Certè in hac capitis parte non aliud inquirit *Philoſophus*, quàm an βάναυσοι mereantur haberi cives, qui jus aut aditum habeant in partem adminiſtrandæ reipublicæ: & *l.* 6. *cap.* 7. denuò mentionem facit hujus legis, his verbis: καθάπερ Θηβαίοις, ἀπεσχομένοις χρόνον τινὰ τῶν βαναύσων ἔργων. Βάναυσοι autem ſunt qui artes ſellularias exercent, eas quas ſordidas appellamus. *Libro* 7. *c.* 9. hæc verba leguntur: Ἐν τῇ κάλλιστα πολιτευομένῃ πόλει, καὶ τῇ κεκτημένῃ δικαίως ἄνδρας ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν, οὔτε βάναυσον βίον, οὔτε ἀγοραῖον δεῖ ζῆν τοὺς πολίτας. ἀγεννὴς γὰρ ὁ τοιοῦτος βίος, καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος. Audis (ut nihil de

absoluta civium & administrationis justitia & perfectione dicam, quam à societate humana exulare ipse auctor subinnuere videtur) audis, inquam, eos à reip. administratione ab *Aristotele* excludi, qui ita in foro versantur, ut vita eorum, si rectè examinetur, sit virtuti adversa, sicut vertit *Paraphrastes*. Videtur per *ἀγοραίους* eos potissimum hoc loco indigitare auctor, de quib. *Cic. Off. l. 1. Sordidi putandi, qui mercantur à mercatoribus ut statim vendant: nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur.* His ita se habentibus *Aristoteli* nihil repugno, ut brevi audies. Quod verò attinet ad *Platonem*, mirum non est eum mercatoribus iniquum esse, qui alibi mercaturã omnem è sua rep. exterminat: de cujus scopo & scribendi ratione passim Viri eruditi commentati sunt, quos vide.

XXX. Ergo cum nec obstet *Aristoteles*, nec morari debeam *Platonis* auctoritatem, dico, non dedecere mercaturam legitimam senatores aliosque in officio tali constitutos; modò ea talis sit, quæ non à laboribus officio debitis avocet, nec minuat auctoritatem; quod facit ferè quæ non exercetur per famulos & institores, & quæ in foro fit. Talis metus si subsit, rectè magistratibus, si habent ex officio unde vivant, lege civili hoc vitæ genere interdicitur. Neque abludit hæc sententia à consuetudine hodierna, secundum quam omnes rerump. species mercatoribus aditum quendam ad publicos honores aperiunt, & cum honoribus libertatem exercendæ mercaturæ concedunt, nisi, quod dixi, obstet. Quod *Lipsius* quamvis mercatoribus sit parum æquus, fateri tamen cogitur *Pol. 3. 6. 15.* ubi *Venetos, Florentinos, Genuates, Batavos sic usitasse* ait, *haud magno suo malo.* Quæ verò ibidem in mercaturam torquet, ad ea maximam partem ex his, quæ jam dicta sunt, responderi potest, & dabitur fortasse uberius de iis mentem explicandi locus.

XXXI. Apud Germanos, Gallos, Hispanos & alios mercaturæ exercitium putatur officere splendori nobilitatis. De cujus vel legis vel consuetudinis origine & caussa egregiè disserit *Cl. Dn. Forstnerus in notâ ad Tac. 3. 46. 4.* cujus verba, quia multum ad momenta quæstionis faciunt, merentur adscribi. *Longe alia veteribus, Imperatorumq; constitutionibus causa fuit, cur Nobilib. mercimoniis interdiceretur, quàm hodiernis Gallorum, Germanorum, Sarmatarum, Hispanorum moribus, à negotiationibus Nobi-*

Nobilitatem excludentibus. Majores nostri mercaturæ exercitium dignioribus ideò non concedebant, quia perniciosam urbibus, & potentiam nobiliorum obstituram commerciorum libertati censebant. (l. III. C. de commerciis) Nostris autem persuasum est, vile atque nobili generositate indignum istud esse exercitium. Quæ opinio non tam quod omnino vera sit, quam quod ea Principum arte primum seminata, nunc etiam alatur, invaluit. Cùm enim illi magnitudinem suam atque securitatem in armis consistere sciant, nec ignorent, Nobilitatem semel degustatâ lucri ex mercimoniis provenientis dulcedine, abjectis armis negotia mercantilia sectaturam: necessarium fuit eam ipsis sententiam paradoxo proximam infundere, quâ acquirere sibi emendo vendendoque vile & abjectum esse crederent. An *lex III. C. de commerciis*, quæ nobilibus mercaturâ interdicit, de omni mercatura intelligenda sit disputat *Salmasius de Usuris p. 536.*

XXXII. Cicero certè, laudatissimus de Officiis scriptor, si hac de quæstione interrogaretur, tenuem & sordidam mercaturam à nobilitate juberet abesse; ἐμπορίαν verò id est mercaturam magnam, quæ navigat & multa undique bona in civilem societatem convehit non valde in nobilitate damnaret. Ita enim loquitur *Off. l. 1. Mercatura si magna & copiosa est, multa undiq; apportans, multisq; sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda: atq; etiam si satiata quæstu vel cotenta potius, ut ex alto inportum ita ex ipso portu se in agros possessionesq; contulerit, videtur jure optimo posse laudari.* Ubi notare te velim temperamentum, quod Ciceroni probatur, dum non tam vitam mercaturæ planè deditam laudat, quàm quosdam ejus actus, per intervalla hominem ad laudatiores cogitationes & operas dimittentes. Consuetudo populorum hoc ferè discrimen invenit, ut in rebusp. quæ à monarchico regimine discedunt, liberior sit mercaturæ usus & rarò nobilitati habeatur indecorus, nisi ubi consuetudo monarchiæ temporib. recepta continuat.

XXXIII. Ne Ecclesiasticis quidem abstinendum à mercatura esset, nisi gravitas muneris operam negotiationi impendendam excluderet, & sanctitas fugam omnium suspicionum de avaritia & falso, quæ ut jam supra dixi, mercatoribus facillimè innascuntur, inculcaret: hinc fit ut gentium plerarumque more à mercatura removeantur, eò magis quod ex salariis sustentari possunt.

De

De aliis vitæ generibus dubitatio nulla eſt, quin ſi officium non prohibeat, mercatura illis conceſſa ſit. Nonnunquam nullâ lege, ſed ſolâ conſuetudine aliquod hominum genus mercaturâ abſtinet: id quod naturali libertati non præjudicat. Sequitur de jure emendi vendendique.

XXXIV. Venditionis & emptionis juſtitia, ſi naturam reſpicimus, conſiſtit in duobus: alterum eſt, ut venditor exhibeat emptori mercem, qualem ſcit ipſum quærere & ſtipulari: alterum ut ſit æqualitas in pretio, id eſt, ut neuter contrahentium habeat plus minusve, quàm ipſi debetur.

XXXV. Prius illud membrum has ferè habet regulas: 1. *In dubio emptor præſumitur talem velle mercem, quæ vel ſit ſine vitio, vel talis qualem præ ſe ſpeciem fert.* 2. *Si mentem ſuam explicat emptor, ea debet eſſe mercium norma.* 3. *Si vitii aliquid latere ſcit venditor, aut aliquid novit quod materiam ſubjectam per ſe contingit, & quod ſcire emptoris intereſt, tenetur id bonâ fide indicare, ne in fraudem incurrat emptor.* 4. *Si poſt contractum aliquid demum vitii apparet, quod jam ante contractum in re erat, tenetur venditor ad alterum damno liberandum.*

XXXVI. Hæc quia naturali juſtitiâ flagitante ita in communione ſocietateque humana eſſe debent, non aliud poteſt circa ea magiſtratus, quàm curare proviſu, jure dando, legibus, pœnis, ut huic juſtitiæ naturali ſatisfiat. Quod ſi quando ſive legibus, ſive judiciis connivet, & rem vel cauſam talem ad ſtatutum aliquod tempus, aut certam pretii ſummam, infra quæ lis non recipienda ſit, aut ad aliam circumſtantiam determinat, fit hoc, non ut hæ leges ſint actionum regula civibus, aut quod à viro bono honeſtè agi gerique poſſit, quicquid talium legum indulgentiâ non vindicatur; ſed partim quia fieri non poteſt, ut magiſtratus omnia minima examuſſim perſequatur, partim ut occurratur multitudini litium, quas alioquin in infinitum extenderet hominum malitia. Hujus curæ quoddam interdum quaſi compendium eſt; ſi ipſis mercatoribus injicitur circa hanc rem æmulatio. Quid apud veterum nonnullos circa hoc negotium in uſu fuerit vide ex Theophraſto apud *Stobæum Serm. CXLV. p.* 459.

XXXVII. Circa æqualitatem in pretio non tantùm obtinendam ſed & arbitrandam res valde intricata eſt. In æſtimando

mando rerum pretio jure meritoque attendendum esset, quanti res tum quoad expensos sumptus, tum quoad habitos labores venditori constaret, quæ fuerit periculi magnitudo, qui fructus dum huic rei efficiendæ parandæve vacavit intercepti, quod damnum consequens, quanta possessori hujus rei indigentia, quanta recuperandi difficultas, & quæ alia sunt accidentia ejusmodi æstimabilia. Verùm cùm etiam in his necessariò ad eandem æstimandi difficultatem redeundum sit, neque possit inveniri in talibus certa aliqua & constans norma, consuetudo populorum negotium hoc omne, non invitâ illinc acquirendi, hinc retinendi cupidine, ad vim promissorum & stipulationum traduxit, ut inde tantum res valere putetur, quantum pro ea emptor pollicitus est. Talium promissorum obligatione emptor quidem jure Gentium tenetur firmiter, & venditor non repugnante eodem id est externo jure, si non aliunde prohibetur, licitè accipit. At secundum justitiam intrinsecam, id est eam quæ conscientiam ferit, si emptor ex ignorantia aut indigentiæ necessitate plus justo pollicitus est, obligatur venditor liberare emptorem in tantum, aut, si pretium jam accepit, restituere, quantum scit supra æquum alterum stipulatum esse aut se jam accepisse. Non quidem quod jus naturæ aut gentium juris aliquid adversus venditorem emptori exhibeat; sed venditor obligatur tamen, & quod non dat jus naturæ aut gentium, potest dare lex civitatis, de qua paulo post. Atque in hujus intrinsecæ justitiæ neglectum (quanquam etiam in regularum quas supra posui) potissimùm mihi invehi videntur dicta *Syracidis* 26, 28. & 27, 2. & monitum *Pauli Apostoli* 1. *Thess.* 4, 6.

XXXVIII. Æqualitas ergo illa, quam in emptione & venditione naturam postulare dixi, cùm ex aliqua certa & stata regula judicari non possit, , inter eos qui vendendi & emendi animo propositoque convenerunt, ex pretio communi æstimari solet, id est, si tantum postulatum datumque est, quantum res communiter & ex viri boni arbitratu valeret. Quod vix est ut non aliquam latitudinem habeat, intra quam plus minusve dari aut exigi possit, nisi ubi lex certum rebus pretium ἐν στιγμῇ sive in puncto constituit, ut observat *Grotius de I. B.* 2. 12. 14. Quando verò aut emptor invitante pretii lenitate emit, aliâs non empturus, aut venditor ob insperatò oblatum

pretium tantùm, vel in gratiam emptoris vendit, aliàs non venditurus, in tali casu etiamsi à pretio communi vel minuendo vel augendo disceditur, nihil fit contra dictam æqualitatem: ibi enim quod noluerit emptor, hic quàm cara res sit suo possessori in aliquam æstimationis rationem venit. Nisi aliud interdum jubeat Christiana caritas, quod præsertim in necessitate nullo alio remedio evitabili frequenter usu venire solet.

XXXIX. Hæc cùm ita sint, muneris ratio ab imperantibus postulat, efficere, quantum res patitur, ut singuli in vendendo emendoque æqualitatem quam dixi obtineant. Quod fit partim ponendo pretia mercibus quibus necesse est, & in quibus fieri potest: partim scribendo leges quibus succurratur emptori, qui per imprudentiam, vel alterius fraude inductus stipulatus est, quod pretium comune aut id quod à quolibet viro bono diceretur, enormiter excedit: & venditori circumvento.

XL. Quibus mercibus pretia imponi possint & debeant vix est ut possit certis regulis ob infinitam circumstantiarum alibi atque alibi diversitatem definiri. Id certum est in plerisque fieri non posse. Solet autem frequenter in iis, quæ inter incolas loci magnam partem distrahuntur, idque præsertim quando periculum est, ne vendentes factâ conspiratione pretia talium mercium supra æquitatem augeant, aut si empturientium frequentia & aviditas facit rerum pretia in suam ipsorum perniciem increscere. Ponuntur autem pretia vel *ἐν στιγμῇ*, ut *Aristoteles* loquitur, sive in puncto, à quo discedere & plura exigere non audeas: vel constituendo pretium aliquod commune sive medium, infra vel ultra quod tamen exigi darique licitum sit. quod præsertim locum habet in quibusdam mercibus nativis, quæ singulis annis ex necessitate legis civilis post messem collectam publicâ auctoritate æstimandæ sunt, ut possint dum in herba sunt, nec adhuc maturitas de bonitate atque præstantia earum testata est, tutò vendi emique. Vel denique duo præscribuntur pretia quæ excedere non licet, alterum vilissimis, alterum in eodem genere optimis; relicta in reliquis quæ mediæ bonitatis sunt, intra hos terminos libertate; cujus egregium exemplum refert *Baconus de Verulam. in Heinrico VII.* In quibusdam rebuspubl. laudabili more ordinatur magistratus aliquis, qui rebus æstimandis censendisque

præ-

præsit, ad cujus arbitrium & æstimationem possint emptor & venditor, si inter se consentiant, provocare iis in rebus, in quibus per consuetudinem receptum est.

XLI. Leges scribere, quibus emptori venditorique per imprudentiam suam aut fraudem alterius enormiter lapso succurri possit, res est plena æquitatis. Quid enim æquius, quàm ad id alterum publicâ auctoritate adigere, quod ipsi ut sponte faciat honestas & justitia interna dictat? Sed dico enormiter. Neque enim omnia minima leges & quæ secundum eas fiunt judicia persequuntur, præsertim in talibus, ubi non tam ratio quàm id quod in eo temporis articulo communiter fit, æquitatis mensura est. Nimirum *leges iniqua tollunt quatenus comprehendi manu possunt*, ut ex celebri *Ciceronis* loco *de Off. III.* adducit *Grotius. Lex Romana succurrit emptori venditorique non in quavis inæqualitate, sed in gravi & quæ dimidium justi pretii excedit.* Ibid. 2. 12. 12.

XLII. Libertas emendi inter ea jura est, quæ ex utilitate innoxia, quam supra dixi ex origine dominii deduci, descendunt. Ergo naturaliter omnibus concedenda: id enim ut fiat interest humanæ societatis, quæ sublatis commerciis ipsa quoque magnam partem intercidit. Per hanc autem *libertatem*, non aliud intelligo, quam *ne facultas emendi lege impediatur, aut conspiratione eam impedire liceat.* Quod tamen ipsum quibusdam exceptionibus restringitur: ut quando vix nostris usibus sufficit, aut si empturus hostis noster est, aut ad hostem transportare in animo habet.

XLIII. Hoc autem naturale præceptum, ut ulterius mentem explicem, non porrigit se ad aliud, quàm ut sit libertas cuilibet suis necessitatibus beneficio emptionis consulendi. At quo personarum ordine, si non tanta adest rerum copia, quâ omnium omninò desideriis possit satisfieri; aut quantum supra præsentem necessitatem coëmere concedendum sit; aut quibus rei qualitatibus vel conditionibus; aut per quos; de his prout conducit disponere, civilis societatis moderatoribus liberum solutumque est.

XLIV. Quantum ergò ad ordinem personarum, in emendo cives, si opus est, præponendi sunt exteris: æquum enim est ut copia frumentorum mercesq; aliæ civitati vel provin-

ciæ primùm prosint, cui natæ sunt. Atque hinc leges & prohibitiones quæ exteros interdum arcent, interdum postponunt, jus suum derivant. Quòd si, quæ exteros arcent, ad minuendum pretium tantùm, non verò ob copiæ defectum inventæ sunt, exteri autem non habent unde suis necessitatibus succurrant, in tali casu prohibitiones ejusmodi aut nullæ sunt, aut contra naturam pugnare videntur. Inter cives, quos ipsa societas in pari jure constituit, non est hac in re prærogativæ locus: nisi quod qui ad usus quotidianos emunt, iis, qui revendendi & lucrandi animo, rectè præponuntur. In magna alimentorum necessitate ne peregrinis quidem semel admissis emptionem intercludendam esse, sed commune malum communiter tolerandum piè sensit *Ambrosius de Off. 3. cap. 7.*

XLV. Modum, quantum coemere licere debeat, publicâ auctoritate definiri posse supra dictum. Præscribitur autem modus nonnunquam ut omnibus fiat emendi facultas, nonnunquam ut pluribus lucri faciendi copia, nonnunquam ut pretia rerum leniantur mitigenturque: ex quibus facile apparet, quando & quâ mensurâ modus determinandus sit. Exteris tantum concedendum est, quantum nostris nostrorumque necessitatibus superest: unde rectè alicubi incolis spatium aliquod emendi frumenta aliaque antè conceditur quàm exteris. Inprimis id ab imperantibus præcavendum est, ne aliquis privatus arte subdolâ & omnimodâ coëmptione monopolium meditetur: id enim emolumentis ob quæ mercaturam in civilem societatem introductam esse diximus, adversatur, dum aliis omnibus lucrandi facultatem præripit, & obstat quo minus pretio quàm fieri potest exiguo cives necessaria sibi comparare possint. Et in iis quidem rebus quæ ad vitam sustentandam pertinent, prohibenda sunt omninò; in reliquis si concedi monopolium necessitas postulat, qualis tamen plerumque evitari potest, id ita concedendum, ut magistratus constituat pretio modum.

XLVI. Ad hunc locum referenda est quæstio quid sentiendum sit de Dardanariis, quos ita scriptores nonnunquam appellant, qui alimenta e. g. frumentum supra necessitatem eum tantum in finem coemunt, retinent, coarcervantque, ut aucto rerum pretio eodem loci carius revendant. Dubitationi cau-

causam dedit, quòd cùm reliqua mercatura ad sublevandum suis commodis humanum genus inventa sit, habeatque utilitatem aliorum, labores, periculum aliaque æstimabilia accidentia, quæ honesto lucro patrocinari possunt; talis contra coemptio nihil horum possit prætexere, sed commodis humanæ societatis inimica in tantum nihil ad copiam rerum & emptionis facilitatem conferat, ut eadem & re & voto ex communione civili auferat, & non nisi in incendio annonæ spem omnem & prætextum collocatum habeat. Quod contra caritatem esse & Christiano indignum videtur. Quibus omnibus accedit dictū *Salomonis Prov.* **11. 26.** *Qui abscondit frumenta maledicetur à populis; benedictio autem super caput vendentium.* Ex parte adversa adducitur, si talis coemptio pro inhonesta habenda sit, id fraudi agricolis fore, quibus hujus assertionis observatio vendendi difficultatem & magnum temporis dispendium importaret; alia ejusmodi plurima, satis, ut fateor, gravia, sed quæ in consilii magis quàm honestatis rationem veniunt. Si sententia dicenda est, (quam rectius à Theologis petes) videtur talis coemptio & venditio propriè cum jure alterius non pugnare ut ait *Grot. de I. B.* 2. 12. 16. quæ verò in Christianam caritatem offendunt, ea prudenti & religioso moderamine declinanda esse & declinari posse; imò negotium hoc omne posse satis feliciter dirigi ad laudem Christianæ pietatis. Magistratûs interim est, talem coemptionem eo usque non prohibere, dum nullius incendii & flagellationis annonariæ causa existit. Ad prævertendum hoc malum in pluribus civitatibus leges reperire est, supra mensuram determinatā coemere prohibentes, vectigali graviore onerantes, tempore & emendi jure reliquis civibus postponentes, exteris omninò interdicentes, prout circumstantiarum ratio id postulat.

XLVII. Ex eo quod dixi liberum esse imperantibus constituere quibus qualitatibus merces coemendæ sint, modò emptor suæ necessitati possit satisfacere, fluit quod materiam, quæ non propter se, sed ad aliud ex ea efficiendum petitur, nullo jure teneamur rudem exteris vendere, sed posse nos cavere ne nisi elaborata vendatur, ut ita duplex lucrum inde ad nostros redeat. Quod tamen etiamsi fortè facultas non deesset, infeliciter tentatur, nisi talis merx aut alibi omninò non reperiatur, aut copiâ non sufficiente.

XLVIII. In mercibus valde desiderabilibus interdum constitutione publicâ caveri solet, ne exteris emere liceat nisi per mercatores aut institores civicos: id quod in locum de prærogativis quoque referri potest. Interdum etiam sancitur, ne avehantur merces nisi operâ civium. Quæ inventa sunt ad suppeditandam lucri materiam civibus, nec ab æquitate discedunt. Ad certum locum nonnunquam alligantur ementes, ne vectigalibus aliquid decedat.

XLIX. Atque hæc sunt quæ natura circa emendi libertatem vel requirit, vel permittit. De rebus apud nos vendendis qualiter constitutum esse debeat, nihil natura præscripsit; sed cuique tum societati, quàm privato liberum reliquit, statuere quid velit acquirere, quid non, ut habent verba *Grotiana de J. B. 2. 2. 20.* Atque adeò liberum omninò est ex utilitate reip. definire quid aut quomodo vendendum vel non vendendum sit.

L. Hinc est quod nonnunquam exteræ merces arcentur, quando aut non satis præstantes sunt, aut si ipsi habemus earum rerum copiam, ne ob exterorum invectionem difficilius nostri possint, quæ multo labore acquisiverunt, vendere. Ob causam eandem interdum temporis aliquod spatium mercibus præscribitur, intra quod vendere eas liceat cuilibet, alio non item. Nonnullibi ex quibus regionibus vina importanda sint, ex quibus non, item quo tempore, lege definitur. Legem ab *Heinrico VII.* Angliæ Rege conditam laudat *Bacon. de Verulamio*, *qua prohibebat importationem alicujus manufacturæ ex bysso, vel simpliciter vel cum mixtura alterius fili, textæ.* Subjicit judicium auctor: *Lex hæc vera regula nixa est; Vbi materialia extera superflua sint, ibi manufacturas earum apud exteros prohibendas. Hoc enim haud superfluitates illas arcebit, aut manufacturam lucrabitur.* Illæ præsertim merces feliciter prohibentur, quæ utilitatis in rempubl. inferunt nihil, magnam autem pecuniæ vim asportant, & ad effeminandos animos pertinent, qualia quod non importentur, fortiores præ cæteris esse Belgarum populos *Cæsar* judicat *lib. 1. de Bell. Gallico.* Ne mercatores exteri suis navibus ingrederentur Hispaniæ portus vetuit olim Hispaniarum Rex, ut supra ex *Crantzio* relatum est.

LI. Dum agimus quid circa emendum vendendumque liceat imperantibus, non omittendum, quid ulterius erga

cives

cives seu subditos liceat. Breviter, subditi possunt ab imperantibus huc adigi, ut non nisi intra civitatem quod ibi abunde est emant, neque extra civitatem vendant, quod in ipsa civitate desideratur. Quorum utrumque ex eo descendit, quod vi vinculi societatis civilis ita inter se conjunguntur cives, ut reliquorum suæ societatis membrorum utilitates potius promovere teneatur quilibet, quam exterorum. Talis obligatio bona cum ratione interdum in legem abire potest. Alioquin quæ adversus exteros constitui posse dixi, eadem possunt adversus cives, si ita ex re & utilitate sit civitatis, quæ omnium talium constitutionum norma est.

LII. Id tamen hac in parte studiosè observandum est, ut semper potior civium ratio habeatur, & si temporum conditio non regugnat, majores sint eorum prærogativæ, quàm exterorum. Cives ij esse debent, ad quorum felicitatem omnia quæ circa exteros disponuntur, referenda sunt. Αὑτῇ γὰρ ἐμπορικὴν, ἀλλ᾽ οὐ τοῖς ἄλλοις δεῖ εἶναι τὴν πόλιν: *ad suam enim non aliorum utilitatem debet esse mercaturæ dedita civitas*, ut *Aristoteles* ait *Polit. 7. cap. 6.* Sciendum autem est, stare nihilominus posse hanc curam, etiamsi interdum par sit aut etiam tolerabilior quoad mercaturam exteri conditio quàm civis. quia nonnunquam temporum calamitas duriora in cive quam in extero circa hanc rem postulat.

LIII. Inter cives verò ipsos hoc magna cum cura agendum est, ut singuli felicitatem, quam ex mercatura, si rectè habeatur, posse in rempubl. derivari supra dixi, ritè obtineant. Leges ergò constituendæ sunt, quæ, quantum fieri potest, caveant ne alter alterius utilitatibus & commodis obstet, quales aliquot jam supra attigimus. Sic etiam in pluribus & optimè constitutis civitatibus Statarii & Forenses mercatores, qui merces ad ulnam vel stateram vendunt, lege distinguuntur à magnariis, qui per aversionem negotiantur. Et statariis inter se præscribitur, quas quilibet merces exponere & vendere audeat, quas non; & an plures quam unam ejusmodi negotiationem gerere liceat: ut ita quilibet de mercibus suis vendendis certior sit, & pluribus fiat negotiandi facultas.

LIV. Et hactenus quidem dictum est, quantum circa emendum vendendumque & circa importandas exportandasque

que merces imperantibus liceat: quod non sic intelligendum est, ac si in omnibus & ubique ita fieri debeat; id enim esset mercaturæ incrementis obstare: sed usurpanda hæc talia sunt quando hâc viâ magis possumus civium nostrorum utilitates promovere, quàm per aliam, aut quando necessitate urgemur. Alioquin mercaturæ amplitudo & ubertas in importandorum & exportandorum libertate & copia consistit. Quæ qualiter se in civitate habere debeant, & quibus incrementis decrementisque augeri minuique soleant, videbimus.

LV. Importatio mercium earum, quæ intra nostræ ditionis terminos consumendæ sunt, à nulla societate civili appetenda est, nisi quatenus necessitatis modus postulat, aut ratio minuendi pretii admittit. Est enim non parum incommoda & perniciosa rerum ejusmodi superflua invectio, utpote quæ utilitatis aut lucri nihil in civitatem infert, homines ad faciendos frustraneos sumptus invitat, rempubl. ære & nummis, id est, succo & sanguine emungit. Quale detrimentum ut prævertatur, mercium ejusmodi superfluitas necessariò aut lege arcenda, aut onerum difficultate impedienda est: reliquum quod per hujus generis invectionem aufertur, exportandorum ubertate & lucri recipiendi copia supplendum. Memorabilis est circa hanc rem cura Regum Anglorum, qui sub pœna confiscationis omnium bonorum præceperunt, ut mercatores exteri quascunque merces importarent, eas in merces regni coëmendas converterent. Quam legem Heinricus Sept. hac insuper adjectione munivit: *Ut in pecuniis persolvendis nulla fieret solutio in auro, quibuscunque mercatoribus alienigenis: quandoquidem aurum ejus generis metallum sit, quod facillimè & in occulto transportari possit:* sunt verba *Verulamii in Vita ejus.*

LVI. Securior ergo mercatura consistit in mercibus exportandis & importandis iis, quæ aut ad alias merces efficiendas pertinent, aut per nos ad alios transeunt. Res exportandæ vel à natura fiunt, vel ab arte. In utrisque maximè advertendum, quibus modis possint introduci, teneri, promoveri, sublevari, augeri; & qua ratione cum civium utilitate maxima exportentur. Quæ si vellem hoc loco diducere & in amplitudine sua exhaurire, novæ disputationis paginas tractatio requireret. Me cùm alia parare jubeat tempus, & impletus sit disputationis Academicæ modus,

dus, cum facili, ut ſpero, venia amici & benevoli lectoris, iis pertractandis ſuperſedeo.

LVII. Antequam me à ſcribendo abjungo, recenſendi ſunt modi aliquot, quib⁹ poſſint mercaturæ incrementa promoveri, & quid ipſis maximè obſtet; quæ brevi & rudi deſignatione abſolvam. Inter augendæ mercaturæ ſubſidia occurrunt ante omnia fœdera commerciorum cauſâ inſtituta, qualia habent Belgæ Fœderati cum Hanſeaticis civitatibus, cum Danis, Suecis, Turcarum Imperatore, aliisque: Hanſeaticæ civitates inter ſe & cum aliis: Sueci cum Luſitanis: Helvetii cum Auſtriacis. In ejusmodi pactis articuli præcipui eſſe ſolent de emendi vendendique libertate: de tuitione viarum & mercatorum: de vectigalium modo: de juris dicendi ratione.

LVIII. Deinde ſunt Nundinæ magnæ & celebriores, quibus numerus mercatorum & mercium concietur. Circa hanc curam dicendum nobis eſſet 1. De poteſtate inſtituendi & ob quam neceſſitatem ea inter jura Majeſtatis eſſe debeat. 2. De Nundinarum privilegiis, quæ in omnimoda vendendi libertate, in mercatorum & mercium ſecuritate, interdum etiam in vectigalium lenitate conſiſtunt. 3. Quæ cautiones cùm in inſtitutione, tum in nundinis ipſis obſervandæ ſint. 4. Denique de loco & quæ circa eum in rationem veniunt. Sed properamus.

LIX. Mercatores magnarios aliunde injuriâ pulſos aut ſuâ ſponte migrantes, ſi honeſtè fieri poteſt, recipere. Ii enim negotiationibus aſſueti atque inde viventes, easdem ſecum in rempubl. ubi conſidunt, inferunt. Ita quoque artifices opificesque rerum ad mercium copiam facientium conſciſcere, recipere, colere inter augendæ mercaturæ artes habendum eſt. Vide *Strad. dec.* 1. *lib.* 7. *p. m.* 310.

LX. Magnum quoque momentum ad mercaturæ incrementa accedit, quando homines à fœnoris cupiditate, vel lege vel certioris aut uberioris lucri dulcedine abſtrahuntur & invitantur ad commercia colenda. Occurritur eâdem operâ fœnebri malo, quod multis ſæpe rebuspubl. grave fuit: conſulitur reditibus publicis qui ex mercium vectigalibus augentur, cum ex privatorum fœnore nihil recipiant. Quam in rem valde incubuit *Heinricus Sept.* Angliæ Rex, qui à Parlamento ſuo petiit, *ut coercerent ſpurium illum & ſterilem pecuniarum uſum in fœ-*

nus & illicita excambia jam erogari solitarum; unde ad naturalem suum usum, Mercaturæ & commercii legitimi & Nobilis applicentur. Et memorat *Verulamius* auctoritate ejus Parlamenti latas fuisse *leges bonas & politicas:* ipsas autem leges non recenset.

LXI. Societates erigere, promovere, tueri, quæ junctis auspiciis, laboribus, opibus alicubi negotiationem gerant, magnopere plurimis in locis rem commerciorum auxit. Quales societates sunt Indicæ Orientalis & Occidentalis apud Belgas, de quarum potentia, reditibus, & quam valida Belgarum munimenta sint vide *Baudium de Induciis Belli Belg. libr. 2. & Commentariolum de Statu Fœderatarum Provinciarum Belgii cap. 8.* Societates Adventurariorum, ut vocant, in Anglia, quæ cum Belgis commercia exercent, quarum meminit *Verulamius* loco jam sæpius laudato. Sic in Suecia habetur societas eorum, qui ex Lusitania salem maximâ copiâ in regnum important cum ingenti suo & incolarum commodo. Ad eandem similitudinem prodest ad promovendas manufacturas opificum societates instituere, quæ, præter alia, procurent, ut quilibet possit expeditâ aliquâ ratione vendere, quæ multo sudore elaboravit. Talibus autem societatibus leges & inspectores publicâ auctoritate constituendi sunt. De augenda mercatura vide omninò *Xenophontem in libro de Proventibus.*

XLII. Inter impedimenta mercaturæ primum ferè & maximum est proscribere & pellere mercatores opulentiores splendidioresque: quorum migratione non potest non intercidere quicquid longo tempore in mercaturæ augmenta impensum est. Sensit ingruentem hujus mali vim olim Maria Belgii gubernatrix, unde, ut est apud *Stradam*, fugam ob sævitiam Albani in Britanniam adornantes edicto prohibuit, & in ipsa fuga deprehensos bonis exutos, ut aliis exemplo essent, severe punivit. Ob rationem eandem nonnullibi mercatores, qui alioquin cogerentur ob sacrorum diversitatem solum vertere, solâ commerciorum quæ exercent magnitudine tuti sunt.

LXIII. Quæ artes aut opificia alicubi exculta alibi non usurpantur, de iis opera impensè dari solet, ne vel artifices eò habitatum commigrent, aut alio modo illuc artificiorum ejusmodi notia & usus traducatur: secus si fiat, multum decedit illorum nego-


negotiationibus, neque apud hos tantum deletur mercium quæ ab illis antea petendæ erant desiderium, sed iidem suâ ad vicinos importatione etiam apud hos negotiandi lucrandiq; occasione illos privant. Qua de re prudenter conqueritur eadem illa Belgii Gubernatrix apud Albanum Ducem, eumque sub exemplo texturæ pannorum ab expulsis per eluvionem Belgis in Angliam non sine magnis Belgarum opum decessionibus translatæ, monet atque hortatur, ne committat ut per consilia tam aspera, tam funesta opifices artes quæ in Belgio adhuc supersint & quarum affusi circa populi sint expertes, ad eos transferant, haud modicè opificiorum ejusmodi accessione & usu ditandos, ut narrat *Strada dec. 1. l. 7. p. m. 350.* Memoratu imprimis dignum est, quod de Batavo quodam refertur in Commentariolo de Statu Fœderatarum Belgii Provinciarum, qui cum per annos plurimos Hispanis & Lusitanis mercatoribus in Angliam navigantibus ministerium suum & fidem probavisset, eo tempore quo Belgis nulla adhuc notitia & cura Indicæ navigationis erat, in patriam subsidio & arte Amstelodamensium mercatorum reversus arcana omnia, leges & commoda Hispanicæ navigationis in Indiam revelavit. Occasione hujus, cum tantos inde reditus sperari posse audissent, ad navigationes easdem animum adjecere: ex eo tempore tantopere præcisi sunt Hispano Indicæ navigationis reditus, ut sæpe de earum amissione periclitatus sit.

LXIV. Id quoque progressui mercaturæ insigniter obstat, quando securitas apud nos vel mercium, vel mercatorum affligitur, & ob publica debita aut aliam ejusmodi culpam privati & transeuntes aut manentes attinentur, quod Græci *ἀνδροληψίαν* vocant. Ergò licet non desit ejusmodi processibus aliquis juris titulus, de quo *Grotius* agit *de Jure Belli 3. 2.* prudenter tamen imperantes rarò & inviti ad talia remedia descendunt.

LXV. Cura de securitate viarum neglecta necessariò mercaturam sistit & decrementa ejus importat. Neque immeritò *Philo Judæus in Legatione ad Cajum* inter præcipuas, & dignas bono laudatoque Principe curas recenset, ut ejus provisu mare omne tutum navigetur. Unde opes navales adesse debent iis, qui mari rem gerunt, ad præstandam navibus securitatem; de quibus *Aristotelem* vide *Pol. 7. 6.* Quantopere mer-

catores bella & bellorum metus naturaliter horreant, supra retulimus.

LXVI. Vectigalia intermediorum locorum si modum excedunt, fieri non potest, ut importatio & exportatio mercium satis latè succedat. Unde pacta commerciorum causa necessaria sunt, quibus utraque pars ad lenitatem æquitatemque deducatur. Sed ut dixi, non suppetit nunc tempus, quo hæc & ejusmodi alia possim uberius exponere: in aliud tempus pleniorem materiæ hujus tractationem mihi repono, & benevolo interim Lectori me commendo.



XXXIV.

CIVITAS MARITIMA.

CAP. I.

Instituti rationem, & vocum explicationem præmittit.

CIVITATEM MARITIMAM, non quidem penitus & ad modum integræ disciplinæ, sed summatim designando magis hujus Philosophiæ capita, quàm tractando, Academicæ Exercitationis causa in medium examinandam dare, animus est. Præceptorum favorem, commilitonum studium, vel sperare, vel exorare fas est.

Civitatem voco, quæ suis ipsa auspiciis, suis legibus utitur totumque & separatum ab aliis, civilis consociationis corpus constituit; neque ut pars alterius corporis spectatur. Qua ratione ab urbe quid differat, manifestum est: quamquam fieri posset, ut civitas integra unius urbis ambitu contineretur. Sæpius tamen civitas, ut nunc accipitur, amplioribus spatiis, agro, pagis, vicis, urbibus, pluribus paucioribus describi creditur.

Maritima autem Civitas dicitur, quam vel tota amplectitur Amphitrite, ut Insula sit; vel ex maxima parte, ut Peninsula habeatur; vel notabili loco, & ad accedendum egrediendumque opportuno alluit mare. Nam & huic generi fauet usus

usus & consuetudo loquentium, scribentium, negotiantium. Quinimo, si Civitas habet urbem aut urbes maritimas, utitur illa in parte iis rationibus, quibus uti licet toti, si tota maritima sit. Videre licet pulcerrimam quæstionem de Pharo insula & Heptastadio, apud *Ammianum Marcellinum*: disceptatam *Joanni Gryphiandro* in erudito *de insulis* Commentario. Quid? si quis destitutam Cleopatram tueatur? Liceat hoc facere, sicut in judicio nemini patronus invideri solet. lib. 22. c. 41 cap. 20. n. 115. usq; ad 127.

Permiscetur autem persæpe hæc quæstio, cum de comodis incomodisve situs maritimi, vel urbis, vel totius civitatis exemplo, disputatur: sicut videre est apud *Interpretes Aristotelis*. Et sane pleraque, quæ de urbibus maritimis dici possunt, sua quadam ratione ad totas, etiam maximas, civitates pertinent, nisi quod Civitates & regna, antiquitus suas sedes adepta, non opus habent illa deliberatione, de situ eligendo, sicut interdum de Urbe, consultatio incidit, penes mare ne sit, an ab eo longius propiusve constituenda. Et quanquam apud *Ciceronem* Dicæarchus, & in *principio libri quarti de legibus Plato*, maritimum situm non valde probent: nos tamen eum hac vice commendabimus, & ad amplitudinem Civitatis ac potentiam haud paulo plus conferre, quàm situm mediterraneum, statuemus. ad lib. 7. Polit. c. 6. Ad Attic. lib. 6. ep. 2.

CAP. II.

Qua forma reipublicæ Civitas Maritima utatur, an intersit. Nullam formam excludi, neque comparationem inde recte peti in hoc negotio. Legibus tamen in quavis forma opus esse, rem maritimam regentibus. Discerni illas leges varie.

QUa forma autem reipublicæ Civitas maritima utatur, parum refert. Omnem enim reipublicæ formam, ei aptam esse, præterquam quod usu magistro docemur, nulla dubitandi ratio ostendi potest.

Quanquam enim *Libertatem & plurium regimen* aliquis præferre videatur posse, ex illa ratione, qua *Sallustius in Catilina* utitur, quando exactis regibus; *homines magis ingenium in promptu habuisse, & se suaque magis extollere cœpisse*, putat; id cap. 7.

 quod

quod etiam Belgarum exemplo, postquam Hispanica ditione exempti sunt, nonnulli ostendere parant: non tamen recte instituitur comparatio talis, aut ad formam statumue Civitatis refertur; cum aliunde pendeant, qui hic memorantur eventus; & ad casus quosdam temporum, rerumque, in quavis republica exoriri solitos, pertineant.

Jam, si quis dicat, in singulari unius imperio, in expedito magis esse maritimam administrationem, hæc ratio non spectabit magis ad maritima, quàm ad reliqua negotia Civitatis gerenda: quæ nonnulli, dum formas inter se contendunt, præsentius efficaciusque unius nutu confici demonstrant.

Nam, cum in rem præsentem ventum est, in *Monarchia* quidem antiquitus *Minois* exemplum præcellit; & si propiora quærimus, *Magna Britannia*, id est Civitatis maritimæ, hac imperii forma ad summa provectæ: *Aristocratica* Civitatis maritimæ incomparabile specimen *Veneti* præbent: sicut in *populari imperio*, *Athenienses*: in *mixto ex Aristocratia & Politia statu*, si multos sequimur, *Confœderati Belgæ*.

Quæ res facit, ut quamvis reipublicæ formam Civitati maritimæ aptam, nihil dubitemus pronuntiare. Illud autem satis intelligitur, cum administratio Civitatis Maritimæ in rebus haud paucis differat ab administratione Civitatis non Maritimæ; Legibus opus esse ad hanc Civitatis conditionem pertinentibus. Argueretur enim insignis defectus ab hac parte, si non essent provisa omnia ac destinata. Exemplis clarius fit, quod dixi. Si Civitas aliqua opposita esset, non dicam exposita, barbaris, à fide omni ac virtute alienis; non bene constitutam dixeris, nisi leges, quibus adversum illos defendatur & excitetur, sollerter excogitatæ, graviter perlatæ fuerint. Nam & latrones ac piratæ non possunt hoc genere legum carere: si quidem velint non in diem vivere. Ferri autem solent tales leges, *vel* de *jure navigandi*, sive *utendi mari*; *vel* de *ejusdem utilitate*; *vel* de *ejusdem ordine*. Poterit qui volet, & aliter, ac fortasse subtilius, partiri. Exempla autem habemus in antiquitate, *Leges Rhodias*; & *Romanas*, *aliasque*; collectas *Morisoto*. Addi debet jus nauticum *Wisbyense*, *Lubecense* (de quibus doctissimus *Gryphiander*) tum *statuta variarum Civitatum nautica*.

Orb. marit. lib. 1. c. 30. & lib. 2. c. 9. de Insul. c. 31. §. 83. &c. & œcon. leg. lib. 1. c. 25. n. 32. &c.

CAP.

CAP. III.

De Imperio maris alibi agitur, nunc quæstio est, quid Civibus Civitatis maritimæ concedatur aut interdicatur. Tum quid sibi reservet Civitas. Religio. Locus. Tempus Quæstus.

Civitas Maritima, in quantum sibi vindicare possit imperium in mare, aut non possit, alii diligentius exquisiverunt: in his *Grotius*, & qui aliquid annotant. Relictis ergo iis, quæ de externorum jure quæruntur, hoc tantum monemus: Civitati Maritimæ jus esse, usum maris suis Civibus laxandi restringendive (extra usus innoxios & necessarios) prout Reipublicæ salus postulat. de I. B, 2, 2, & 3.

Neque enim audiendi sunt, qui navigationibus (celeberrimo frequentissimoque maris usu) plane abstinendum, vix serio, scribere tamen non dubitarunt. Quos enim Deus apud mare constituit populos, illis usum maris ultro videtur commendasse.

Reservat ergo sibi Civitas, omne, quod ad arma pertinet, arbitrium. Ita munire Insulam, classem armatam in mare educere, non est privati arbitrii. Non tamen vetita censentur privatis, munimina & aggeres mari, ne agris cujusque ingruat, oppositi, nisi quod hæc quoque cura (ob lites de hac re inter vicinos, diversa commoda allegantes, exoriri solitas) ad jura summæ in Civitate potestatis transferri cœpit. Naves non bellicas ob fines non bellicos è portu proficiscentes armare, naturaliter licet illis, quibus itineris maritimi potestas facta est. Sicut viatori, gladium necessariæ defensionis causa gestare licet. Sed vix consultum aut usitatum est, hanc quoque partem inspectione aut cura legislatoris vacare. Vectigalia à præternavigantibus exigere, non singulorum civium, sed Civitatis est. An & jus naufragii colligendi sibi vindicare Civitas potest? Ita, nisi urbibus quibusdam ad mare sitis permittat; aut civibus suis. utrobique tamen temperamento opus est: ut, si de naufragis constat, facultas recipiendi eis non adimatur, repensa impensâ. vid. Grot. I. B. 2, 7, 1.

De cetero, Civitas maritima, merito constituit, quæ ad navigationem religiose ineundam & peragendam pertinent.

Apud Ethicos quoque non mos tantum, ſed lex erat, diis preces in principio, grates in fine operum dicare. Gallorum hac in re legem laudat Arrianus; & addit: ἀλλὰ καὶ ὅσοι ναυτίλλονται, ἀπὸ θεῶν ἄρχονται, ὅσοις τε τοῦ σώζεσθαι μέλει, καὶ ἀνασωθέντες χαριστήρια θύουσι τοῖς θεοῖς τοῖς θαλαττίοις, Ποσειδῶνι, καὶ Ἀμφιτρίτῃ, καὶ Νηρηΐσιν. *Lucas Holſtenius* ita vertit: *nam & rem nauticam exercentes à diis faciunt principium, quotcumque ſuam ſibi ſalutem cordi habent, & ubi ſalui evaſerunt, diis marinis, Neptuno, Amphitritæ, & Nereidibus, gratiis referendis ſacra faciunt.* Et de Fortuna, quæ dea marina πηδάλιον geſtans, Antii, aliiſque urbibus maritimis colebatur, vel ex Horatio notum. Quid ni Dei notitiam uberius adepta Civitas, cultum lege publica decernat ei, cui venti & maria obediunt? Ita videmus in regnis maritimis, claſſem perpetuo, expeditiones ſeorſum, Deo cuſtodi & ſervatori, publicis precibus commendari, multæque bonæ conſuetudines, etiam citra legem, inter Chriſtianos nautas invaluere. Quamquam hoc genus ad ſuperſtitiones multas proclive, & vento ſecundo, licenter vivere aſſuetum, rerum adverſarum & proſperarum rationes, raro cum Divino numine putat. Bodinus in ampliſſimo *de abditis rerum ſublimium arcanis* opere nunquam edito, ſub initium, cum cadaveris conditi (Mumiam vocant) jactu, tempeſtatem ſedatam, retuliſſet, Dæmonibus & geniis nimis multa videtur attribuere his in rebus. Adverſus quæ una Lex Civitatis Maritimæ valere debet: unum eſſe

De venatione c. 35.

lib. 1. carm. od. 35.

Quem maris & terræ tempeſtatumq; potentem

reſpicere & venerari omnes oporteat cives.

Poteſt etiam loca quædam navigationibus privatorum interdicere: tum ad quæ loca cives ſuos velit excurrere, quibus abſtinere; denique quas exterorum naves admittere, quas non admittere velit, decernere licet Maritimæ Civitati; dummodo juris & commercii humani reverentia regantur eæ leges. Idem debet nimirum juris eſſe maritimis, quod in mediterraneis agris ſibi Civitates vindicant. Sicut de Nerviis antiquis (hodie Hænovii & Cambreſiani illam partem incolunt) Julius Cæſar teſtatur: *nullum aditum ad eos eſſe mercatoribus; nihil pati vini reliquarumq; rerum ad luxuriam pertinentium inferri.* Quod & *Suevos* ſtatuiſſe, ad quos de cetero mercatoribus aditus erat, apud *Eundem*

de Bell. Gall. 2, 15.

B. G. 4, 2.

dem Historicum legas. Chinenses cum naufragio male multati essent in freto Zeilano, pœnam capitis statuisse in eos, qui in illas partes navigarent, *Boterus* auctor est: atque id consilium, in Polit. suis se continendi finibus, multis laudibus fert. Iidem, *homines* Reg. *exteros difficillime in urbes suas admittunt, ne moribus externis obliti, ab institutis suis paulatim deducantur.* teste *Osorio.* An hæc de reb. Immanuel. ratio quæ crebro auditur, justitiæ sit usquequaque consentanea, Lusit. lib. dubitare queas. placet, disputandi causa, negare. 11.

Tempus (καιρὸν πλῶ ἐπιτήδειον) Natura demonstrat, Sapientes observant, Lex decernit. Igitur quæ *Hesiodus* suavissimis 77. *versi-* lib. 2. ἔργ. *bus* de tempore ad navigandũ idoneo aut non idoneo disserit, merentur pro Suasoria Legis maritimæ haberi. Neque *maris clausi* & *aperti* discrimina, in civitatib⁹ maritimis, tantũ inter observationes Nautarum, sed inter præcepta legislatorum leguntur. No- l. 6. C. de tæ sunt *Imperatorum constitutiones*, de *hyematione* & *naufragiis*, offic. rect. quatenus huc pertinent. Pro conditione autem & diversitate prov. & l. locorum, navium, causarum, non uno ubique & semper isthæc 3. C. de talia modo statui consueverunt. Sæpe atroces casus Legislato- Naufrag. ris animum huc adverterunt. Ita, cum anno 1468. Navis Lubeca Revaliam tendens, una cum mercibus, & vectoribus 200. diversi sexus & ordinis, in faucibus scopulorum Sueciæ & Finniæ, naufragio interisset, *inde*, lege *constitutum est*, ut *post Martini festa nulla navis in Livoniam solvat ex portu Lubicensi*, referentibus *Alberto Krantzio fine libri XII. Vandaliæ*; & *Jo. Regkman* in *Chron. Lubec. Germ.* daß niemand nach Martini von der Drave solte seglen. Addit tamen *Chronicum*: und diß wird nicht gehalten. Item contineri in *statutis nauticis Hamburgen-* Oecon. le- *sibus*, ut *terminus navigandi fine Octobris aut principio Novem-* gal. lib. 1. c. *bris concludatur*, memorat *Gryphiander.* 25. §. 149.

Quæstum piraticum nec connivendo tolerabit Maritima Civitas, & severis ultro legibus interdicet suis civibus: quinimo ad coercendos aliunde infestos piratas sedulam operam, sui & aliorum causa, navabit. *Necessariam Piraticam*, nullo tempore, in præteritum aut futurum agnoscimus, neque ita excusari posse illum rudi vetustati apud ethnicos quasi probatum acquirendi modum, statuimus, de quo *Interpretes Aristotelis*, & ad 1. polit. *Clar. Schefferus de militia Navali*: licet prætexatur, vel victus 5. l. 1. c. 1. quærendi, vel sedium requirendarum necessitudine. Non ma- & in Add.

gis Septentrionalium populorum, iisdem in Medio Ævo consi-
lib. 1. c. 38. liis suffragari fas est. Cordate *Crantzius in Dania*: *Compertum est, apud veteres hujus ditionis homines, justum esse habitum quæstum, exercere piraticam. Fuere tamen inter reges hujus nationis, qui rem scelestam perosi, summis conatibus improbitatem illam sunt insectati. Christianis autem temporibus, omnis ea depradatio piratica abolita est.* Alibi, de Winulis ob piraticam bello petitis, *piratica* inquit, *nullum faciebant finem*, *arbitrati* (*barbaro sensu*) *honestum id esse militiæ genus.* Iterum: *arbitrabantur in paganismo barbari, juste possideri quicquid vi aut armis quæreretur. Quam sententiam inter Christianos nec dum multi antiquavere, armati, præsertim militiam sequentes.* Licet enim Christianis, ut ante dixerat, ex instituto sui ordinis, abominabilis esse debeat piratica, tamen neglecto conscientiæ dictatu, multi, quod verbo damnant, factis æmulantur. Quærat curiosus aliquis: an illa piratica, quæ auctore Wethemanno Roskildiæ cœpit, tempore Suenonis IV. & Canuti V. etiam improbanda sit, cujus disciplinam describit *Saxo Grammaticus?* sed illa nomine *piratica* dicitur: ceterum auspiciis publicis utiliter adversus piratas instituta militia haberi debet. Rectius diceretur militia nautica voluntariorum, spe prædæ de piratis capiendæ auctorata.

Wandal. lib. 3. c. 35. Wandal. 1. 7.

lib. 14. pag. 259. & seq.

CAP. IV.

Studium rei nauticæ Civitati Maritimæ necessarium. In structurâ navium Civitati accommodandâ. In arte navigandi tradenda. In mechanicis & mathematicis physicisque disciplinis colendis. In exercendis nautis. In præmiis & privilegiis decernendis.

UT Maritima Civitas, maris & patiens & sciens sit, primarii est consilii. cumque usus maris, navigando potissimum absolvatur, ad rei navalis studium cives assuefaciendos esse, satis intelligitur.

Non dicemus de illa consuetudine, qua in Undis prolem educari constat, ab iis, quibus maria & flumina atque adeo naves pro patria sunt. Quanquam hoc non apud *Chinenses* tantum factitari, ob exuberantem hominum multitudinem comperimus, sed cotidie fieri videmus, vel ob navigationis moras, vel ob pon-

tium navalium custodiam, aliisque de causis. Nam de longinquis navigationibus, ubi multos sæpe per menses non descenditur in terram, nunc non loquimur.

Naves certe, in quibus magna pars Civitatis maritimæ, sæpe ipsum robur & compendium, versatur, summo sunt studio comparandæ, prout earum varietatem, structuram, ornatum, maris conditio, usus negotiorum, temporum & casuum circumstantia postulat. Rebus enim angustis & modicis, rudimenta quoque & tumultuariæ naves aliquando sufficere potuerunt. plura & exactiora, cupido habendi, aut subnati æmuli inimicive admonuêre. In Aremoricis sive litoralibus Venetorum in Gallia civitatibus, laudat *Cæsar* inprimis, quod habuerint illis Oceani partibus penitus accommodatas naves. Pro magnitudine autem Civitatis, utile est, magnum numerum omnis generis navium præsto esse. Potest enim fieri, ut bello ingruente, ad alios quàm ad quos factæ sunt, usus valeant. Belgis certe hæc res fiduciam non exiguam semper, & usum eximium sæpe præstitit. de B.G. lib. 3. c. 13.

Non autem diligentia tantum ædificandis navibus opus est (de qua etiam *Vegetius* ad usus bellicos aliquid præcepit, & ex eo *Ægidius de regimine Principum capitulo ultimo in Manuscripto codice, supplementum libri tertio professo*) sed etiam frequenti repetitione structuræ. Nam quæ exempla antiquitus feruntur, de valde longævis navibus, in exemplum trahi non debent. lib. 4. c. 34. & seqq.

Ars porro navigandi constat, rudimentis, observationibus, experimentis, Nam rudis aliqua meditatio, etiam ad adolescentiorem ætatem pertinet. variæq; exercitationis specimina, etiam in Ludis Nauticis & Piscatoriis edebantur, quamvis, ut in reliquo hoc genere, Naumachiarum ingens apud Romanos abusus esse cœpit. Videatur *Cl. Schefferus de milit. Nav. lib. 1. c. 5. & l. 2. c. 2.*

Observationes ad scientiam referri par est mathematicam, qua & ratio constituendi naves indicatur, & peritia *ἱστιοδρομίας* seu velificationis comparatur, & usus pyxidis nauticæ intelligitur, Sed hæc subtilius ostendenda sunt.

Siderum quoque notitia, Geographica & Hydrographica scientia, ventorum cognitio, Civitatis Maritimæ institutis unice cōveniunt. Quid de Æstu marino dicemus? cujus desperata pæne est hactenus explicatio. Probandi autem inprimis sunt, qui ad eam ingenium & observationes suas conferre velint. Quin

enim hæc cognitio, labores & pericula navigationum, totiusque negotii maritimi plurimum ſublevare queat, nulla eſt dubitatio.

In his ſtudiis duæ cautiones videntur opportune adferri poſſe: quarum unam *Strabo*, alteram *Ptolemæus* ſuppeditant. *Strabonis* hæc eſt admonitio: Καὶ γὰρ εἰ μὴ δυνατὸν, κατὰ τὴν ὑπόθεσιν τὴν τοιαύτην ἅπαντα ἀκριβοῦν, διὰ τὸ εἶναι πολιτικωτέραν, τό γε ἐπὶ τοσοῦτον ἐφ' ὅσον καὶ τῷ πολιτικῷ παρακολουθεῖν δυνατὸν, προσήκει ἂν εἰκότως. *Etenim ſi in hoc genere non poſſunt omnia exactius inveſtigari, eo quod civiliter philoſophandum eſt; eousq́ certe procedendum fuerit, quo viri civilis induſtria queat pertingere.*

lib. 1. γεωγραφ. p. 8.

Ptolemæi autem cautela, de Geographia universè, ad maritima ſtudia pulcre congruit, quando exertius ſuadet, ὅτι ταῖς ἐγγυτέραις τῶν ἱστοριῶν προσεκτέον, διὰ τὰς ἐν τῇ γῇ κατὰ χρόνον μεταβολὰς, *quod noviſſimis hiſtoriis potiſſimum attendendum ſit, propter multas in variis terrarum locis tempore procedente factas mutationes.* Sane quantum obſervationis noviſſima quæque navigatio prioribus adjecerit, volumina & Deſcriptiones unius & alterius ſæculi abunde demonſtrant.

lib. 1. Geograph. c. 5.

Civitati ergo Maritimæ conſultum fuerit, ſemper Artifices mechanicos, & inſignes Mathematicos, denique præcipuos talium ſtudiorum auctores, in promptu habere; eosque animoſis mercedibus conducere: ut nunquam hujus diſciplinæ cupidos ulla poſſit occaſio deficere.

Nec in ampliore civitate impenſæ deeſſe queant. Ex annuo enim quæſtu nautico facile aliquid in hos uſus ſeponeretur. Accederent liberalitates extraodinariæ mercatorum, & aliorum qui hæc ſtudia amant, peculiari fiſco inferendæ. Diſciplina quoque, ut parabilis eſſet, ſæpe lingua vernacula inſtitui poſſet. quod utiliter hodie alicubi factitatum novimus. Inſtrumenta quoque omnis generis & machinæ impenſis publicis ad manum eſſe debent, ne vel pauperculis adjumenta denegari videantur. Jam, quæ volet eſſe Maritima Civitas, quæ non ingenia aliquot idonea, peculiaribus invitamentis ad culturam horum ſtudiorum traducat? Hos poſtea peritiſſimis naucleris commendari, & experimenta maris, in minoribus primo & propioribus, mox in majoribus & longioribus itineribus capere, fas eſt.

An aliunde in Civitatem Maritimam multitudo hominum nauticorum conducenda ſit, dubitatum eſt. Periculoſum hoc eſſe,

ſe, oſtendit *Iſocrates in Panathenaico*, ubi ait: potentiam maris augeri ἐκ τῶν τεχνῶν, τῶν περὶ τὰς ναῦς καὶ τῶν ἐλαύνειν αὐτὰς δυναμένων, *ex artibus nauticis & hominibus qui remos agere poſſunt: & hos eſſe plerumque homines, quibus nullâ domi bona res, omnis de alieno victitandi ſpes; qui ſi in Civitatem confluant, mores & fata ejus ne mutentur, periculum eſſe.* Ubi notandum, non de mathematicis artibus & artificibus, & machinatoribus eximiis, ſed de nautica turba ſermonem eſſe. Nam rariores illi & majores artifices, quin aliunde pelliciantur, nihil vetat. At ut cives ipſi nautica obire munia diſcant, vel Lacedæmoniorum exemplo intelligi poteſt, quàm ſit neceſſarium: qui cum domi rei navali non dediſſent operam, aliunde nautarum omne genus, magno ſuo cum incommodo & periculo arceſſere cogebantur. Athenienſibus autem domi naſcebatur hæc peritia. quos Civitas Maritima imitari debet, efficiendo, ut ſæpe cives navigent. Veriſſime enim *Xenophon* ἀνάγκη γὰρ ἄνθρωπον πολλάκις πλέοντα κώπην λαβεῖν καὶ τὸν αὐτὸν καὶ αὐτὸν οἰκέτην, καὶ ὀνόματα μαθεῖν τὰ ἐν τῇ ναυτικῇ, δι᾽ ἐμπειρίας δὲ τῶν πλοίων καὶ διὰ μελέτην. *Neceſſe eſt utique hominem, qui ſæpe naviget, remum in manus accipere, & ipſum & famulum ipſius, atq; adeo condiſcere vocabula rei nauticæ partim experientia navigiorum, partim meditatione.* Et de meditatione ſubjicit: ἐμελέτησαν δὲ οἱ μὲν πλοῖον κυβερνῶντες, οἱ δὲ ὁλκάδα. οἱ δ᾽ ἐντεῦθεν ἐπὶ τριήρη κατέστησαν, οἱ δὲ πολλοὶ ἐλαύνειν εὐθὺς οἷοί τε ὄντες εἰσβάντες εἰς ναῦς, ἅτε ἐν παντὶ τῷ βίῳ προμεμελετηκότες. *Meditatio autem fiebat, dum alii navem gubernabant, alii onerariam regebant; alii hinc ad triremes tranſibant: quidam ſtatim ut naves ſunt ingreſſi, remigabant, per omnem ſcilicet vitam meditationibus talibus præparati.* Dum autem variis ex cauſis, ſæpe navigatur (unde vel ad celebre tribunal, vel ad nobilem mercatum ſuſcipi itinera maritima, ratio erat) fieri nequit, quin cives, quaſi ignorantes, & aliud agendo, nautica quadam ſcientia, quod *Xenephon* ait, imbuantur.

p. 506. de rep. Athen. p. 404

Sed & præmiis huc invitandi ſunt. ubi iterum exemplum Athenienſium ſingulare eſt: qui honoribus & muneribus civilibus plebem ad ſtudia nautica excitarunt, populareq; maximam partem imperium inſtituerunt; ne, qui potentiæ in Civitate Maritima effectores eſſent, commodis & honoribus carere viderentur. ὅτι ὁ δῆμός ἐστιν ὁ ἐλαύνων τὰς ναῦς, καὶ ὁ τὴν δύναμιν περιτιθεὶς τῇ

Xenoph. de Athen. rep. pr.

τῇ πόλει. καὶ οἱ κυβερνῆται καὶ κελευσταὶ, καὶ οἱ πεντηκόνταρχοι, καὶ οἱ πρωρεῖται, καὶ οἱ ναυπηγοὶ, οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν δύναμιν περιτιθέντες τῇ πόλει πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ πολῖται καὶ οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοί. quia plebs est, quæ naves agit, & potentiam Civitati conciliat; tum gubernatores, hortatores, Pentecontarchi, proretæ, navium fabricatores, hi sunt, inquam, qui potentiam Civitati conciliant magis, quàm cives alii, & nobiles, & fœneratores. sicut *Xenophon* explicat. qui & reprehensum ab aliis hoc institutum, pro conditione & ex ὑποθέσει popularis Civitatis defendit laudatque, posset forte etiam ex hypothesi Civitatis Maritimæ defendi.

vid. lib. bon. Em. de rep. Athen.

Pertinent huc etiam alia præmia, quæ civibus incitandæ industriæ, ut ad alia studia, ita ad rem nauticam, varie excogitantur decernunturque.

CAP. V.

Civitatis Maritimæ consilia & instituta circa rem Piscariam. Distinctio navigationis & usus navalis. Piscatus, modus acquirendi, ad αὐτάρκειαν Civitatis referendus. Controversiæ de piscatu inter Civitates maritimas. Leges Civitatis Maritimæ, quibus regitur piscatus, vel quoad artem, vel quoad jus, vel quoad mercimonium.

MAria & flumina Deus dotavit piscibus. Igitur Civitas Maritima non negligere debet has opes: sed potius providere, ne unquam desint, qui huic rei operam dent; tum aliis modis, tum navibus & navigationibus.

Solent enim *Navigationis* illa noscitari genera; *Piscatoria, Mercatoria, Militaris, Curiosa.* Quæ & misceri aliquãdo videmus.

Et *Piscatum* quidem ad modos acquirendi ex venatione peti solitos, *Philosophus* refert, occasionem & consilium & ingenium subministrante loco & situ eorum, *ὅσοι λίμνας καὶ ἕλη, καὶ ποταμοὺς ἢ θάλατταν τοιαύτην προσοικοῦσι, qui lacus, paludes, fluvios aut mare accolunt.* Quod de generibus hominum hic dicitur, recte ad totam Civitatem Maritimam refertur. Quæ, natura demonstrante, hoc victus & copiæ parandæ instrumentum non omittit. Quin etiam, pro conditione loci & temporis αὐτάρκεια Civitatis, sive rerum necessariarum sufficientia, magnam partem hinc instruitur. Et sane mirum est, etiamsi de illis nil dicamus, quibus

1. Polit. 5.

bus ſiccati piſces pro pane ſunt, quot myriades hominum Deus paſſim alat præcipue piſcibus & marinis animalibus & ſalſamentis. Ut fortaſſe non bene *Plato* de venatione agens, maritimam venationem ſive piſcationem diſſuaſerit, Legislatorē ita loquentem ad juvenes inducens: *ὦ φίλοι, εἴθ' ὑμᾶς μήτε τις ἐπιθυμία μήτ' ἔρως τι περὶ θάλατταν θήρας ποτὲ λάβοι, μηδὲ ἀγκιστρείας μηδ' ὅλως τῶν ἐνύδρων ζώων, μήτε ἐγρηγορόσι μήτε εὕδουσι κύρτοις ἀργὸν θήραν διαπονουμένοις.* *Ne capiat vos, ò amici, ulla cupido venationis maritimæ aut hamatilis piſcatus; neque omnino, ut velitis aquatica animātia, vel interdiu, vel noctu, ſagena otioſam capturam exercendo, venari.* Niſi quis putet, ad mores eum reſpexiſſe talium hominum, ipſarumque quibus vita utitur, diſcrimina artium, quo ſēſu Cicero non probat illas artes, *cetariorum, piſcatorum*, comparatione ſcilicet inſtituta honeſtiorum & viliorum artium. Imo vero *Plato* ſibimet ipſe poteſt eſſe interpres, quando ex omnibus venationis generibus, eam probat unice honeſtiſſimamq; decernit, quæ equis, canibus, robore corporis perficitur. Ut ab hac mente minus probanda videatur, quæ minus laborioſa ac exercita eſt; & ad otium propius accedit. Sicut fere *Philoſtratus*, piſcatores ſuos *ἀμηχανοῦντας* circa thynnorum capturam deliciantes inducit.

lib. 7. d. ll. p. 641.

l. 1. offic. 42.

Icon. lib. 1. tit. *ἁλιεῖς* p. 752.

Halecum captura abundatiſſima, circa Rugiam inſulam olim celebris, poſtea apud Scanienſes increbuit, hinc ad Noruegos, ab his ad Scotiæ Angliæque oras migravit. Ubi frequentiſſima in hunc diem exercetur, & Europæ quodam modo ſufficit, ex quo artem muria hunc piſcem condiendi circa annū Chriſti 1416. Gulielmus Buckeldius Belga invenit, atque ut durare & longe lateque aſportari poſſet, effecit. De periodo hujus piſcatus notabilis eſt Camdeni annotatio: *Haleces Britanniam noſtram non ſine Divino conſilio, numeroſis examinibus quotannis circumnatant. Circa ſolſtitium æſtivum ex alto litora Scaniæ petunt; quo tempore quum pinguiores ſunt, ſtatim divenduntur. Inde Anglica litora adeunt, & ab Auguſto medio ad Novembrem optima & uberrima eorum eſt captura à Scarborrough usque ad Tamiſis oſtium. poſtea aliqua vehementi procella in Britannicū mare deferuntur, & in eo ad Chriſti usque natalitia ſe piſcantibus offerunt, hinc Hiberniam utrinque pernatantes in ſeptentrionalem Oceanū circumnavigata Britannia ſe transferunt, & ad Junium quaſi ſubſiſtunt.* Hæc copia effecit, ut Belgis facile concederetur illis in locis

Iſ. Pontan. hiſt. Dan. lib. 6. pag. 242. & diſcuſſ. hiſt. ib. 1. c. 18.

in Britannia p. 642.

locis piscatus, sicut Seldenus amplius ostendit, unde Dominii Anglorum Marini argumentũ speciose extruit *idem Seldenus.* Alii mallent, vi conventionis quàm titulo Imperii hunc piscatum niti. Controversiæ inde magnæ, & nuperæ, nec incruentæ. De quarum compositione Pax inter Britannos Belgasque inita docere potest.

Mar. Claus. lib. 2. c. 21. adde Loccen. de jure marit. l. 1. c 9. §. 4.

Quid contentionis circa piscationem Islandicam & Norvegicam, Anglis & Danis intercesserit, legas licet apud *Seldenũ in Mari clauso*, & præsertim *Joh. Isac. Pontanum in Discussionibus Historicis.* Quibus addi potest *Camdeni Historia Elizabethæ in annis* 1600. *ac subsequentibus* : & *Morisotus* contra *Seldenum.* Elegantes ibi quæstiones de Imperio maris probando ex petita & concessa facultate piscandi : an continuatio hujus rei & exercitium utrinque non omissum, servitutis mari impositæ nomine à petentibus allegari possit : an omissa diutius *propter incertum regni concedentis statum petitio*, necessitatem petendi extinxisse, & facultatem piscandi præscripsisse, credenda sit : an facultas illa diu continuata, & post interruptiones, ad prædictũ modum instaurata, juris patrimonialis nomine possit laudari & quæ sunt hujus generis alia.

orb. marit. l. 2. c. 18.

Legibus piscatum ordinabit Civitas Maritima, quantum ad artem piscandi attinet, & instrumenta, & tempora, & modos. Neque enim, obtentu juris vel naturæ vel gentium hujus rei libertatem infinitam statuere, fas est, ordinabit, ut cœpimus dicere, sũma potestas, ut ceteras civium actiones, ita piscatũ, ut rationibus reipublicæ convenit; & id jure suo se facere non dubitabit. Vere nimirum quantũ res patitur, locutus est *Oppian.* ad Imperatorem Romanum :

lib. 3. ἁλιευτ. 4. & 5.

σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θάλασσα
εἱλεῖται, καὶ φῦλα ποσειδάωνος ἐναύλων.

Tuis enim sub sceptris volvitur & mare, & quicquid est incolarũ sive domesticorũ Neptuni. Qua de re satis explicite egerunt *Cl. Loccenius* in *Jure Maritimo*, & doctissimus *Jo. Strauch.* Si modo duæ cautiones efficiant, ne cõtra externos, aut cõtra cives nimis omnia adstringãtur. Id enim ne fiat, videm⁹, plerasq; sũmas potestas temperamentũ alicuj⁹ licentiæ reperisse, ac humanè non minus quàm utiliter usurpasse. Altera cautio providebit, ne laxata piscandi disciplina, foris contemtus, domi confusio, litium paulo post mater subnascatur. Et quando quidẽ hac de re cogitatio suscipitur, valde profuerit cognovisse, quæ *Poeta* modo laudatus, & in hoc genere

lib. 1. c. 9. differt. de Imp. mar. c. 8 n. 4 & seqq.

nere. incomparabilis *Oppianus*, præsertim *à libro nominato*, non explicavit minus quàm suasit: tum etiam juverit, exempla talium legum inspexisse, non indiligenter ex diversis Civitatibus collecta *Gryphiandro*, & aliis.

Sicut autem, ut dictum est, de omnibus rebus ad piscatum pertinentibus, Civitas præcipere potest: ita ipsum jus piscandi his illisve locis, circa hoc aut illud genus piscium, hoc illove instrumentorum genere, non civibus modo, sed ubi sine injuria horum fieri potest, externis quoque gratificari, elocare, vendere, sub vectigali concedere, aut etiam non concedere, non nequit. quod & de fœderibus hac de re ineundis ultro intelligitur. ubi, ex tot in utramque partem prosperi improsperive successûs exemplis, satis apparet, quid factu optimum consultissimumq; haberi debeat.

Ut & circa *mercimonia* piscium: exportandosque aut importandos pisces. Sanitatis ratio in his habenda: ne veneant e. gr. salsamenta, quæ corrupta, aut pisces pridem mortui, unde graves & contagiosi morbi generari queunt. Quare forum piscarium diligentissime & severissime ordinandum est. Jam, si abundat Civitas piscibus, qui exportari commode nequeunt, nil prohibet lege statuere, ut certis diebus carnium esu cives abstineant. Ratione, ut dixi, magistra; non superstitione. quæ in alteram partem duxit Græcos, ut ex Stagno Neptuni apud Ægias pisces eximere vererentur, ne piscator in piscem mutaretur, referente *Pausaniâ*, qui de Mercurii fonte, cui Hama nomen, similia memorat: *τοὺς δὲ ἰχθύας οὐκ αἱροῦσιν ἐξ αὐτῆς (πηγῆς,) ἀνάθημα εἶναι τοῦ θεοῦ νομίζοντες. pisces exinde non educunt, eo quod Deo sacros credant.* Pretia quoque piscium, ut aliorum cibariorum, finiri, probabilis plerumque est consilii. etiam tempora venditionis, non enim omnes pisces omnibus temporibus, vel valetudinis, vel fœturæ & propagationis habita ratione, venum ire ratio est. Atque huc referuntur medicamenta è piscibus, (de quibus *Plin. hist. nat. lib.* 32.) & varia instrumenta adjumentaque. Non autem piscatus modo ipse, sæpe mercimonii celebritate urbem aut Civitatem in profectu mercaturæ potest attollere, sicut de halecum, asellorum, & aliorum generum mercatu hodie constat; & *Tyrum* olim nati-

In Laconicis, p. 203. in Achaicis p. 441.

væ purpuræ piſcatu immenſum celebratam eſſe legimus: Sed piſcatorum quoque ſtationes & caſulæ admonuerunt non rarò fatali augurio homines de maximis & ſummam poſtea nobilitatem adeptis urbibus, portubus, munimentis extruendis; quod de *Malmogia*, in *Scania*, & ut aliqui tradunt, *de Hafnia* in *Sialandia*, de *Oſtenda* piſcatorum in litore *Flandrico* quondam ſede, de *Dunkerka*, & aliis, manifeſtum eſt.

CAP VI.

De Navigatione mercatoria, ſive mercatura maritima. De Conſulatu Maris. De Magnis ſocietatibus mercatoriis in civitate maritima. De Hanſa Teutonica.

MErcaturæ conſideratio alibi ſuum habet locum: hic non aliter, quàm ut maritima eſt, ſpectatur. Et inter ea quidem, quibus publicæ curæ & conſilia invigilare debent, *exportanda* & *importanda* numerantur. Quid efferat ergo, quid inferat Mercatura maritima, ante omnia probe decernendum eſt: ne efferat e. g. quibus domi indigemus; ne inferat, quibus felicius caremus. Tum de hominibus mercaturæ maritimæ deſtinatis, deſtinandiſve, per ordines civium ac genera operis laboriſque diſpiciendum eſt. Denique, diſciplina, ordine, legibus vel maxime hæc res vincienda & ordinanda eſt.

Sicuti autem priora alibi fuſius tradita repetere non attinet; ita poſtremum in *Conſulatu Maris* accurate perſcriptum explicatumque reperitur: additis *legibus inclytæ Reipublicæ Venetæ* ad hanc rem pertinentibus. Quanquam autem antiquioribus iſta hærent radicibus; conſtitutionum tamen nauticarum, ſæculis à Chriſto nato, undecimo, duodecimo, tertiodecimo, celebris in Italia, Gallia, Hiſpania, proventus fuit, ſicut indidem diſcas: Quo referas licet conſuetudines marinas probabiles; quibus abſque eſſet, non procederet compoſiti moris diſciplina, in genere hominum licenter agere cupiente. Sicut alias videmus, in opificiis quibusdam fieri.

De collegiis & ſocietatibus mercatoriis navalibus longam hiſtoriam texere, non eſt hujus loci. Duæ ſunt hoc ſæculo

culo

culo valde celebratæ apud Belgas, *Societas Indiæ Orientalis*, & *Societas Indiæ Occidentalis*. *Orientalis illa*, inter dura & aspera rerum, quasi necessitate admonente, societas plurium laboribus & impensis privatis, ut ærario parceretur, invaluit. Invitante successu, propior cura rei adhiberi cœpit. cum enim singuli æmulatione accensi pretia rerum apud Indos intenderent; &, propter dissociatas aut infirmas collegiorum vires, hostibus aliquando prædæ essent; Respublica ex pluribus unam societatem fecit, certisque curatoribus ex diversis civitatibus in unum coituris, quotiens res postularet, rem administrandam tradidit. *Ex hoc tempore*, inquit *Grotius*, *velut novo bello per orientem exorto, Societas Indicana magna pars reipublicæ cœpit haberi, cum non modo pars prædarum ad ærarium perveniret, sed privato civium sumtu hostis publicus per rapinas & impendia exhauriretur.* Unde intelligitur, præter mercaturam, etiam ad armorum consilia, hujus Societatis rationes pertinuisse. Addi debet *Thuanus*.

1602. & 1603. hist. lib. 11 p. 429.

Crevit subinde mercatorum & nautarum, sed & pecuniarum numerus; neque jam adempto Hispaniæ commercio, India Orientalis suffectura videbatur. Igitur, Americam respicere cœpit nautica mercatorum industria, unde sal & succinum, & pretiosa ligna, medicamenta, itemq; metalla asportarentur. Verum insessis ab Hispano litorum præcipuis, privatæ opes publica auctoritate muniendæ erant. Hinc deliberatum & disputatum de Societate Indiæ Occidentalis instituenda: sicuti *Grotius* describit amplius. Dilata negotii perfectio in annum sæculi XXI. Quamvis enim in novo Belgio ab anno 1614. loca quædam frequentarentur & tenerentur: postea tamen, Diploma Ordinum Fœderatorum Societati huic amplissima formulâ concessum, haud parum mercatorios successus deductis coloniis promovit. Diploma variis linguis publicatum est. Operæ pretium fuerit notare in progressu fata prægrandium cœptorum. Non enim ex æquo hactenus utraque societas floruit: imo, quomodo alteri subveniretur, aut non subveniretur, non parvæ consultationis & molitionis negotium fuit. Sed de illa re alibi.

hist. lib. 10. p. 1087. &c.

hist. lib. 1.16. p 505. &c.

Jo. de Laët. Nov. orb. lib. 3. c. 9.

Nunc, qui florentem Galliarum statum, non modicis in-

crementis attolli animadvertunt, hujus quoque generis consilia agitari, & *Gallicanam Societatem* commercio Indiæ Orientalis destinatam non industriâ minore quàm solertiâ parari, observent licet. Qua de re eximii prorsus Viri extat dissertatio: subjectis conditionibus, Regiâ auctoritate firmatis.

De *Hansa Teutonica*, sive *Civitatibus Hanseaticis*, plerumque agunt, & *Lexica Juris Publici*, quod vocant, & ipsi *Scriptores* systematum. Inprimis *Jo. Angelius à Werdenhagen*, vasti operis partibus posterioribus, *quarta, quinta, sexta*. Singulare id esse exemplum *Societatum Mercatoriarum*, præsertim *Navalium* (id enim ab initio & postea actum est) negari nequit. Sed *Notitia* tanti corporis atque adeo *historia*, magnos hiatus patitur in hunc diem. neque in hoc transcursu licet moras trahere, aut ad ea aliquid notare, quæ summatim *Chytræus in chronico Saxoniæ*, & ex eo potissimum, *Thuanus* in *digressione de Hansa* consignarunt.

lib. 23. pr. lib. 51 p. 783. & seqq.

De initio præsertim, & primo profectu, obscura est satis memoria; mereturque notari quod *Chytræus* dicit: *de quatuor emporiorum initiis, ut de ipsius etiam Hansicæ societatis certa origine, quo anno Christi cœperit* (assignant quidem vulgo 1200. sed documenta non afferunt) *& quomodo emporia singula occuparit; sæpe multumq; ex aliquot præcipuarum urbium Syndicis, Secretariis, consulibus, & aliis sciscitatus sum, qui non modo de emporiorum origine certi nil docebant, verum etiam, quo anno ipsorum civitates in Hansæ societatem primum recepta essent, plerique non indicabant.*

Ad hunc notitiæ plenioris defectum, licet aliquo modo pertinere, negari nequeat, prorsus tamen referri non debet, quod *Recessu Augustano* 1548. §. 48. præcipitur Circulis, *ut inquirant de conditione Civitatum Hanseaticarum, quænam & ubi essent, qui vocarentur, an & quomodo Imperio aut aliis Statibus subjicerentur, cum similibus circumstantiis.* Quia enim unius nominis obtentu, non unius conditionis civitates ad alia, quàm postulabatur, uti affectabant; discrimen illud in literas referendum fuit, & haud dubie relatum est: sicut distinctius jam loquentes *Recessus Ratisbonensis* 1557. §. 53. & *Augustanus* 1566. §. 50. indicare videntur.

Ut mirum forte sit, aliquos de conditione & statu Civitatum

tatum Hanseaticarum, securius, si non negligentius, loqui. Licuerit homini peregrino forte existimare, Civitates Hanseaticas, esse Civitates Imperiales & Immediatas; illud autem capere non possumus, quomodo in *Observationibus Webneri* asseratur; in *Recessu Augustano* 154. §. 47. *dici*, *Daß die See- und Ansee-Städt weder dem Reich noch andern Chur-Fürsten, Fürsten oder Herren unterworffen seyn wollen.* Licet enim, non de jure quod sit, sed de jure *quod prætendatur*, hîc sermo sit; res tamen ipsa clarissime ostendit, agi non de Civitatibus Hanseaticis indefinite & communiter, sed de *illis tantum* in eo corpore, *quæ nec Imperii nec Statuum alicujus jurisdictionem agnoscere velint. de illis* enim ad erogationem communis denarii invitandis *actum decretumq; erat.* cæteræ autem, quæ Imperio mediate vel immediate parebant, quid deberent, ratione suæ conditionis, in publicis indictionibus, non poterant ignorare. Sed cum in exequendis, quæ decreta erant, *Commissarii* ultra decreti formulam, communiter *ad omnes omnino Civitates Hansæ destinati* viderentur; quædam Civitates Hanseaticæ, casum illum in compendium suum versuræ, *Principum suorum edicta de collecta Imperiali, atque adeò non subcollectationem modo, sed collationis omnem ordinarium modum subterfugere instituerunt.* Quibus molitionibus ut iretur obviam, decretum est, *inquiri & in literas referri debere, quæ civitates Hanseaticæ, extra Imperii Jurisdictionem; quæ Imperio immediate vel mediate subjectæ essent.* Tria enim genera Civitatum Hanseaticarum in illo *Recessu* disertis verbis enumerantur; & providetur, ne vel Imperium vel quisquam Statuum sui in civitates illas Juris detrimentum sentiat. Quare *Webnerus* recte de cætero subjicit: *Civitates Hanseaticas esse partim Imperiales ac liberas*, (paucas scilicet) *partim mediate Imperio subjectas, partim etiam plane extra Imperium sitas.* Cumque in posterum de collectis Turcicis cum toto corpore Civitatum Hanseaticarum ageretur, *cautio* illa diserte interposita est, *ne quid decederet de ordinaria subcollectatione à Principibus Statibusve in subjectis sibi Civitatibus fieri solita*: Mediatis ejusmodi Civitatibus scilicet, propter *insignem opulentiam*, etiam ordinariæ subcollectationis portioni, aliquid cum & in corpore societatis adjecturis, ut habetur in *Recessu Augustano* 1566.

§. 50. Quomodo interpretetur illos textus *Magnificus vir Reinkingius*, videas licet *lib.* 1. *class.* 4. *c.* 20. *§.* 61. *& seqq.* & quæ ex *Klockio Limnæus* annotat *Addition. tom.* 1. *ad lib.* 7. 1. 1. *num.* 79. *p.* 141. inprimis vero, quæ disputat *Knipschildius de Civitatibus lib.* 1. *c.* 4. *n.* 38. *&c.* ubi de mixtis civitatibus citra omnem necessitatem videtur pronuntiare. quod in colloquio de hac re ostendi poterit.

In enumeratione Civitatum Hanseaticarum, quàm varie consignentur, quæ suspectam reddunt notitiam enumerantium, totiens & tot modis discordem; non est tam brevis annotationis, exhibere. Si in summam stare debet, quod plerique de potentia & numero intra unius sæculi spatium tantopere exaucto jactitant, quomodo *Regkmanni Chronicum Lube-*
lib. 2. p. 26. *cense anno* 1270. non plures quàm 37. numerat? Notanter enim ait Historicus, se demonstraturum, *vvas vor Stätte gevvesen, die zu der Zeit in der Hense gevvesen.* Etiamsi velis opinari, plures intelligi per illa verba, *und alle die Stätt so in Preussen ligen,* &c, *und andere Stätt in Lyfland gelegen* &c. ne sic quidem, vel ratione loci situsve, vel ratione *eincropias* corporis, vel singulatum civitatum nomine poterit res expediri. cur enim (ne de aliis dicam) Brunsviga non numeratur? quæ si anno 1374.
lib. 9. c. 7. exclusa est collegio (quod ex *Krantzij Wandalia* scimus) vix dubitabile est, quin anno 1370. in collegio fuerit. sed hoc ex minimis est, quæ annotari hic possunt.

l. c. Non dimittenda est *Alberti Crantzij* auctoritas, qui memorabili descriptione *communionem Hansæ* ait esse *participationem privilegiorum, quæ in quatuor emporiis* (ut tum erant) *in Flandria Bruggis, in Anglia Londoniis, in Norvagia Bergis, in Russia Nouguardiæ permissa sunt olim mercatoribus, ab retro principibus & terrarum gubernatoribus, universis ejus communionis participibus.* Hæc si satis considerentur, facile apparebit, cur etiam Principes aliqui, nonnullis suis civitatibus permiserint, ut jungerentur Hansico fœderi. Neque statim hinc *jus fœderis proprium,* si aliæ probationes desint (nulli enim Civitati vel minimam opinionem juris detractam cupimus) recte inferri videtur.

Quid autem ex ipso fœdere tacite vel aperte permisso consequatur e. gr. *an jus proprij præsidij, ærarium & libera ejus dispositio,*

positio, libera tendendi statuta potestas, & similia, non confusa & obscura, sed liquida explanataque tractatione opus habent, quam nostram non facimus. Ex amplissima enim materie, paucula attingere in tam præcipiti festinatione suffecerit.

CAP. VII.

Navigatio Militaris. Classis & classicus apparatus, in eo notanda. prælia navalia. victoriarum navalium fructus. Navigatio Curiosa.

UT Civitas Mediterranea, terrestri defensione, ita Maritima, navali militia opus habet. Nam ad propulsandam vim semper intendendum est: inferendæ enim minus favoris adest: nisi quod interdum defensionis pars est offendere. Hujus rei necessitatem ostenderent tot direptiones & invasiones hostiles ac piraticæ, impune in eas terras factæ, quæ navali armatura carebant: nisi indicanda verbo magis essent, quæ supersunt, quàm declaranda exemplis.

Mercatoriæ quoque navigationi, conjungi aliquando militarem, ex ante dictis potuit intelligi. De cetero, Civitas Maritima habebit, pro modo virium opumque, *Classem* vel *classes*. Præcellunt hic hodie exempla Britannorum, Hispanorum, Gallorum, Venetorum, Belgarum; quæ imitantur Dani & Sueci. Minor, quàm pro cetera potentia, navalis militiæ vis Turcico Tyranno: & fortasse Fortuna hîc viam vel monstraverat vel patefecerat Christianis ad victoriam, si conjunctis viribus consiliisque niti placeret. Jucundum esse comparare, quibus rebus conveniret, aut differret Vetus ac Nova Militia Navalis. *Classis* autem, nequaquam hîc de una & altera nave (sicut accipi interdum posse *Servius*, & *Albericus Gentilis* notant) sed de idoneo numero hostibus resistere & obviam ire parato capitur. ad 1. Æn. de I. B. 328.

In *Apparatu* ejus variæ formæ, & præsertim optima bellicas ædificandi ratio, armamenta, rudentes, vela, tormenta, suum habent singula consilium & artificium. De incendiariis, & ignivomis instruendis, peculiaris itidem disciplina est. De stationibus etiam in pace; & excubiis perpetuis,

tuis, curaque & curatoribus classium, idem dixeris. Ad bellum milites, duces, nautæ, mechanici, fabri, tormentorum libratores, omne ex dispositione & ordine, robur accipiunt. Atque huc ærarii militaris nautici rationes etiam congruere debent.

In *Expeditione* classica, notitia marium & portuum, ad accuratæ peritiæ normam exquiritur. In prælio, primum est venti suis partibus conciliandi beneficium: tum accurata ratiocinatione pugnæ vel subterfugiendæ vel committendæ, & mobili ne potius impetu recursuque, an stabiliore certamine res gerenda sit. inprimis, quàm longe aut prope, quàm tutum aut periculosum receptum habeat classis. Obsidionum quoque navalium vel faciendarum vel solvendarum præcepta & artes sunt.

Victoriarum navalium ingentes sæpe fructus fuerunt. Sæpe civitas salva fuit, in muris ligneis. sæpe naves auro onustæ, impensas belli & securitatis præsidia supplevere. Sæpe corona navalis, unico patriæ ornamento fuit. Sed hæc ex historia peti debent; cujus summas texit *Morisotus in orbe maritimo*; ut nihilo minus tamen desideremus vehementer, *Historiam Navalem novissimam, Thomæ Rivii, Antiquæ & Mediæ* pari diligentiâ addendam.

In *Navigatione Curiosa*, ne valde curiosi simus, expletus hujus scriptiunculæ modus imperat. Neque decuerit huc afferre, quæ ad lusoria instituta, & voluptatum potius inania, pertinent, quàm ad *inquisitionem rerum naturæ, & inexploratorum cognitionem.* Homo non sit oportet, qui non capiatur spectandis Divinæ sapientiæ & providentiæ speciminibus, in sideribus, animalibus, plantis, mineralibus, hominum longius propiusve ab humanitatis cultu remotorum aut eodem invitatorum institutis, moribus, fatis; navigatu demum perspectis. Sed alterius ista sunt operæ. Civitas Nostra Maritima, omnes sui actus quæstusque rationes ad divini humanique juris reverentiam exigere, summam & legem Felicitatis arbitratur.

XXXV.

XXXV.

ARGO NOVA.

Tituli Explicatio.

I.

ARGONOVA in argumentum dissertationis venit: id est Navis longa, & vel origine, vel itineribus suis cursibusque maritimis, vel Nautarum vectorumque nobilitate, ad summum celebritatis singularis decus provecta. Talis enim antiquis *ARGO VETUS* describitur: non simplici equidem fabularum mixtura (ut in rebus antiquis & magnis fieri solet) sed in qua nec nulla historica fides insit, sapientia autem nautica eximiè contineatur, imo imago tot sæculis postea venturi fati tam præclarè exhibeatur, ut hocquoq; nomine *Valerij Flacci* vocabulo, *Fatidicam Ratem* queamus agnoscere. Argonaut. lib. 1. pr.

II. Et communi quidem sententia eorum, qui *Sapientiam Veterum* ad mores & fortunam vitæ humanæ referunt, Argo Poëtarum fabulosis inclyta carminibus navis, non obscuro videtur augurio portendere: *ex maris usu magnas quidem opes, sed ingentia simul mala humano generi comparari*; *ut Thomas Rivius* effert. Fatendum est, ita sæpe evenisse, sed vitio Argonautarum, qui rem optimis usibus opportunam copiosamque, in deteriora trahere, neque rectis consiliis administrare instituerunt. Hist. Nav. antiq lib. 1. c. 1.

III. Sed nobis à communi illa contemplatione celebrium Navium & Navigationum abducendus, & ad propiora & singularia quædam convertendus est animus, quæ verbo indicanda sunt. Et primo quidem ipsum nomen *Argo*, Phœniciâ Syriaque origine, *navem longam* notat; & accedentibus testimoniis historicis, *inter longas primam* se offert. Potiora enim nobis esse debent, quæ *Samuel Bochartus in Geographia sacra*, quàm quæ *Apollonii Rhodii Græcus Scholiastes* aliique consignarunt. Hinc ergo, ut comparatio congruat, satis apparet, quæri & spectari hic à nobis Naves non vulgares & mercatorum communi consuetudine frequentatas, sed longas belliq; parte 2. l. 2. c. 11.

non minus, quàm cursus nautici subsidiis apparatibusque instructas, neque enim longinqua itinera maritima, etiam ob fines non bellicos suscepta, sine bellico robore rectè processerint) & quidem tales quæ novum & primum aliquid ausæ, à nemine aut paucis quæsitum quærendumve decus obtinuerint.

IV Unde nomen, exemplumq; suum Argo hîc nobis iterum commendat, eo, quod auctores, navarchos, vectores, nautas, meros *Heroas* ostentat. Hic, Jason in prorâ, Tiphys in puppi, Lynceus in corbe, regendæ navi invigilant: Hic, Hercules, Castor, Pollux, Theseus, Deorum filii, ad remum sedent: Hic Celeustes, Orpheus, Vates, Mopsus & Idmon fuere; nota & auspicata Argonautarum nomina. Nam ad res magnas & novas & à nemine tentatas, vel exploratum vel tractatum non ingreditur ignota & longinqua itinera Navis, nisi ductu, consilio, virtute Heroum, ceu propriis armamentis instruatur, provehaturque.

Morisot. orb. Marit. lib. 1. C. 2.

V. Nihil horum defuit sæculis propioribus, ex quo præsertim *Christophorus Columbus*, vergente ad finem sæculo, quod à nostro respicientes alterum numeramus, inusitatâ animi magnitudine mira ausus magnificeque conata executus, Argonautis recentioribus consilium, viam, exemplum, & fiduciam præmonstravit. Sed non est consilium, res tot voluminibus designatas in compendium mittere hoc loco: cum præsertim etiam *Joh. Baptista Ricciolius in Geographia Reformatâ* exhibuerit *Chronicon Breve Navigationum, ad Orbis Novi aut quasi Novi Regiones, ab anno Christi* 1270. insignioribus, etiam *aliquando fusius designatis*. Idem, qui *subinde, scriptores* quoque & *collectores talium Navigationum consignavit*.

1492.

lib. 3. c. 22.

VI. Ea tantum Argo nobis è pluribus, quas *Heroicas* & *Fatales*, ob singularia Heroum & fato novorum temporum destinata consilia operaque, liceat dicere, nobis nunc proposita est, quam in circumnavigato Orbe, sive Navigationibus circa totum orbem Terraqueum perfectis, *Periegeticam*, excellentissimo quodam modo vocare possimus. Hæc enim gloria, quod ullis retro sæculis contigerit, si superius & hoc nostrum excipiamus, nemo queat confirmare.

VII.

VII. In tam rara & sæculis novissimis reservata gloriâ insunt prorsus multa, civilis prudentiæ vel monita, vel consilia, vel observata: quibus & jucunditatem maximam & utilitatem numerosam deberi, non abnuat, qui utriusque noscendæ æstimandæque non imperitus est.

Prima Navis Periegetica seu Orbis circumnavigatrix.

I. Hæc est, cui merito, tot casibus superatis, *VICTORIA* nomen fuit: sive, integra appellatione, *Fernandi Magellani Navis Victoria.* Hic enim, cum quinque navibus, & viris 237. Hispalensi portu egressus, quæ repererit, quæque gesserit, & quomodo interierit, mox perstringetur. Una autem de quinque cum 18. viris rediit Hispalim *Victoria*, anno 1522. d. 8. Septembris, cum abfuisset, annos tres & dies 28. emensa leucas 14460. & totum orbem ambisset. Legi potest Historia velut in compendio apud *Joan. de Laet descript. Indiæ Occid. lib. 13. c. 4. Ricciol. Geogr. Reform. libro periegetico c. 22. & 24.* & unde hi hauserunt.

II. Sed inspiciamus hanc Navim paulo propius, nec illaudabili curiositate. *Cujus auspiciis egressa est?* Auspiciis summi Herois, summorumque, qui unquam vixere, Principum æmuli, Caroli V. Hispaniarum Regis, & jam tum Imperatoris. Apud *Davidem Chytræum*, ubi de his navibus sermo est, legas: *Quarum una, toto terrarum orbe, auspiciis Caroli, circumnavigato, Hispalim incolumis rediit.* Omen fecit Navis argentea inter munera Carolo infanti in babtisterio oblata, non obscurè portendens, novi orbis argentei & aurei navigationes prosperas, ut est apud *Guiliel. Zenocarum à Schavvenburg.* (Chron. Sax. lib. 7. p. 190.)

III. *Quo tempore egressa est?* Tempore fatali, sive magnorum & novorum fatorum fœtura, prægnante; Certè quo res Europææ in novum habitum ibant: quo Deus magnis rebus gerendis, magnos Principes, magnos magnorum Principum ministros, fortunamque & famam magnam struere cœperat. Neque tam Principis, quàm sæculi, sive emblema sive symbolum erat, *Plus ultra. Statim post natum hunc Carolum* (Imp. V.) *omnes artes mechanicæ, omnia ingenia, quæcunque in res hominum, præ-*

ſtantiæ eximiæ cujusdam cauſſa, ſingularem omnium gratiam & amorem promerebantur, idque in re militari, in re navali, in architectonica, in pictura, in ſtatuaria, in periſtromatis, in textrina vario artificio. luce meridiana clarius apparet. Sicut & hæc & alia obſervat dilaudatque *Guil. ille Zenocarus.*

IV. *Cujus conſilio ductuque, & qua cauſa, quove propoſito egreſſa eſt?* Cohærent hæc, ut non niſi incommodè divellantur. Conſultor hujus expeditionis idem & dux fuit *Fernandus Magellanus,* Eques Luſitanus, non generis modo, ſed animi inſuper nobilitate in paucis ſpectatus, Indicisque & Africanis bellis non mediocre virtutis & induſtriæ teſtimonium conſecutus. Sed cur nunc Hiſpanus miles eſt, qui hactenus Luſitanica auſpicia ſecutus erat? Accuſat eum proditionis, defectionisque à Rege ſuo, longamque execrationem hujus facti ponit *Hieronymus Oſorius.* neque nobis nunc defendere ejus diſceſſum ex patria animus eſt, aut curioſius examinare. Niſi quod in tranſitu de illo more diſputatio ſuſcipi poſſet, quo ejuſmodi nobiles putabant, ſibi licere, renuntiare patriæ & Regibus ſuis, abdicare dignitates, munera, civitatem, cum omnibus priſtinis fidei vinculis: deſcribente & notante *Hiſtorico.* Parum ſane probabilis ille mos, ſed mos tamen, non leviter Magellanum commovit, ut jure ſe poſſe facere, quæ facturus erat, exiſtimaret.

Hieron. Oſor. in rebus Emanuel. lib. XI.

Ibid.

V. Magnitudinem animi, rei nauticæ peritiam, & memorata jam virtutis nomina, non ſegniter prædicant, etiam qui de cetero reprehendunt. Et à nobis inde ſpectandus eſt, quando jam Hiſpanicis & Carolinis auſpiciis militare & navigare cœpit. Sed nova de conſilio, quod Carolo V. ſuggeſſit, lis movetur; quando Carolum admonuit *inſulas, quas Moluccas appellant, quæ ſunt ultrà auream Cherſoneſum conſtitutæ, ad limites Caſtellæ pertinere, & ab Emmanuele Rege Luſitaniæ, contra pactionem jam factam uſurpari.*

VI. Pactio illa celebris, acciderat circa, aut poſt ſecundam Columbi profectionem: quando Joannes II. Luſitaniæ Rex Hiſpanorum ſucceſſibus ductu Columbi factis vim opponere decreverat: cum tamen oblatam pridem à Columbo novi maris inquiſitionem, ultro repudiaſſet. Quo argumento nitens

tens Ferdinandus Castellæ Rex, ne cum Rege cetera amico bellandum esset, consensit, ut Alexander VI. Pontifex maximus arbiter lectus Controversiam finiret. Is consilio Geographorum usus, ultra extremam Hesperidum insulam, lineam jussit duci à polo ad polum, distantem inde leucas 100, ut hic terminus esset, citra quem Lusitani, & ultra quem Castellani quicquid intra 180. gradus occuparent, jure optimo possent retinere. Quæ celeberrima *Alexandri Linea* postea 1524. consensu partium producta fuit ultra insulam S. Antonii occasum versus leucas 370. Quam accuratè, aut minus accuratè factum hoc sit, utroque tempore, distinctione mensuræ Geographicæ per gradus, & Hydrographicæ per spatium navigationis, sive tempus navigationi in Moluccas vel à Lusitanis vel à Castellanis institutæ debitum, eleganter explicat *Ricciolus*. Quibus addi possunt, quæ *Fournerius in Hydrographiâ* de linea Alexandri annotat.

Geograph. Reform. l. 3. c. ult.

VII. Et Pontifex quidem quatenus more communi, & si à Regibus arbiter lectus est, auctoritatem suam facile tuetur. Quando autem sibi arrogavit Alexander VI. potestatem terras inventas Ferdinando Regi Castellæ donandi, sicut Martinus V. erga Lusitanos Reges eodem modo, de alieno liberalis fuerat, id vero, nullius Juris obtentu defendi potest. Rei enim alienæ donatio, omni jure nihili est, neq; cuiquam proprietatem, nisi imaginariam constituit. quale est etiam imperium dominiumque, quod sibi Pontifex in omnes terras arrogat, merito detrectatum irrisumque omnibus sanis hominibus. Unde quamvis quæstionem Juris declinet, sententiam tamen cordatam Elisabethæ Anglorum Reginæ *Camdeno* descriptam, laudat *Joannes de Laet*, procemio Novi Orbis.

VIII. Concilium Magellani de Moluccis Castellæ vindicandis, (quod erroris incusat, sed probabilis *Osorius & Chytraus*) excitavit hominum studia, Lusitanorum præsertim, ad metiendam diligentius locorum per maria distantiam, observatis Lunæ deliquiis, & arte *Petri Nonii* mathematici nobilissimi, contra *Roderici Falerii*, quo Magellanus utebatur, ratiocinationes Ptolemaicas, adhibitâ. Sed hæc postea acciderunt.

Osor. lib. XI. hist. Lusit. Chytr. Chron. lib. 7.

IX. Interea in primâ acie consilii Magellanus speciosa *Juris* nomina, ut dictum est, gloriæ stimulis armata posuit. Hinc multiplicati *lucrorum & commodorum tituli, ex amplificatis imperii finibus, ex opum varietate ac magnitudine*, ordinantur: in quibus & ipsa *sententia ac cognitio rerum hactenus incognitarum, prolataq; Physicæ & Geographiæ pomœria*, pulcrè conspiciebantur: *ut terras atque regiones quas neque viderat, neque ab aliis exploratas audierat, sed suspicione tantum, eas adiri posse, consecutus fuerat, perlustraret.* Ardua res, sed cui conficiendæ, par erat ingens animus suasoris, qui consilio periculum suum junxit: adeoque heroicum consilium Heroi Principi facile persuasit. Stabimus enim in certamine literario à partibus Caroli, illiq; hunc animum consilii singularis capacem gratulabimur.

Osor. lib. 11.

X. *Quo successu navigavit Magellani Navis?* Ex consultore Dux classis factus Magellanus, *accepta supremâ vitæ & necis in reliquos navarchos potestate*, cum die Augusti decimo anni 1519. portu Hispalensi solvisset, incerta maris & tempestatum, famem, defectionem & insidias suorum, abundè expertus, documento fuit, ardua esse principia, difficiles progressiones operum, quibus luculentus debetur exitus. Insulis, fluminibus, maribus, locis, ex eventu temporis & rerum congruentiâ, imposita nomina, alii memorant. Inter illustrissima successuum fuit, quod anno 1521. festo Paschatis insulam Zubut ingressus, Regi & Reginæ persuasit, ut cum octingentis hominibus Christiano ritu suscepto baptismate, initiarentur. quod exemplum paulo post omnes Insulani secuti sunt. Pro hoc Rege contra Matani regem in insula Matana fortiter dimicans, mense insequenti, in prælio occubuit. Ita *pleriq; Osorius* ab ipso Rege, cui opem tulerat, post prœlium per insidias extinctum memorat. *Sed periit quidem* (ut hoc verbis *Historici* dicamus) *ipse Magellanus in hac expeditione, sed non ipsius fama. meruit enim præclaro hoc facto, ut non modo Fretum sed & Australior Americæ meridionalis pars hodieque ab ipsius nomine appelletur.* Neque *Magellanici* tantum *Freti, Magellanica* in Americâ *provincia*, illustria nomina, sed insecutorum quoque progressus temporum, Argonautarumque aliorum opera, non minimam gloriæ partem his auspiciis Magellanicis debent.

Jo. de Laet. lib. 13. c. 10.

XI.

XI. *Quo eventu sive exitu navigavit?* Quamvis ex classe unica navis, Victrix propositi, *Victoria*, unde egressa erat, cum Octodecim Vectoribus rediit, exemplum tamen & consilium primum fuit virtutis & tolerantiæ, quod secuti Periegetæ, nemo tamen ante quinquagesimum posthæc annum (adeo magnitudo operis & difficultas horrorem in animis hominum reliquerat,) in immensum inclaruerunt. Ostentat quidem *frontispicium Geographiæ Reformatæ* emblematico schemate *N. V. F. M. Totum sed semel.* cum inscriptione: *Non semel ambito Victoria vincitur Orbe.* Sed vera æstimatione, plus inventori, quàm imitatori, auctori, quàm amplificatori debetur gloriæ. *Nec post ambito Victoria vincitur orbi. Reliquiæ Navis Victoriæ Hispali memoriæ posteritatis jure meritoq; servantur*: inter visenda, quæ Hispali *scriptores* tribuunt plurima, rarum cimelion. Chytr.

Secunda Navis Periegetica, sive ambito orbe celebris.

I. Hæc est *Francisci Draci seu Draconis* Equitis Angli, qui anno 1577. portu, Plimuthensi primo cum quinque navibus, mox rejectus indidem cum quatuor Navibus & viris armatis 164. egressus, circumnavigato orbe annis plus minus tribus, rediit domum, anno 1580. Vide Historiam apud *Camdenum in Elisabethâ, Ricciolium in Periegetico cap.* 22. *&* 24. *Jo. de Laet. Nov. Orb. lib.* 3. *cap.* 5.

II. Fretum quidem Magellanicum (*Laetio* probè descriptum) amplius cognoscere annixi erant, post inventorem, Hispani: sed ab anno 1577. *non invenio* (inquit *Laetius*) *memoriæ proditum, Fretum hoc à quoquam Hispanorum, aut aliarum nationum tentatum. controversia enim illa notissima de Moluccis Insulis inter Reges Castellæ & Portugalliæ sopita, exiguus esse illius videbatur usus, & summa superandi difficultas, & aliorum, qui antea tentaverant, discrimina meritò deterrebant. Anno demum quo dictum est, fortissimus Eques & maritimarum rerum peritissimus Franciscus Dracus Anglus, heroico plane ausu cum paucis navibus, neque ita magnis, expeditionem in Oceanum Australem per hoc Fretum suscepit.* Tum quoque repertæ novæ Insulæ, aliaque detecta. *Nova Albion*, inprimis Thuan. Draci appellatio est, ubi regnum ei offerebant incolæ.

III. Huic quoque litem movent *de auspicio expeditionis*, *de* quibus-

quibusdam in expeditione admissis, de jure prædæ & opum partarum. Nullis, inquiunt, *publicis auspiciis* exivit, privata omnia sunt, sine auspicio & jure. *Sive rei faciendæ, sive nominis propagandi causa,* expeditionem hanc ausus est. verba sunt *Thuani.* Apud *Camdenum, privatæ Hispanorum in se injuriæ satisfacere* voluisse, præ se fert. Posset ergò hic locum habere, quod de Oxenhamo Anglo similia ausо referunt historiæ, qui cum interrogatus, an Reginæ auctoritate Regis Hispaniarum ditiones esset ingressus, nullam auctoritatem exhibere posset, pro Pirata & generis humani communi hoste supplicium tulit. Sed nos Academicâ libertate, hac vice, jus hujus expeditionis, à Draco susceptæ propugnabimus.

l. 71. pr. part. 2. p. 325.

IV. Atque hinc etiam *jus prædæ & partarum opum pendet.* Licet enim quidem primarii aliquot in Aula viri, vel magnitudine animi, vel æmulatione, oblatum à Draco aurum repudiarint, tanquam piratico scelere quæsitum: tamen nos partim defensuri, partim excusaturi Dracum, Reginæ Elisabethæ judicio stabimus, quæ Dracum *ob expeditionis tam feliciter susceptæ gloriam laudatum, equestri honore decoravit, ut Camdenus,* & ex eo *Thuanus* memorant.

V. *De admissis in expeditione* superest ut videamus. Cum enim Joannem Dougtheium, crimine concitatæ seditionis supplicio affecisset, æquiores in classe ita judicasse feruntur, *quod Dracus virum, tumultuosius quidem in classe agentem, cæterum quasi suæ gloriæ æmulum amovisset, & non tam quos navali laude superaret, quam qui ipsum æquarent, respexisset.* Alii etiam *in aliorum gratiam quasi domo acceptis mandatis, quovis colore è medio eum tollere voluisse,* dictitabant. Ita quidem apud *Camdenum.* Sed *Thuanus* ultro apologiam scribit. Duodecimo, inquit, *Kal. Util. S. Juliani portum ingressis & patibulum quoddam procul conspicientibus, Magellani memoria mentem subiit, quod eo loci olim Magellanus de quibusdam rebellibus supplicium sumsisse diceretur. Severitatis illius in talibus expeditionibus, si rem salvam Duces cupiunt, contra imperia Ducum detrectantes necessariæ memor Dracus exemplum ejus edere voluit in Thomam Duguthum,* (ita variat in nomine;) *nobilem Anglum: quem factâ diligenti inquisitione ex Ducum qui aderant consensu ad mortem damnavit, gratia facta, priusquam supplicio afficeretur,*

part. 2. p. 322.

lib. 71. p. 418.

factæ

sacra synaxi more inter eos recepto participandi. Ipse etiam *Camdenus adversariorum criminationi* tribuit, & hoc supplicium incusatum, &, quod jactum est de Lusitano quodam capto & postea Hispanorum crudelitati relicto; tum de puella Nigrita dono accepta, & cum in navi prægnans facta esset, in insulam exposita, de quibus, nisi cognita penitius causâ, judicari nequit.

VI. Cæterum Regina Angliæ *Navem* hanc, de qua hactenus nobis sermo est, in qua Dracus ipse navigavit, *in monimentum orbis tam feliciter circumnavigati, subduci Depfordiam ad Tamesin jussit.* (*ubi ejus cadaver adhuc cernitur, inquit Camdenus*) *& in ea insigni memoria sacrata, epulata, Dracum equestri dignitate ornavit.* Applausu vario, quem etiam illud carmen auxit:

Digna ratis, quæ stet radiantibus inclyta stellis
Supremo cœli vertice digna ratis.

Tertia Navis Oceani, circumlustrato orbe, domitrix.

I. Hæc est *Thomæ Candischii Nobilis Angli*: quæ cum aliis duabus discessit anno 1586. d. 21. Julii, & rediit 5. Septemb. 1588. perfuncta cursu diebus 777. sive annis 2. mens. 1. dieb. 17. Summatim describunt iter *Ricciolius, Jo. de Laet. l. 3. c. 6.* Hic Candischius sive Cavendischius *rediit opima cum præda, & insigni cum gloriâ, utiq; tertius à Magellano, qui orbem terrarum circumnavigavit*, verba sunt *Camdeni.* Exceptus est à Regina Elisabetha *magna cum gratulatione, læta ob majorem successum*, inquit *Thuanus*, qui totam expeditionis seriem, *ex commentariis Nauticis* descripsit. part. 3. p. 506. lib. 89. p. 256. &c.

II. Hujus enim Reginæ tempora, tum aliis rebus novis clarisq;, tum præsertim nauticis, insigniri DEus voluit. Unde inter decora imperii, quo non facilè fuit aliud laudatius, illustriusque, Periegetarum Anglorum illæ navigationes ponuntur: quibus via aperta est, ad Hispanorum toti tum Europæ terribilium, opes velut in secreto Gazophylacio repositas. Angliæ enim non parum adversus infensam sibi potentiam subsidii fuit Belgarum Argonautarum virtus, qui per vestigia Draci Candischiique progressi, fata rerum commutare cœperunt. In elogiis Reginæ Elisabethæ non omittunt conversio-

versionem rerum tam fatalem, qui Rempublicam intelligunt. Non immeritò igitur inter Periegetas universè Tertii, in Britannia, Secundi, NAVIS, Heroicarum & Fatalium censum auget, estque

Altera post Dracum hac spes & fortuna Britanno,
Ut minus inde tuas curet, Ibere, minas.

Quarta navis circumiti Orbis titulo inscripta.

I. *Quarta Navis Oceani totius triumphatrix, inquit Ricciolius, Simonis Cordesii & Jacobi Mabu. Sed tempus reditus non reperi annotatum.* Auspicium hujus gloriæ videbatur ab initio *Jacobo Mabuvio* deberi; qui quinque navium classem ex Hollandia, anno 1598. (ut habet *Laet.*) per fretum Magellanicum ducturus erat. Sed cum in mari Atlantico supremum diem clausisset, *Simon de Cordes Antvverpianus* (rursus *Laetij* auctoritatem sequimur) qui proximo gradu curabat, Dux classis factus, circumnavigati Orbis gloriam consummavit. *Meteranus* paulo fusius ista persequitur: quem potissimum laudat *Morisotus in Orbe Maritimo.*

II. Atque hinc sicuti à Castellanis ad Anglos processerat, ita ab Anglis ad Belgas propagatur, ut aliorum Nauticorum cœptorum ita *Periegetica*, quam hic spectamus, gloriæ non modicis auctibus deinde profecturæ, studium. Hæc in Belgio memoriarum nova & illustris epocha annales deinde insignivit. quæ & apud *Laetium* ita præscribitur: *Belgarum Navigationes per fretum Magallanicum, & quidem prima Duce Simone de Cordes.*

III. Liceat ex multis nova appellatione designatis locis, nominare *Sinum Equitum* ad Australem freti plagam, cui nomen indiderunt, ab *Equestri Ordine* ibi à se instituto, quem *Soluti Leonis titulo, certis ceremoniis, & fidei mutuæ vinculis inter se celebrarunt.* ut est apud Laetium. Quæ res præberet curiosis materiam cogitandi: *de auspicio instituti bujus Ordinis Equestris*, (quod alias non nisi à summis potestatibus, præsertim à Coronatis capitibus, reperi solet) *de auctoritate, quando, quomodo illis Equitibus posset accedere.* Non enim de inventione *emblematis sive Symboli Equestris, Soluti Leonis* scilicet, aliquid dicam.

IV.

IV. Memorabili errore ab hac classe decrravit *Navis Sebaldi de Werth*, quem describit *Laetius*. Hinc enim tum aliarū rerum notitia, tum accuratior Arborum *Sinus Viridis* descriptio, quam *Carolus Clusius Exoticis* suis inseruit. Infinitis, & singularibus casibus superatis domum reversa, miraculo fuit popularibus.

V. Sortiatur ergo & hæc Navis titulos Argonauiticis majores, auspiciumque faciat celebritati sæculi, quod nunc agitamus, hoc vel simili elogio:

Tu quoque, lustrati circum maria omnia mundi,
Prima tuis Belgis spemq; fidemq; facis.

Quinta triumphati Oceani gloria illustris Navis.

I. Hæc est Oliverii de Noort, qui anno 1598. egressus, rediit 1601. confectâ periegesi diebus 1077. sive annis 2. mens. 11. d. 16. Videantur *Ricciolius & Laetius*. Quia eodem tempore quarta illa navigatio, de qua modo diximus, facta est, fefellit nonnullos numerus, & distinctio nominum honorumque nominibus debitorum. lib. 3. c. 22, 24. Ind. Occid. 13. 9.

II. Hugo *Grotius* ita memorat: *Longinquas ad navigationes crescebat Batavis audacia: quippe & fretum, quod Magellanicum à repertore dicitur, Draconi & Cavendisso Anglis emensum postea, quartus eorum, quos fama excepit, Oliverius Nortius Roterodamensis penetraverat: nec sine magnis difficultatibus inter Americæ fines & ignotum adhuc orbem, longis anfractibus arctatum mare vix eluctatus, Australem qui dicitur Oceanum, eique obtentum Chilio um litus magnitudinis incognitæ ferens corpora, inde reflexo cursu Borneonem insulam devenerat: bonaque spei promontorium prævectus, circumnavigato omni terrarum ambitu, non quidem opes ullas, sed clarum patriæ decus & non audita ante locorum nomina domum retulit.* Hist. lib. 10. f.

III. *Thuanus* vocat hunc *Olivarium, Septentrionem*. & ejus navigationem priori comparans, *Illustrior*, inquit, *longe Olivarij Septentrionis eodem anno ac ferè tempore navigatio instituta fuit; quæ circumdato toto habitabili Orbe, triennii & XXIV. dierum spatio Magellanicum fretum certius exploravit, & Tabula exactissimè delineatâ aliis navigabile reddidit.* Postea autem totam hujus expeditionis historiam plenius enarrans, cum varias ad naturalem historiam, aliaque memoratu digna, observationes posuisset, lib. 124. p. 911. lib. 126. pag. 969. &c.

clausula hac finit: *Circumdato toto orbe post XXXVIII. mensium navigationem Roterodamum, unde solverat, incolumis cum pretoriâ reversus est.*

IV. Memorabilis fuit inter alia hujus Olivarii *Venatio,* qua ad *insulam Pinguinarum (Penguin) quinquaginta millia* earum volucrum, cum innumerabilibus ovis, tum vitulos marinos cepit. Describit hoc prægrandis anseris genus, *Carolus Clusius*, lib. 15. Ind. Occid. c. 8. & ex eo *Laetius*. Mira DEI mortalium genus ubique nutrientis, benignitas!

Et te Mauritium *celebrant non fulva metalla,* (nomen navis prætoriæ.)
Quinta sed edomito gloria ab Oceano.

Sexta Triumphatrix Oceani Navis.

I. Quam Te dicemus? Exieras *Concordia*; redis *Amstelodamum.* Unam enim Te dicemus; quia unius operis successusq; consortes primum alterâ avehis, altera revehis. *Jacobus Maire, Concordiâ* exierat: illa cum detineretur in itinere, alia conscensâ navi (cui *Amstelodamum* nomen) ipse quidem obiit; sed qui cum ipso conscenderant, circumnavigato orbe redierunt.

Ergo Duæ sint una ratis: Concordia *nomen*
In commune ferat præcipuumque Decus.

II. *Mariano* nomini debetur præcipuum hujus expeditionis Argonauticæ consilium. *Isaacus* enim *Maire* concepit animo formam itineris, in Indias, quod esset Magellanico facilius breviusque. Id exposuit *Wilelmo Cornelii Schoutenio*, maritimis itineribus exercito, nauticarũ artium apprimè gnaro. Qui cum bene cogitata probasset, assumti sunt in conscientiam plures, ejusdem peritiæ nomine laudati. Consilio à se reperto junxit Isaacus periculum suum. Filiumque *Jacobum* misit destinata executurum: socia Wilelmi Cornelii opera impensisque. Videatur *Meteranus lib. 34.*

III. Occasio arrepta est, æmulatione Mercatoria: ex quo *Societatis Indicanæ Orientalis* privilegia, & monopolia reliquis Mercatoribus iniqua videri cœperunt. In novas ergò artes dimittendus animus, viaque legibus non interdicta requirenda erat. Hinc *prima Freti Lemarii inventio*, per quod minori difficultate & discrimine in Oceanum Pacificum penetraretur,

egregiè

egregiè descripta *Laetio Ind. Occid. lib. XIII. cap. 11. Diarium* Itineris, *Meteranus*; summam *Ricciolius* exhibuerunt. Tempus insumtum biennii, & dierum octodecim, ab A. C. 1615. *Jun.* 14. *ad* 1617. *Jul.* 2. adde *Morisoti Orb. Marit. lib.* 2. *c.* 37.

Septima Circuiti Orbis successu celebrata Navis.

I. Hæc est de classe Nassauica, cui præfuit *Jacobus Eremita*; secundum imperii gradum tenente *Joanne Hugone Schapenhamio*. Egressa est portu Goereensi A. 1623. Aprilis 29. viris, armis, commeatu instructissima. Sed uterque Ducum, *Eremita* quidem, in obsidione Limæ; *Schapenhamius* cum duabus navibus domum repetiturus, in itinere, diem suum obierunt. Ipsæ Naves, *Concordia*, cum *Hornana*, circumnavigato Orbe in Hollandiam reversæ sunt 9. Jul. 1626. post dies initi itineris 802. seu annos 2. mens. 2. d. 10. Hæc summatim *Ricciolius*. Geogr. Reform. lib. 3. c. 22. & 24.

II. Cursum per fretum Lemarium paucis antè annis inventum, in Oceanum Meridionalem, exhibet *Joannes de Laet*. *Insula Eremitæ (Hieremitens Eylandt) & sinus Schapenhami* (*Schapenhams Bay*) in *Tabulis Nauticis*, horum Argonautarum nomina & memoriam conservant. *Meteranus* quoque partim apparatum egressumque classis, partim res gestas exsequitur. Ind. Occid. lib. 13. c. 13. lib. 40. &c.

Ergo Duce orba tuo revenis Concordia, Victrix
Inclyta sublimis septima propositi.

III. Toties enim hactenus, *Argo Nova*, quam induximus, periegeticæ laudis eundemque Naturæ & Orbis terminum attigit. nunc paucioribus nunc pluribus, nunquam modicis casuum varietatibus jactata. Plures eadem tentaverunt, successu non eodem, imo nullo: quasi Tritonum aliquis occineret illud Poëtæ:

Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortales oculos.

Sola nimirum nostra ARGO NOVA domum redux, dicere suis civibus meliori jure & citra figuram potuit, quod de Argonautico Veteri molimine, non nisi Poëticè exauditur: Sola suis Argo,

ap. Val. Flacc. Argonaut. l. 14. v. 313.

—— —— *Quod primum ingentibus ausis*
Optavistis, ait, veterumque quod horruit ætas,
Assumus en, tantumque fretis enavimus orbem,
Nec pelagi nos mille viæ, nec fama fefellit.

ARGO NOVA Themidi spectanda sistitur.

Antequam hinc abeamus, Themin advocemus spectatricem, Nostræ Navis; quæ hactenus sororis ejus æquoreæ Thetidis arbitria respexit.

I. Dispiciet Themis, quòmodo egrediatur Argo, & ad res gerendas ingrediatur. Non agnoscet, aut sua dignam amicitiâ judicabit, nisi *quæ optimo auspicio egressa fuerit*; id est, summæ potestatis nutu, voluntate, imperio. Quid ergo faciemus illis, qui sine auspiciis publicis argonautas agunt? exceptis *piratis*, vix dices casum evenire. Sed hoc evenit (eaque de causa quæstio hæc instituta est,) ut aliqui audeant ejusmodi expeditiones suscipere, *permittente* summâ potestate. Nondum ita evaseris scopulos, in ambiguâ dictione latentes. Si re ipsa manifesta permittitur, id est, dicitur publica voce, quibus commodum est exire adversus hos illosve insulanos, aut ad novas Terras inquirendas, ilicet; jam res erit definitu facilior. Sin, permissio in connivendo tolerandoque reponitur; Themis vix bonis ominibus prosequitur ausuros.

Divisa est quæstio: alterum enim, ex iis quæ diximus, tempore *belli* evenire potest; alterum tempore *pacis*.

Sicut autem bellum quidem privato nomine suscipi nequit, ita vel cœpto publicis auspiciis *bello*, quibusdam locis & temporibus *licet nocere privatis impensis hosti, prædamque more vel lege loci pro navata opera capere*; vel nondum cœpto quidem bello, sed nec pace jam constante, *clam dari nonnullis solet licentia, nocendi his & illis pacis violatoribus.* clam autem an palam aliquid permittatur, hactenus non interest. Sed &, qui permissu summæ potestatis classem expediunt, quin *jus* habeant *defendendi* se adversus aggressores in itinere aliisque locis, minus dubitationis habet.

Illud Majoris operæ est; *an Argo nova possit e. g. in Americanos aut aliorum locorum Barbaros, moribus & religione à Christianis* dissi-

dissidentes, absque ullo eorum facto hostili præcedente, hostiliter expediri? Non siverit Themi, juris Divini humanique custos, cognati generis reverentiam sanciens, armorumque noxam longè submovens. Pacata debent esse proposita Argonautica, ad notitiam locorum terrarumque comparandam, ad commercia exercenda. Sed, quid, *si alia Argo insulanis jugum aut bellum meditatur, an Tua præripere potest imperium?* Deducta est hæc res in quæstionem, cum in Belgio *de societate Indiæ Occidentalis instituenda* ageretur. repetit momenta *Grotius* in utramque partem. Salvo Themidis judicio, neutri parti quæstionem juris seriò curæ fuisse dixeris: adeo virtus post nummos esse in ejusmodi consultationibus solet. lib.16. Hist. f. p. 566. & seq.

II. Jam, si Argo pacificis consiliis in expeditionem egressa est, *licetne ei in Insula quam attigit, munimentum extruere, nolentibus Insulanis; aut prohibentes Insulanos pro hostibus habere?* Pactionibus hæc impetrari, jubet Themis: ignoscere tamen parata iis, qui *morbis aliisve necessitatibus adacti*, in litore moram trahere, *munimentum non perpetuæ possessionis causâ, sed securitatis*, dum casibus huc vocantibus, remedium Deus & dies attulerit, extruxerunt; illudque adversus oppugnantes defenderunt. Idem judicaveris de casu *aquationis, piscationis, venationis*, adversus famem & moras itinerum, si pactionibus ista impetrari nequivere, in magna & obvia copia talium ex feris alimentorum. Si enim insulanis ipsis parcius natura prospexit circa alimenta necessaria, causa retinentium & denegantium ea, quibus indigent, melior est.

An maleficium paucorum insulanorum adversus Argonautas, jus armorum dat in totam gentem? Ne dixeris; ubi satisfactio offertur præsertim.

Quid, *si de hostili alicujus nationis voluntate adversus omnes externos constat; an non statim ut hostes tractari possunt?* Tum quoque satius sit, denuntiare jus humani commercii, inhumanam feritatem omittentibus, cum significatione contrarii in ausuros hostilia. Sola autem conjectura de animo insulanorũ, non habet locum. *Quid de ἀνθρωποφάγοις dicendum est?* Videantur meruisse, ut humani juris expertes habeantur, quæ humanitati ipsi bellum indixerunt bestiæ. Sed Themis laudabit illos

los Argonautas, qui hos quoque emendare, & ad humaniorem cultum traducere, quam perdere aut ſpoliare malent.

De *mercimoniis* quoque, non pauca dubitantur. Sanctè illa tractabit Themidi placitura Argo. *An fas eſt*, exiguam ferri partem pro tanto aut majori pondere, auri permutare? An pro *aromatibus*, fructibus, edulis, ludicra rependere, ſpecula, fiſtulas, cultellos fas eſt? Multa ſunt, quæ hic de regula & varietate pretii diſputari, neque nunc adeo ad liquidum perduci queunt. *An homines quoque mercium partem licitè faciunt?* Ita ſolent. Sed Argo, Themide ſubmonente, mancipia emet, ut ex barbarie ad culturam, ex ſervitute ad libertatem traducat. Si hoc inſtitutum tenebitur, favor libertatis efficiet, ne peccaſſe videatur emptor, qui à venditore, nullum titulum juſtæ poſſeſſionis habente, emerit. niſi fors à venditore per furtum adepto liberum corpus, ad te translatum, vindicaverit, qui verum jus in perſonam habet, itidem libertati reſtituendam. Sed hæc exemplis melius intelliguntur. *Sicut de commercio ſervorum atque emtione Luſitanorum ex inſulis Promontorii Viridis cum finitimis Africæ locis, in Inſula D. Thomæ, & in finitimis regnis Angolæ, Manicongii, in Caſreria locis, in India & aliis Aſia locis, in utraque Guinea*, diſquirit ſubtiliter *Ludovicus Molina*. Laudanda eſt hoc loco *Lex Caroli V. Chriſtiano Imperatore* digniſſima, quam tulit *de mancipiis Novi Orbis, ut omnia libertate donarentur, nullaque deinceps ſervituti ſubjicerentur.*

de Juſt. & jur tract. 2. diſp. 34. 35. 36.

III. Ultima Themidos cura & votum eſt, ne velleris aurei cupidine Medeam, aut ſi quod Medeâ nocentius malum, Argo referat; caſibusque patriam infinitis impleat; tum ut aureo vellere non tanquam irritamento vitiorum, ſed tanquam ſubſidio civilis virtutis uti ſtudeat.

Non enim nulla eſt de uſu abuſuque, de commodis & incommodis Argonauticorum operum dubitatio. quam non alias magis, quam in conſideratione Periegetici inſtituti minui, facile tamen deprehendas,

XXXVI.



XXXVI.

MINOS MARIS DOMINUS.

MInoëm Cretensium Regem multa sunt, quæ ad posteros celebraverunt. Hinc est quod modo Legislatoris, modo Judicis, itemque Regis exemplar, proponi solet. Est & alia commendatio ejus, ad *Imperium Maris* pertinens: quæ nobis nunc materiam Academicæ scriptionis præbitura, multo cum honore titulis tanti Herois inseritur. Quod si ergo veniam nobis dare velint, quorum judiciis nostra omnia cupimus approbare; de nobili sæpeque in controversiam vocato argumento, pauca quædam paulo altius repetere aggrediemur. Deus *juvenili* faveat conatui; proficiendique occasiones ex ipsa scriptione propitius demonstret!

Ipsa autem Minois tum historia tum fabula, calamum dicturi aliquid *de Imperio Maris* partitim in rem præsentem deducet, si citra ambages quædam capita scriptionis, ut sese offerunt, proponantur.

I. enim

MINOS primus imperio maris potitus est.

Disertis verbis id affirmant veteres: inprimis *Apollodorus*, qui & Imperium illud *omnibus fere vicinis Insulis* describit. lib. 3. *Thucydides* autem ita explanat: *Minos antiquissimus eorum, quos fama accepimus, classem habuit, & majorem ejus, quod nunc Græcum vocant, maris partem obtinuit: subjectisq; imperio Cycladibus insulis, primus complures colonias, pulsis Caribus deduxit, & filios suos eis præfecit.* lib. 1. Ita Græca verba Latinè reddidit *L. B. Eneuckelius.* Palam est, non de navigationis origine hic sermonem institui. Quin enim in prima illa hominum terrarumque divisione, in insulas quasdam navibus trajiciendum fuerit, & trajectum sit, nemo dubitat. Genes. 10. Refertur *imperium maris Minoium*, de quo agitur, ab *Eusebio* ad annum Mundi MMDLXXV. in Chron.

qui fuit Periodi Julianæ 3305. ante Christum natum 1409. putante *Dionysio Petavio.* An alius ante Minoëm, imperium mari tenuerit, ex historia doceri nequit. Nam τὰ πρὸ τῶν Τρωικῶν ea quæ Trojano bello antiquiora sunt, involvuntur fabulis apud Ethnicos Scriptores, & interpretationem habent dubiam, ita ut certi nihil fere colligi possit: licet fabulæ illæ non omnino interim falsæ sint. Adiri potest *Morisotus in orbe maritimo lib. 1. cap. 1. & 2. & Thom. Rivius hist. nau. antiq. lib. 1. cap. 4. Seldenus* quidem *in mari clauso* antiquitatem imperii maritimi Minois, superari exemplo filiorum Saturni existimat. Jovem enim, cui cœlum cessit, Plutonem qui inferos accepit, Neptunum, qui maris dominium obtinuit, tres Noachi filios fuisse; adeoque in fabula historiam latere, non solus interpretatur. Verum hæc atque talia non sunt ejus generis, ut eodem modo ab omnibus accipiantur: & nos de historia fabulari hic non cœpimus agere. Sed nec cuivis promptum erit, eruere conjectura ex antiquitatis eruditæ vestigiis, quod & quale fuerit Neptuni imperium maris. Licuerit itaque id hactenus seposuisse, dum in Minoë ea spectamus, quæ Historici consentiunt.

in Doctr. Temp.

lib. 1. cap. 8.

II.

Minos imperio maris jure potitus est.

Laudant enim consensu scriptores hoc Minois imperium (exceptis malignis quibusdam judiciis, de quorum caussâ post agetur,) & tanquam res meritis ejus debitam extollunt. Ergò, si propius ad rem veniendum est, *quis hujus juris titulus est?* Ante omnia hic occurrit *occupatio*; deinde *Consensus populorum de occupatione justa sive de jure per occupationem quæsito, non impugnando*: denique *consensus eorum, quorum propius intererat, ex causa speciali, id est, ex compressis piraticis sceleribus.* Hoc enim meritum vere Heroicum effecit, ut expulsorem piratarum & piraticæ consuetudinis, facile dominum optarent, quibus inter maritimos prædones nihil tutum fuerat. sicut diligenter annotat *Thucydides.* Ex talibus caussis Regna uni olim delata, ut Heroicorum temporum morumque notam non semel *Aristoteles* laudat. Cæterum in *occupante* hic spectandum est, *privatus ne an Rex fuerit. Privato* enim occupatio-

talis.

talis, quæ toto ſuo effectu ad rempublicam pertinet, non magis conceditur, quam arma capere, exercitum conſcribere, & quæ ſimilia ſunt. Neque etiam *propoſitum* negligi debet, quod ipſo ſcilicet munere continetur; nam qui Rex eſt, Regii muneris propoſito uti cenſetur: id eſt, ut in re noſtra maneamus, Rex cenſetur occupaſſe mare reipublicæ ſuæ tuendæ amplificandæque cauſa. huc enim præcipuè referuntur, quæ vere Regia conſilia & opera ſunt. Minos igitur & jure Regio & conſilio Regio occupaſſe videtur mare vicinum, ad tutelam & incrementum Regni Cretenſis, id eſt, ut Regno Cretenſi, & incolumitas ſua conſtaret, & potentia amplificaretur. Ex diverſo, ſi *piratæ* ſocietate aliqua inter ſe conſtituta mare occupent, nihil habebit juris ejusmodi occupatio, non tantum, quia ejuſmodi turba nihil poteſtatis publicæ juſtæ habet; ſed etiam quia maleficii cauſa, id eſt, nullo honeſto propoſito coiit. Quare nec ſocietatis legitimæ nec civitatis titulum ſibi applicare poteſt talis multitudo, quantumvis numeroſa & valida.

Poſtquam in jure occupationis *occupantem* conſideravimus, nunc *Rem ipſam occupatam* vel *occupandam*, ut ſpectemus, ratio jubet. fruſtra enim hæc tota diſputatio ſuſciperetur, niſi conſtaret: an res de qua agitur, ſit *occupabilis*, ſive, *an mare talem habeat naturam atq; conditionem, ut in dominium ire ſive occupari aut imperio poſſideri poſſit?* Atque hoc ipſum eſt, quod toti huic diſſertationi occaſionem dedit, & materiam daturum eſt. Verum, ut vitemus, quæcunque ad obſcurandam atque involvendam rem pertinent, non pigebit nos partitè omnia, & diſpoſitis in obvio conſpectu membris conſignare. Adferemus ergo *primo* quandam hujuſce controverſiæ hiſtoriam; *deinde* momenta ſententiarū diſſidentium comparabimus; *denique* judicium, quale de toto negotio, variis ex cauſſis facere ſolent viri rerum agendarum uſum habentes, conſignabimus.

Quando ergò quæritur, *an mare ſit imperij capax?* videntur apud veteres ſcriptores non pauca ejuſmodi loca occurrere, quæ diverſas de hac quæſtione apud antiquos ſententias oſtendant. ſed utrum verborum an ſententiarum id diſſidium ſit, diligenter concertarunt, qui nuper eam quæſtionem

nem ex professo tractarunt. Hic non opus fuerit, ista omnia repetere. Dicemus potius de ipsis præcipuis Scriptoribus, qui hanc controversiam sibi examinandam desumpserunt. Principes sunt *Grotius* & *Seldenus*. Cum enim non procul ab initio hujus seculi inter Hispanos & Belgas de induciis tractantes multum etiam disceptaretur, *de libertate Indicanorum commerciorum*, quam sibi Belgæ fœderati vindicabant, Hispani autem inter arcana dominationis suæ sepositam cupiebant: ea occasione (utemur nunc verbis *Dominici Baudii ex lib. 2. de induciis belli Belgici petitis*) *editus est libellus, cui titulus, Mare Liberum, suppresso nomine, sed autore Hugone Grotio Fisci advocato. —— illic solidis rationum momentis, illustribus exemplis, sanctione Regum, auctoritate ipsorum Juris-consultorum, qui inter Hispanos magno in honore sunt, evincitur, liberam ad Indos navigationem nec divino nec humano jure subditis Ordinum fœderatorum interdici posse.* Posteà *Grotius* ipse non parum limitavit, partim etiam supplevit disputationem de Mari Libero cœptam, in egregio opere *de jur. bell. & pac. l. 2. cap. 2.* §. 3. itemque *c. 3. à* §. 8. *usq; ad* 16. ubi præsertim in *notis* nova accessio est supplementi & explicationis. Postea præterlapsis pluribus annis, nimirum anno hujus seculi 35. *Joh. Seldenus IC. Anglus* contrariam sententiam. & simul totam de Dominio maris quæstionem tractavit edito opere, cujus titulus est *Mare Clausum.* Ubi præsertim ostenditur, *mare dominii capax esse, semperq; pro tali habitum fuisse.* Reprehensus est titulus *Maris Clausi*, tum ab aliis eruditis, tum ab ipso *Grotio*, ut primum fama propositum Seldeni distulerat. Itaq; in præfatione is defendendum sibi suum titulum existimavit: eo successu, ut homines moderati de titulo non valdè disceptandum judicarent, quamquam is elegantiæ titulorum inter eruditos amatæ non congrueret. *Grotius* certe existimavit, *Thalassocraticum* rectius vocari potuisse librum Seldeni. itaque nec alio nomine citat in notis ad librum 2. *de jur. bell. & pac.* 2, §. 2. Qua in re videtur & ipse *Seldenus*, amica & modesta æmulatione Grotio objecisse titulum operi *de jure belli & pacis*, (quem *Grotius ex oratione Cicer. pro Balbo c.* 6. desumpserat) non satis commode attributum: quando suum opus ejusdem argumenti, simplicius, & magis ad communem sensum formulam-

mulamque inscripsit, *De jure naturæ & Gentium*, quippe in titulo Ciceroniano latet aliqua figura: hic quo *Seldenus* usus est, communi loquentium consuetudini ita consentit, ut statim intelligi possit. Quantum ad rem ipsam attinet, Grotii partes defendendas sibi existimavit *Theodorus Graswinckelius*, conscripto opere, cui titulus *Vindiciarum Maris liberi*, quinque libris constante: in quo Seldenum per singulas partes insequutus refutare aggressus est. Non tamen editum est hactenus (quamvis subinde ab auctore ipso citatum, & Seldeno per excerpta ab amicis communicatum) rationibus reipublicæ ut apparet, editionem non usquequaque suadentibus. *Johan. Isacius Pontanus* quoque *duobus discussionum historicarum libris* Seldeno se opposuit, ut Danis Norwegisque præsertim quædam jura vindicaret, quæ *Seldenus* ad Britannos traxisse, visus est: insertis tamen communibus momentis, ad varias quæstiones hujus argumenti pertinentibus. *Cæteri recentiorum*, qui hanc quæstionem disceptarunt, non tam in partes iverunt, aut ex professo tractarunt, quam vel repetiverunt, vel excerpserunt aliquid, aut annotarunt ex tota argumenti amplitudine. Ita *Thomas Rivius histor. naval. mediæ lib. 3. cap. 37. & 38.* pleraque argumenta *Seldeni* pro dominio maris in compendium colligit, *Jacobus Gothofredus* in dissertatione *de imperio maris ad legem* Ἀξίωσις seu *legem deprecatio 9. ff. de L. Rhodia de jactu*, ex occasione ostendit: *Romanos imperium maris apud suas ditiones sibi vindicasse*, idque jure se & exemplo aliorum populorum facere putasse. *Loccenius* & *Stypmannus*, *de jure maritimo*, itidem repetendis & diffundendis hujus disputationis locis occupantur. *Morisotus in orbe maritimo lib. 2. c. 10. de imperio & dominio maris in genere* quædam præmittit: *c. 20. Imperium Hispanorum maritimum*; *cap. 21, imperium Lusitanorum maritimum*; *c. 23. maritimum Genuensium imperium percurrit*, & sic postea de aliis gentibus agit. Nam de *Gallis* jam ante tractaverat: sunt autem illa pleraque ejusmodi, ut ad accuratissimam controversiæ disputationem non multum proficiant.

Neque sane nobis in re tanta *judicium* sumere animus est. id enim onus Ætna gravius *Joh. Isac. Pontanus* existimat. Quædam tamen licebit nobis annotare, quæ fortasse *in com-* in præfatione discussionum historicarum.

parandis sententiarum pugnantium momentis, & eligenda inter utrumque opinione non improbabili, aliquem usum habere possunt. Et I. quidem nunquam defuerunt, præsertim hodie, qui putarent: *supervacaneum esse de hoc argumento disputare. Id enim armis potius & gladiis summarum potestatum, quam scripturis & commentariis privatorum disceptari consuevisse.* Quæ ratio si adversus nos valere potest, plerisque omnibus oberit, qui de magnis reipublicæ negotiis & controversiis, haud raro Marte discerni solitis, aliquid conati sunt. Humanius certe sentiendum est, de ipsis summis potestatibus: ad quarum existimationem pertinet, ne vi pro jure uti censeantur. II. Sunt alii, qui putant, *si omnino hæc verbis atque literis disputanda sint, argumentum tamen fontem non ex titulis juris aut rationibus Philosophiæ, sed potius ex ratione status, ut loquuntur, peti debere*, id est, *Principes & populos imperium maris modo animosius affectare, & laxius interpretari, modo dissimulanter & lenius agere; imo interdum sententiam flectere, & defensum aliquando dominium maris impugnare, si ratio & utilitas reipublicæ ita postulet.* Quæ sicut non frustra dicuntur, ita obstare nequeunt, quo minus, de re ipsa ex capite honesti & boni æquique agatur: suasoriis in tantum dilatis ac suo loco relictis. Hæc sunt quæ communiter circa hoc argumentum agitari solent.

Seorsum autem notari merentur, quæ ad partes disputationis propius referuntur. Hic ergo observare licebit I. *In scriptoribus hujus controversiæ subinde deprehendi propositum aliquod peculiare, ac studium partium.* Qui affectus cum se disputationi miscent, fieri non potest, quin vel citra vel ultra rectum consistatur. Ita *Hugo Grotius in mari libero*, dum commerciorum in utramque Indiam libertatem Batavis suis vindicat, subinde animosius egit, & plus ultra progressus est. Fortasse enim non adeo pertinebat ad rem, mare universè liberum facere, ut libere navigaretur in Indias. Neque necesse fuit miscere ea, quæ colorem habent, cum iis, quæ argumenti vim possident. Ab altera parte *Seldenus*, dum Patriæ suæ dominium maris Britannici asserere studet, nimis obsequutus est aviditati humanæ in proferendis imperii dominiique finibus.

Qua-

Quapropter II. non poteſt improbari *Pontani* ſententia. qui tutiſſimum judicavit, *media incedere via, & aſſerere; nec liberum eſſe mare omne, nec etiam claudi quodcunq; aut omne poſſe.* hactenus, inquam, non poteſt improbari, quatenus utraque ſententiarum è diametro pugnantium à modo probabili abeſt,

Quis enim III. non putaret, *intereſſe generis humani, ut maris dominium univerſale ſive univerſi maris imperium illicitum judicetur?* Res clara eſt, ſi cogitemus vel noſtra tempora: quibus non defuit cauſa diſputandi: *an Monarchia univerſalis,* (quoad terras gentesque) *vel poſſibilis ſit, vel, ſi eſſet, juſta & licita haberi debeat?* Sententiam dixere univerſi pæne Europæ Principes, liberrima ſeveritate damnantes, qui aliquid tale probatum ac defenſum ibant.

IV. Conſiderantibus præterea paulo intentius, hanc de dominio in certam maris partem controverſiam, conſtabit: *non tam de dominio, quam de dominii effectu plerosq; qui in negantem eunt partem, ſolicitos eſſe.* eſt enim humanæ vel cupiditatis vel elationis hic mos, ut quicquid ad imperium vel dominium pertinet, ampliſſime interpretetur. nec deſunt fere Principibus repertores titulorum, colorum, argumentorum, quibus id propoſitum ſtabiliri videatur. quo fit, *ut qui alicujus freti ſe dominos ferunt, nihil ſibi non licere putent in exercendo jure in omnes eos, qui quacunque de cauſa hujus imperij limites ingrediuntur aut tranſeunt.*

Qua occaſione V. non intempeſtive forſitan aliquis ita annotaverit: *parum conſentire cum vera prudentia regulis, ſi talia in vulgus efferantur, jactentur, oſtententur.* Fingas enim, juris ejuſcemodi indubiam eſſe auctoritatem: erit tamen tota ea res ex illo genere, quod in arcano altiſſimo reponendum, multa ſunt, quæ ſuadent. quicquid enim ad omnes invidioſum eſt ac durum, variis diſſimulationibus abſtruendum eſt: ipſaque rei aſperitas humanitate verborum, & mutui commercii mitiganda.

Hoc ſicut probatiſſimi eſt conſilii, ita non dubitaverit aliquis VI. neceſſitatis etiam legem huc advocare, hunc in modum. Evolvantur omnium gentium annales & ætatum: *patebit, nunquam bene ceſſiſſe cuiquam talem jactantiam.* Niſi ergo

velis

velis mala supervacua in tuum caput attrahere, moderatius certe philosophandum erit.

Quid? quod *ipsius negotii natura* VII. *talis est, ut restrictius interpretandi necessitas neminem latere possit.* quod, ut clarius dicatur, sic poterit intelligi, si dominii imperiique maritimi talis esse conditio reputetur, quæ à cætero dominandi imperandique jure aliquid diversum habet. In cæteris enim non adeo multum aliarum gentium interest, quomodo dominium imperiumque in tua exerces. Quomodo verò maris imperio utaris, hoc ad omnes nationes pertinet, præsertim hodie, ubi totius orbis commercia, navigationis beneficio veluti perpetua serie cohærent. Quod autem omnes nationes suis utilitatibus obstare existimant, id absoluto & infinito unius populi arbitrio subjacere, injuriam interpretantur.

VIII. Exemplis nobilioribus res fit clarior. *Mercandi & negotiandi, itemq; ex una regione in aliam vel ob belli vel ob pacis negotia transeundi libera facultas, talis est, ut sine ea vix mundus videatur posse consistere. Itaq; causam hanc, favore plenam, divinis humanisq; literis assertum ire, in proclivi est.* Qui ergo jus sui dominii, rei tam favorabili opponit, is quantam difficultatum molem in se recipiat, in propatulo est.

Statim enim audiat necesse est, IX. *fines particulares,* (qui spectantur in dominio hujus vel illius) *fini universali, sine quo humani generis digna hominibus societas consistere nequit, ut concedant, optimi maximi juris esse.*

Et profecto hæc ratio X. apud plerosque prudentiores tanti potest momenti esse, ut *particulares illos dominii maritimi fines moderate, restricteq; ac interdum pæne dissimulanter tractandos esse,* arbitrentur.

Quæ enim XI. *de incolumitate & potentia domestica* ex diverso adferri queant, talia sunt, ut nisi modo & ratione, id est, moderatione nitantur, vim argumenti habere nequeant. Tum enim incolumitatis rationibus postulantibus, aliquid dicitur fieri, quando aliter salvi esse non possumus. Sed quæ ad potentiam, viriumque & opum amplificationem pertinent, ut minus favoris, ita minus juris putantur habere. Non est interim hodie inusitatum, ut incolumitatis obtentu præscribantur.

bantur, quæ ad opes & amplitudinem civitatum pertinent.

Interea XII. dememinisse non oportebit: *hanc controversiam de dominio maritimo vix unquam hodie ad liquidum deduci*; etiam ubi non deest rationum copia aut exemplorum. *semper enim fere aliquid hic dissimulari solet: semper item opera datur, ne plurimarum gentium contradictio irritetur, aut in disputationem cum plurimis gentibus descendatur.* Ita fit, ut mutuis prudentiæ mysteriis, & occultis rationibus status, ad usum potius reipublicæ quam ad titulos & schemata in vulgus proponi solita, pleraque vis hujus argumenti referatur.

Non possunt illustriori *exemplo* demonstrari, quæ diximus, quam *Hanseatici Fœderis.* Coierunt in id fœdus civitates partim in imperio Germanico, partim extra id, arctissima societate. condiderunt sibi leges, instituerunt magistratus, judicia, archivum. Causa & origo, commerciorum libertas. Cui adeo non intercesserunt vicini Principes, ut ultro privilegiis & immunitatibus auctum irent. Si causam quæras hujus favoris, potiorem haud dubie invenies nullam, aut priorem, quam vim naturalem illius juris, quod mercibus permutandis aut transferendis debetur: Unde etiam, si paucissimas nationes excipias, plerique omnes populi pro libertate illa exigenda & invicem danda consenserunt: Non obstante dominio maritimo, quod illis aut istis in locis de cætero asseritur. Scio & alias fuisse causas, cur Principes Hanseaticæ isti societati (*Thuanus Teutonicam vocat*) ab initio faverent, suasque lib. 51. inde opes & copias amplificare cuperent. Sed ipsa ratio consociationis illius talis est, ut citra dissimulationem imperii maritimi, alias passim affectati, concedi ac foveri non potuerit. factumque est, quod dicimus, ut ornaretur Hanseatica societas ab iis, qui non poterant non prævidere, ad tantum potentiæ eam processuram, ut Principibus formidabilis existeret. Id cum postea usu venit, non potuit tum demum tota societas factionis & conspirationis nomine designari. Ad quod crimen solide responsum est ab ipsa Societate anno hujus seculi nono. Extat seorsum, & apud *Joh. Angelium à Werdenhagen tractat. 6. de civitatum Hanseaticarum antiquo & nobilissimo fœdere.* addi potest *Limnæus I. P. 7. c. 1. 79. & seq.* Illud 1609.

 interim

interim nemo negaverit, Principes maritimos retinuisse opinionem de jure resistendi & declinandi, si possent, quæ fiducia virium insolentius & amplius quam par est tentarentur. Id jus tamen sæpe dissimulandum & in occasiones opportunas differendum fuit. Quod si nunc de instaurandis opibus Teutonicæ Hansæ (cujus vix umbra reliqua est) ageretur, non est dubium, quin ex præteritorum usu, præsentia & futura paulo aliter ordinarentur, quantum ad Principum jura attinet.

Hac occasione illud quoque observatu dignum est, quod *consuetudinum maritimarum & nauticarum*, quæ subinde in jus evaluerunt, non aliud potest principium dari, quam consensus quidam hominum prudentum, qui navigationibus & itineribus maritimis inde ab antiquo utebantur. atque ita *Consulatus Maris* (c.44.) bonas consuetudines maritimas, *ex regulis sapientiæ, jam inde ab antiquo per prudentes viros commerciis maris utentes tradita*, repetit. unde hoc saltem liceat colligere: semper aliqua ejusmodi placita communi gentium consensu valuisse, quorum usus non tam à particulari dominio maris aut legibus per dominos maris particulares latis, quam ab illo quasi communi jure derivaretur. imo (quod observatu forte non indignum est) pleræque leges maritimæ à particularibus maris dominis latæ, veluti normam communium illarum consuetudinum, sive rationem illam universalem sequebantur, aut ad eam dirigebantur.

Hæc licet ex usu temporum & negotiorum, tum pro diversitate ingeniorum, diversis plane modis vel explicentur vel allegentur, ignorari tamen & negligi nunquam debent, quocunque etiam scopo quæstio hæc tractetur.

III.

Minos imperium maris, justis, fortibus, & felicibus armis conservavit & munivit.

Non ignavia contineri magna imperia, virorum armorumque faciendum certamen, vere dictum putabimus à Tiridate apud *Tacitum*; si omittatur, quam ille addit, interpretatio: *id in summa fortuna æquius quod validius; & sua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse.* Hoc proposito detracto verissimum

XV. Annal. cap. 1.

mum est, imperium maris iisdem artibus optime retineri, quibus ab initio partum est. Vix autem aliter, quam armis parari potest & solet. Sicut ergo Minos, apud *Diodorum Siculum*, primus imperium maris idonea classe constructa obtinuisse dicitur: ita, apud *Eundem Scriptorem*, per copias terrestres & navales, sive, per Exercitus & classes conservasse memoratur. lib 4. lib. 5.

Scilicet maris domino incumbebat, curam agere navium exstruendarum; quarum & firmitas, & numerus, & agilitas proposito responderet. Pertinet huc Dædali artificium, qui navibus quasi alas accommodavit, invento velorum usu. *vid. Morisoti orbem maritimum lib.1.cap.* 1. ad hoc exemplum qui imperium maris firmum cupit, studiis nauticis debet animum accommodare; idoneos nautas & remiges legere, eosq; crebro exercere; machinas ad rem nauticam vel excogitare vel emendare; illisque, qui hoc faciunt, præmia constituere; ad usum ista magis quam ad pompam r fe re. Ecquid enim immanium navium moles, aut lusoriarum spectacula? perit reipublicæ pecunia, quæ in veros usus classicos opportune i sumi poterat.

Faciunt huc studia mathematica; unde inexhausta prodit ad rem nauticam vel instaurandam vel amplificandam sollertia. Incredibilium tamen cupitor aut molitor, non debet esse dominus maris. Dicamus exemplum nostri ævi. Reperti sunt hodie illustres mathematici, qui varia ad rem nauticam commenta longeque utilissima proferrent. Sed quod nonnulli etiam polliciti sunt, *navem sub undis natantem, & integras navigationes submarinas*, id jam non Dædalei operis, sed fortasse Icarii conatus specimen videtur. Descripsit rem quidem valde plausibiliter *Mersennus in Cogitatis Physico mathematicis*: sed consultius forte fuerit, alia operis illius, nobilissimi sane, argumenta amplecti, quam huic cogitationi animum accommodare.

Studium rei nauticæ sive militiæ navalis in Minoë comitatur & ornat *justitia bellandi*: à qua præsertim commendatur. Unde belli, quod Minos cum Atheniensibus gessit, justitiam, non tantum agnoscit *Plato in Minoë*, sed etiam inde demonstrat *Plutarchus in vita Thesei*, quod Athenienses oraculo

jussi sint Minoi, juste ipsos impugnanti, satisfacere. Et *Ovidius* itidem justitiam ejus celebrat, proditricem præsertim patriæ aversantis *lib.* 8. *Met. fab.* 1.

Justitia hæc in bello non tantum suscipiendo, sed & gerendo finiendoque æstimatur. Qui enim injustè aliis bella inferunt, licet ad tempus videantur lucro exoptato potiri, tandem fatali infortunio mactantur; intereuntque, qui aliorum interitum per fas & nefas moliti sunt. In ipso autem bello, qui omnia sibi licere autumant, crudeles habentur & immanes, & plus invidiæ quam potentiæ sibi comparant. Qua de re graviter disputat *Cic. lib.* 1. *officiorum.* Debet nimirum dominus maris cum Minoë, discipulus Jovis esse, sive disciplina perfectæ sapientiæ uti (id enim vult fabula) ut divini humanique juris reverentiam custodiat; neque à norma accuratæ justitiæ uspiam discedat.

Inter jura belli præsertim est jus victoriæ. quod, sicut temperamento opus habet, ita in universum repudiari non potest. Durum quidem videtur in bello finiendo leges à victore accipere: sed pax plerumque non aliter firmari potest. More igitur Philosophi loquutus est *Poëta* de Minoë, post victos hostes domum reversuro:

Ovid. Met. l. 8. fab. 1.

—— ut leges captis justissimus autor
hostibus imposuit, classis retinacula solvi
jussit.

Quasi diceret, victoriæ partæ fructum in dispositione pacis contineri. si nimirum victor victis leges dicat, seu victos legum vinculo sub imperio suo contineat.

In iis, quæ victis imponuntur, *Tributa* sunt; omni jure concessa victori, si modus adsit. Apud *Tacitum* Cerialis ad Treveros & Lingonas in ditionem Romanorum pridem redactos: *jure victoriæ,* inquit, *id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur.* Atque ne ullum de jure tributi à victis exigendi, dubium superesset, gravissima philosophia seriem totius negotii in hunc modum ostendit: *nam neque quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis; neq; stipendia sine tributis haberi queunt.*

4. hist. c. 74.

Sæpe quidem querelas moveri videas à victis, imperium victoris rigida cervice subeuntibus, & tributorum onera detrectantibus; sed id more potius humani ingenii ad omne domini-

minium refractarii, quam jure, plerumque fit. Satis exempli in Minoë est, qui, cum Atheniensibus victis, jure victoriæ tributum annuum, pro consuetudine ævi, neque novum neque nimium imposuisset; immerito male audiit: dum Attica dicacitas non tantum varia movendæ invidiæ commenta in vulgus dispersit, sed etiam ad posteros monstrosas ea de re confinxit fabulas. Juvenes enim & puellas, qui Minoi annuo tributo tradebantur, monstro objici & in Labyrintho perdi ementiebantur. cum Labyrinthus nihil fuerit aliud quam custodia, ubi asservabantur juvenes illi & puellæ; neque Minotaurus quicquam monstri habeat. Fuit enim Taurus apud Minoëm inter præclaros Duces, qui præmii nomine in certamine Gymnico accepit Atticorum liberos. Sicut apud *Plutarchum in vita Thesei*, & apud *Platonem in Minoë*, egregiè ista partim explicantur, partim excusantur. Addenda sunt etiam *Palæphati incredibilia* titulis, qui huc pertinent.

Non diffitendum est equidem, Minoia bella, si de accuratiore descriptione sermo sit, per summam potius quam per singulorum notitiam momentorum ad nos pervenisse. Sed *Platonis* testimonium omni exceptione majus est: qui & consuetudinem Atticorum in criminando ostendit; & in locum communem ea causa digreditur, quæ soleat illos fama manere, qui cum civitate doctorum hominum ferace contendunt. Quid? quod ipsi Attici Poëtæ Poëtis popularibus, aliisque scriptoribus contradicunt? Dum enim tradunt injustum & immanem fuisse Minoëm, magno interim applausu accipiunt, & propagant fabulam de Minoë, ante susceptum imperium Jovis disciplina educato; post excessum, Jovis sceptrum & splendidissimum judicis apud inferos munus adepto. Ex eodem ore laudes & ignominiam videmus proficisci. Exprobrat hoc Græculis *Jarchas* Indorum sapientum Princeps, apud *Philostratum de vita Appollonii Tyanei lib. 3. cap.* 7. & ad corrumpendos bonos mores pertinere istam philosophiam, increpat. *Poëtarum*, inquit, *apud vos principes, bonos vos esse, etiamsi vel maxime cuperetis, non sinunt. Minoi enim mortalium sævissimo, qui navibus suis plurimos, partim in insulis, partim maris accolas servitute oppressit, sceptrum justitiæ tradunt, eumque apud inferos anima-*

rum judicem collocant. Non est dubitandum, quin respiciat, ad criminationes quorundam Atheniensium, qui subactas Insulas, aliaque loca in ditionem redacta, ut injuriam & sævitiam interpretantur. Quod si velis concedere, ipsius Jarchæ hoc judicium esse, atque in auctoritate tanti Philosophi plurimum reponi debere asseras; nondum videmus cur maledicentibus potius auscultandum sit, quam bene interpretantibus. Non latet nos consuetudo veterum quorundam, nimis abruptè omnia bello quæsita damnantium, & suspicaci supercilio non tam causas belli reputantium, quàm præmiis victoriæ invidentium. Estque proprium magnæ fortunæ fatum, ut pro bene factis male audiant præcipui Regum omnis ævi. Infirmiori parti, non tam judicio, quàm impetu favetur, licet satis ut plurimum constet, ipsos facturos fuisse, quæ passi sunt, nisi à viribus & occasione fuissent defecti, prorsus quasi fortuna favendo nocentes faceret; adversando innocentes testaretur. Longe rectius fecerit, qui *Diodorum* audiat, Minoëm ab alio objecto crimine ita purgantem, quod consensu omniũ ei tribuatur δικαία προαίρεσις καὶ βίος ἐπαινούμενος, *justitiæ & laudatæ vitæ studium.* Quinimo non desunt vestigia nos eo ducentia, ut credamus, nimia bonitate Minoëm peccavisse, eâque re exitium sibi conscivisse, justæ eum caussæ adversus Siculos, Dædali receptatores, armaverant. quo nomine magnam & fortitudinis & justitiæ gloriam reportasse, *Diodorus* ait. Sed cum Cocalus Siciliæ Rex armis desperaret, ad fraudes conversus, hospitalitatis obtentu virum optimum in perniciem præcipitavit. Sicut amplius memorant *Diodorus Siculus lib.* 4. *Conon* apud *Photium*, narratione 25. *Herodotus lib. 7. cap. 70.*

IV.

Minois imperium maritimum tam bonis rationibus suaderi, quam Atheniensium potentatus maris, ab Isocrate postea dissuaderi, potuit.

hist. nav. antiq. l. 1. c. 5. Argumenta ab *honestate* & *æquitate* petita jam vidimus, quantum ad Minoëm. *Facultatem*, vel situs Cretæ ostendebat. nam loci *ea erat opportunitas* (sunt hæc verba *Thomæ Rivii*) *ut ad*

ad maris imperium pæne natus fuisse videretur. nam & toti mari undique imminebat, & aberat inde brevi spatio, hinc Græciæ, illinc Asiæ litus: in quibus degebant populi numero infiniti, viribus infirmi, suis legibus, suisque urbibus vivere contenti, sed qui in commune nihil adversum communem hostem consulere didicerant: ex quo facilem Minoi ad imperium maritimum obtinendum viam patuisse docet Philosophorum princeps Aristoteles. Desumsit hæc omnia *Rivius* ex *Aristotelis* 2. *Polit.* 8. (aliis 10. caput est) sed non satis retinuit *Philosophi* mentem. De imbellia enim Græcorum populorum, nihil dicit; neque Minoëm hinc imperii constituendi occasionem, sed potius ex opportuno situ desumsisse ostendit. multo minus, suis legibus suisque urbibus vivere contentos, illos populos maritimos laudat. nam hoc esset, eadem opera Minoëm accusare, tanquam quietos & justos populos per injuriam subegisset. *Aristoteles* autem, tantum de facultate agens, aliquos maritimorum populorum à Minoë subactos (caussæ potuerant esse justæ ut supra ex *Thucydide* attulimus) in aliquas autem insulas, citra bellum scilicet, colonias deductas esse docet. Aristoteli addendus est *Strabo lib.* 10. Alteram partem facultatis, melius deducit *Rivius* ex majorum Minois profectu, qui jam disciplinam nauticam impense coluerant. Fuitque hæc quasi fatalis epocha imperii maritimi Cretensis, qua Minos, disposita divinitus & præparata tantæ rei præsidia consummando operi adhibuit. Itaque qui suadere voluisset tum imperii maritimi constitutionem, egregie ita potuisset ratiocinari: non frustra divinitus Cretensibus contigisse viros Heroico ingenio consilioque præditos, quorum ut cætera præclara facinora; ita studia nautica imitari, perficere, superare, æquum esset. Cum præsertim inter primas Regum curas esse debeat, decessorum suorum, aut majorum, nationis denique suæ profectum implere atque consummare. De *utilitate*, in consilium adhibenda supervacaneum est dicere. & jam antea demonstratum est, non ad Cretensis modo Regni amplitudinem, sed, ad vicinorum quoque utilitates maritimum Minois imperium pertinuisse.

At *Isocrates in oratione sociali* sive *de pace*, Athenienses graviter dehortatur ab imperio maris amplius affectando: argumentis

tis ita dispositis, ut *primo* ostendat, *sine injuria parari id non posse. quod enim,* inquit, *in Lacedæmoniis carpsimus, hoc in nobis æquum putari non debet.* Hæ duæ civitates de Principatu maris diu concertarunt: eoque tempore, quo Lacedæmonii prævaluerunt, Athenienses missis ad alias Græcas urbes & Regem Persarum legatis questi sunt: *Principatum maris pugnare cum libertate Græciæ, quæ scilicet esset optimi juris; neq; fas esse, ut, qui plus possunt, infirmiores imperio premant;* Deniq; *nec utile publice futurum, si una civitas Græciis dominetur.* His querelis adjecta sunt arma, quibus dominium maris à Lacedæmoniis vindicatum impugnaretur. Unde validè inferre potuit *Orator: nullo jure affectari, quod ut iniquum verbis armisq; impugnatum sit.* Cum præsertim Athenienses in illa adversus Lacedæmonios lite, juris naturalis, libertati Græciæ faventis, & omne dominium ejuscemodi aspernantis, speciosissimum titulum magnifice ostentarent.

Hinc progreditur ad alteram sui consilii partem & ostendit: *Athenienses imperium maris ne posse quidem constituere.* primo enim, *opes*; deinde *mores* deesse, quibus Principatus maris obtineri queat. De opibus facile potuit fieri judicium in hanc sententiam; *Si opes nostræ & pecuniæ, cum adhuc majores essent, non suffecere ad tuendum maris principatum; quomodo nunc sufficient ad parandum, quando ærarium nostrum exhaustum depletumque est.* Accedit, *quod ad magnas res consequendas patrandasq; magnis opus est virtutibus & moris emendati disciplinâ;* qualis apud Atticos forte viguerat, cum magnam sibi olim potentiam compararent.

In tertia consilii *parte*, imperium maris, *maxime noxium Atheniensibus fuisse,* ostendit. Hinc enim ad *luxuriam* descitum omnemque virtutem civium enervatam fractamque esse: ortâ domi & foris tuendarum opum negligentia, actusque strenui ac efficacis inertia: nec interim ab *avaritia* cessatum: dum aliena immensum appetuntur; longinquarum rerum curâ, pericula domestica arcessuntur; crebrisque expeditionibus, ipse flos reipublicæ & quicquid roboris erat, exhauritur. Hinc non potuit non gravissimum in Athenienses *odium* inflammari apud cives & exteros: neglectâ enim justitiæ & fœderum religione, multa in omne genus hominum, superbè, impotenter, sæve, ac proterve gesta. Quæ omnia egregie denarrat, &

Lace-

Lacedæmoniorum exemplo, quibus & ipsi potentatus maris noxius fuerit, illustrat *Orator*.

Verumenimvero, quæ postrema dicuntur, debilia ferè sunt. abusum enim imperii maritimi, non usum attingunt; possisque eodem modo omnem adipiscendæ felicitatis curam dissuadere, quia secundis corrumpi solent homines. Ergo tam ineptus Isocrates, non prudentiæ modo, sed ætatis provectæ homo cum illa scripsit? Minime vero. Dictum est de vi argumenti, cum in se spectatur. de quo longe aliter existimandum est, si consideremus, ad quos, quo tempore, quibus propositis, enuntiatum sit. Erant revera Athenienses, appetendis, addam, si ita videbitur, & consequendis magnis opibus promti. sed in usum & decus vertere parta, aut nulla illis, aut brevis solertia fuit. præsertim ex quo pravitas morum semel ita infecit civitatem, ut nec sustinere pristina vitia posset, nec emendare vellet. Quid melius suaderi potuit, quam ut desinerent, qui deficere properabant? Non est plausibile hoc genus consilii. magis placet ex pertinaci temeritate petitum: Tyrannidem nemini nisi pedibus tracto derelinquendam. Ita nihil medium in medio est, nec inter præcipitia quicquam tuti.

Quæ de jure & injuria dicta sunt, eo plus habere auctoritatis debent, quo accuratius reipublicæ suæ mysteria, & consiliorum arcana, introspexit Isocrates. Scilicet obtentu æqualis fœderis, & societatis pro Græciæ libertate tuenda initæ dominari sociis studebant, in quo & fidem violabant, & communem Græcarum civitatum hypothesin, de sua cuique libertate conservanda, conculcatum ibant: id est, tales adversum se irritabant sociorum querelas, quales ipsi postea adversus Philippum Macedonem, ut justissimas, Soli & Lunæ commemorabant.

Facultati quoque ratiocinandæ non minimum hinc roboris accedit. Neglecta incuriosis, non fefellit cautissimum Oratorem, prudentia, mores civitatis & justitiam caussæ non minus imo haud paulo plus posse in amplificandis rebus, quam ferrum & aurum, & copias virorum. nunquam periculosius magna tentari, quam, ubi amissa virtute & bonis

artibus, eadem, quæ prius, audendi dominandique libido permanet. denique ubi fatalis ante actorum pœna in cervicibus est, non nisi per furorem, fatum denuo provocari; id est, operam dari, ut fortuna civitatis fastigio suo jam depulsa à mediis ad ima præcipitetur.

In quibus omnibus, gravissimus Orator consultandi de Republica auspicium, à virtute & reverentia Divini Numinis, (cujus neglecti gravissima & exitialis civitatibus pœna est) repetendum sibi existimavit: inanemque & temporariam utilitatis speciem, cui ambitiosa ingenia inhiant, à solida reipublicæ felicitate, & duraturis commodis sedulo distinxit.

Quantum vero ista à Minois consiliis & Cretensi exemplo abeant, abunde demonstratum puto. Tempus quoque plurimum discrepat; quo nimirum Minoia fata in profectu, Attica in deliquio, per totam rerum causarumque seriem, versabantur.

V.

Nec Jasonis & Argonautarum gloria ejusdem generis est, cum instituto Minois, quantum ad imperium maris.

Argonautarum expeditionem, ejusque Ducem Jasonem, integro amplius sæculo juniorem faciunt Minoë, Chronologi. Petavius ponit ad annum *periodi Julianæ* 3451. *Mundi* 2721. ante *Christum natum* 1263. non dissimulans tamen, cum hoc calculo non convenire, quæ de Helenæ fratribus traduntur. *Thomas Rivius* similibus dubitandi caussis inductus, *Jasonem & Minoëm eodem tempore floruisse, & è duobus Jasonem ætate majorem fuisse*, contendit. Quod nunc in medium relinquitur: ubi facta & consilia Heroum, non tempora comparantur. Est autem omnis de Jasone historia ita impedita fabulis & obscurata, ut ad liquidum deduci paucissima queant. Illud videtur omnino de Argonautica expeditione existimandum: Missum Jasonem (seu sponte sua animum hûc adjecit) in longinquas oras, opes raræ nobilitatis, aut thesaurum fama celebratum noscendi acquirendique caussa. Auctores præcipui è Græcis *Apollonius Rhodius*; è Latinis, *Valerius Flaccus*, Poëtæ,

In doctr. Temp.

hist. naut. antiq. l. 1. cap. 7.

tæ, *Argonauticorum* opere clari: quibus addendi sunt *Appollodorus, Herodotus, Diodorus Siculus, Ovidius, Justinus.* Quod si quis disputationem eam hic ingredi vellet, quo jure quave injuria, ad aureum vellus reportandum Argonautæ profecti sint, animadvertet historiæ deliquia, & exinde ad directam planamque sententiam pronuntiandam impedimenta. Longe certe aliud est, cupidine & fama divitiarum longinquas expeditiones adversum eos, à quibus nihil injuriæ acceperis, suscipere; aliud justo bello victis populis dominari, imperiumque apud maritima firmare. neque quisquam unquam audiendos putavit Græcos, cum adversus Barbaros bellandi jus à natura sibi datum inani prætextu jactitarent. hoc enim si admittamus, omnium inter se gentium bella existerent: nec minus pro barbaris habebuntur, qui barbarorum vocabulo alios contemnunt. Huc respexisse arbitror eos, qui Jasonem vellus quidem aureum rapuisse, sed cum eo Medeam, id est, domui suæ incendium & pestem retulisse ita interpretantur, tanquam hoc augurio significaretur, longinquis navigationibus magnas quidem opes, sed simul ingentia generi mortalium mala comparari. Ad argonautas veteres non inepte contenderis Indicanas navigationes, obtentu vario, sed revera, cupidine divitiarum, plerumque susceptas. Et res ipsa quidem, si per commercia cum longinquis & opulentis gentibus, reipublicæ opes & subsidia parantur, non parum favoris habet. Sed accedunt multa, quæ prudentium animis rem aliquando suspectam aut invisam faciunt. Itaque cum superiore seculo Franciscus Dracus orbe terrarum tribus plus minus annis circumnavigato, magna cum gloria domum rediisset, non defuisse *primarios aliquot in aula* Anglica *viros, Camdenus* refert, *qui allatum ab eo aurum respuerent, quasi scelere piratico quæsitum.* constet licet, potiorem prædam tum de Hispanis actam; quorum navigationes Indicanæ non levibus de caussis jam pridem in odium apud omnes venerant. Admonuit me Hispanorum mentio, ut de portentosa illorum circa hoc negotium philosophia cordatum Semiramidis Anglicæ, Reginæ Elisabethæ judicium, ex eodem *Camdeno* annotem. Cum enim Hispani per Legatos res repeterent, & Oceanum Indi-

1580. in Eliza. part, 2.

cum ab Anglis navigari conquererentur; Regina respondit: *Hispanos iniquitate in Anglos, quos commercio contra jus gentium prohibuerunt, hac sibi mala accersisse. Dracum præsto futurum ut in jure respondeat, si quid contra jus egisse certis indiciis & testimoniis convincatur. Opes illas eo consilio sepositas esse ut Hispano satisfiat: licet Regina grandiorem pecuniam, quam Dracus intulerit, contra rebelles, quos Hispanus in Hibernia & Anglia excitarat, profuderit. Prætereà, Reginam non intelligere cur sui & aliorum Principum subditi ab Indiis probibeantur. quas Hispanici juris esse, persuadere sibi non posset ex Pontificis Romani donatione: in quo prærogativam in ejusmodi caussis agnoscat nullam, nedum auctoritatem, ut Principes obligaret, qui nullam ei obedientiam debent: aut Hispanum Novo illo Orbe quasi infeudaret, & possessione investiret. Nec alio quopiam jure, quam quod Hispani hinc illinc appulerint, casulas posuerint, flumen aut promontorium denominaverint; quæ proprietatem acquirere non possint. ut hac rei alienæ donatio, quæ ex jure nihili est, & imaginaria hac proprietas obstare non debeat, quo minus cæteri Principes commercia in illis regionibus exerceant, colonias, ubi Hispani non incolunt, jure gentium nequaquam violato, deducant: cum præscriptio sine possessione haud valeat; nec non Oceanum illum vastum libere navigent, cum maris & aëris usus omnibus sit communis, nec jus in Oceanum, populo aut privato cuipiam possit competere, cum nec natura, nec usus publici ratio occupationem permittat.* Quæ ex *Camdeno* etiam *Thuanus* descripsit lib. 71. Pontificiæ donationis auctoritatem, qua formula & solennitate, allegare soliti fuerint apud Americanos Hispani ex *Herrera* etiam *Johannes de Laet in nov. orb. introduct. generali*, consignat. Sed nos relictis, quibus sæculo illuditur, prodigiis, lubenter sane, pulcras complures & memorabiles, circa navigationum & coloniarum Indicanarum negotium, quæstiones attingeremus, nisi modus instituti & temporis calamum sisteret. Deo gloria!



XXXVII.

Τὸ πρεσβεῖον τῶν κηρύκων.

sive

SA-

SACRA LEGATIONIS.

I.

RAtio tituli ante omnia reddenda eſt. Græcam inſcriptionem ſumpſi ex *Euſtathio in Homerum*, qui ad Iliados p. 83. Edit. Baſil. annotat. *ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ πρεσβεῖον τῶν κηρύκων δηλοῖ καὶ Ἡρόδοτος κτλ. Sciendum autem, quod & Herodotus prærogativam Legatorum ſignificat, quando dicit &c.* Πρεσβεῖον enim hoc loco Prærogativam notat ſingularem, & quidem ſanctimoniâ quadam cenſendam. Unde multa & hic, & ad nobilem illum verſum, qui eſt Iliadis α. 334.

> Χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
>
> *Salvete Legati, Jovis ſimul & hominum ſive Principum nuncii.*

Annotatur ſingularis Legatorum ſanctimonia, ſive eorum progenies (Cerycum Familiâ, Mercurio Deo Deorumque Legato progenita, ſati credebantur) ſive functiones obeundæ, ſive Jura Legatorum Legationumque ſanctitas ſpectentur. Unde videatur aliquis non ineptè Latinam interpretationem adhibere poſſe ex *Taciti Annal.* 1. 42. ubi *Sacra Legationis* eodem ſenſu legimus. Ita placuit inſcribere, quæ de Legatis & Legationibus pro captu ingenii & ſtudiorum in chartam conjeci, quibus, Lectorem, ut faveat, veneror.

II. Legati, ut omiſſis aliis præloquiis ab etymologia noſtra incipiat Diſputatio, vel à legando ſive mittendo (hinc enim relegare ſæpiſſimè in Jure Civili, & ablegare,) vel à legendo, quod Varro exiſtimat, nomen acceperunt: cùm præcipui è civibus, virtutibusque clari, & huic muneri capeſſendo præ reliquis apti, legi ſoleant debeantque, Electio enim optimum quemque invenit: & magis in cujusque vitam famamque penetrat judicium Reip. quàm *ſors & urna, quibus mores non diſcernuntur.* Tacit. l. 4. Hiſt. c. 7. Gravis enim hæc functio, nec niſi lectiſſimis mandanda.

III. Verùm multifariam Legatorum nomen accipi ſolet. Dicebantur enim antiquitus quoque legati, qui unâ cum Pro-

consule in Provinciam, ut negotiorum publicorum administri, mittebantur; potestate tamen non absolutâ, sed aliunde dependente præditi, nisi à Cæsare ad corrigendas Provincias mitterentur: tunc enim laxior illis agendi jurisque dicundi potestas data. Erantque vel Consulares, vel Prætorii. Consulares toti Exercitui præerant, ut constat passim ex Livio; isti singulis Legionibus, idque Augusti invento, qui eò majorem cuncta dispensantis Imperatoris dignitatem fore existimabat, quò minus ambitiosis vocabulis impositi Provinciis Duces splendescerent. Ita nec triumphare his licebat, cum omnia auspiciis alienis gererent. Sed hæc multum diversa à nostro proposito vocis sumptio. Legatos enim nos dicimus, qui publicis Principis vel Reip. mandatis instructi, magnâque auctoritate nec violandâ unquam pollentes, extra patriam dimittuntur.

IV. Dicuntur autem modo *nuncij*, ut à Cicerone alicubi; modò *oratores*. &, ubi bellum indicendum, fœdus faciendum aut pax ineunda, *caduceatores aut feciales*. Fecialium jus admodum est antiquum, & à Numa Pompilio Rege apud Romanos institutum videtur, exemplo ab Æquicolis sumpto, apud quos videtur primum jus feciale sancitum. Nomen accepisse videntur *Varroni* ex eo, quod fidei publicæ præessent. *Sextus* vero *Pompejus* potiùs existimat, eos à jure bellum pacemque faciendi denominationem traxisse. Ritus autem ineundorum fœderum hi erant: Fecialis, sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter Patres convenerat, erectus & fidens animi, altâ voce in hæc verba exclamabat: *Si sine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio. Dii mihi cuncta præstent felicia: sin aliter aut ago aut cogito, cæterù omnibus salvis, solus ipse peream, ut lapis hic è manibus meis decidet.* Nec locutus plura manu lapidem excutiebat. *Cal. Rhod. l. 21. c. 15. Lect. Antiq.* Sed & horum erat, belli indicendi ministeria exequi: quando sincera adhuc & innoxia Pastoriæ illius sectæ integritas nullum bellum justum putabat, nisi quod aut rebus repetitis gereretur, aut denunciatum antea esset & indictum. Formula, recensente *Gellio l. 16. c. 4.* (quamvis paulò aliter conceptam apud *Livium lib. 1.* legam) talis erat: *Quod Populus Hermundulus homi-*

hominesque Populi Hermunduli bellum fecêre deliqueruntque, quodque populus Rom. cum Populo Hermundulo hominibusq; Hermundulis bellum jussit, ob eam rem ego Populusque Rom. Populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum indico facioque. Brisson. l. 4. de Formul. Popul. Rom. Sollemniter ita & publicitus denunciatis armis,

Tunc certare odiis, tunc res rapuisse licebat.

Caduceatores vocari, qui ad pacem mittuntur Legati, *Cel. Rhod.* testatur *d. l. c. 6.* Appellabantur Græcis κήρυκες. Cerycium enim lignum erat rectum, utrinque duos continens serpentes implexos invicem, ita ut se mutuò & ex adversum intuerentur, quales Græci dicunt ἀντιπροσώπους. Ferebant id caduceatores pacem publico nomine inituri,& inde illis injuriã intulisse maximum habebatur nefas. Unde & *Eustathio* ἄσυλοι appellantur, quòd crederentur esse Θεῖον γένος. Nostro ævo vix species quidem sanctissimi hujus muneris extat; quum impetu plerumque ruimus in arma, non verâ vincendi viâ. Extincta (eheu! & apud nos, qui quâdam præ his eminentiâ Christiani vocamur) cum ipsis celebratæ simplicitatis moribus vitæ sanctitas. Initia bellorum iniqua; perinde fines. Et ea demum fortitudo vocatur, cum insidiis, proditionibus, perfidiâ hostes superâris, improvisosque in suo solo & nil tale metuentes occupâris.

V. Legatorum originem ad ea tempora refero, quibus finita est aurea illa ætas; quâ nondum auri sacra fames, nondum Principatûs ac dominandi cupido, mortalium animos ad invadendas finitimorum terras impulit,

Nullaque mortales præter sua littora nôrant,
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat: sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes:

Ovid. l. 1. Metamorph.

Μηδεμίᾳ ξενιζόμενοι ψυχὴν φροντίδι, ait Josephus. Hi enim mortalium, *nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, atque sine coërcitionibus agebant, nec quidquam contra morem cupiebant.* Tacit. l. 3. Annal. Ubi plus boni mores valebant, quam hodie

bonæ

bonæ Leges, & justitia Gentium ingeniis colebatur, non Legibus. Verùm, postquam exui æqualitas, ac pro modestia & pudore ambitio, vis & habendi libido incedebant, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Tum provenêre bella, & per omnia secula terris omnibus continuata calamitatum heu quantum! in miserum mortalium genus effuderunt; ita ut plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio rapuerit; quæ gravis est *Justini* Historici sententia. Hinc rerum repetendarum; aut, si hoc secus caderet, indicendi belli per publicos præcones apud omnes pæne gentes consuetudo inolevit: hinc fœderum faciendorum, amicitiarum contrahendarum, pacis ineundæ mos per lectos viros, quos nos Legatos generali cognomento appellamus. Nullus enim bellorum finis futurus esset, eoque infinitis incommodis subjiceretur vita mortalium, nisi personis quibusdam, nomine eorum qui bella gerunt, licitum esset securè colloqui, gravamina proponere, & de pactis deliberare.

VI. Suscipiuntur legationes tot ob causas, quot inter gentes vel eorum Rectores negotia possunt intercedere; sive bonum publicum directè, sive solorum Regentium utilitatem spectent. Hodie sine modo & levi quacunque ratione sumuntur. Sunt, qui rebus afflictis ad auxilia apud finitimos quærenda mittuntur, sint illi socii, sive nullo aliâs necessitudinis vinculo connexi. Talis fuit legatio Eumenis ad Antipatrum apud *Justin. l.* 14. *c.* 2. Alii bello indicendo, rebus repetendis, induciis paciscendis, paci contrahendæ adhibentur, dicunturque Feciales vel Caduceatores, de quibus Thes. IV. Alii, per quos in societatis fœdera alligarentur, Legatos invicem mittunt: quorum infinita in Historiis exempla. Alii conciliandis exterorum vel etiam ejusdem secum fœderis sociorum inter se animis mittuntur. Alii officii & honoris, utpote gratulandi, vel gratiarum agendarum pro acceptis beneficiis, vel donorum ferendorum gratiâ. *Sic*, cum mortuus esset Lusitaniæ Rex, Alexander Farnesius Belgii Gubernator, misso propterea in Lusitaniam Fabio Farnesio ad Cardinalem Henricum, *Sebastiani* Regis Patruum,

suum

ſuum illi in communi jactura privatum ex affine mœrorem, ſimul ob ſuſcepta Regni inſignia lætitiam teſtatus eſt *Strada Decad.* 1. *lib.* 10. *bell. Belg.* Et Maſiniſſæ Legati in Senatum introducti gratulati ſunt Senatui, quod Scipio proſperè res in Africa geſſiſſet. *Liv. lib.* 30. Saguntini, eodem Livio Auctore l. 28. ob hæc, quibus majora neque ſperare, neque optare ab Diis immortalibus poterant, gratias actum decem Legatos Romam ablegarunt. Hernicorum Legati itidem Romam miſſi donum ob concordiam Patrum & Plebis Jovi Opt. Max. Coronam auream in Capitolium tulére. *Idem lib.* 3. Principes quoque vel Reſpubl. pro quærendis ſibi vel totius Populi nuptiis mittunt Legatos, ut Cambyſes Rex Perſarum ad Regem Ægypti. *Herodot. lib.* 3. Romani ad Sabinos. *Liv. lib.* 1. Baſſianus Caracalla ad Artabanum Parthorum Regem. *Dion. lib.* 78. Alii auxiliis offerendis contra communes hoſtes: ut Galli Senones olim ad Dionyſium Seniorem Siciliæ tyrannum. *Juſtin. lib.* 20. *cap.* 5. Sic Philippus Macedo Romanis ad bellum contra Antiochum ſuſceptum auxilium, pecuniam & frumentum pollicebatur. *Liv. lib.* 36. Quin & ſedibus quærendis ab Helvetiis olim ad Julium Cæſarem; vel petendis ab exteris Legibus, à Romanis ad Athenienſes Decemvirorum dimiſſa Legatio. In fœderibus æqualibus vel inæqualibus de injuriis conquerendis ad totum corpus vel Principem fœderis Legatos ſæpe etiam miſſos conſtat exemplo Carthaginenſium, ob injurias Maſiniſſæ, ad Senatum Rom. teſte *Liv. l.* 42. Et aliorum ad eundem Senatum propter populationes Gentii Illyriorum Regis. *Liv. eodem lib.* Omitto de libera Legatione agere, utpote nec bono comũni, nec illius, qui ſumma poteſtate præeſt, utilitate ſuſcepta: ſed tantum, ubi quis privati commodi gratia, publica inſtructus commendatione, extra patriam abiit. Et tantum de nomine, origine & ſpeciebus Legatorum: de perſona eorum eſt ut jamjam dicamus.

VII. Quia fidos & negotiorum uſu exercitos multæque ſollertiæ capaces Legationis muneri legendos eſſe ad theſ. 2. diximus; cùm *magna negotia magnis adjutoribus egeant*; *Vellej. Patercul. lib.* 2. *cap.* 127. interſitque Reipubl, quod uſu

 neceſ-

necessarium, id dignitate eminere: qua de re prolixiùs disserens videatur *Lips. lib. 3. Polit. cap. 2.* Ideoque de virtutibus, quæ in Legatis requirantur, dispiciendnm nobis est. In eo tamen brevitati studentes, tum nè prolixitate fatigemus lectorem; tum quia dotes necessariæ ad negotia ista peragenda non possunt in compendium tam arctum conferri. Ante omnia verò imitandum Principibus Henrici III. Regis Galliarum exemplum proponimus, qui nullam negotiorum suorum partem cautius exigebat, quàm dilectum eorum, quibus ad exteros Reges aut Populos Legationem concrederet; reputans, illos venarum instar esse, quæ pro suo habitu occultam salutis aut morbi vim ex diverso tractu terrarum inspirarent in Patriam.

VIII. Primum itaque in Legato requiro, *ut gratus sit & acceptus iis, ad quos mittitur,* aptus scilicet alliciendis in sui favorem eorum animis, & contrahendarum conservandarumque amicitiarum peritus. Et hanc virtutem voco comitatem: removeoque à Legatis fastum & fœdam arrogantiam. Quum turbulenti impetu animi imperitiâque superba laborantes, hinc quidem asperiùs obloquendo, illinc verò renunciando, deterrimas sæpè turbas concitare soleant, quæ superfluæ initio, ex mutua contentione & subinde crescentibus caussis in necessarios motus exæstuabunt: cum *brevibus momentis summa sæpe verti possint.* Tacit. lib. 5. Annal. c. 4.

IX. Secundo loco ipsis commendo *fidem & integritatem*, quâ privato usui Reipublicæ bonum anteponant. Ubi enim hi se priùs, quam Dominum suum fidemque respiciunt, Patriæ dignitatem & consilia produnt. *Fides*, ait Seneca, *sanctissimum humani pectoris bonum est, quod nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, inquit, occide, non prodam. Sed, quo magis secreta quæret dolor, hoc illa condet altiùs.* Magna sunt, quæ Vobis introspicere licet, Reipubl. secreta; eòque majori custodienda fide: quâ Vobis sublestâ, *quid* tuti esse posset? Cavete, ne in quod vos fastigium Princeps vel Respublica extulêre, de eodem vos ipsosmet turpi perfidiâ dejiciatis. Huc refero, ne Legatus præter mandata agat quidquam, nec difficultates negotiis ex proprio sensu inge-

ingerat; ſed mandata mittentis pro ſumma agendi regula habeat. Tanti id olim apud Athenienſes erat, ut extremum ſupplicium Legatis in Arcadiam miſſis irrogarent, quod aliâ, quam juſſum erat, viâ reverſi eſſent, Legatione licet optimè defuncti, referente Æliano. Invertuntur quidem negotiorum momenta ſæpiùs, Legato jam profecto; unde pro re nata ipſi agendum, uti media præſcripta ad expeditionem faciliorem immutare queat; ſed, rebus integris, mandatis inhæreat, ne graviſſimam contrahat culpam, ipſaque rerum momenta pervertat.

X. Tertia virtus, conveniens valdè Legatorum muneri, eſt *Eloquentia*. Nam

> *Nil tam difficile eſt, quod non perſuadeat, & non*
> *Efficiat docti lingua diſerta viri.*
> *Ancipiti eloquium longè penetrantius enſe:*
> *Hoc rabiem motam ſedat, & arma movet.*

Quod Ciceronis exemplo oſtendit *Plutarchus in ejus vita.* Hinc & Demetrius Philoſophus apud *Diog. Laërt. pag.* 355. dicebat: *ὅσον ἐν πολέμῳ δύναται σίδηρον, τόσον τὸν ἐν πολιτείαις ἰσχύειν λόγον.* Hi ſunt, ſententia eſt *Calij Rhod. l. 23. Lect. Antiq c. 7.* quos exhorreſcunt homines, quos ſtupent dicentes, in quibus exclamant, quos Deos inter homines putant, qui diſtinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus & verbis dicunt, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum verſumque conficiunt. Inde à Sophocle vocata *Regina rerum Eloquentia*: Hæc vehementiâ quandoque detonans altiùs, imò verò clariùs fulgurans, tam potenter movet, docet argutè, & ad delicias uſque ita delectat afficitque, ut, quod de Olympio dictum Pericle eſt, non Græciam modò, ut ille, ſed universa ferè valeat permiſcere. Quod dictum veriſſimè non inficiabitur, cujus dictionem ſic demum multiplex ac interior formârit eruditio, ut nare jam queat ſine cortice, quod ajunt. Eloquentia verò quum ſit una quædam de ſummis virtutibus, tamen quò major in ea vis, hoc magis eſt *probitati juſtitiæque ac veracitati* jungenda: quarum virtutum expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos qui-

dem oratores effecerimus; ſed furentibus arma dederimus.

XI. Hinc & has quarto loco inter virtutes Legati numero. *Μὴ ἀπορρέμβεσθαι δεῖ, ἀλλ' ἐπὶ πάσης ὁρμῆς τὸ δίκαιον ἀποδιδόναι*, inquit *Plutarchus*. Quando neque Heſperus, neque Lucifer ita nitent, ſicut juſtus vir, ut dixit *Euripides*; compleꝫaturque una juſtitia omnes virtutes, Auctore *Theognide*. Abſit itaque à Legatis omnis injuria, quâ vel eos, per quos tranſeundum, gravibus oneribus, latrociniis, rapinis infeſtent; vel eos, ad quos mittuntur, criminibus probriſque inſectentur, aut ambitu, corruptionibus, aliiſque illicitis remediis, ſicuti illius perfidi Jugurthæ Legati Romæ fecerunt, in ſuas partes pertrahant. Vix enim eſt, ut, ubi talibus Legatis utitur Princeps, publica mala effugiat. Abſint, quibus fluxa mendacio fides & corrumpens veritatem adulatio. Malo hos, quibus *τὴν σκάφην σκάφην* appellare mos eſt. Hac enim ab una virtute maxima rerum momenta pendent. Nihil morum elegantia aut ingenium illuſtre valent, cæteræve virtutes, quas obfuſcat mendaciter loquendi licentia.

XII. Quinto *doctrinâ & variarum rerum notitiâ* antecellere debent Legati. Scientia enim perficit animam; anima autem citra ſcientiam veluti caput ſine cerebro dici poteſt. At, quid ſi tale ad finitimos Reges mitteretur? neque verò modicam aut vulgarem in Legatis deſidero: ſed perfectam, qualis per indefeſſa ſtudia acquiritur, exquiſitam, & vulgi ſcientiam ſupergredientem: ne, ſi forte nil niſi unum alterumve *Virgilij* aut *Homeri* verſum, aut quædam ſophiſmata Philoſophica memoriâ teneant, ipſis accidat, quod jam quondam Chriſtophoro Cardinali Eboracenſi, viro exigui ingenii, ſed multæ ambitionis. Cum enim, præſentibus Reginaldo Polo Cardinale & Thomâ Moro Angliæ Cancellario, verſum *Homeri* laudare vellet, quem tamen memoriâ ſibi exciſſe dicebat, Thomas Morus ad Reginaldum converſus: *οὐδὲν πρὸς ἔπος*, nihil ad rem, ut erat, dixit. Tum Eboracenſis: Ipſiſſimus eſt; verum mihi exciderat. Quam ob rem magno his deriſui fuit. Ita vileſcet Legatorum dignitas, qui rudes & nullâ bonarum artium cognitione præditi ſunt, rerumque agendarum ignari. Præcipuam autem eruditio-

ditionis partem, Legatis valde utilem, facio *Historiarum cognitionem & linguarum exoticarum notitiam.* Nam, ait *Polybius lib. 1.* ἀληθινωτάτη παιδεία καὶ γυμνασία πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις ἡ ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησις. Legatos turpe est pueros esse: pueri autem erunt, nisi in hac Historiarum Schola illuminati, hac ambrosia innutriti fuerint. Hinc Ægyptii Græcos dicebant semper pueros esse: cùm semper juvenis sit animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Ingredere, Legate, Historiarum tuarum Theatrum; cernes hîc, quàm varii casus humanæ sortis, quam stupendæ vicissitudines, quàm sæpe optima consilia destituerit eventus, pessimis faverit: dabitur tibi, quod possis in tua Legatione imitari, quod fugere. Non sine caussa igitur malleus ille Africæ & Annibalis depulsor Scipio Xenophontem nunquam de manibus posuit, cùm à lectione ejus discesserit nunquam quin melior, prudentior, acutior, fortior evaderet. Addidi & linguarum notitiam. Quo fine Themistocles Persicum sermonem & Mithridates duarum & viginti gentium, quæ sub regno ejus erant, linguas addidicit, ut eos, quibus imperabat, sine Interprete alloqui posset. *Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7.* Longinquæ enim Legatis adeundæ Provinciæ: & in ipsis Principum aulis qui nil nisi vernaculam strepunt ludibrio habentur.

XIII. Sexto quoque *senectutem* requiro; non tamen simpliciter & absolutè. Nam est quidem illa ætas animæ propria, moribus item bonis proinde dulcior, consiliis paratior promptiorque: ad minarum autem terriculamenta constantior, ac inconnivens prorsum: libidinum verò incentivis retundendis multùm firmior. Et, ut scribit *Xenophon*, sicut incipientes citharœdi multas citharas corrumpunt; ita juvenes gubernatores Rempublicam evertunt. Egregiè Lycosthenes in Apophthegm. *Quemadmodum novella vitis copiosiùs gignit vinum: ita plura loquuntur juvenes, sed utiliora senes. Senes nempe prudentiâ suâ Respublicas gubernant, & labefactatas erigunt ac restituunt.* Inest tamen & juvenibus aliquis ingenii vigor, & sæpe supra senes: his præsertim, quos intentos in honesta stu-

studia ipsa etiam natura ad magnam spem effinxit. Tales ad te missos, licet juvenes, noli contemnere Princeps: ne fortè tibi eveniat, quod quondam Rudolpho Imperatori, cùm, ad eum missis Venetorum Legatis, juvenibus quidem, sed multæ prudentiæ, obliquè perstrinxisset Rempublicam Venetam, quòd tam imberbes ad se Legatos misisset. Tunc enim respondit Senatus: *si barbatos mittere voluissent, capros utique huic officio delegissent.* Quapropter, uti illos ob singularem variarum rerum experientiã Legationibus obeundis aptissimos crediderim (unde & πρεσβυτὰς Græci vocarunt Legatos, à πρέσβυς senex) ita nec hos aliquando mittendos abnuerim.

XIV. Septimò, insignem curam habeant Legati *temperantiæ & moderationis.* Ea in tribus rebus consistit: 1. in sobrietate circa cibum & potum; &, quæ ex abundantia horum sequitur, libidinis. 2. in abstinentia à pecunia. 3. in moderatione animi. *Blandum malum luxuria, quam accusare aliquantò facilius est, quam vitare*, ait Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. Vitent tamen Legati summo studio, moderenturque ventris fræna, ne fortè effusæ libidinis tale pretium ferant, quod illi ad Amyntam Regem Macedonum missi Persæ. Ubi enim illi incaluêre vino, jamque & Veneris stimulis agitarentur, adduci pulcherrimas de Regio sanguine filias quasi jure suo postularunt. Alexander, Amyntæ filius, stultæ petitioni infensus, egregia fraude Legatos elusit. Conquisita enim robora juvenum muliebribus vestibus induit, conditis sub iis gladiis. Legati, jam stupra ganeasque meditantes, pro virginibusfortes viros, pro pellicibus interfectores suos & perniciem habuêre. Quid ergò hoc vitio fœdius, quid etiam damnosius, quo virtus atteritur, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur? vos itaque, quos Legatos suos esse voluit Respublica summovete consilio ac ratione à pectoribus vestris furoris similes libidinis impetus. Quia *demum* (gravis est *Valerij Maximi* sententia *lib.* 4. *cap.* 3.) *ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniaque cupido sibi vindicaverit. Nam, quo ista generis humani certissima pestes penetraverint, ibi injuria domina-*

minatur, infamia flagrat, fides, probitas cæteraque bonæ artes subvertuntur. Hinc & *frugalitas* egregia Legatorum virtus, quam in Epaminonda, veluti in speculo depictam, habent. Celebrata jam olim à Veteribus mensa necessaria, quam tenuem & frugi volebant intelligi, & quæ naturæ modò expleret desideria, quamque ad panem & aquam *Seneca* produxit; ut nil sit necesse saliaribus distendi epulis, quarum gurgitibus & familia proluitur & pecunia, nec tantum vorare, quantum vix alterius diei nox percoquat: quando nil prorsus ita animum adobruit, ut oppletus venter atque exæstuans. *Pecuniæ abstinentiam*, vel potiùs non nimiam cupiditatem, Legatis suasi: quia *nullum vitium est deterius* scribit Cicero, *quam avaritia, præsertim Rempublicam gubernantibus. Haberi enim quæstui Rempublicam non modò turpe est, sed etiam sceleratum & nefarium. Ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effœminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copiâ neque inopiâ minuitur.* Sallustius. Graviùs quidam apud Gell. lib. 3. c. 1. Noct. Attic. *Quos avaritia minuit & corrumpit, quique sese in quærenda undique pecunia dediderunt, eos plerosque tali genere vitæ occupatos videmus, ut, sicut alia in his omnia præ pecunia, ita labor quoque virilis exercendique corporis studium relictui sit: negotiis se plerumque umbraticis & sellulariis quæstibus intentos habent, in quibus omnis eorum vigor animi corporisque elanguescit.* At muneri Legationum, quo nullum honorificentius, quis tam projecti animi homines præficeret, aut, salvâ Reipublicæ Majestate, præficere posset? Egregium abstinentiæ exemplum est in Q. Fabio Gurgite, Cn. Fabiis Pictoribus & Q. Ogubrio, qui Legati ad Ptolemæum Regem Ægypti missi, munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem prius quàm ad Senatum de Lagatione referrent, detulerunt. Cùm verò etiam ad cœnam invitatis aureæ coronæ mitterentur, eas illi honoris causâ acceptas posterâ die statuis Regis imposuerunt. *Valerius Maximus lib. 4. c. 3. Justin. lib. 18. cap. 2.* Ego sanè, uti nimia illa, & quibus animus sæpe & Reipublicæ salus tentatur, munera exulare velim à Legatorum manibus: ita honoris causâ, qui non facilè spernendus, ubi à Regibus exhibetur, oblata accipere non vetuerim. Tertiam,

quæ

quæ & saluberrima laudisque quæstu opulentissima, continentiæ partem feci *animi moderationem*. Eam scilicet, quæ mentes nostras impotenti temeritatis incursu transversas ferri non patitur. Quæ animi moderatio quoque suadet, ut, si quando privatim personæ ad Legationem missæ dissensu sive æmulatione sive etiam gravibus testatisque inimicitiis inter se contenderunt, suscepta Legatione vel omnino ea omnia omittant, vel saltem ad tempus suspendant, bonum publicum privatis inimicitiis anteponentes. Ubi enim talibus vitiis laborat Legatio, nil uspiam sani, resque plerumq; caret eventu.

XV. Octavum, quod in Legato requiro, est, ut *sit fortis, laborum tolerans, moribus gravis*, aptus simul & civilibus & militiæ muneribus obeundis, animoque & corpore validus, quò invia itinerum salebrosaque viarum, & alta montium, quæ sola virtuti & tolerantiæ pervia (omnia enim laboribus Dii vendunt, dixit *Epicharmus*) possit superare. Confligendum enim sæpe Legatis cum infensis latrocinio itineribus, sordidisque tempestate, & sæpe naufragii pericula adeunda. Unde tunc solatium, nisi à fortitudine mutuantur? Contra, qui imbelles omnisque experientiæ expertes, ad subita illa discriminum pavidos priùs Patriæ desiderium occupat, quam ex eorum Legatione fructum ceperit Respublica. Morum gravitas præter insignem corporis membrorumque speciem, loquendi agendive etiam libertatem comprehendit. Egregium ejus rei specimen in Popilio. Cum enim Antiochus Syriæ Rex Alexandriam Ægypti obsideret, missus ad eum Legatus C. Popilius, qui abstinere eum Ægypto; aut, si jam incessisset, excedere juberet. Cùm in Ægypto eum invenisset, osculumque ei Rex obtulisset, (nam coluerat inter cæteros Popilium Antiochus, cùm Romæ obses esset,) tunc Popilius facessere interim privatam amicitiam jubet, dum mandata Patriæ intercederent; prolatoque Senatus decreto & tradito, cùm cunctari Regem videret, consultationemque ad amicos referre: ibi Popilius virgâ, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum non priùs inde exire jussit, quam responsum Senatui daret, aut pacem aut bellum

lum cum Romanis habiturum. Adeoque hæc asperitas animum Regis fregit, ut pariturum se Senatui responderet. *Justin. lib.* 34. *cap.* 3. Tam efficax fuit animi sermonisque abscissa gravitas! Q. olim Fabius, à Populo Rom. missus Carthaginem paciscendi causâ; verùm, cum nullus modus utrisque commodus ad concordiam patesceret, duo pignora, alterum pacis, alterum belli, quasi è sinu, obtulit, ut alterutrum sumerent. Sic tandem belli consilium sedit, referente *Livio.* Inutile foret, eo negotiorum situ momenta rerum frivolis & non nisi ad moram compositis propositionibus terere, ne, quod quondam Dionysii tyranni Legatis, tibi usu veniat. Missi enim Syracusas, pacis conciliandæ caussâ, à Dione summo Exercitûs Duce distinebantur diversis mediis, nullâ certitudine, donec collapsum murum, unde aditus hosti patebat, reficerent. Unde audaciâ elati non priùs se in ullas pacis conditiones cum Dionysio ituros responderunt, quam, depositis regni insignibus, pristinum statum reciperet.

XVI. Nonò, Legatos vellem *genere nobiles & præcipuarum in Republica familiarum*, amplisque usos honoribus, notos vel per Majorum vel per sua decora. Magnificum enim est, quo funguntur, officium, eòque nec mandandum promiscuæ plebi, ne muneris sanctitas obfuscetur personarum utilitate.

XVII. Decimò, *in actionibus sint circumspecti*, nec nimium contumaces nec in servilem adulationem soluti; sed media via incedentes. Non enim omnibus Popilliana illa libertas successerit. Quibus verò proclivis est in assentationes animus, simulatione & quodam obsequio capti Dominos quoque suos, nihil verum aut exactum referentes, pessimâ simplicitate decipiunt. Et hanc virtutem *Prudentiam* communiter Politici appellant; quæ tamen ubi virtute destituitur, calliditas potiùs est & malitia, ait *Lipsius lib.* 1. *Polit. cap.* 1. *n.* 5. Et tantum de virtutibus, quæ in Legati persona requiruntur, satis. Jam ipsum Legationum jus propriè introspiciamus.

XVIII. Jus Legationum non à jure Naturæ profluere, sed juris esse Gentium voluntarii, ex his, quæ Thes. V. diximus, patet, firmaturque insuper ratione & consensu omnium penè Scriptorum. 1. quia naturâ nobis est æqualis cum omnibus amicitia: Ergò, quæ pactis initur, non est à natura; eòque nec Legatorum jus, quod hujus rei gratiâ institutum est, à jure Naturæ fluit. 2. à Natura est, ut omnes homines sint inviolabiles. At, qui Legatos inviolabiles asserit, præsupponit, extra Legatorum personas quosdam homines non esse ita inviolabiles. Non ergò jus Legatorum à jure Naturæ est. Verum consuetudine diversarum gentium & necessitate inductum, longoque usu probatum. Hinc est, quod apud omnes Populos tantus habeatur honos Legatis, tanta reverentia, nomenque ipsum sanctum. Et vox ipsa *Sanctum* à sagminibus, herbis quibusdam, quas Legati Populi Rom, ferre solebant, ut argumento essent, eos Legatos esse, eòque inviolabiles, derivat *Marcianus ICtus in lib. 8. ff. de rer. divis.* Ipsaque illa herba Græcis ἱεροβοτάνη dicitur, teste *Plin. lib.* 22. *cap.* 2. *& lib.* 25. *cap.* 9. de ritu ipso vide *Livium lib.* 1. *Legatorum nomen*, ait Cæsar lib. 3. de bell. Gall. cap. 9. *ad omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit; & ejusmodi esse debet, quod non modò inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Cicer. Verrin.* 3. Hinc justa & acerba illa Hannonis querela apud *Livium lib.* 21. *Legatos ab sociis & pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit: jus gentium sustulit.* Quæ igitur Legatorum dignitas, quoque nitatur jure, ex his manifestum est.

XIX. Jus Legatos mittendi audiendique sive recipiendi, sic ut & multa alia, quæ gentium voluntaria consuetudine sunt inducta, inter jura Majestatis, quæ Regalia recentior ætas interdum vocat, numerant Politici, & omni ætate ad eos pertinuisse constat, qui summo in Republicâ Imperio gaudent. Unde liquet, eos, qui vel alterius Civitatis, vel ejus, ad quam mittunt Legatos, subditi sunt, de jure hoc non participare. Licet enim *Justin. lib.* 12. *cap.* 10. devictarum gentium ad Alexandrum Magnum nuncios *Legatorum* nomine

nomine indigitet; impropriè id tamen facit, & ſuo more, non agens Philoſophum, ſed oratorem. Devicti enim, uti omnia reliqua jura in victorem tranſmittunt, ita & hoc, de quo agimus. Ex quo etiam id patet, non admodum propriè eundem *lib.* 18. *cap.* 7. exulibus Carthaginenſium militibus *Legatorum* nomen impoſuiſſe. Quod attinet ad eos, qui impari junguntur fœdere: quale eſt id, quod ex ipſa vi pactionis manentem prælationem quandam alteri, qui Superior in fœdere vocatur, donat, ut reverentiam, protectionem, & alia honoris inſignia: ſanè, cùm tali fœderi annexi nihilominus ſummum Imperium omniaque ejus jura retineant, ut prolixè probat *Grotius lib.* 1. *de Jur. bell. & pac. cap.* 3. *§.* 21. facilè conſtat, etiam Legatos mittendi jus ad illos pertinere; cùm ſit pars ſummi Imperii. Vbi Majeſtas Imperii eſt dubia, utramque partem jus hoc ſibi ſumere poſſe, ob emerſura incommoda, ſi contrarium ſtatueretur, vult *Grotius lib.* 2. *de jur. bell. & pac. cap.* 18. *§.* 2. Neque tamen huc pertinet, quod in bello Civili Catilinario C. Manlius, Catilinariarum partium, ex ſuo numero Legatos ad Q. Martium Regem miſit. *Salluſt. p. m.* 91. aliàs paſſim in Hiſtoriis Romanorum legimus à Cinna ad Sullam, à Pompejo ad Cæſarem, ab Octavio ad Antonium, à Vitellianis ad Flavianos miſſos Legatos, & vice verſâ. Piratæ & latrones, ſicut non faciunt Civitatem, nec ulla jura civilia, aut quæ ex gentium conſenſu oriuntur, participant; (nam capta à Latronibus capientium non fiunt, ideòque nec eæ res poſtliminio gaudent, *l. poſtliminio*, §. *à piratis ff. de capt.* neque de victis triumphatur, ne dignitas triumphi piraticâ inſcriptione violaretur, ut de ſervili bello dixit *Flor. lib.* 3. ita nec jure Legatos mittendi frui poſſunt. Differentia tamen magna eſt inter eos, qui, cùm Populus non ſint, latrociniorum exercendorum cauſsâ coëunt; & inter totam gentem, ut olim erant Illyrii, Garamantes. *Tacit. Hiſt. lib.* 4. Catti. Idem lib. 12. Annal. Venedi; vel Regem, qui ſummum Imperium tenet, qualis fuit Philippus Macedo. *Juſtin. lib.* 8. *cap.* 3. Hi enim, quamvis piraticam agant, & latrociniis infeſtent finitimos, jus tamen Legatos mittendi,

 ſicut

ſicut illi, hactenus non amittunt. Gentes enim nihilominus & Reges ſunt. Sicuti enim corpus morbidum corpus tamen eſt; ita & civitas, quanquam graviter ægrota, civitas eſt, quamdiu manent Leges, manent judicia, & quæ alia neceſſaria ſunt, ut ibi jus exteri conſequi poſſint, non minùs quam privati inter ſe; quæ gravis eſt Grotii, quem jam ſæpiùs adduximus, ſententia *d. l. 2. c. 3. §. 2.* Audiendi Legatos jus penes eum eſſe, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, tum ratione; quia, cujus eſt mittere, ejusdem etiam erit recipere Legatos, & quod res, ob quam mittuntur, Rempublicam attineant, adeoque ab eo dijudicandæ ſint, qui ſummâ poteſtate præditus eſt; tum exemplis manifeſtum eſt. Audiuntur tamen & ab iis, quibus Reſpublica ejus rei poteſtatem commiſit: ut Legatis militaribus. *Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 29.* ait: *ad Sullam, primum omnium Romanorum, Legatos Parthorum veniſſe.*

XX. De hiſce ad privilegia, quibus juris Gentium beneficio gaudent Legati, flectamus; rem paucis, quantum quidem illuſtris materiæ amplitudo patitur, expedituri. Duo ſunt, quæ Legatis ab eo, ad quem mittuntur, debentur: prius, ut admittantur; poſterius, ne violentur. Romanâ Sapientiâ in more poſitum erat, ut exterorum Legati, priuſquam admitterentur, eorumque cauſſa adventûs coram Senatu expenderetur, in Græcoſtaſi manerent, qui locus fuit à Comitio euntibus ad dextram Roſtrorum. *Marlian. lib. 3. cap. 26. Varro lib. 4. de L. L. Plin. lib. 33. c. 2.* Hinc quoque apud *Livium lib. 25. & 29.* ſimpliciter in Comitio ſtetiſſe dicuntur Legati. Proinde apud Joſephum *lib. 13. Antiquit. Jud. cap. 37.* pro *κομπίῳ* levi apicum divulſione, *κομιτίῳ* legendum eſſe rectè judicavit *Briſſon. lib. 2. de Formul.* Exterarum itaque nationum Legati, Romam venientes, antequam mandata ſua exponerent, ſibi Senatum dari petierunt, ſicuti paſſim rerum Romanarum Scriptores memorant. Et his quidem, qui ab Amicis venerant datus in Urbe Senatus: *οἱ δὲ ἐκ τῶν πολεμίων, ὡς ἔθος ἐστὶν, ἔξω τειχῶν ἐσάθμευον. Appian. ἐν Ἰβηρικῇ* Non enim omnes abſque diſcrimine admittere cogitur Civitas. Multos in Hiſtoriis legimus ne intra fines quidem

quidem intromissos: alios verò Urbe pulsos, ut Persei Regis & aliquando Ætolorum Româ, teste Livio. Unde, jure gentium id licere, manifestum. Sed non nisi ubi justa caussa id facere suadet. Facimus autem triplicem rejectionis caussam: 1. in eo, qui mittit Legatos. 2. in iis, qui mittuntur. 3. in re, ob quam mittuntur. Sic initio primi belli Peloponnesiaci, cùm jam omnia ad prælium essent parata ab utraque parte, Lacedæmonii Legatum ineundis pacis conditionibus Athenas miserunt. Sed Athenienses, concitati à Pericle, eum nec in urbem nec in concionem admiserunt, causati, quòd ab hoste armato venisset. *Thucyd. l. 3.* quam tamen πρόφασιν potiùs fuisse existimem: veram autem hujus repulsæ caussam ingens Atheniensium in Spartanos odium; cùm & ipsi Athenienses, jam sociis aucti, milites in armis, classem in littore habuerint: jamque quasi hostes Spartanos vocarint ad pugnam.

XXI. Quod ad secundam rejectionis caussam, excellentes, ut jam supra prædiximus, in Legati persona virtutes requiruntur, animique multis studiis & historiarum lectione, quibus plurimum prudentiæ sibi comparare possunt, huic quasi officio assueti, ne propter suam pravitatem aut incuriam infectâ re domum redire cogantur, aut etiam multas calamitates in Civitatem suam invehant. Vnde id huc adjicio, ut ad rem aliquatenus pertinens, quod admonendos Legatos *Bodinus* censeat *lib. 5. de Republ. cap. 6.* ne securitate publicâ Legationis specie abutantur, nève Principum ac Populorum Majestatem verborum arrogantiâ violare sibi fas esse putent. Nec enim omnibus fortassis integrum aut impune erit, eam, audaciam dicam an temeritatem, usurpare, quâ Popilium Romanorum Legatum usum fuisse supra memoravimus. Multis accidit, vel ob ignobilitatem, vel ob malam famam, vel ob scelera, vel alia de caussa publicitus invisis, ut intra fines territorii non admitterentur, vel saltem intra legitimos dies hinc excedere juberentur. Quantum inde in Rempublicam dedecus! Magni itaque momenti, quæ de Legatis eligendis suscipitur deliberatio. Hoc loco solet & illud quæri: *an admissioni obstet, si Legatus ritus*

quosdam, eo loci, quò mittitur, usitatos observare nolit? Ismeniæ Thebani factum, ut sapiens, à Græcis plerumque laudatur. Legatione fungebatur is pro pawia ad Persarum Regem. Eò ubi ventum, ut admitteretur, enixiùs operam dabat. Tithraustes erat militum Tribunus simul & admissionum magister, qui ad Ismeniam intuens ac renidens vultu, per Interpretem, *nobis*, inquit, *Hospes, Patria Lex est, ut Regis congressum affectans non priùs confabulandi fiat compos, quàm illi cultum exhibeat adorationis. Quòd si per te ipsum grata tibi functio est, opportunum accommodumque est jam, te Legi satisfacere: id si recusas, meâ licet operâ utare: & tibi, etiamsi adorationem aspernêre, negotium omne effectum dabo.* Ille adnuens ubi ad conspectum Regis perventum, mox annulum detractum ad suos clam projecit pedes: eundemque celeriter adorantis specie proclinatus arripuit: atque ita consilii vafritiâ & Regi satisfacere est visus, & suæ gentis instituta transgressus minimè est, dedecus ejusmodi aliàs haudquaquam laturæ. Quo factum, ut omnium abiret compos, quorum nomine venerat Legatus. Hactenus *Cal. Rhod. lib.* 11. *Lect. Antiq. cap.* 28. Huic ego dubitationi distinctione aliquâ subveniam. Instituta Populorum, quibus ab aliis differunt, vel sunt levis, vel magni, vel maximi momenti. Quoad primum genus, periti Legati est, Romæ Romano more vivere, locorumque consuetudines pro Patriis captare. In altero ordine, si talia sint instituta, ut à more gentico Legatorum aliquid quidem discedant, salvâ tamen conscientiâ possint suscipi, simulandum dissimulandumque cum Ismenia; sed leviter: si præsertim tantum intersit Reipublicæ, ut hac una dissimulatiuncula ejus summa utilitas vertatur. Ita enim sunt Dominantium ingenia, ut Majestatem suam sperni credant, ubi talia floccipenduntur. Legati itaque eo temporis articulo, ut ad effectum consiliorum suorum veniant, multa simulent oportet inviti. *οἱ μετρίως χρώμενοι*, inquit *Aristoteles lib.* 4. *Ethic. cap.* 7. *τῇ εἰρωνείᾳ, καὶ περὶ τὰ μὴ λίαν ἐμποδὼν καὶ φανερὰ εἰρωνευόμενοι, χαρίεντες φαίνονται.* Maximi momenti instituta intelligo, quando Sacris & Religione differimus. Hic absit simulatio, nisi velis iratum experiri Deum, cujus illuditur numen.

numen. Præstat infectâ re rediisse quàm Divinam Majestatem læsisse: Deo enim magis obedire oportet, quam hominibus.

XXII. Tertium, ut diximus, admissionis obstaculum est in caussa mittendi Legatos: ubi illa vel suspecta est, vel fraudibus involuta, vel non ex dignitate vel tempori non conveniens. Sic Alexandri Magni Legatio ad Tyrios meritò potuisset non admitti, cum eo remedio usus Alexander ad defectionem concitare voluerit cives: & Gibeonitarum Legatos Josua potuisset rejicere, ut fraudibus agentes: sicuti Themistoclem quoque Atheniensium Oratorem Lacedæmonii, quòd dum moras nectebat, tanquam socios muneris expectaret, tempus muniendæ patriæ urbi traheret. Magnâ iis casibus prudentiâ opus est & oculis in omnia intentis. Unde Athenienses industriè caverunt, ne Xerxis emissarii cæterorum Græcorum fœderibus accederent, aut cum quoquam, dum apud ipsos commorarentur, sermones cæderent. Et tantum de primo Legatorum privilegio, nempe admissione, dixisse sufficiat.

XXIII. Alterum, quod jure Gentium Legatis conceditur, est privilegium, ut non violentur. Quo honore Gentes Legatorum Majestatem ultra privatum modum extollere voluerunt, ne scilicet, Legatorum & literarum missione inter hostes sublatâ, omne commercium paciscendi intercideret, omnisque via ad pacis conditiones concipiendas intercluderetur. Unde *sancta Legatorum corpora* nominat *Varro lib. 3. de LL.* & *Asconius Padian. ad Orat. 3. Ciceronis* in Verrem: *Legatorum in fœderibus faciundis, vel legibus pacis bellique dicendis sancta corpora jure Gentium atque inviolata servantur.* Germanicus ad milites apud *Tacitum lib. 1. Annal. cap. 42. Hostium quoque jus & sacra Legationis & fas Gentium rupistis.* Et *lib. 3. Hist. cap. 80. sacrum etiam inter exteras gentes Legatorum jus* vocatur. Quapropter Scipio Africanus, ille qui vitam adeò dignissimam egit, ut nullius ad id temporis, præterquam avito, fulgore vinceretur, teste *Vellej. Patercul. lib. 2.* cùm onustam multis & illustribus Carthaginensibus viris navem in suam potestatem redegisset, inviolatam dimisit, quia se

Lega-

Legatos ad eum missos dicebant; tametsi manifestum erat, illos vitandi præsentis periculi gratiâ falsum Legationis nomen amplexos fuisse. *Valer. Maxim. lib. 6. cap. 6.* Fuêre tamen, ut olim, sic & nostrâ memoriâ, qui, exutâ penè humanitate, Legatorum corpora ad exitium usque temerârunt. Sic Tyrii Alexandri Magni Caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, missos contra jus Gentium in altum præcipitaverunt. *Curtius lib. 4. cap. 2.* Et Achillas Dioscoridem & Serapionem Cæsaris Legatos, priusquam in conspectum ejus venissent, aut, cujus rei caussâ missi essent, cognosceret, corripi ac interfici jussit. *Cæsar. lib. 3. bell. Civ.* Quem tamen fœditate longè & perfidia superavit Helena Russorum Regina: cujus nuptias cùm Rex Prutenorum peteret, ipsa Legatos viventes ac spirantes terrâ obrui jussit; ac priusquam ad Prutenos fama perveniret, digniores Legatos ad se mitti petiit, quod cùm obtinuisset, gentis quinquaginta Principes, ac summæ inter ipsos autoritatis, ad se missos uno cremari incendio mandavit. Post etiam pactum matrimonium, convivii specie, hostium quinque millia, quos inebriari curaverat, trucidari jussit: postremò seipsam aquarum voragini immisit, referente *Bodin. lib. 5. de Rep. cap. 6.* Dignum Russicâ sævitiâ exemplum, si modò in hostes perpetratum. Amicos amicitiamque quærentes ita per injuriam opprimere, non modò contra jus gentium, sed ab ipso etiam homine alienum est: eòque minùs excusari potest, quòd totiens initis pactis, totiens interpositâ securitate datâque fide dolos nihilominus paraverit, & contra jus hospitale Gentis alterius Proceres è medio sustulerit. Justas ideoque & violati juris & tantorum cædis virorum pœnas, in suammet necem miserrimè versa, dedit: qualia etiam aliis sive Principibus sive Nationibus, idem ausis, accidisse constat. Quot enim Civitatum eversiones in Legatos commissa perfidia & juris Gentium violatio pepererit, id exemplis numero quam multis docent Historiarum monumenta. Corinthum certè ideò à Romanis eversam, quòd Legati Romanorum à civibus duriùs appellati fuissent, *Cicero* refert *orat. L. pro L. Manilia.* Idemque eo nomine Ro-

ne Romanos hortatur, ut Pompejum eligant Imperatorem adversus Mithridatem, à quo Legati Romani, qui inter hostes incolumes esse debuerunt, fuissent occisi. Sed & Illyricis bellum aliquando indictum legimus propter unum ex Legatis, quem Romani ad eos miserunt, occisum, apud *Livium epit.* 20. Et *Suidas* adnotavit, Lacones pestilentiâ conflictatos, quòd Xerxis Persarum Regis Legatos, aquam & ignem postulantes, urbe expulissent, & Civium aliquem, qui Regi parere suaserat, lapidibus obruissent. Ita talium perpetratores, ut maxumè facinorosos, meritâ ultione Deus prosequitur. Quid enim usquam tutum, ubi tanta scelera impune habentur? Quâ ratione diversæ gentes in mutua fœdera amicitiarumque jura coalescere poterunt, ubi modi, quibus id fiat, iis adimuntur? Verùm & illis, qui Legatione obitâ interiissent, non vulgares honores Civiles Leges constituerunt. His enim in antiqua Republica Romana statuæ in publico erigebantur, ut per interitum in honorem æternum viverent. Sic enim quatuor illorum Legatorum, quos Lars Tolumnius Rex Vejentium interemerat, statuas in Rostris longo pòst tempore stetisse, *Cicero* testatur in *Philipp.* 9. non secus ac si in acie mortui fuissent aut pro Republica cecidissent: tales enim in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *§. filij autem, Instit. de Excusat. Tutor.*

XXIV. Quamvis autem in violatione Legatorum nulla satis justa caussa ad sceleris patrocinia prætexi possit: sunt tamen quidam casus, quibus non quidem violari Legati, finibus tamen excedere juberi, aut apud mittentes de illata injuria conveniri possunt. Legati enim civili jure Populi, apud quem vivunt, non tenentur, eòque nec pœnæ ab iis exigi queunt. Tales autem causæ sunt, 1. Si Legati Populum ad quem mittuntur, ad defectionem concitent. Sic Pelopidas, cùm Thessaliam in Thebanorum potestatem vellet redigere, eique fini Populum ad spem libertatis erigeret, Legationisque se jure satis tutum arbitraretur, quod apud omneis gentes sanctum esse consuesset, ab Alexandro Pheræo Tyranno simul cum Ismenia comprehensus ac in vincula conjectus est. *Plutarchus & Cornelius Nepos in ejus vita.*

vita. Ita quoq; *Justin. lib. 36. c. 1.* scribit, Legatos Romanor. ad Achæos missos occulta mandata accepisse, ut corpus Achæorum dissolverent, singulasq; urbes proprii juris facerent, quo faciliùs ad obsequia cogerentur; &, si qui contumaces essent frangerentur. Tales, ut pestes, optimo jure posse remitti, naturalis etiam ratio suadet. Singulæ enim Civitates salutem suæ societatis discupiunt, & circa eam conservandam omni studio occupantur: cui studio tamen hi diffidentiæ & seditionũ concitores quam maxumè officiunt. 2. quòd si vim armatam intentet Legatus, sanè occidi poterit, non per modum pœnæ; sed per modum naturalis defensionis. Tertius casus est stuprum illustrium personarum. Theodatus Gothorum Rex ad Justiniani Legatos apud *Procop. lib. 1.. Goth.* *κτεῖναι ἄνδρα πρεσβευτὴν ἐνδίκως νενομίκασιν ἄνθρωποι, ὅταν ἢ εἰς Βασιλέα ὑβρίσας φαίνεται, ἢ γυναικὸς ἄλλῳ ξυνοικούσης εἰς εὐνὴν ἔλθοι. ita existimant homines, fas esse vel interficere Legatum, si is in Principem, ad quem mittitur, sit injuriosus, aut alienum matrimonium violet.* De Legatis Persarum ad Amyntam Macedonem, supra memoravimus, qui non reverenter habitæ pudicitiæ Nobilium fœminarum apud suum Regem accusari potuissent; vix autem, ut in crimine non perfecto tam crudeliter ad necem dari. 4. si pecuniâ Primores Civitatis, ad quam mittuntur, corrumpunt. Quod Jugurthæ Legatos Romæ fecisse, indicat *Flor. lib. 3. cap. 1.* Et *Sallust. in bello Jugurth.* his verbis: *Ubi Romam Legati venere, & ex præcepto Regis hospitibus aliisque quorum eâ tempestate in Senatu auctoritas pollebat, magna munera misêre: tanta commutatio incessit, ut ex maxuma invidia in gratiam & favorem Nobilitatis Jugurtha veniret: quorum pars spe, alij præmio inducti, singulos ex Senatu ambiundo nitebantur, ne quid gravius in eum consuleretur.* Cyneas tamen Romam cum ingentibus à Pyrrho donis missus, neminem cujus domus muneribus pateret, invenit. Egregio in posteritatem exemplo. Utile enim, ut remittantur tales cum suis muneribus, ne, ubi semel iis capti Primores vel Populus, ipsam cum libertate Rempublicam evertant. Noxiæ res sunt maloque gentium in medium proditæ; tumq; plurimùm, ubi magni momenti deliberationes suscipiuntur. Verùm enim verò, *utrum eorum Legatos violare impunè*

impunè liceat, qui tempore missionis hostilia fecerunt, sive etiam inducias ruperunt; qualia Usipetes & Tenchteros fecisse *Plutarchus* scribit in *Cæsare*, & ipse Cæsar *lib.* 4. *bell. Gall.* res est magni æque momenti. Morte sanè affici non possunt: quia, ut mox docetur, jus gentium non tam existimationi mittentis, quàm securitati missi, hoc privilegio providit. Retineri tamen ob utilitatem publicam possunt, ne secreta nostra prodant hostibus. Ego (liceat in re magna judicium ferre) quod Cato in Senatu censuit, Cæsarem barbaris tradendum ob Legatos eorum malè habitos, privato potiùs affectui, quàm studio observandi juris Gentium, tribuo. Non sufficit autem, ut pœnis ac verberibus in Legatos nil statuatur: verba quoque contumeliosa & probra absint: multò minus ipsorum animi pecuniâ expugnentur. Quod callidissimum illum Numidam fecisse *Florus* scribit *loc. cit.* & *Sallustius* his verbis notat: *Decretum fit, uti decem Legati Regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Jugurtham & Adherbalem dividerent. Cujus Legationis Princeps fuit L. Opimius, homo clarus, & tum in Senatu potens.* Mox: *Eum Jugurtha, tametsi Romæ in amicis habuerat, tamen accuratissimè recepit: dando & pollicendo multa profecit, ut famæ fidei, postremò omnibus suis rebus commodum Regis anteferret. Reliquos Legatos eâdem viâ aggressus, plerosque capit: paucis carior fides quàm pecunia fuit.*

XXV. Quod autem de Legatorum personis hactenus statutum, de ipsorum quoque Comitibus & Ministris, uti etiam vasis & bonis mobilibus, intelligendum censeo; non tamen ita laxè, ut de ipsis Legatis. Quando itaque Comites Legatorum injuriâ quenquam ex iis, ad quos mittuntur, affecerint, postulari possunt apud Legatos. & hi, si atrocius sit crimen, ad deditionem coguntur. Reliqua fusiùs definit jam sæpius citatus *Grotius de Jur. bell. & pac. c.* 18. §. 8. 9 quem adeat Lector. Et tantum de privilegiis, quibus gaudent Legati apud eos, ad quos missi sunt.

XXVI. Illâ autem immunitate Legati non fruuntur, nisi apud eos, ad quos mittuntur; & quidem tum demum, ubi fuerint admissi. Posse enim repelli quoque, jam ante statutum à nobis est. Itaque jure illo Gentium observando

non tenentur, quibus nulla cum Legatis aut iis, qui eos miserant, hâc saltem parte, intercedit communio. Possunt itaque intercipi ab his aut repelli, si vel ad hostes eorum commeent, quemadmodum Annibalis ad Philippum Macedonem Legatos à Romanis captos legimus apud *Livium*: pericula enim multa obstant, tum & metus proditionis, ne hostes, Legatorum animos perspectos sibique obnoxios habentes, simul adversarum partium secreta rimentur, quorum transeuntes Legati non possunt ferè esse ignari: vel ab hostibus eorum veniant, eandem ob caussam: quin etiam ab iis interfici possunt, si hostilia moliantur, per Legem naturalis defensionis. Quòd si nihil horum fecerint Legati, ac nihilo tamen seciùs male habeantur, non quidem illud, de quo hic agimus, privilegium violatur; quia, uti jam definivimus, non nisi inter mittentem & admittentem intercedit: existimationi tamen mittentis vim inferri pro certo habendum; quæ etiam vel deditione violantium, vel armis poterit expiari: nullo enim scelere præcedente, insontes occidere nefas, ipsique etiam naturali æquitati contrarium est. Est & altera quæstio, huic vicina; *Utrum nempe jure talionis Legati ejus violari jure possint, qui simile quid patravit?* Et respondeo, ut jam ante, cum *Grotio*, jus Gentium non tantùm cavere dignitati mittentis auxilio hujus privilegii; sed etiam securitati ejus, qui mittitur. Unde & personas Legatorum sacras vocari supra memoravimus. Quare, licet mittens pœnam aliquam ex Jure Gentium fuisset meritus; parcendum tamen esset Legatorum sanctitati, ne scelera sceleribus expientur. Egregium & observantiæ Juris Gentium & reverentiæ fidei publicæ exemplum in Romanis, quod & *Grotius* adducit, extat apud *Valer. Maxim. lib. 6. cap. 6.* Timens Amilcar, ne, quas Punicâ fraude Cornelio Asinæ Carthaginenses injecerant catenas, iisdem ipse oneraretur, ire in Romanor. castra ad pacem petendam noluit. Anno autem, virtutis Romanorum certus, nihil tale timens, maximâ fiduciâ ad colloquium eorum tetendit. Apud quos cùm de belli fine ageret, & Tribunus ei dixisset: *posse illi meritò evenire, quod Cornelio accidisset*; uterq; Consul, Tribuno tacere jusso; *isto te*, inquit,

quit, *metu, Anno, fides Civitatis nostra liberat.* Quasi dicerent: vos, Pœni, quibus lubrica semper fides, eâdem vos fraude perituros timetis, quâ alios impetitis. Sed fides Populi Romani quæ in jure Gentium rigidè observando tota versatur, ne id metuatis, efficit. Et hæc de privilegiis Legatorum dicta pro modo arctæ hujus Dissertationis sufficiunt.

XXVII. Quoniam verò ex omni delicto actio nascitur, quâ parti læsæ satisfiat, ob malè habitos Legatos idem evenire necesse est. Paucis itaque persequamur, quæ pœnæ in violatores Legatorum sint statuendæ, & quis sit exequendi eas modus. Vel privato ausu aliqui vim Legatorum personis, aut quæ circa eas, vim intulerunt; vel ipse, qui summâ potestate præditus est, extra casus supra adductos, sive per se sive per alios id perpetravit. Quoad priorem casum, ita omni ævo obtinuit, ut tales violatores in potestatem mittentis, uti pro justo & æquo de iis decernat, traderentur; vel saltem ab ipsis, ad quos mittuntur Legati, dignis pœnis afficerentur. Quapropter teste *Valer. Maxim. lib. 6. cap.* 6. M. Æmilio Lepido, C. Flaminio Coss. L. Minucium & L. Manlium Carthaginensium Legatis, quia manus his attulerunt, per Feciales Prætor ex SCTo dedendos curavit. Quod etiam Q. Fabio & Cn. Apronio Ædilibus, qui Legatos ab Urbe Apollonia Romam missos ortâ contentione pulsaverant, accidit. Posteriori casu, quia summam Potestatem habentis arbitrium nullius alterius regimini subest, eoque nec dedi, nec in judicio caussa ipsius agi potest: hinc factum, quod non tantùm hoc, sed etiam priori loco, si privatos violatores Magistratus dedere recusaret, bello jus suum persequantur gentes. Et adeò refertæ sunt ejusmodi bellorum exemplis Historiæ tum Sacræ, (quale illud Davidis in Regem Ammonitarum susceptum, 2. *Sam.* 10. & 1. *Paralipom.* 20.) tum profanæ, ut qui omnia colligere cuperet, ei immensum excresceret opus.

XXVIII. Legatos necessariis sumptibus, tum pro itinere, tum in alias expensas, esse instruendos ab eo, qui summam Potestatem habet, utpote cujus, non suo, nomine id

muneris gerunt, haud ſanè ambiguum. Antiquitus Legatis viaticum & aureus annulus de publico dabatur. Annulum quoque illum publicitus gerebant, eoque poſtea depoſito, ferreo intra domos utebantur, ut Plinius memorat *lib.* 33. *Hiſt. Nat. cap.* 1. Sed hoc primis quidem Reipublicæ annis ita fuit obſervatum: quo tempore nemo præter Legatum aureos geſtavit annulos: poſtea autem & Senatores habuerunt: à quibus ad Equites, & inde ad omnes ingenuos uſus hic promanavit. Jure Civili diſpoſitum eſt, ut, ſi Legatus in munere Legationis, antequam in Patriam revertatur, deceſſerit, ſumptus, qui proficiſcenti ſunt dati, non reſtituerentur ærario: ſed ad Legati hæredes tranſirent. *lib.* 10. *§. fin. ff. de Legation.*

XXIX. Id magis in controverſia: *utrum Legatis ab iis, ad quos mittuntur, munera accipere liceat?* Commendavimus jam ſupra inter Legatorum virtutes etiam abſtinentiam; avaritiam verò quam longiſſimè ab iis exulare debere diximus. Oſtendimus etiam exemplo Jugurthæ, quoties per magnam auri vim, quam per ſpeciem benevolentiæ obtulêre Legatis exteri Principes, capti fuerint eorum animi; & uti, quam pro ſalute ſuæ Reipublicæ illibatam ſervare debuiſſent, aliorum muneribus corrupti fidem vendiderint. Id certum, ubi Legibus Civilibus, ſicuti olim apud Corinthios & Athenienſes; hodiè verò apud Venetos, teſte Hermolao Barbaro, Legati munera capere prohibentur, non jam ampliùs liberum iis arbitrium circa iſta permitti: ſed patriarum potiùs Legum obſervatione teneri. Sunt aliqui adeò excelſi animi, ut ab hac continentiæ Regula ne latum quidem unguem recedant. Qui, uti eximiam laudem merentur, ita reliquis pro vitæ norma non ſunt. Diſtinguenda, ut mihi videtur, ſunt tempora Legationis, in id, quod eſt ante expoſita mandata & expeditum officium Legationis; & in id, quod poſt rem bene geſtam. Priori tempore omnia munera Legato repudianda exiſtimo, cùm vix facilè fieri poſſit, quin talibus unguentis delibuto ſalus & authoritas Patriæ vileſcat. Malè verum examinat omnis corruptus Judex. Xenocrates, teſte *Laërtio*, ad Antipatrum Legatio-

gatione functus, ut, qui ex Athenienſibus in bello Lamiaco capti eſſent, redderet, ab eo invitatus ad cœnam hiſce verbis reſpondit:

> Ὦ Κίρκη, τίς γάρ κεν ἀνὴρ, ὃς ἐναίσιμος εἴη,
> πρὶν τλαίη πάσασθαι ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος,
> πρὶν λύσασθ' ἑτάρους καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.

Quibus docet, non ſe priùs cibum guſtaturum, quàm quod petebat, impetraſſet. Poſtea verò, ubi munus Legationis executus eſt, quin pro rebus prudenter ac feliciter geſtis honorarium aliquod donum accipere ipſi liceat, non eſt quod controvertatur: ita tamen, ut nihil ſalute Patriæ potiùs habeat. Romam certè vix Legatio veniebat ab exteris amicis, quin donis ac muneribus afficeretur. Ac ut plurimùm, ſi plures eſſent Legati, in ſingulos munera binûm millium æris decernebantur. *Briſſon. lib. 2. de Formul. Antiq.* hodie ſumma non grandis. Ea tamen liberalitas aliquando in majus aucta eſt. Antiochi enim Regis Legato centum milliûm æris munus miſſum *Liv. lib.* 42. ſcribit.

XXX. Quid autem, ſi quid Legatis à Principibus, ad quos mittuntur, donatum fuerit? *num proprium hoc ipſorum erit; an verò in ærarium Reipublicæ ſuæ publicum id cogentur conferre?* Illi, quos ſupra retuli ad Ptolemæum Regem miſſos fuiſſe Legatos, munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs quam ad Senatum de Legatione referrent, detulerunt: de publico ſcilicet miniſterio nihil cuiquam, præter laudem bene adminiſtrati officii, accedere debere judicantes. Verùm attendenda hic æquitas Senatus, reddita enim ſunt Legatis, quæ in ærarium repoſuerant, eaque ipſis Quæſtores promptè unicuique diſtribuerunt. *Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3.* Et quanquam Legati in Legationis actu non privatas ſuas perſonas; ſed Herum, à quo mittuntur, repræſentare videantur; (unde & his non ſecus atque Domino mittenti honor exhiberi ſolet) ideoque donationem illam Legationis contemplatione interveniſſe quis putaret, & exinde mittenti reſtituendam. alii aliter ſentiunt. quibus 1. argum. eſt à pari: Etſi enim quid donetur ſocio ſocieta-

societatis occasione; quia tamen personæ, & non societati; facta est illa donatio, idcirco quod donatum fuit, soli donatario cedit, non verò societati: sicut è contr , si socius extra societatis contemplationem damnum fecisset, sibi id soli, non verò & societati, possit imputare. Injustum autem, damna ferre eum, cùm præmia sint apud alios. 2. quia exploratum est, Legatos interdum sæva incurrere pericula; præsertim cùm vel navigandum illis fuerit, vel per insidiosa loca eundum; aut si etiam ætate fessi sint. Ideòque remuneranda hæc eorum pericula & præmiis compensanda. In hac tamen re mentem donatoris perspectam habere oportet: utrum nimirum rem eam ipsis Legatis, an verò Principi mittenti donâsse voluerit. Ita, quantum arctæ Dissertationis modus cepit, suscepti operis telam pertexui. Qui plura in hanc rem desiderârit, adeat Commentarios Alberici Gentilis, Varsevicii, Ærodii, Paschalii Kirchneri, Marselarii, aliorum. Mihi ea, quæ ipse ex Historiarum & bonorum Auctorum monumentis decerpsi, sufficiunt.



XXXVII.
DE ORATIONIBUS PRINCIPUM.

POstquam Respublica Romana ab exiguis primùm initiis profecta eò potentiæ suæ terminos protulisset, ut ipsâ tandem magnitudine labore occideret, non potuit etiam à communi illa rerum humanarum sorte quâ *tam hominum quam urbium fata volvuntur* eximia esse. Non hîc prolixè causas investigare lubet, quibus vastissimo tunc temporis imperio tanta contigerit mutatio, quippe cum hanc operam jam pridem occupaverint illi, quorum inter illustres quos hæc ætas fert rerum civilium scriptores eminent nomina; ut adeò secundum amplissimam eorum messem, spicas colli-

colligere vix operæ pretium videatur. Illud ſaltem animadvertendum, poſtquam Senatui amplius ſua non conſtabat autoritas, Populo nimiâ libertate inſoleſcente & majora ſibi paullatim per vim arrogante, nactos eſſe occaſionem, qui paullò elatiori erant animô diſſolutæ adeò licentiæ clandeſtinis primùm conſiliis inſidiandi, donec tandem diverſis diſtracta ſtudiis ac voluntatibus Civitas, in ſe ſuaque viſcera ferrum cœpit convertere. Tum demum plane ad Tyrannidem via facta, libertas de qua certabatur, conclamata, victorique in medio præmium conſtitutum ſervituræ civitatis dominatio. Ita nempe evenit, ut fatigata mutuis cædibus reſp. tandem *aliud diſcordiarum remedium non invenerit, quam ut ab uno regeretur. Tacit. Ann. 2. 9. 11. conſ. Flor. lib. 4. cap. 3. n. 7.* Senec. ep. 91.

Igitur *cuncta civilibus diſcordiis feſſa nomine* PRINCIPIS *ſub imperium accepit Auguſtus. Tacit. Annal. I. cap. 2.* Cum enim priſtinæ libertatis memoria civium adhuc exerceret animos, ſatius viſum fuit eos adornatâ in ſpeciem quadam libertatis umbrâ mitigare, dum facilioribus ingeniis imbuerentur, & indignantes mollior conſuetudo permulceret. Idcircò & Pompejus ſi Cæſarem obtriviſſet, quamvis ſummum imperium vix depoſiturus crederetur, attamen poteſtatem illam aut Conſulis aut Dictatoris *ἢ τινὸς ἄλλης μαλακωτέρας ἀρχῆς παραμυθούμενος τὸν δῆμον* retenturus putabatur, referente *Plutarch. in Bruto p. m. 997. C.*

Ejuſmodi igitur ſibi titulum arrogabant, qui nec in libera adhuc Republica infrequens erat. Dicti enim non ſolum *Senatus Principes*, qui rerum geſtarum magnitudine cæteris præferebantur: quo ſenſu *Vellej. lib. 2. cap. 43. n. 3.* Q. Catulum *omnium confeſſione Senatus Principem fuiſſe*, dicit: ſed illi quoque, qui primi ſententiam rogabantur, qui honos ipſis Cenſorum arbitrio deferebatur: vid. *Livium lib. 27. cap. 13. A. Gellium lib. 4. cap. 10. ibidemque animadverſ. Philippi Caroli. Vopiſc. in Aurel. & ibid. Caſaubon. Zamoſ. de Senat. Rom. lib. 1. Tiraquell. ad Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11.* Placuit hoc nomine Imperatoribus potentiæ ſuæ lenocinari, atque adeò qui magis populares videri volebant, id præcipuè adfectabant; De Auguſto ſcribit *Dio lib. 53. pr. Πρόκειτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο.* De Tiberio idem

autor est *lib. 57. pag. 603.* & de Pertinace *lib. 73. pag 839.* Quò pertinet quod de Caligula in contrarium refert *Sueton, in vit. cap. 49.* *Edixit & reverti se, sed iis tantum, qui optarent, equestri ordini, & Populo, nam se neque civem neque Principem Senatui amplius fore.* Auxit paullatim hæc nominis dignitas, dum progressu temporis Principes Optimi Maximi dicti fuerunt: Sic in *l. 20. §. 6. fin. de hered. petit.* Adrianus Imperat. dicitur *Maximus Princeps.* & alibi sæpius, ut *l. Jurisperitos, ff. de excusat. tutt. l. 8. ff. de vocat. l. 39. ff. de pœnis. l. 17. ff. de questionib.* Tandem καθ᾽ ἐξοχὴν PRINCIPES MAGNI vocabantur. *Julian. in Misopog.* Κέκλημαι ἐδῖν, καὶ ταῦτα βασιλεὺς ἀκόων μέγας. *Apulejus lib. 10. Miles. p. m. 219. Literas ad MAGNUM scriptas PRIMCIPEM Romam perlaturum. Idem lib. eod. pag. 251. De literis fausta vota præfatus PRINCIPI MAGNO, Senatuique, & Equitibus, totique Populo Romano.*

Sed neque nomine solo populi auræ velificabantur, quin potius solliciti non minus erant, ne summam potestatem palàm ad nutum ac arbitrium suum redigendo ad funesta sibi patriæque consilia eum compellerent. Iccircò exstinctæ jam libertatis veluti reliquias conservando, omnia ita ordinabant, ut Reipublicæ facies non tam mutasse quam ad pristinæ formæ similitudinem iterum accessisse imprudenti populo persuaderetur. Ejusmodi σχήμματα πολιτικὰ & libertatis simulacra prolixè persequitur *Excellentiss. Dn. Præses, Mæcenas noster omni cultu venerandus, in Comment. ad Tacit. annal. lib. 1. cap. 2.* Præcipua eo spectabant, ut adfectatæ Tyrannidis, aut eversæ saltem libertatis invidiam amolirentur. Ne igitur ab unius arbitrio Respublica pendere videretur, majoris momenti pleraque civitatis statum spectantia cum Senatu communicabant, factâ illi liberrimè sententias ferendi copiâ, ut ita secundum veterem morem SCta conderentur, Principe nihil aliud agente, quam vel ut rem in Senatu referret, vel suam pariter cum cæteris sententiam exprOmeret. Hanc in rem celebrantur ORATIONES PRINCIPUM ab *ipsis* in Senatu habitæ, quæ nunc exercitii hujusce nostri argumentum erunt, dum quæ è mediâ antiquitate & historiâ Romanâ eò pertinere visa fuerunt, quantum per ingenii mediocritatem ac temporis rationem licuit, congerere ac uno velut florum

florum corpuſculo connectere animus eſt. Et cum ab hiſce non adeò abludant antiqua Germanicorum Comitiorum inſtituta, non incongruum arbitratus ſum, de iis etiam paucula quædam adſpergere: Id quod fel: . fauſtumq; eſſe jubeat ſummum Numen.

Quod igitur ORATIONES Principum Romanorum attinet, diverſa earum reperiuntur genera. Siquidem cum Principatum ſuſcipiebant, moris erat, ut Senatum inaugurali velut oratione compellarent, quâ de collato ſibi honore gratias agebant, ſeque Imperium ad Patrum Populique ſententiam adminiſtraturos ſpondebant. Cujusmodi illa fuit Caligulæ Oratio, quam quotannis legi SCto cautum fuit: *Dio lib. 59. pag 641.* De Severo ſcribit *Herodian. lib. 2. cap.* 14. Cum imperium ſuſcepiſſet curiam intraſſe, ibique Orationes recitaſſe, Ἐπιεικεῖς πάνυ καὶ χρηστῶν ἐλπίδων μεστάς. Ineptiſſimam de ſe ſuisque laudibus Juliani Orationem vid. apud Dion. lib. 73. pag. 843. Cui non abſimilis multum Commodi illa, apud *Xiphilin. in Commod.* nec non ejuſdem notæ credo fuiſſe aliam Vitellii, de quâ *Tacit. hiſt. l. 2. c. 90. Magnificam Orationem habuit de ſemetipſo, induſtriam temperantiamque ſuam laudibus attollens.* Erant quædam objurgatoriæ, quando Senatum increpabant: Qualis eſt Severi apud *Herod. l. 3. c. 8* & *Claudii* apud *Tacit. ann.* 16. c. 27. Aliæ, quibus ſe excuſabant Senatui de facinore perpetrato, ut Antonini apud eundem *Herod. lib.* 4. *cap.* 5. Laudati aliquando oratione Principis, qui ſe ipſos Senatu propter rem domi anguſtam moverant: *Tacit. annal.* 12. *cap.* 52. De faſtigio & eminentiâ Imperii Romani Orationem aliquando Claudium habuiſſe ſcribit *Tacit. annal.* 12. *cap.* 11. Et ſunt earum exempla præterea non minori numero obvia etiam in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, quæ huc cumulare, ſi diſquiſitionis modus pateretur, in proclivi foret. Cæterum quæ præcipui ponderis Orationes erant, Rempublicam, ac civitatis ſtatum ſpectabant potiſſimum, nihilque aliud continebant, quam varia rationum momenta, quibus Princeps Senatum ad hoc vel illud publici boni causâ inſtituendum vel abolendum, perſuadere nitebatur, ut ita ſecuto Patrum conſenſu Principis voluntas Senatus Conſulto confirmaretur. Egregiè hanc in rem ſcribit *Scipio Gentil. in orat. 3. de L. Reg. p. m. 52. Hoc ego pri-*

mum juris condendi simulacrum ac genus usurpasse Impp. video, quod valde mihi populare videtur, & ex veteris Reipubl. imagine relatum: quasi enim rogatio quædam erat hoc Orationum institutum.

Hæc autem consuetudo in universum inde principio manasse videtur, cumprimis Monarchiæ initiis inter cætera libertatis simulacra Principes etiam antiquarum dignitatum ac officiorum honorem tueri inter præcipua haberent, ipsimet quoque ea in se recipiebant, Consules se renunciari patiebantur, & Tribunit. potest. præditos, ut hâc ratione citra invidiam aut affectati dominatus suspicionem, ea tamen suscipere possent, quæ firmandæ paullatim quam moliebantur, potentiæ conducere videbantur. Detegit nobis arcanum hoc *Dio lib. 53. pag 507. Ne videantur*, inquit, *Impp. ex potentiâ potius, quam Legibus habere omnia, quæ in populari Reipubl. formâ multum valuerant, Senatu populoq; volentibus, ea cum ipsis nominibus in se recipiunt: Consules enim fiunt sæpenumero &c. ac ita hoc nomine omnia quæ Consulibus aliisque cum pleno imperio Magistratibus facere licet, agendi jus habent:* Paucis interjectis: *At tribunitia potestas quam clarissimus quisq; Imp. olim habuit, effecit, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ipsorum sententiam moventur possint, ac sacrosancti sint.* De hoc Tribunitiæ potestatis jure ita *Tacit. annal. 3. cap. 56. n. 1. Id summi fastigij vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret.*

Atque ex hoc jure fluxit, ut Senatum, quo tempore vellent, convocare possent. Hoc enim in libera Republica præter alios Magistratus etiam Tribuno plebis concessum fuisse, constat ex *Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. A. Gell. N. A. lib. 14. cap. 7.* Cum verò Tribunatus hic perpetuus ipsis esset, ut perpetuo quoque hoc jure gauderent, sub illius dignitatis autoritate quam alterius, quæ certo tempore terminabatur, Senatum convocare maluisse fit verisimile. Ita enim de Tiberio *Sueton. in vit. cap. 22. Jure autem Tribunitiæ potestatis coacto Senatu incoataque allocutione repentè velut impar dolori congemuit.* Deque eodem etiam *Tacit. annal. 1. cap. 7. n. 3. Ne edictum quidem quo Patres in Curiam vocabat, nisi Tribunitiæ potestatis præscriptione posuit, sub Augusto acceptæ.*

Jure autem Consulatus, quo tempore hoc munere fungebantur, in Senatu referre poterant; quæ tamen facultas postea

postea quoque ipsis propria ac perpetua facta fuit, ut jus referendi in Senatu integrum ipsis esset, quamvis non Consulibus. Idque jam tum Augusto tributum fuisse testatur *Dio lib. 54. pag. 518. Eapropter Senatus Augusto hos decrevit honores, ut Tribun. pl. perpetuus esset, & quoties Senatus haberetur, etiamsi Consulatum non gereret, de unâ re, quâ vellet, referre posset.* Quem locum malè intellexisse, qui ita verterunt, *de quibuscunque rebus vellet*, notat *Casaubon. in Suet. Cæs. cap. 20.*

Apparet autem hanc primam ferme consuetudinis hujus fuisse originem; Siquidem quoties in Senatu referebant, non his solum verbis id factum, ut in libera Republica consuetum erat: Referimus ad vos P. C. super eâ re quid fieri placet; *Brisson. form. Rom. lib. 2. pag. 164.* Sed ipsi rationes simul expromebant, quibus Senatum permoveri posse rebantur. Colligere id licet *ex Dione lib. 57. pag. 603.* ubi de Tiberio, *Suo*, inquit, *arbitrio perpauca agebat, de rebus etiam minutissimis ad Senatum referebat, posito in foro tribunali, in quo sedens jus diceret.* paucis interpositis: *Propositâ suâ in medium sententiâ omnibus contradicere liberum relinquebat.* Facit in rem hanc *Tacit. lib. 4. annal. cap. 36. n. 8. Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul rogandâ novâ lege disseruit Cæsar.* Ipsam deinde Orationem subjungit, eâdem de Lege habitam. Similis locus est & *annal. lib. 11. cap. 32. n. 4. Retulit deinde ad Senatum super Collegio aruspicum, ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret. &c.* ubi ipsa porrò habitæ orationis verba subjungit autor. Imp. *Julianus de se ipso ep. 29.* διειλέχθην δὲ ὀλίγα τῇ βουλῇ περὶ θεοσεβείας· ἀλλὰ τοῖς λόγοις ἐπῄνεσαν μὲν ἅπαντες ἐπείσθησαν δὲ αὐτοῖς ὀλίγοι πάνυ. i. e. *Cum Senatu pauca de religione disserui, & laudarunt quidem omnes orationem meam, pauci verò consensere.*

Cæterum in libera Republica *autores sententiæ* dicebantur illi, qui de re aliqua consilium suum rationum argumentis subnixum in medium adferebant, atque ita Senatum in suas partes inclinabant; Quemadmodum *Cicero in Pison. cap. 15. De me Senatus ita decrevit autore & ejus sententiæ Principe Pompejo. Idem pro Balbo cap. 16. Harum ego sententiarum Princeps & autor fui.* Pari ratione tum quoque Senatus cum decreta sua populo proponebat, *autor fieri* dicebatur, & decreta *au-*

 ctori-

ctoritates. Prolixe eam antiquitatem annotavit *Dio Caff. lib. 55. pag.* 549. D. ubi inter alia hæc: *Dicta etiam fuit autoritas cum Trib. pleb. intercessissent, nam hic quoque cum SCtum fieri nequiret, tamen sententiam suam Senatus nolebat occultam esse, quæ deinde more Romano rata fieret ac SCti nomen acciperet, idque ab antiquis multo tempore observatum, nostra ferè ætate exolevit.* Pertinet huc locus *Cicer. ad fam. lib.* 1. *epist.* 7. *Quoniam SCtum nullum extat, quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta sit, eaque quæ de ea scripta est Autoritas, cui scis intercessum esse ut ne quis omninò Regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum quàm constantis Senatus consilium fuisse videatur.* Nimirum ita solent Romani scriptores cum accuratè loquuntur Senatus autoritatem, à SCtis discernere, quam diversitatem negligentius prætervectus *Brissonius.* quo nomine vapulat *Jano Langla. Semestr. lib.* 7. *cap.* 12. Alia erat quæ dicebatur Senatus auctoritas, quando populi placita ut auctoritatem obtinerent, confirmanda essent ejus ordinis auctoritate, qui & nobilitate & prudentia in republica emineret, consiliique publici dominus esset constitutus. Perelegantia eam in rem sunt loca bina *Sallustij Orac. 2. de republ. ordin. & Ciceron. lib. 3. de LL.* 12. quæ observavit *Excellentiss. Dn. Præses comm. in Tacit. annal.* 1. *in not. polit. add. Guilielmus Bellendin. de statu lib. 3. qui inscribitur Ciceronis Consul, Senator, Senatusque Romanus cap.* 23. Græci utramque significationem pariter eodem vocabulo exprimunt: Autoritatem enim hanc vocant illi προβούλευμα. Quod priorem significationem attinet, plana ea est ex *Suida*: προβούλευμα, inquit, τὸ ὑπὸ τῆς βουλῆς ψηφισθὲν πρὶν εἰς τὸν δῆμον εἰσενεχθῆναι. De altera constat ex *Plutarch. in Coriolan. p.* 227. *lit.* D. ὁ δῆμος ἄκυρος ἦν τοῦ ψῆφον καὶ νόμον τι ποιεῖν ἄνευ προβουλεύματος.

Cœpit hoc postea Impp. tribui, ut quoties de re quâpiam Orationes in Senatu haberent, *autores fieri* dicerentur. *Tacit. annal.* 3. *cap.* 13. *Considius Æquus, & Calius Cursor, Equites Romani quod fictis Majestatis criminibus Magium Pretorem petivissent, autore Principe,* ac *decreto Senatus puniti. add. annal.* 15. *cap.* 22. *lib.* 3. *Hist. cap.* 8. *lib.* 4. *cap.* 13. *Sueton. Otton. cap.* 8. *in Vespas. cap.* 11. sic & *Ulpianus in fragment. tit.* 25. §. 28. *Civitatibus omnibus quæ sub Imperio P. R. sunt, legari potest, idque à D. Nerva introductum. postea à Senatu autore Adriano diligentius constitutum est.*

est. Id. in lib. 32. ff. de donat. inter vir. & uxor. Imperator *noster Antoninus Augustus, ante excessum D. Severi patris sui, Oratione in Senatu habitâ autor fuit Senatui censendi, ut aliquid laxaret ex juris rigore.* SCti *autore Trajano* facti meminit *lib. 5. Cod. de magistratib. conven.* Et aliud *autore Adriano* factum memoratur in *lib. 1. C. de petit. hæred.* sic *in lib. 5. Cod. de excusat. tutt. Amplissimus ordo autore Marco censuit.* Adde *Plin. lib. 2. ep. 7. Heri à Senatu Vestricio Spurinnæ Principe auctore triumphalis statua decreta.* Erat enim olim hoc jus statuas decernendi unum ex iis quæ Majestatis vocamus & in libera republica non nisi SCto, vel plebiscito fieri poterat, ut constat ex *Plin. N. H. lib. 34. c. 5. & 6.* Postea id auctoritate Principum fieri cœpit. vid. *Suet. in Calig. c. 34. Tacit. ann. 3. cap. 10.*

Atque ita ut diximus, quando quidem SCti aut constitutionis alicujus autor esse volebat Princeps, eam in rem Orationem coram Senatu habere solebat. Consignavit nobis ejusmodi quasdam *Tacit. annal. 3. cap. 12. & 47. lib. 4. cap. 37. 38.* Orationis Severi de rebus eorum qui sub tutelâ sunt non alienandis mentio est *in lib. 1. ff. de reb. eor. & l. 7. C. de præd. minor.* Hanc singulari libro exposuit Paulus, ut ex Florentino Indice & aliquot LL. inscriptionibus constat. Orationis Severi & Commodi meminit inscriptio *l. 20. de R. V.* cujus emendationem pete *ex Ampliss. D. Strauch. Patrono ac Præceptore quondam nostro omni cultu devenerando disp. de statut. à summ. Principe, n. 12.* Nobilis est & D. Pii Oratio de Professoribus *in l. 4. C. de Professorib. & Med.* Oratio Antonini fuit, ne quis messium vindemiar umq; tempore cogat ad judicium adversarium venire. *l. 1. ff. de feriis.* Alia ejusdem memoratur ab *Ulpian. fragm. tit. 27 num. 6* Oratione *Pertinacis cautum est, ne tabulæ* priores *jure facta irritæ fiant, nisi sequentes jure ordinatæ perfectaq; fuerint. §. 7. Inst. 96. mod. testam. infirm.* De quâ Oratione scribit *Capitol. in Pertinac. Legem tulit ut testamenta priora non prius essent irrita quam alia perfecta essent, neve ob hoc fiscus succederet, addiditq; SCto hæc verba; satius est P. C inopem remp. obtinere quam ad divitiar. cumulum per discrimina & dedecoris vestigia pervenire.* Imprimis multæ exstant D. Marci Orationes, qui legum curam multò maximam habuisse videtur: vide earum vestigia, in *l. 60. ff. de ritu nupt. l. 16. eod. l. 16. ff. de sponsalib.*

falib.l. pen. ad SCt. Tertull. l.8. de transact. l.7. de feriis. l.1.§.1. ne de statu defunctor. Capitolin. in Marco.

Observandum porrò, quod iccircò Principes Rom. inter prima studia sua, Eloquentiâ censuerint, eamque ut non in leve gloriæ decorisq; sui argumentũ valiturã maximi semper fecerint. Hinc eleganter *Symach.l.10.ep.21. Nos humi reptamus socco magis idonei quam cothurno, postquam facundia res esse cœpit Imperij. Musis in Palatio loca lautia data.* Inde fit ut plerumq; etiam inter laudes Imperat. à scriptorib. ponatur Eloquentia: *Sueton.* de Augusto, *in vit. c.84. Neq; in Senatu neq; apud milites nec apud populum locutus est unquã nisi meditata & compositâ Oratione, quamvis non ad subita deficeret extemporali facultate.* Tiberium iccircò Corvino Messalæ operam dedisse ait *id. in Tib.c.68.* Et de Cajo Calig. *in vit. c.53. Disciplinis liberalibus minimum, eruditioni ut & eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus & promptus.* De Claudio *id.in vit.c. 40. Principe nec infacundo nec indocto.* Domitianum vocat. *Principem ut in omnibus, ita & in Eloquentiâ eminentißimum Quintilian. Inst. Orat.l. 4.in proœm.Symach.l.1.ep.89. ad Antoninũ: Non incognito nobis eloquij splendore nituisti, sed magnis rebus accõmodata & majestate scripti apta, gloriã quam magisterio ante quæsivisti, recens auxit Oratio. Nam præter loquendi phaleras, quibus Te natura ditavit, simile quiddam planeque conveniens auribus Patrum, gravitate sensuum, verborum proprietate sonuisti. Ausonius in grat. act. ad Gratian. Aliqua Oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec majoris Gracchi cõmendabilior fuit modestia, nec Patris gravior autoritas, &c.* ubi prolixè Gratiani extollit eloquentiam. De Numeriano quoq; scribit *Vopisc.in vit. Hujus Oratio fertur ad Senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, ut illi statua non quasi Cæsari sed quasi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliothecâ Ulpiâ, cui subscriptum est, Numeriano Cæsari Oratori temporibus suis potentissimo. Incerti panegyr.ad Constant. August. Dicerem plura de Divinis Orationib. tuis, ac oblata potius quàm impetrata benignitate, nisi mallem dicta reticere dum facta propero laudare: Quamlibet verba tua in Senatu habita nobis nota sint, tamen qualia fuerint, clementiæ Tuæ gloria nunciavit* Pateretur hic locus ut in illud dicendi genus quod ejusmodi fastigio conveniens, ὡς ἐν παρόδῳ digrederemur; Est enim, ut ait *Quintilian Inst. Orat.l.11.c.1. in Eloquentiâ quod Principem decet, quod aliis nos concesseris.*

Sed

Sed huic operæ supersedere satius existimo, dum quæ eâ de re adferri possint, exquisitissimo sanè judicio suo pridem examinavit *Excellentissimus Dominus Præses, in tractat. de Eloquentiâ Princip. Romanor. add. comm. ad Tacit. ann. 1. cap. 7. num. 5.* Non audiendus *P. Diaconus* qui *lib. 2.* solum post Julium Cæsarem in Senatu Orationes recitasse scribit Julianum: Primus enim ex Impp. Nero aliorum operâ in conscribendis Orationibus usus, id quod vitio ipsi datum fuit. Notat *Tacit. annal. 13. cap. 3. Annotabant seniores primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem alienæ facundiæ eguisse. Nam Dictator* Cæsar, *summis Oratoribus æmulus, Augusto prompta ac profluens, quæ Principem decet Eloquentia fuit: Tiberius artem quoque callebat, quâ verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus: Etiam* C. *Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio quoties meditata dissereret Eloquentiam requireres.* Hoc autem operæ Nero Senecæ ut plurimum injunxit: *Tacit. annal. 13. cap. 11. Nero clementiam suam Senatui crebris Orationibus obstringens, quas Seneca testificando, quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii voce Principis vulgabat.* Ita & Orationem illam quâ se excusavit Senatui de cæde in matrem patratâ à Seneca confectam colligas ex *eod. annal. 14. c. 11.* Et meminit quoque Orationis illius *Quintilian. J. O. lib. 8. c. 5. Qualis est Seneca in eo scripto quod Nero ad Senatum misit occisâ matre, cum se periclitatum videri vellet, salvum me esse adhuc nec credo nec gaudeo.* De Trajano scribit *Julian. in Cæsarib.* ὁ δὲ καίπερ δυνάμενος λέγειν, ὑπὸ ῥαθυμίας ἐπιτρέπειν γὰρ εἰώθει τὰ πολλὰ τῷ Σούρᾳ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ i. e. *quamvis dicendo valuerit, solebat tamen propter ignaviam in mandatis dare Suræ, ut quam plurima suo nomine Oratione ornaret.* De Domitiano testis *Sueton. in vit. cap. 20. Præter commentarios & acta Tiberii nihil lectitavit, epistolas, Orationes & Edicta alieno formabat ingenio.* Vitellium Trachali cujusdam operâ usum autor est *Tacit. histor. lib. 1. cap. 90.* De Maximino indicat *Herodian. lib. 7. c. 8.* ὁ μέντοι Μαξιμῖνος συγκαλέσας πάντα τὸν στρατὸν εἰς τὸ πρὸ τῆς πόλεως πεδίον προσελθὼν τῆς τρίτης ἡμέρας ἀνελθών τε ἐπὶ τὸ βῆμα, ἐπιφερόμενος τὸ βιβλίον, ὅπερ αὐτῷ ἦσαν συντάξαντές τινες τῶν φίλων ἐξ ἀναγνώσεως ἔλεξε τοιάδε. i. e. *Tertio die convocatis in campum militibus suis Maximinus tribunal*

conſcendit, atque ex libello Orationem ab amicis compoſitam, in hanc ſententiam recitavit. Apparet autem ex hiſce id muneris tum quidem nondum certo cuidam ex Auguſtæ domus miniſtris demandatum, ſed eo plerumque functos eſſe, qui Principem locum in amicitiâ Impp. tenuère. De Adriano ſcribit *Ael. Spartian. in vit. Trajani cum eo familiaritas crevit, cauſa præcipuè Orationum, quas pro Imperatore dictaverat.*

Uti verò nonnunquam ipſi principes coram Senatu orationes ſuas recitare amabant; Ita ſæpius evenit etiam, ut per abſentiam, aut alio impedimento diſtracti, hoc officium alteri injungerent. De Auguſto *Sueton. in vit. cap.* 84. *Neque in Senatu, neque ad milites, neque ad populum locutus eſt unquam, niſi meditatâ & compoſitâ Oratione: Ac ne periculum memoriæ adiret, aut diſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia.* De Tiberio teſtis *idem in vit. cap.* 23. & de Claudio ſimiliter *in vit. cap.* 23. & 42. Ipſis vero Principibus impeditis, Quæſtori incumbebat, eas coram Senatu recitare. De Auguſto ſcribit *Dio lib.* 54. Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον αὐτὸς οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ τοῦ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμίᾳ ἀναγνῶναι τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. id eſt: *Convocato Senatu ipſe gravedine laborans, nihil locutus, Quæſtori libellum dedit recitandum: Eo recenſebantur res ab ipſo geſtæ.* Indicat hoc Quæſtoris munus etiam *Sueton. in Tit. cap.* 6. *Filius ejus recepta ad ſe omnium officiorum curâ cum Patris nomine epiſtolas ipſe dictaret, & Edicta conſcriberet, Orationesque ſæpiſſimè etiam in Senatu Quæſtoris vice recitaret.* Suidas in Κλαύδιος. οὐ πάντα ὅσα εἰς τὸ συνέδριον εἰσέφερεν αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμίᾳ ὥσγε πλήθει ἀναλέγεσθαι ἐδίδου, ὅσα δ᾽ αὐτὸς ἀνεγίνωσκε καθήμενος ὡς τὸ πολὺ ἐπελέγετο. i. e. *Non omnia, quæ in Senatu referebat, ipſe legit, ſed legenda ut plurimum tradebat Quæſtori, quæ verò ipſe legebat, plerumque ſedens recitate ſolitus. Symmach. lib.* 10. *epiſt.* 2. de ſeipſo ad Gratianum: *Scio amore factum, quo Summates Viros plerumque dignamini, ut ſacræ Orationi veſtræ Lector adhiberer: Sed cum intelligo ſermonem illum præminere omnimodo ſcriptis aliis, quæcunque ad hoc locorum Senatus audivit, me quoque arbitror pluris habitum quàm cæteros.* Pertinet huc locus *Sidon. Apollin. in Paneg. major. verſ.* 62.

.... cujus

—— *cujus dignatur ab ore*
Cæsar in orbe loqui, licet & Quæstore diserto
Polleat.

Paullatim verè non legendis solum, sed & conficiendis Orationibus adhibitos fuisse Quæstores arbitror: Siquidem in illis præcipuè Eloquentia commendabatur. Eleganter *Cassiodor. lib. 5. variar. 4. Ingenio Principis servit, quod universa superat, illius ore loqui cogitur, cui nullus invenietur similis.* Et lib. *6. epist. 5. O quam arduum est subjectum, verba dominantis assumere, loqui posse, quod nostrum credatur? Si quid dubitamus, à Quæstore requirimus; qui est thesaurus famæ publicæ, armarium legum, paratus semper ad subita; & ut ait* Tullius, *Magister eloquentiæ. Nam si Oratoris proprium est graviter & ornatè dicere, ut possit animos judicum commovere, quantò facundior debet esse, qui ore Principis populos noscitur admonere? Talem denique oportet esse Quæstorem, qualem portare Principis decet imaginem: Nam si nos, ut adsolet, causam audire contingat, quæ autoritas erit linguæ, quæ sub oculis regalem genium implere possit?*

Cæterum qui ad hanc admoti erant dignitatem, Candidati Cæsaris seu Principis dicebantur: Sic *Vellej. lib. 2. cap. 23. Quo tempore*, inquit, *mihi fratrique meo Candidatis Cæsaris proximè à nobilissimis ac Sacerdotibus viris destinari Prætoribus contigit. Lamprid. in Alex. Quæstores Candidatos ex suâ pecuniâ jussit munera populo dare.* Consule de eorum munere *Gutber. de offic. dom. Aug. lib. 2. cap. 18. Panciroll. in notit. Imp. orient. cap. 72.* Dicebantur autem Principum Candidati, quod ex eorum commendatione absque ambitu & repulsâ essent designandi: Inde jocus ille *apud Quintilian. Inst. Orat. 6. cap. 3.* ubi negligenter pilam petenti, dixit alter, *sic petis tanquam Cæsaris Candidatus.*

Recitatis porrò in Senatu Orationibus, ordine rogabantur sententiam Patres, atque ita ritè peractis omnibus SCtum fiebat. Manasse id videtur ex consilio præcipuè Mæcenatis, qui in præclara Oratione illâ apud *Dion. lib. 52. pag. 485. Per Senatum*, inquit, *fac omnia, quæ decernuntur, nec omninò quicquam æque ad omnes pertineat, quam SCta, sic enim & majestas Imperii magis confirmabitur.* Nimirum ut con-

ſtitutionibus ſuis eò majorem adderent autoritatem, nec ſibi omne Legum arbitrium vindicare viderentur, prudenter eas Senatus autoritate munire volebant. Illuſtrat rem *Tacit. annal.* 12. *cap.* 14. *Eodem anno ſæpius audita vox Principis, parem vim rerum habendam à Procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet, & ne fortuitò prolapſus videretur, SCtô quoque cautum, plenius quàm antea & uberius.* Iccircò & alia Principum Edicta nonnunquam SCtis confirmabantur, ut illud Auguſti, ne fæminæ pro viris intercederent. *lib.* 2. *ff. ad SCtum Vellejan.*

Non ante igitur vim Legum obtinebant Orationes Principum, quàm SCto confirmatæ eſſent. Exemplorum hanc in rem affatim nobis ſuppeditat hiſtoria Romana: Innuit *Tacit ann.* 1. *cap.* 6. *Multa ſine dubio ſævaque Auguſtus de moribus Agrippæ conqueſtus, ut exilium ejus SCto confirmaretur, ſanxit.* De Claudio *id. lib.* 11. *cap.* 18. *Retulit deinde ad Senatum ſuper Collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: & factum ex eo SCtum, viderent Pontifices, quæ retinenda firmandaque aruſpicum.* Sed illuſtre eſt hujus antiquitatis exemplum *apud eund. lib.* 11. *annal. cap.* 22. *Cum de Gallia comata primoribus, num in urbe ad honores admittendi eſſent, multus eſſet variuſque rumor, & ſtudiis diverſis apud Principem certaretur, aſſeverantium, non adeò ægram Italiam, ut ſuppeditare urbi ſuæ nequiret, ſuffeciſſe olim indigenas conſanguineis populis &c. His atque talibus haud permotus Princeps, etiam ſtatim contra diſſeruit, & vocato Senatu ita exorſus eſt: Majores mei &c. Orationem Principis ſecuto Patrum conſulto primi Ædui in urbe Senatorum jus adepti ſunt. add. Sueton. Tib. cap.* 48. Atque inde ſolent Juris Civilis interpretes diſſidium hoc componere, quando quod hoc loco SCtis tribuitur, alibi Orationibus Principum adſcribitur. Vid. ejuſmodi exempla apud *Briſſon. lib.* 1. *ſelect. antiqu. cap.* 16. *Gothofred. in lib.* 7. *C. de præd. minor.*

Præterea, quoniam ſæpius Româ abeſſent Principes, ut ipſi quæ ex re publicâ credebant præſentes Senatui exponere non poſſent, per literas eum de ſuâ ſententiâ reddebant certiorem: Quod genus literarum nonnunquam epi-

epistolæ, nonnunquam orationum nomine venit. *Juven. Sat.* 10. *verf.* 71.

—— Verbosa & grandis epistola venit
A Capreis.

Indicat epistolam Tiberii, qua se excusat Senatui ob repudiatos honores, quos ipsi detulissent. Eandem & *Xiphilin. in Tib.* vocat Epistolam. *Sueton. autem in Tib. cap.* 66. Orationem. Sic est apud *Tacit. annal.* 16. *cap.* 7. Oratio missa ad Senatum, & *apud eundem annal.* 3. *cap.* 53. Tiberius de lege quâdam Senatum per epistolam consulit. Sic & in *l.* 2. *C. Theod. de Curator. Calendar.* est, Oratio missa ad Senatum. Antonini talis exstat Oratio apud *Vulcat. Gallican. in Avid. Cass.* Hæ verò Epistolæ hoc nomine quoque naturam ac similitudinem Orationum referebant, quod pariter SCtis confirmandæ essent. *Vopiscus in Aurelian. Sabinus Prætor urbanus dixit: Referimus ad Vos P. C. suggestionem & Aurelij Principis literas, quibus jubetur, &c. Interrogati plerique Senatores, sententias dixerunt, quas longum est innectere: Deinde aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, aliis verbo consentientibus, factum est SCtum.* Geminum huic alterum est exemplum apud *eund. in Probo.* vid. verba in contextu. *Aelius Scorpianus Cos. dixit: Audistis literas P. C. Aurelii Probi, de his quid videtur? Tunc acclamatum est, Probe Auguste, Dii Te servent, &c. Posthac Manlius Mucianus, qui primæ tunc erat sententiæ, Senator ita locutus, &c. Posthac acclamatum est, Omnes, Omnes.* Addo tertium ex *Capitolin. in vit. Maximin. SCti hoc fuit exemplum; Cum ventum esset in ædem Castorum, acceptas literas, Junius Syllanus Cos. ex Africa Gordiani Imp. Patris Patriæ, recitavit; Lectis literis Senatus acclamavit: Gordiane Auguste, Dii Te servent! Item Cos. retulit, P. C. de Maximino quid placet? Responsum est, hostes! hostes! hinc SCtum perfectum est.*

Denique peractis omnibus perfectoque SCto publicè promulgabantur Orationes, & in perpetuum decus Principum, æreis tabulis incidebantur. *Dio Cass. lib.* 6. *p. m.* 668. *Tunc etiam Kalendis Januar. cum recitarentur ex SCto Orationes quædam Augusti atque Tiberii, ut ita ad vesperam usque Senatus*

 deti-

detineretur, finem imposuit, satis esse dicens, eas tabulis incidi. Plin. in Paneg. cap. 75. Sed quid singula consector & colligo? Quasi aut oratione complecti aut memoriâ consequi possem, quæ Vos P. C. ne qua interciperet oblivio, in publica acta & incidenda in ære censuistis. Ante Orationes Principum tantùm ejusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant, acclamationes quidem nostræ parietibus curiæ continebantur. Specialis honos Neroni habitus, cujus Oratio argenteæ columnæ incisa fuit, teste *Xiphilin. in Neron.* Vetustum ejusmodi tabulæ exemplum Lugduni adhuc in æde Lateranensi conspicuum, exhibent *Lipsius in lib. 11. ann. Tacit. p. 279. Guther. de offic. dom. Aug. lib. 1. cap. 30.* Consuetudinis hujus originem à liberæ Reipubl. tempore arcessendam esse facilè patet, quippe cum quævis SCta, & quæ promulgabantur Leges publicè æreis tabulis incisæ proponerentur: Unde *Cicero Philipp. 1. cap. 26. Quid tum? quod tum ita gestum erit, id Lex erit, & in æs incidi jubebitis? & in Catilin. 3. cap. 19.* inter prodigia recenset, quod *Legum æra liquefacta essent.* Unde postea honori Principis hoc datum etiam ut Constitutiones ejus æri inciderentur. *Plin. lib. 34. N. H. cap. 9. Usus æris ad perpetuitatem monumentorum jampridem translatus est, tabulis æneis in quibus publicæ constitutiones inciduntur. Senec. lib. 3. de benef. cap. 4. Magis autem illa constitutio rata erit, quam si in æs incidissem.* Præmittebantur autem Orationes Principum ac postea SCta de hisce facta subjungebantur, quod non obscurè colligitur ex *Plin. lib. 8. epist. 6. Ea,* inquit, *quæ quarto Kalend. Febr. quæ proximæ fuissent, in amplissimo ordine Optimus Princeps recitasset, Senatusque Consulta de his rebus facta in æs inciderentur, idque æs figeretur ad statuam loricatam D. Julii. Parum visum tantorum dedecorum curiam esse testem: delectus est celeberrimus locus, in quo legenda præsentibus, legenda futuris proderentur. Placuit ære signari omnes honores fastidiosissimi mancipii, quosque repudiasset, quosque quantum ad decernentes pertinet gessisset. Incisa & insculpta sunt publicis monumentis prætoria: sic quasi fœdera antiqua, sic quasi sacræ leges.*

Atque ita hactenus expedivisse nos reor ea, quæ ad historiam veterem de Orationibus Principum illustrandam per-

pertinere visa sunt: Reliquum est ut hæc ad censuram Politicam vocemus, & illam speciosis admodum coloribus adumbratam libertatis imaginem, quibus imprudenti populo fucum facere amabant Principes, paullò altiùs contemplemur. Enimvero, quod jam in limine dissertationis attigimus, inter præcipua hoc Augustæ domus arcana fuit, eversa exstinctaque libertate, inania libertatis simulacra ostentare: Unde *Dio lib. 45. pag. 277. Imago quadam libertatis proponebatur dum omnia ex potentia agebantur. Et Tacit. in fin. lib. 1. annal. Speciosa verbis, re inania ac subdola, quantoque majore libertatis imagine tegebantur tantò impensius ad servitium eruptura.* Inter ea vero simulacra non ultimum erat, quod Senatus munia ac autoritatem, multis quantumvis partibus defloratam ipsi Principes fovere ac conservare videri saltem volebant, eo consilio ne pristina Reipubl. species uno velut ictu incisa diceretur, id quod grave nimis futurum esset populo, nondum exoleta in animis dulci libertatis memoria. Quem Consilii finem innuit *Mæcenas apud Dion. lib. 52. pag. 546.* ubi de ejusmodi simulacris sermonem habet, eaque duplici ratione Augusto commendat: τῆς δὲ τῶν πατρίων μνήμης ἕνεκα, καὶ τοῦ μὴ παντελῶς τὴν πολιτείαν μεταλλάττειν δοκεῖν, *partim ad conservandam institutorum patriorum memoriam, partim ne penitus respubl. & status omnis immutari videretur.* Nimirum idcircò non temere nec non communicato ante cum Senatu consilio ad Legum curam aut arduas res suscipiendas prolabebantur, sed ea prius in medium adferebant, facta singulis sententiæ dicendæ, copia: Cujus consilii quoque autorem Augusto fuisse Mæcenatem argumento est ipsius Oratio apud *Dion. lib. 52.* ubi hoc quoque inter alia Augusto commendavit: Id quod sequi etiam non detrectavit teste eodem *lib. 53. pag. 520. Non omnia*, inquit, *proprio arbitrio egit, multa publicè deliberanda proposuit, ut, si quid aliis displiceret, id corrigere possent: omnes verò adhortatus est ut suum sibi consilium aperirent, si quid rectius invenirent, libertatem omnem eis concedens, eorumque motus sententiis quadam quoque retractavit.* Par quoque ingenium in Tiberio laudat idem *lib. 57. pag. 603. Propositâ suâ in medium sententia non tan-*

tantum omnibus contradicere liberum relinquebat, sed ferebat quoque aliquando contraria suæ sententiæ decreta fieri &c. Quin imò eo res devenerat ut Thrasea disertè in has voces prorumperet: *Egregio sub Principe nulla necessitate Senatum esse obstrictum. Tacit. annal.* 14. *cap.* 48. ad quem ipsum Thraseam & Helvidium Priscum *Tacit. in Agric. cap.* 2. *vocem P. R. & Senatus libertatem refert.* De Nerone scribit idem *annal.* 13. *cap.* 4. *Nihil*, inquit, *in penatibus suis venale aut ambitioni pervium: discretam domum & Rempubl. teneret antiqua munia Senatus; Coss. tribunalibus Italiæ & Provinciæ publicæ adsisterent* &c. paullò post: *nec defuit fides, multaque arbitrio Senatus constituta sunt.* Quam plena callidæ adulationis vox illa Othonis apud eund. *Hist. lib.* 1. *cap.* 84. *Æternitas rerum & pax gentium & mea cum vestra salus incolumitate Senatus firmatur: Hunc auspicato à Parente & conditore urbis nostræ institutum & à Regibus usque ad Principes continuum & immortalem sicut à majoribus accepimus, sic posteris tradamus.* Cæterum ecquis diffiteatur hasce & adfines orationes alias *plus dignitatis quam fidei habuisse*, ut notat *Tacit. annal. lib.* 1. *cap.* 11. æque ac illa adscititia Principum modestia, & ostentatum libertatis studium: Neque enim aliter cum Senatu egisse videntur quam cum populo: Siquidem nec huic libertatis suæ antesignani adempti erant, sed mansit Tribunor. pleb. nomen ad Constantini usque tempora, ut observat *Onuphrius in comm. fast. lib.* 1. *ad ann.* 261. dabaturque iis etiam intercedendi facultas. Ostendit *Tacit. lib.* 1. *annal. cap.* 77. *Actum*, inquit, *de ea seditione apud Patres, dicebanturque sententiæ, ut Prætoribus jus virgarum in histrionibus esset: Intercessit Haterius Agrippa Trib. pl. increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea libertatis simulacra Senatui præbebat.* Illustrior locus est apud *Dion. lib.* 57. *p. m.* 646. ubi pœnas in Astrologos exercitas refert: *Nisi*, ait, *Trib. pl. intercessisset, etiam contrà quàm consuerat Tiberius omnes cives impunitatem fuisse habituros*; &c. Et quamvis *Tacit. hist. lib.* 1. *cap.* 55. *Senatus populique obliterata jam nomina* dicat, nihilominus tamen de Macrinô refert *Herodian. lib.* 5. *cap.* 1. ἐποίησε δὲ καὶ δημόσια γράμματα πρός τε τὸν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν σύγκλητον.

Cæte-

Cæterum ut ad Orationes Principum revertamur, hisce pariter nec fides nec sinceritas inerat, dum Principes gnari erant quantum nutui ipsorum intentus esset Senatus, ut tantum abesset, ut ipsorum Orationibus obloquerentur, ut potius nescio quibus non verborum lenociniis ac divinis laudibus eas in cælum extollerent: Hinc Pisonis illa vox emortuæ libertatis luculentissimum argumentum præferens: *Quo loco censebis Cæsar? si primus habebo quod sequar, si post omnes vereor ne imprudens dissentiam Tacit. ann. 1. cap.* 34. Adumbrat adulationem eam *Idem lib. 3. annal. c. 31. Cæterum*, inquit, *tempora illa adeò infecta fuere ut non modo primores civitatis quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes Consulares, & magna pars eorum qui Prætura functi, multique etiam pedanei Senatores certatim exsurgerent, fœdaque & nimia censerent: memoriæ proditur, Tiberium quoties curiâ egrederetur, græcis verbis in hunc modum eloqui solitum: ô homines ad servitium paratos! scilicet illum quoque qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat.* Nec aliter describit temporum illorum miseriam *Plin. lib. 8. epist.* 14. *Iidem prospeximus curiam trepidam & elinguem, cum dicere quod velles periculosum, quod nolles etiam miserum esset; Quid tunc disci potuit? Quid didicisse juvit, cum Senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur: & modo ludibrio modo dolori retentus, nunquam seria, tristia sæpe censeret?* Quo pertinet ejusdem querela in *paneg. cap.* 72. *Quis ante loqui, quis hiscere audebat? Præter miseros illos qui primi interrogabantur, cæteri quidem defixi & attoniti ipsam illam mutam & sedentariam assentiendi necessitatem quocum dolore animi, quocum totius corporis horrore perpetiebantur, unus solusq; censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent.*

Unde facile constat, qualis fuerit Senatus autoritas, quantum de Legum potestate, de Reipubl. curâ participaverint: Nimirum omne id in manu Principum positum erat, qui quoties tenaciores suæ potentiæ essent, parum indulsêre Senatui, aliis paullò modestioribus hanc libertatis umbram Senatui facilè largientibus. Ab eâ modestiâ præcipuè suum commendat Principem, *Plin. in paneg. Illuxerat,*

inquit, *primus consulatus Tui dies, quo tu curiam ingressus, nunc omnes, nunc singulos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis Imperii curas, invigilare publicis utilitatibus & insurgere. Omnes ante Te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosâ tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat.* Hæc omnia ita in speciem adornata, populo quidem grata erant, sed in se spectata nihil potestati Principis derogabant. Ipse enim Princeps contentus erat consilii publici Dominum se esse, quemadmodum in liberâ Republ. Senatus erat: Nimirum ita ut Senatus nihil auderet, cujus ipse non esset autor. Illustria hanc in rem sunt loca *Taciti annal.* 13. *cap.* 8. *Per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, ut adversus malè meritos revocandæ libertatis jus Patronis daretur, nec deerant, qui censerent: At Coss. relationem incipere non ausi ignaro Principe, perscripsere tamen Senatus consensum: ille auctor constitutionis fieret. add. l.* 14. *cap.* 18. *lib.* 15. *cap.* 26. & consule *Langlaum semestr. lib.* 7. *cap.* 13. Hinc apparet, quomodo accipienda sint Vlpiani verba in *l.* 11. *ff. de Legib. Non ambigitur Senatum jus facere posse:* Hæc enim non ad historiam juris antiquam pertinere videntur, ut sentit *Desider. Herald. lib.* 2. *de autorit. rer. judic. cap.* 1. & alii. Sed de suâ ætate locutum Vlpianum non potest dubitari, ita tamen, ut quid in speciem actum fuerit nullâ adhibitâ censurâ Politicâ referat: SCta enim ad Constantini usque tempora fuisse condita, testatur *Paganin. Gaudent. de Justin. sec. morib. part.* 2. *cap.* 14. Sed illa ad arbitrium Principum composita erant.

Apparet præterea quam insignem errorem errent, qui externis hisce schematibus decepti exstinctâ liberâ republ. non Monarchiam, sed Principatum fuisse inductum persuadere conantur: Quo errore sibi placet *Bodin.* 1. *de Rep. cap.* 8. iccircò notatus etiam *Excellentiss. Dno. Præsidi in Comment. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. Quantumvis enim talem mixturam in Nervæ imperio laudaverit *Tacit. in Agric. cap.* 3. quem ait, *res olim dissociabiles miscuisse, Principatum ac libertatem*: quò etiam ferè tendit, quod de Trajano *Plin. in paneg.*

Scis,

Scis, ut sicut diversa natura dominatio & Principatus, ita non aliis esse Principem gratiorem, quàm qui maximè Dominum graventur: Attamen ecquis non videat, quam oratoriâ arte hi ipsi sententiis ac laudationibus suis formam, habitum, vim & decus Principibus suis machinentur, ut judicat *Ampliss. Præses d. l.* add. *eund. ad Tacit. annal. 1. cap. 9. not. Pol. n. 7.* Ita consistit Dionis sententia, qui sub initium *lib. 52.* de Romanis asserit: post prælium Actiacum ἀκριβῶς μοναρχεῖσθαι αὖθις ἤρξαντο.

Antequam autem huc digredimur, & illud attendi meretur, quantumvis hoc Orationum institutum longo satis tempore usu receptum fuerit, eas tamen pedetentim à prima ac nativa sua forma ita desciviſſe, ut non nisi nomen ac speciem qualemcunque veterum illarum tandem referrent: Primis enim temporibus, id quod jam declaravimus, nullatenus ratæ erant, nec vim legum obtinebant, nisi Senatus autoritate ac consulto confirmatæ essent: Iccircò & Principes Orationes suas ita in Senatu proponebant, ut non certum jus constituere viderentur, sed quod constituendum erat, Patribus deliberandum exhibere. Id quod apparet ex iis, quæ supersunt, fragmentis; quale ἀποσπασμάτιον ex Oratione Adriani adfert *Ulpian. l. 21. ff. de heredit. petit. Dispicite P. C. nunquid sit æquius possessorem non facere lucrum & pretium, quod ex re alienâ perceperit.* Et in *l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel.* Orationis Severi hæc verba referuntur. *Præterea P. C. interdicam tutoribus, ne prædia rustica suburbana distrahant, nisi ut id fiat, Parentes codicillis vel testamento caverunt.*

Geminam planè speciem exhibent illæ, quas supra ex Tacito & cæteris scriptoribus citavimus. Cæterum insequenti tempore mutavit hæc rerum facies; Siquidem SCta non jam amplius sequebantur Orationes Principum, nec iis confirmandis adhibebantur, sed SCta Oratione Principis erant confirmanda, quam cognito Patrum decreto & consilio eam in rem ad Senatum mittebant. Ostendit *Symmach. l. 10. ep. 28. Superest, ut ea, quæ Serenitas Vestra Patribus deliberanda proposuit, cognito SCto Lex Augusta confirmet. Idem lib. 6. ep. 62. Super impetratis adhuc fferatur Oratio.* Prolixè autem in hanc rem facit *l. 8. Cod. de Legib. & Constit. Princ.* ubi Impp. Theo-

 dos.

dos. & Valentinianus, sui sæculi morem satis accuratè describunt. Et hi ferè Impp. ultimi reperiuntur, quorum orationes ad Senatum missas constat. Sic eorum est *oratio missa ad Senatum l. 2. de curat. Calendar. Cod. Theodos. & l. unic. C.Theod. de cretione vel bon. poss. hac Oratione sancimus*, add. *l. un. de Respons. prud. l. 8. de legit. hæredit. l ult. de revocand. donat. l. penult. & ult. de matern. bon. l. un. de bon. quæ filiofam.*

Ut tandem nunc ad Germanicorum quoque Comitiorum instituta deveniamus, quæ congregato Imperii Senatu ab Orationibus, quas Propositiones appellant, nomine Imperatoris recitandis exordium sumunt: Eas ipsas Propositiones cum Romanorum Principum Orationibus comparari posse putavit *Goldast. in replic. pro Imper. cap.* 11. quem tamen hoc nomine aliquot argumentis in contrarium adductis confutat *Arumæ. de comit. cap. 7. n. 3. & seqq.*

Qua occasione non incongruum erit, si illam in Imperio nostro Comitiorum rationem, tam eam, quæ remotioribus seculis in usu fuit, quam quæ nunc recepta est, paullò altius, succinctè tamen perscrutemur.

Ordiendum autem nobis erit à tempore demum Caroli M. cujus quippe auspiciis in unum corpus coalita Germania, initia ejus vastæ Reipubl. cujus laciniæ etiamnum supersunt, cœperunt. Is igitur posteaquam maximam partem Germaniæ, quæ nunc ita vocatur, Francorum imperio adjecisset, eâdem penè forma rempublicam constituit, qua Francia regebatur: Siquidem præter Abbates & Episcopos etiam Duces ac Comites, singulis regionibus in provinciæ formam redactis præfecit, quorum scil. virtute ac viribus adjutus, felicissima ubique arma circumtulerat, totque ditiones acquisiverat. Horum præcipua erant munera, Imperatorem concomitari, jura subditis dicere, & velut in partem curarum ab Imp. assumptos decet, consiliis operaque sua eidem præstò esse. Vid. quos hanc in rem allegat *Nicolaus Mylerus ab Ehrenbach in Archolog. Ordd. Imperial. c. 6. n. 5.* Ita enim *Imp. Carolus Magnus* in Comitiis An. DCCLXXVII. Padabruni celebratis antequam Coronam Romanam obtinuerat, milites seu nobiles Francos & Germanos suos alloquitur: *Ite, milites mei, vos Heroes vocabimini socij Regum, Judices criminum: Vivite posthac laboris*

boris expertes, consulite Regibus publico nomine, favete orphanis, juvato pupillos, consilio circumdate Principes, ab iis victum & vestitum, & stipendia petite. *Goldast. in Constit. Imp. tom. 3. latin. fol. m.* 120. Atque hi ipsi sunt, cum quibus de gravioris momenti rebus deliberare solebat Carolus, eorumque consilia in Comitiis explorare. Quod ipsum luculente nobis testatum reliquit *Hincmarus Archiepiscop. Rhemensis nobili Francorum prosapiâ oriundus, inque aulicis regni negotiis ætate Ludovici Pii, ejusq; filiorum versatissimus epistolâ ad Episcopos Franciæ perscriptâ 3. cap. 29. Consuetudo, ait, erat tunc temporis trita, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spatium: quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toti regno incumbebat, mutabat: in quo placito generalitas universorum Majorum, tàm Clericorum quàm Laicorum conveniebat, Seniores propter consilium ordinandum: Minores propter idem consilium suscipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu, vel sententiâ confirmandum.* Quibus verbis unum solum concilii genus describit, nimirum quod erat universale & commune totius populi. In quo non Majores solum, sed Minores quoque conveniebant: Unde hunc Hincmari locum optimè emendat *Excellentiss. D. Conringius in disp. de Germanic. Imp. civib. n.* 32. ut ita legatur: *generalitas universorum Majorum & Minorum:* Per Majores vel Seniores, tàm Laicos quam Clericos, intelligit Duces, Comites, Abbates, Episcopos, quibus jus suffragii in Comitiis ferendi erat: Per minores verò non tam Schultetos, Judices & Magistratus oppidanos, quò tendere videtur *Lehemann. in Chron. Spirens. lib.* 2. quam populum universum, quod solidis satis rationibus probat *Dn. Conring. disp. alleg. n.* 33. Ejusmodi verò concilia, seu, ut illa ætas vocat, *placita* singulis fermè annis habebantur, quod prolixè ostendit *Dn. Arumæ. tr. de Comit. cap. 4. num.* 13. Cæterum quando hæc concilia vel cum Senatu Romano, vel cum iis, quæ hodienum constituuntur Comitiis in contentionem arcessimus, apparebit, quanta eorum ab utroque hoc concilii genere sit diversitas. Quod enim Senatum Romanum attinet, quantumvis ex permissione

ac mera Principum indulgentia ſuam obtinerent autoritatem, ea tamen ita comparata erat, ut præter nudam conſulendi facultatem etiam decernendi confirmandique, ea quæ à Principe proponebantur, poteſtatem continere videretur, ita ut in condendis Legibus non conſilium modo Patrum, ſed conſenſus etiam requireretur. At verò Caroli M. poteſtas verè regia fuit, nullius arbitrio hunc in modum obnoxia, ita ut quod Leges & cætera Majeſtatis jura ſpectat, omnia ſuo arbitratu peregerit, adhibitis in conſilium ſaltem Proceribus & populo.

Quantumvis enim longè aliud colligere liceret ex iis, quæ adducit *Fr. Hotomannus in Francogall. paſſim imprimis cap.* 12, 13. *&* 14. attamen quàm ea parum ſolidis rationibus innitantur, pridem oſtenſum eſt *Excellentiſſ. Dn. Bœclero noſtro in Comment. de reb. ſec.* 9. *&* 10. *p. m.* 19.

Cujus hac de re judicium nobis pariter cynoſuræ inſtar eſſe poterit ad diſcutienda ea, quæ adferuntur ab *Arume. in l. de Comit. cap.* 4. *n*, 12. *& ſeqq.* ubi diſertè aſtruere non veretur, *Placita illa ſub Caroli M. & ſucceſſorum imperio habita, tàm noſtris Comitiis, quam ovum ovo quadrare.* Quod enim ait, *credibile non eſſe unquam Germanos eam in ſervitutem ſe demiſiſſe, & à priſtina libertate in obſequium Caroli veniſſe, quod ad ejus vel ſucceſſorum quoq; nutum ſtatim graviora regni negocia ordinare coacti fuerint*, ecquis non videt parum firma ratione hæc colligi, cum id jure belli à Carolo factum, quo victi leges à victoribus accipiunt. Quod Hincmari porrò autoritatem attinet, parum ad rem ea facere videtur. Præterquam enim quod locutio ejus ævi Scriptorum non accuratè adeò attendi mereretur, ut inde argumentum peti poſſit, ipſa etiam illa Hincmari verba aliam longè mentem præferunt, quam quò ea detorquet Arumæus. Verba ea ſunt quæ ſuperius jam adduximus: Unde hanc exſtruit collectionem: *Id quod ordinatum ac ſtatutum in conventu nullo eventu rerum illo anno, niſi ſola neceſſitate mutari potuiſſe. Regis ergò vel arbitrio Imperatoris Comitiorum ſubjecta concluſio non fuit, ſed neceſſitate quadam ad ejus obſervantiam non minus ac ordines conſtrictos fuiſſe.* Sanè hanc argutationem parum convenire menti verbisque Hincmari ſatis liquet: Quod enim ordinatum ac ſtatutum in conventu erat, juſſu nimirum ac auto-

autoritate Caroli ut Regis, adhibito Procerum plebisque saltem consilio, id mutari non potuit: Quo ipso non tam libertas Caroli, quam Procerum constricta fuit; Et quis credat, eo animo fuisse Carolum, ut sponte se arbitrio eorum submitteret, quos ipse tum temporis ut Præsides singulis præfecerat Provinciis.

Cæterum quamdiu Imperium continua successione ad posteros Caroli magni propagatum fuit, dubium non est quin conciliorum ac conventuum eadem manserit ratio; Ea verò stirpe in Ludovico IV. deficiente, arctius paullò astrictam pedetentim fuisse Imperatorum potestatem nonnulli arbitrantur, partim quod tum temporis libera electione Imperium conferri cœpit, partim etiam quod dignitates Procerum progressu temporis hæreditariæ factæ fuerint. At vero illud à fide historiarum planè alienum, quod subsequentes Imperatores nuda Electione ad Imperium pervenerint, tum nec dignitates Procerum simul omnium jure hæreditario possideri cœperunt, sed paucissimorum saltem, invalescente postea longo temporis tractu feudorum conferendorum usu. Icircò Comitia quidem sæpius celebrata, in illisque de republica, de pace & bello, de tributis & vectigalibus, de legibus ferendis &c. deliberatum, vigente tamen in omnibus regia potestate, ut inculcat *Excellentiss. D. Præses in Comm. sect.* IX. *&* X. *p.* 323. Satis id ostendit quoque Friderici I. Oratio, qua Proceres Imperii hortatus est, in medium ut consulant, de Legibus novis vel ferendis, vel antiquis senium passis & justicio diuturno oppressis renovandis, apud *Gunth. Lig. l.* 8. *v.* 457. *ubi inter* alia hæc:

Ipse quidem quamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar, legumq; immunis & expers
Non servire quidem cogar, sed condere jura
Fas habeam, vestris cupio disponere cuncta
Consiliis, nostro non ægrè spondeo jussu,
Vel sancire novas, vel priscis legibus uti.
Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum

Aut

Aut regale puto, quam legis jure solutum
Sponte tamen Legi sese supponere Regem.

Duæ adhuc ejusdem Friderici exstant aliæ Orationes apud eundem *Gunther. lib. 7. ꝟ. 327. & l.b. 9. ꝟſ. 197.* quibus Principes Imperii contra Mediolanenses instigat. Dicebantur tum temporis Comitia signanter CURIÆ, Germanicè *Höeve*, vid. quæ notat *Marquard Freher. in proleg. ad Commentar. in Constit. Adolf. Rom. Reg. in Curia Norimbergensi promulgata.* Ubi de Curiis Cæsarum & Legibus Curiatis agit: Celeberrima fuit illa Caroli IV. apud Nurembergam Anno MCCCLVI. habita in qua cum summa rerum in Imperio, pleraque distinctissimè ordinata fuerunt, tum de ipsa ratione & forma Curiarum habendarum dispositum. *vid. A. B. cap.* 26. unde magnam partem in suum Commentarium de Imperio Romano transtulit *Petrus de Andlo lib. 2. cap. 15.* add. *Hippolit. à Lapid. de R. S. part. 1. cap. 5. sect. 3. n. 15. 16.*

Atque ab hoc tempore paullatim crevisse tam Comitiorum quàm Statuum autoritatem indubium est, donec Maximiliano I. Imperatore fermè roborata, antiquæ Imperatorum potentiæ tantum fuit derogatum, ut in iis quæ pacem ac bellum, leges ferendas &c. spectabant, non consilio solum sed consensu quoque Imperii Statuum opus esse cœperit. Quod enim ante dicebatur consilio Procerum factum, ut & *in Reformat. Friderici III. de Anno* 1441. *adhuc & in Constitut. Maximiliani I. de pace publ. de Anno* 1495. videre est, id postea consilio & consensu eorum constitutum ferebatur: unde illa in Recessib. Imp. semper ferè adjecta clausula nata: *Und haben wir uns mit den Ständen und sie sich hinwieder mit uns verglichen*; Hocque ipsum esse videtur quod *Tobias Paurmeister. lib. 2. de Juridict. Imp. cap. 2.* Consensum mutuum Cæsaris & ordinum Imperii formam substantialem facit decretorum Comitialium.

Unde jam satis constat ea quæ nunc instituuntur Comitia, secus quam astruere conatur Arumæus, à placitis ac Curiis illis veterum Imperatorum in plurimis differre.

Multò

Multò minus autem Comitia nostra cum antiquo Romanorum Senatu qui Impp. tempore fuit, contendi poterunt: Enimverò nihil hic fictum, nihil quod subdolè aut in speciem tantum agatur, nihil quod ab Ordinibus precariò & ex conniventia Imperatoris teneatur, sed omnia certis legibus ordinata, quibus tam Imperatori sua potestas quam Ordinibus jura ac libertas integra & illibata conservantur. Nimirum in ejusmodi Senatu qualis erat tum temporis Romanus, aut si quæ alia id genus comitia adferri possunt, Ordines cum Principe consultantes habent se instar causæ instrumentalis, nec efficiunt decretum, sed Principi efficienti operâ & ministerio præstò sunt. In nostris verò Comitiis Ordines Imperii vera & propria efficientia ad decretum concurrunt, & unà cum Cæsare causam efficientem principalem referunt. Ibi consensus ac voluntas Ordinum ad bene esse, hic ad esse decreti concurrit. Hæc omnia miris modis conturbat ac involvit *Hippolit. à Lapide part.* 1. *cap.* 4. *sect.* 1. *& sequ.* quando omnem comitialem potestatem Imperatori detrahit, eumque ut ministrum Imperii, aut Præsidem saltem Comitiorum confidentius paullò agnoscit, Ordinibus contra omni summa potestate attributa. Cujus quidem argumenta facili negotio convelli posse videntur, nec id ab instituto alienum foret, siquidem temporis ratio longius exerrare permitteret: Nos impræsentiarum hic anchoram figimus: hæc & quæ hisce gemina adferri possent alia in commodius tempus differentes.



XXXVIII.

THEMISTOCLES
SIVE
IDEA MAGNI CIVIS.

MAGNI *civis* exemplum proponimus THEMISTOCLEM Atheniensem: eoq; elogio intelligimus virum magnum omnibusque civilibus rebus accommodatum; sed qui sub republica populari imperio gubernata vixit; adeoque illius, non suo auspicio omnia gessit.

Hujus vitam eleganti & prudenti stylo *Cornelius Nepos*, auctor longe majoris quam quæ vulgo intelligitur præstantiæ, exsequutus est: e cujus scriptione nostræ hujus operæ consilium, rationem & membra hausimus: dicturi breviter I. *de Ingenio Themistoclis*. II. *de educatione*. III. *de virtutibus & artibus civilibus*. IV. *de illustribus factis & in patriam meritis*. V. *de fortuna ejus exituque*.

Laboris tenuitatem ut prolixe excusemus, fortasse non opus fuerit: quippe cum repetitioni qualicunque & exercitationi studiorum, quæ hactenus aliquantisper ætatem meam exercuerunt, tota hæc scriptio destinata sit.

CAP. I.

De Ingenio Themistoclis.

Ingenium Themistocl. magnum.

I. Ingenium magnum & primæ notæ habuisse THEMISTOCLEM *Nepos* non obscurè per quædam quasi indicia & documenta declarat: præsertim *cap.* 1. ubi *neminem ei anteferri, paucos pares putari* ait: paremque ei tam *in rebus gerendis quam excogitandis promptitudinem* attribuit: *quod & de instantibus*, ut ait *Thucydides*, *verissime judicabat, & de futuris callidissime conjiciebat*. Nam in hanc veluti summam contrahit amplius illius *Thucydidis* elogium, quod *l.* 1. *hist.* legitur, & *in comment. Nepotis* fuse explicatur. Neque sane hujus loci est seorsim ista expendere: cum comodior sit occasio, talia *in cap.* 3. exsequendi: nunc enim nihil aliud quam ingenii singularis præstantiam tali charactere volumus indicatam.

Magnorum ingeniorum in republ. usus & necessitas.

2. Scilicet non cadunt magnæ & multæ boni civis laudes in angusta ingenia, aut depressiores naturas. Sed nec geri quidquam in Rep. illustre potest, nisi auctores rerum actoresq;, naturæ felicitate & ingenio, veluti in efficaces curas animentur. Quanquam sane pauci tales reperiuntur: quos propterea magis æstimandos esse mortalibus, satis liquet. Pertinet huc quod apud *Livium* ex *Hesiodo* expressum lego *lib.* 22. *cap.* 29. *Sæpe audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi esse ingenij.*

3. Certè, ubi Reip. magna incumbunt pericula, ad illa primæ

mæ sortis ingenia tanquam ad sacram anchoram decurritur: quod *Nepos* noster tum *alibi* passim, *tum in vita Epaminonda*, c. 7. n. 1. satis clare ostendit. Sed & cum Principibus magnorum negotiorum *magni adjutores* quæruntur, statim *magna* illa *ingenia* respiciuntur, *quibus pleriq; eminentes viri ad gubernandā fortunam suam usi sunt*, sicut *Vellejus* 2, 127. claris sub exemplis, testatur.

4. Intelleximus, magnis ingeniis accensendum esse Themistoclem: quæritur, *an plane heroicu?* Affirmari posse videtur, non tantum ex nobili descriptione *Corn. Nepotis* qui Themistoclem heroico, ut sic dicam, charactere depinxit, sicuti supra mentionem fecimus: sed etiam ex illis argumentis, quæ alias inter requisita ponunt & intelligi volunt boni authores eum de talibus loquuntur. Nempe *homines* (sicuti *in characteribus Vellejanis describuntur c. 2. n. 10.*) *qui non in una alterave dote eminent, ut pleriq; excellentes viri, sed plurimis: & quocunq; se intendunt, admirabili sui actus efficacia pertendunt: & splendorem sua magnitudinis, non cum apparatu ostentationis, sed per venerationem operis, humani generis conscientia infundunt.* Quæ omnia in Themistocle nostro revera mihi videntur concurrere. An heroicum fuerit ingenium Themistocl.

5. Verum quia magna illa & heroica ingenia in utramque partem suis viribus uti possunt, amplius dubitari potest, *an mixtis ingenijs annumerandus sit Themistocles, qualia in Pausania & Alcibiade Nepos agnoscit?* quorum ille *ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus*; 4, 1. 1. hic *excellentiss. vel in vitiis vel in virtutibus fuit* 7, 1. 1. & posset aliquis in hanc opinionem venire, cum legeret, adolescentiam Themistoclis infamem vitiis fuisse. Sed *diversa sententia* videtur stabiliri, *primo* quidem authoritate ipsius *Cornel. Nepotis*, qui longe alio charactere Pausaniam & Alcibiadem notavit, quam Themistoclem: *deinde* etiam ex regula judicii, quæ circa ejusmodi quæstiones traditur in comentario Nepotis, p. 59. ex verbis Livii quæ ita sonant: *Qua major pars vita atq; ingenij stetit, ea judicandum de homine est.* itemque an mixtum.

CAP. II.

De Educatione Themistoclis.

I. Postquam huc usq; tractavimus de ingenio & heroica indole Themistoclis sequitur nunc ratione instituti ut *de educatione* Educatio Themist primum improspera,

tione aliquid memoriæ mandemus, quibus nimir. doctrinis puerilis ætas sit imbuta. Videtur autem statim hic obstare judicio meo adolescentia satis vitiis inquinata & licenter acta, quod Nepos claris verbis testatur, cum inquit: *Hic cum minus esset probatus parentibus, quod & liberius justo vivebat, & rem familiarem negligebat, à patre exheredatus est.* Verum Nepos etiam hic pro nobis ipse respondit dicens: *Hujus vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata virtutibus: adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur.* Videmus ex his, quod animus ejus non habitaverit & permanserit in malitia, sed aliquantisper peregrinatus sit. Quanquam minime sane coloribus *Ciceronianis ex oratione pro Cœlio*, istam licentiam primæ ætatis excusamus: sed potius cum patre Themistoclis improbamus & aversamur; interq; *rarissima exempla* numeramus, quod ex tam infausto flore eximia provenerit maturitas. Mentio fit hujus exempli apud Achillem *Tacitum l.8. p.529.* Κἀμὲ οὖν ὑπεισῄει τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους, ὅτι κἀκεῖνος τὴν πρώτην ἡλικίαν σφόδρα δόξας ἀκόλαστος εἶναι πάντας ὑπερέβαλεν Ἀθηναίους ὕστερον σοφίᾳ τε καὶ ἀνδραγαθίᾳ. *Ac mihi tum venit in mentem illud quod de Themistocle olim dictitatum fuit. qui cum in adolescentia perquam dissolutus esset, omnes tamen deinceps Athenienses prudentia & fortitudine superavit.* Alias hic regula valeret alibi ab ipso *Corn. Nepote* insinuata (*in vita Eumenis* 1,4.) quod statim *in adolescentulis* ad magna ituris *fulgeat virtutis indoles.*

mox egregiis studiis emendata.

2. Potior & præcipua pars hujus capitis est ut consideremus *industriam Themistoclis circa officia publica & meditamenta civilis actus*, ad quæ severiore patris animadversione revocatus erectusque est. Atq; hic inveniemus *rudimenta & tyrocinia* magno ingenio dignissima, magnaq; spe futuri fœcundissima. *Totum*, inquit Nepos, *dedit se reipublicæ, diligentius amicis, famæq; serviens.* Intellexit autem per hæc verba, Themistoclem rudimentis civilium officiorum operam dedisse, & civilia negotia sectatum esse, magnamq; industriam in tuendis opibus amicorum & sedulitatem in exhibendis officiis præstitisse. Sequitur, *quod multum in judiciis privatis versatus, sæpe in concionem populi prodierit.* Ubi quid differant *judicia publica à privatis*, ex *Sigonii lib. 3. de Republ. Atheniensium, cap.* 1. qui hæc omnia prolixe & signanter tractavit, commodius peti potest.

3. Breviter hic aliquid adjiciemus de rudimentis clarorum juvenum, h. e. *de Tyrocinijs vitæ politicæ*, quæ præsertim olim apud Græcos & Latinos *exercitatione eloquentiæ* in foro actuq; publico constabant. Ut sub exemplis loquar: *Nero postquam togam virilem sumpsisset, ut studiis honestis & eloquentiæ gloria nitesceret, pro Bononiensibus Latine & pro Rhodiis atq; Iliensibus Græce verba fecisse, publice sæpe declamasse, carmina recitasse fertur, non modo domi, sed etiam in foro sive theatro.* sicut *Sueton.* testatur *in eius vita c.* 7. & 10. Simile exemplum occurrit *in vita Caligulæ* cap. 3. ubi exponitur *quod in utroq; eloquentiæ doctrinæq; genere maxime excelluerit, caussas triumphales oraverit, quodq; inter cætera studiorum monumenta comœdias Græcas reliquerit.* Moris autem ita fuisse reperio, apud veteres, *uti juvenes qui foro & eloquentiæ parabantur, imbuti jam domestica disciplina, ferriq; honestis studiis, deducerentur à patre vel à propinquis, ad eum oratorem qui principem sive præcipuum locum in civitate tenebat. Hunc virum sectabantur, prosequebantur, omnibusq; ejus dictionibus interérant, uti etiam ipsi postea in concionibus publicis verba facere assuescerent.* Quæ omnia clare & perspicue videre licet *in dialogo de caussis corruptæ eloquentiæ* cap. 34. rudimenta civilis vitæ apud veteres.

4. Sed possit hic aliquis interrogare: *an Themistocles sine doctrina potuerit vir tantus evadere?* Testatur enim *Thucydides*, eum absque doctrinæ adjumentis in id celebritatis profecisse. Respiciendum autem hic est ad duo. *Primo* quidem notandum est, quod hoc exemplum sit unum ex rarissimis, si quis sola ingenii felicitate & industria suppleat defectum doctrinæ magnusq; vir evadet. Accurate autem loquendo non potest plane expers studiorum dici, quod *secundum* hic est: quippe cum potissimum hic studia politica attendantur, quæ possunt interdum accurata & solerti observatione negotiorum, eventuũ, artium, multa exercitatione & assidua industria ex rebus ipsis hauriri, regulæque & præcepta, quæ alias ex libris petuntur, ex ipsa praxi formari, nec sine arte in animo reponi. Quæ res tamen summum & primæ notæ ingenium requirit, quale supra Themistocli assignavimus. Interim manet certum, *quantumvis magnum Themistoclem, si literæ adfuissent, majorem futurum fuisse.* An & quomodo doctrinâ carere potuerit Themistocles.

CAP. III.

De virtutibus & artibus civilibus Themistoclis.

Prudentia Themistoclis.

I. Explicato THEMISTOCLIS ingenio, & educatione nunc *de Virtutibus ejus* consequens est, ut agamus. Neque vero animus est, longum texere catalogum virtutum, quæcunq; in viro civili, aut ipso Themistocle merentur considerari, aut laudari: sed illas tantum attingemus, quas reip. administrationi intimius innexas Nepos perstrinxit. Inter quas merito primum locum sibi *Prudentia* vendicat, propria *Politici, & imperantis* virtus; quæq; cæteras omnes ad publicos privatosque usus dirigit ac temperat. Partes ejus potissimum duas constituunt: *Intelligentiam*, atq; *Providentiam. Illam* per *rectissimum de præsentibus judicium*; hanc, *per callidissimam de futuris conjectationem*, breviter, ut solet, sed notabiliter expressit *Nepos*. Ratio utriusq; prolixe exponitur in *comment. Nepotis à pag. novæ edit. 6.* usque ad 23.

in consilio de ratione belli.

2. Erit autem expeditissima declarandi ratio, si ipsa illustria Themistoclis consilia, tanquam felices partus nobilissimæ matris prudentiæ consideremus. Tale consilium prolixe *Nepos* describit *c. 2.* ex quo maxime hujus viri prudentia elucet. *Cum enim Xerxes terra mariq; universæ Europæ bellum inferret, & tantis copiis eam invaderet* (sicuti recte judicat Nepos) *quantas neq; antea, neq; postea quisquam habuit, cumq; de ejus adventu fama in Græcia percrebuisset, & maxime Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos qui consulerent Apollinem, quidnam facerent de rebus suis? His Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. quoniam igitur nemo erat qui responsum Apollinis quo valeret intelligeret, Themistocles persuasit; consilium esse Apollinis, ut in naves se suaq; conferrent, hoc enim significari murum ligneum.* quod consilium non modo probatum est, sed etiam eventu felicissimum fuit. Ex quibus, attendentibus clare licet perspicere, quam vere judicaverit de præsentibus, & quam callide de futuris conjectaverit. [N]amq; vires Atheniensium, oppidi vim ad resistendum, rationem bellandi adversus Persas, accurate judicavit atque perspexit: quid futurum item esset, si urbs à Persis esset capta, satis ratiocinatus est, indeq; rectissimè suasit, *tutiores in mari quam in terra, in navibus quam in urbe Athenienses fore.*

In decipiendo hoste.

3. Sed & postea bis callidissime prospexit rebus suis Themistocles: semel, cum Xerxem compulit uti loco sibi iniquo Atheniensibus vero oportuno confligeret. Iterum, cum eundem poten-

potentiss. hostem in Persiam suam relegavit. Si quis hujus rei pleniorem cognitionem habere cupit, is accedat ipsum *Nepotem* qui hæc prolixe c. 4. & 5. exsequutus est. Possemus hac occasione, unum atq; alterum tale occultum consilium inventumq;, exempli loco ex *Frontino* & *Polyæno*, propriis harum rerum scriptoribus, adducere, si ipsa operis ac instituti ratio ferret.

4. Cumprimis illustre specimen prudentiæ suæ in eo dedit Themistocles, quod singulari comento & arte muros Atheniensium à Persis funditus deletos restituit. Breviter res ita se habebat. Cum Athenienses urbem suam murosq; reficere vellent, Lacedæmonii prohibere conati sunt, quanquam frustra, Legatosq; Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His quidem præsentibus, ut loquitur *Nepos*, desierunt, ac se de ea legatos ad eos missuros dixerunt. hanc legationem suscepit Themistocles, solusq; primo profectus, reliquos legatos tum demum exire jussit, cum muri ad justam altitudinem essent exstructi, unde comode adversus hostem pugnare possent, neq; privato, neq; publico ædificio eos parcere debere præcepit. Cumq; hæc & alia multa Athenienses docuisset, quid interim ipsis faciendum esset se absente, discessit. Ubi autem Lacedæmonem venit, non adiit Magistratus sed multa prætendit, quoties ab aliquo quæstorum interrogaretur, cur non in senatum procederet, dixitque se expectare sociorum adventum. Fuit autem præcipua causa hujus dilationis, ut longissime tempus duceretur, constitutaque domi firmitate legatio effectum sortiretur, de quo amplius *Nepos* exponit. Singulari igitur consilio & arte Themistoclem usum esse videmus, quanquam præcipuo suo periculo, ut Atheniensibus muros suos restitueret. In restituendis muris.

5. Si quis hæc exempla hactenus producta per singulas partes considerare vellet, revera *solertiam* Themistoclis *in rebus inveniendis, celeritatem in cogitandis, gravitatemq́ in consultandis* inveniret. Ex quibus magis magisq; appaeret, quàm vere *Nepos* dixerit, eum *rectissime de præsentibus judicasse & callidissime de futuris conjecisse*; quoq; convenienter illustre istud Elogium ipsi congruat: *unius viri prudentia Græciam esse liberatam.* In pecunia dispensanda.

6. Progrediendum nobis est ad *præcipuas Reip. partes & functiones*, in quibus Themistocles materiam prudentiæ suæ exercendæ vel

dæ vel quæsivit, vel invenit. Videmus & quotidiana experientia testatur, inter munimenta rerum publicarum præcipui roboris & æstimii esse, partim *pecuniam*, partim *mœnia*, *portus*, *& similia*. Vir autem prudens non tam de multitudine & copia *pecuniarum* laborare quam de usu opum ad Reip. utilitates & salutem dispensando solicitus & diligens esse debet. prudenti enim dispensatori videndum est, ne aurum argentumq; (ut loquitur Alexander Imperat. apud Lampridium c. 32.) in delectationes suas suorumve convertat. nefas enim est. Tyrannis quã principibus dignius, divitiarum & pecuniæ non alium fructum putare quam profusionem. Bonus vero dispensator suæ pecuniæ parcus, publicæ avarus est. Hæc & alia multa de Themistocle nostro dici posse egregie mihi videntur, quippe qui largitiones magistratuum & inanis popularitatis blandimenta ad meliores utilioresq; sumptus convertit, populoque persuasit, ut mallet Reipubl. securitati quam singulorum voluptati consulere, quæ omnia prolixe habentur apud Nepotem, c.2.

In portu extruendo.

7. Idem sentiendum est, sicuti jam antea cœpimus dicere *de ædificandi muniendiq; studio*. quod nisi singulari consilio prudentiaq; gubernetur, inani potius splendori servire solet, quã solidæ civium utilitati. Itaque hic rursum sapiens, & singulare consilium Themistoclis elucet, quo usus est in muniendo piræo portu. Cum enim Phalereo portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piræei portus constitutus est: mœnibusque circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Verum non exiguas utilitates hanc munitionem portus secum traxisse, eventu congnitum est. quippe non solum ad depellendam vim hostilem, sed etiam ad potentiam amplificandam, opes parandas, cives in re nautica peritos reddendos valde utilis & opportunus fuit. qua de re amplius, videri potest apud *Thucydidem*, qui copiose hujus rei mentionem facit *lib.* 1.

8. Egimus hactenus de prudentia Themistoclis; quam statim excipit *Fortitudo* sive *virtus militaris*, quæ non tantum *peritiam bellandi, generosæ mentis adversus pericula constantiam, successumque & artes bellandi* complectitur, sed etiam *ab ipsa prudentia plurimum roboris accipit*. Laudem verò hujus virtutis non melius intelli-

intelligi posse existimo, quam ex ipsius rebus gestis, de quibus *Nepos* ex professo agit c.2.3. & 4. Ubi eum fortem fuisse his rationibus prædicat, quia Corcyræos fregit, mare tutum reddidit expulsis maritimis prædonibus, deniq; quia ipse solus, sicuti *Nepos* testatur, Xerxi Thermopylis expugnatis restitit. Esset nobis nunc amplius agendum de *gravitate morum*, de *popularitate*, de *magnanimitate*, cæterisq; virtutibus, quibus vita civilis ornari juvariq; potest: quoniam autem nostram scriptionem accomodamus ad libellum *Nepotis*, qui paulo generalius agit, ideoq; has virtutes de quibus expressis verbis mentionē non facit, silentio involvemus. Fuisse autē talia in Themistocle nostro tum facilis est conjectura, tum ex scriptorib. satis constat.

9. Interim multa contineri in illo Elogio, quo eum Nepos prosequutus est, quis neget? cum inquit: *Magnus bello Themistocles fuit, nec minor in pace.* Hac enim formula boni authores plerumq; sumam variarum laudum solent complecti: rara scil. felicitate, si quis non tantum belli sed etiam pacis artibus ex æquo præcellat. Nam alias plerumq; qui bello optimi sunt, pace pessimi esse solent; sicuti maxima quæq; exempla demonstrant.

10. Instrumentum autem harum virtutū artiumq; civilium comune & ex ratione temporum solenne fuit *Civilis eloquentia*, qua Themistocles apud Athenienses maxime valuit. præbet ei hujus rei testimonium Thucydides. lib.1. hist. p. 92. ubi dicit: *quod natura solers fuerit, neq; præcedente ulla neq; accedente doctrina ad subitos casus præsentissimi consilij, futurorum optimus conjector, deniq; in omnib. dicendis. tum natura beneficio, tum consilii celeritate præstantissimus. & in nonnullis codicibus Nepotis* Nostri, etiam illa verba adscribuntur: *celeriter quæ opus erant reperiebat, facile eadem oratione explicabat.* Verum enim vero magnum usum habere eloquentiā in vita civili omnibus notum est. Venit hic mihi in mentem exemplum Catonis apud *Sall. in Catilina.* Nonne hic eloquentia sua animiq; & consilii præsentia effecit, uti de conjuratis more majorum supplicium sumeretur, quos Cæsar exilio multandos, pecunias eorum publicandas, ipsos in vinculis habendos esse censebat? Interim magnum discrimen est inter eos, qui oretenus tantum, uti *Tacitus* vocat, docti sunt, & inter eos, qui vere & accurate eloquentiæ operam dedere.

Eloquentia ejus.

Macula sive nævus in vita Themistoclis.

11. Ingentem tamen *maculam* ad extremum sibi suisq; virtutibus Themistocles noster conscivit, dum ingratam licet patriam Xerxi Persarum Regi prodere cuperet. cujus rei sufficientissimam mentionem facit *Corn. Nepos* in ejus vita c.10. cum dicit: *Hic tum multa Regi est pollicitus, gratissimumq; illud, si suis uti consiliis vellet, illum Graciam bello oppressurum.* Valde autem vehementerq; Themistoclem aberrasse (quod injurias à patria sua sibi illatas proditione vindicare voluit) videre licet ex ipso *Nepote* in vita Epaminondæ, de quo scribit & inter elogia ejus ponit, quod *suorum civium injurias tulerit, & quod nefas esse irasci patriæ duxerit.* Ita *Val. Maxim.* in Marco Coriolano viro maximi animi, & altissimi consilii, optimeq; de republ. merito carpit, quod is injurias à patria sua acceptas bello vindicare voluerit. Nam licet iniquissimæ damnationis ruina, sicuti *Valerius* loquitur (à Romanis) prostratus esset, tamen a nullo historicorum ejus propositum laudatur: quod patriæ bellum inferre voluerit; notum enim est, *nullam justam caussam adferri posse ad inferendum patriæ bellum.* vide tamen, quomodo *Valerius* Themistoclem excuset 5,6. *ext.3.* & *Cic.ad Attic.lib.9.epist.*10.

CAP. IV.

De Factis & meritis Themistoclis.

Magnitudo meritorum Themistoclis monstratur.

1. Videtur mihi non necesse esse, enumerare Themistoclis facta & res gestas per seriem; quia jam in præcedenti capite pleraque quæ *Nepotis* narratio habet, adduximus & consideravimus. Idcircò hic tantum summatim expendemus, quantum profuerit rebus Atheniensium Themistocles. Magnas vero seriasque res Themistoclem apud Athenienses molitum esse colligi posse existimo, tum ex Authorum judiciis & inprimis nostri *Nepotis*, tum ex comparatione ad cæterorum virorum illustrium Atheniensium res gestas.

1. Judiciis Authorum.

2. *Nepotis* judicia huc recidunt: *quod peritissimos belli navalis fecerit Athenienses, solus Xerxi terra marique potenti restiterit, sua prudentia Graciam liberavit, magisq; consilio suo quam armis Gracia Xerxem devicerit: quippe qui non solum in bello, sed etiam temporibus pacis magnus fuerit. Quantæ autem saluti fuerit universæ Graciæ, id cognitum esse dicit bello Persico.* Qualia pleraque etiam in capite præcedente

dente attigimus. Consentit his testimoniis *Valer. Maxim.* cum inquit: *Themistocles patriam incolumem, claram, opulentam, principem Graciæ reddidit.* 5, 3. *ext.* 3. *Cicero orat. pro Sext.* 67. magnifico præconio *conservatorem patriæ* vocat. adde *Ejusdem Lal.* 12. His consentanea sunt, quæ cæteri habent: neque enim prolixitati hic studemus.

3. Quod si quis nunc Themistoclem cum cæteris à *Nepote* memoratis illustribus viris velit comparare, Occurrit primo Miltiades, vir magnæ authoritatis, testante *Nepote*, apud omnes civitates, cujus nobile nomen lausque rei militaris maxima est, qui multas Insulas in ditionem potestatemq; Atheniensium redegit. Datimq; Darii ducem compulit uti loco sibi iniquo Atheniensibus verò opportuno confligeret. Miltiadem excipit ejus filius Cimon haud exiguis virtutibus & in patriam meritis præclarus, vir magnæ eloquentiæ & prudentiæ cum in re civili, tum in re militari, versatus enim est cum patre in exercitu à puero, ut loquitur Nepos. Quod hujus viri res præclare gestas attinet, scimus eum apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugasse, decemque millia Atheniensium eo in coloniam misisse, apud Mycalem Cypriorum & Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepisse uno congressu, postquam ex classe copias suas eduxisset maximam vim barbarorum prostravisse, Thasios opulentia fretos, suo adventu fregisse & quæ sunt ejusmodi præclara alia. 2. Comparatione aliorũ virorum illustrium.

4. Pauca quædam de Iphicrate Atheniensi adjiciemus: nam omnium virorum illustrium Atheniensium in patriam merita censere & hoc volumine, si ita loqui fas sit, comprehendere instituti ratio non fert. Is ergo *non tam genere aut magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est, talisq́, dux fuit*, ut recte de eo *Nepos* judicat, *qui non solum ætatis suæ cumprimis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquã anteponeretur.* Sed quis non videt Themistoclẽ hos omnes superasse ingenio, vicisse magnitudine rerum gestarum, antecessisse gloria?

CAP. V.

De Fortuna exituq; Themistoclis.

I. Absoluto ingenio, educatione, virtutibus & artibus civilibus, Infortunium Themistoclis.

libus, factis meritisque Themistoclis, superest ut etiam videamus & memoriæ mandemus, *quali fortuna usus sit, & quo tandem exitu vir tantus sit defunctus.* De pueritia ejus nihil dicemus. Fortuna autem quæ virum excepit, varia & diu quidem prospera fuit. floruit enim ut felicitate, sic auctoritate & gloria inter suos. dico diu prosperam habuisse fortunam, non vero perpetuo felicem fuisse: expertus enim est sicuti plerique præclari viri Fortunam volubilem, caducam, fragilem, puerilibusq; crepundiis consentaneam esse, quæ subito affluit, repente dilabitur; nullo in loco, nullaq; in persona stabilibus nixa radicibus consistit: sed quæ incertissimo motu huc atq; illuc agitur, & quos in sublime extulit improviso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergit. Verum hoc esse patet non tantum ex verbis *Curtii*: nunquá diu eodem vestigio stare fortunam, semperq; homines quantamcunque felicitatem habent, invidiam tamen sentire majorem: Sed etiàm maxima quæque exempla confirmant.

ex invidia populari.

2. Est autem ratio calamitatis ejus paulo propius inspicienda. Videmus nihil aliud Themistoclem civibus suis invisum reddidisse exilioque mulctasse, quam virtutem & meritorum gloriæq; magnitudinem. quod probari etiam amplius potest ex ipsius *Nepotis* verbis, quæ sic se habent: *Tamen non effugit civium suorum invidiam. namq; ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testarum suffragiis è civitate ejectus, Argos habitatum concessit.* Unde hic intelligere & pronunciare licet: *magnis viris in civitate democratica, qualis tunc Athenarum urbs erat, ex ipsa licentia populari commune ac veluti perpetuum periculum imminere. Metuunt enim horum civium potentiam.* Clarum hujus rei exemplum habemus in Miltiade Cimonis filio, cui inerat (uti *Nepos* testatur) cum sumã humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret: magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. *Hæc populus respiciens*, maluit *eum innoxium plecti*, quam se diutius esse in timore. Idem ferme accidit ejus filio Cimoni, qui cum unus in civitate maxime floreret, *incidit in eandem invidiam quam pater, cæteriq; Atheniensium principes.* Nam testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant, i. e. decem annorum exilio mulctatus est. Hinc verissime Iso-

me Iso-

me Isocrates Rhetor (ap. *Ælian.l.* 12 *c.* 52.) de civitate Atheniensium dixit, *ad peregrinandum eam jucundissimam esse, omnibusq́ totius Græciæ* civitatibus præstantiorem: ad habitandum verò non item securam ac tutam. Quibus verbis innuere voluit in civitate Atheniensium multos Sycophantas & delatores esse, qui se populares esse simulant, interim tamen viris illustribus multis modis insidias struunt ac parant. Non omittenda tamen hic est cautio, quæ nos jubet vitare eorum errorem, qui ex Democratiæ ipsius natura proprie originem hujus mali arcessunt. Non enim Democratia per se, sed *vitiosa Democratiæ licentia* caussam ejusmodi fortunæ suppeditat.

Quid de Ostracismo sentiendum.

3. Posset hac occasione illa quæstio tractari, *de Ostracismo an scil. probari excusariq́ possit nec ne?* Legimus *Ostracismum* quoddam genus suffragiorum apud Athenienses fuisse, quod per calculos, aut testas ferebatur, initio quidem ad democratiæ æqualitatis statum contemperandum repertum, sive, ut loquitur Aristoteles, inventum in civitatibus quæ maxime æqualitatem complectuntur, ut illi qui superexcellere viderentur, vel propter divitias, vel propter amicos, vel propter aliquam aliam civilem potentiam, relegarentur ad tempus determinatum. Cœpit autem hoc genus punitionis, ut est genius popularis libertatis, intemperanter haberi & in abusum trahi, uti videmus omnia mala exempla ex bonis etiam initiis, ut loquitur *Sallust.* in Cat. orta esse. In explicanda hac quæstione *primo* cum Aristotele, excipienda est virtutis eminentia: ob quam neminem mulctandum fuisse exilio, certissimum est. *Secundo,* non fingendi sunt casus, præter & extra rerum, quæ evenerunt, exempla. Ita e.g. ob potentiam & auctoritatem quietam, civilem, moderatam nemo fuerit Ostracismo puniendus: & si quis propterea punitus est, ut sane sunt non pauci, factum istud est inique & seditiose. Unde Aristotelis *στασιαστικῶς γὰρ ἐχρῶντο αἱ πόλεις.* Quod si autem aliquis, sua potentia & illa *δυνάμει πολιτικῇ*, quam Philosophus appellat, utatur incivilius, elatius, insolentius: jam ex *ὑποθέσει* status Democratici, & æqualitatis qua nititur ille status, intolerabilis liberæ civitati & nimius homo videbitur. Unde acutum Livii judicium de Manlio lib. 6, c. 20. Vir memorabilis, nisi in libera civitate natus esset.

 4. Quid

Transfugium Themistoclis ad Persam.

4. Quid de *transfugio ejus ad Regem Persarum* dicemus, ad quod denique post tot exilia & pericula adversantis fortunæ quasi adactus videtur? Excusarunt *Cicero, Valerius*, alii: nisi in hoc uno male consuluisset suæ existimationi, quod Persarum Regi promisit subjugationem patriæ, qua de re sufficienter mentionem facit Corn. *Nepos* c. 10. ℣. 2. Quanquam quid alii hic sentiant supra indicavimus *fine cap.* 3.

Mors ejus.

5. De morte hujus magni viri variant Authores. quidam enim ajunt eum sponte ex desperatione sumpsisse venenum & ita decessisse, dum ea quæ Regi de Græcia opprimenda pollicitus esset præstare non posset; alii morbo correptum vita defunctum esse: deniq; aliqui ne cogeretur adversus patriam aliquid moliri, mortem sumsisse eum produnt: ego libenter Thucydidi accesserim, qui memoriæ prodidit illum Magnesiæ morbo mortuum esse, quiq; non negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, cum se quæ Regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Fuit ergo ipse exitus valde miserabilis, quique documentum vertentis fortunæ jam antea demonstratum maxime confirmat. Ubi videmus complures præclaros viros unum eundemq; exitum vitæ habuisse. quod etiam Thucydides affirmat lib. 1. hist. pag. 97. sub finem inquiens: *Hunc exitum habuerunt Pausanias Lacedæmonius & Themistocles Atheniensis apud suos uterque nobilissimi.* Finem nunc etiam imponere scriptioni meæ cogor: postquam pro imbecillitate ingenii, tenui filo contexui quæ ad hujus viri *ingenium, educationem, virtutes & artes civiles, illustria facta & in patriam merita, fortunam exitumque* declarandum ac exprimendum utilia necessariaque visa sunt. Sit igitur DEO TER OPT. MAX. sine cujus ope & auxilio, quæcunq; sunt vel suscipiuntur vana sunt, HONOR ET GLORIA in æternum.



XXXIX.
COMPARATIO
INTER
HIPPOLYTUM EURIPIDIS ET SENECÆ.

Quum

Quum nobis sit propositum, collationem instituere inter *Hippolytum Euripidis*, & *Senecæ*, non abs re facere videbimur, si quædam scitu necessaria præmittamus. Fabulam ipsam quod attinet historica fide eam præter alios refert & *Plutarchus in parallelis, comparatione* 34. quam inde peti malo, quam huc exscribere. Præter hos duos, Euripidem & Senecam, scripserunt etiam Hippolytum (ut *Mart. Delrio* annotavit) *Lycophron*, & *Sopater*; utriusque verò opus injuria temporis periit. De *Euripide*, quod is sit Auctor hujus fabulæ, dubium non est. Sed cui Latina adscribatur, à Clarissimis Viris jam olim disceptatum est. Nos missis iis, quæ *Lipsius, Delrio*, & alii hic scripserunt, judicio *Dan. Heinsii*, accuratissimi quippe in his talibus Censoris, stamus, qui eam *Lucio Senecæ* adjudicat, simulq; id gravissimis rationibus asserit, in dissertatione de Auctoribus Tragœdiarum, quæ vulgo sub Senecæ nomine circumferuntur. Videtur etiam illi hæc Tragœdia antiquissima, adeoque ante Troada scripta, & nisi hanc excipias, nulli Latinorum secunda. Si quoq; eadem cum *Euripidis* Hippolyto conferatur, patebit, eam non semel superiorem esse; quod etiam *Scaligeri* est judicium *in suo Hypercritico*, de *Seneca*. Sed hæc infra latius patebunt. Notandum verò hic breviter est, duplicem esse hanc fabulam, quod ex connexione & solutione satis constat; longe enim aliter *Seneca* fabulam connexuit & solvit, quam *Euripides*, de quo in tractatione ipsa plura dicenda erunt. Propius jam ad rem ipsam accedemus, & primo de fabula vel tota Tragœdiæ dispositione dicemus.

De Fabula.

Aristoteles, (cujus manuductionem maximi Viri secuti sunt, & nos in præsentia sequemur) c.6. de Poëtica sex facit Tragœdiæ partes, quarum quatuor priores sunt fabula, mores, sententia, dictio; duo posteriores, apparatus, & modulatio. Sed quum, hæ duæ potissimum ad Tragœdum referantur, de iis jam nihil dicemus.

Quum autem Tragœdiarum plures sint formæ, quas *Aristot.* recenset c.17. de poët. hæc ad παθητικὴν refertur, quia tota est perturbationibus plena, & exitum tristissimum per cædes sortitur. In fabula potissimū spectatur οἰκονομία Tragœdiæ. Hic jam Euripides, ut semper fere solet, teste Aristotele c. 14. μὴ εὖ οἰκονομεῖ. Ita enim rem omnem intricavit, ut, quomodo eam arte sua

te sua iterum solveret, non appareret. Nam, quum Phædra jam strangulata esset, & Theseus ab inferis venisset, nulla via amplius patebat, quâ causa hujus mali illi indicari potuisset. Nutrix enim non aderat amplius, quippe quam Phædra ipsa abire jusserat v. 708. & chorus illi prius juraverat. v. 713. se nihil de malis istis Theseo enunciaturum: neq; etiam Hippolytus præsens erat. Quum igitur hæreret, confugit ad literas quasdam, quas ex manu Phædræ pendentes accepit Theseus, ut ex illis disceret, ob quam causam illa esset suspensa; & per eas simul ipsa actio promoveretur, quam potius hac ratione sufflaminavit. Nam cum nullam jam personam haberet, quam in scenam produceret, recurrit ad Hippolytum, eumq; Patri obviam ire fecit, quod *Heinsio non placet*; nulla enim, ut dicit, verba digna tanto scelere inveniri poterant. Quum igitur ira Thesei præsentiâ Hippolyti, tam scelerati ut illi persuasum erat, hominis, exasperari debuisset, ille potius subtiliter disputat; de quo inferius plura. Præterea, quum Hippolytus, ut *Heinsius* dicit, se uno verbo expedire potuisset, obstare sibi jusjurandum dixit, quod Nutrici præstitisset; quasi vero ullum jusjurandum obligare posset, quod non dolo tantum elicitũ est, sed etiam, ubi is, qui jurat, aliquod factum supposuit, quod revera se ita non habet, ac nisi id credidisset, juraturus non fuisset, de quo *Grotius de jure belli ac pacis l.2.c.13.§.4.* Hippolytus autem Nutricis verba de re honesta tacenda intellexerat, non de adulterio, & incestu, ut *idem* ibidem habet *in notis ad §. 2.* huc accedit, quod ipse Hippolytus id jusjurandum irritum esse prius dixerat v. 612. sed, ut recte *Heinsius*; signum est pœnitentis Poëtæ, ut qui male œconomiam suam orsus esset. Si enim Hippolytus rem omnem, ut gesta erat, patri enarrasset, jam fabula fuisset soluta, antequã solvi debuisset. Nam prius erat Hippolytus dilacerandus ob votum patris, quod votum itidem concipi debuit à Patre ignaro adhuc, quomodo revera res gesta esset. Alias in doctrinam affectuum peccasset. Si enim Theseus sciens filio imprecatus esset, tum patricida, & omnium bipedum nequissimus fuisset, neque commiserationem in animis spectantium excitare potuisset, quod tamen tragici præcipuum est munus, qua de re consulendus *Heinsius in libello de constitutione Tragœdiæ, cap. 9.*

Omnium

Omnium enim maxime hoc terrorem, & commiserationem in animis nostris excitat, si tam horrenda inter consanguineos, & quidem per ignorantiam, & imprudentiam accidant; neque etiam illi, per quos hæc fieri debent, nimis, sint vel boni, vel mali, sic enim nemo facile inter spectatores erit, qui non talium misereatur, & simul sibi timeat, cũ cogitet, eadem etiam sibi vel suis evenire posse. Jam, ut unum absurdum ex alio sequitur, quum nulla amplius persona *Euripidi*, qui æque ac Hippolytus jam miser erat, restaret, qua in solutione fabulæ uti posset, confugit ad machinam, & per eam adduxit Dianam, quæ Theseo caput tantæ calamitatis indicat; nempe eam Hippolyto immissam fuisse à Venere, quam ille contemnebat; & postea Patri & filio suadet reconciliationem. Interea Hippolytus ægre spiritum adhuc trahens in scenam affertur, ubi placide exspirat. Atque sic jam se habet dispositio illa *Euripidea*.

Contra illa quæ in *Seneca* est, optima videtur *Heinsio*, id, quod jam clarum erit, si eam explicemus. Habuit autem *Seneca* non unum, quem imitaretur; plures enim ut supra dictum est, fuerunt, qui Tragœdiam hoc nomine scripserunt. Quum igitur *Lucius* videret, quantum in hac parte ab *Euripide* peccatum esset, dandam sibi operam esse putavit, ut meliorem adornaret œconomiam. *si Lycophronis, & Sopatri* Tragœdiæ extarent, videri posset, num ex illis aliquem in hoc imitatus fuisset. Summum autem artificium imitationis in *Seneca* apparet. nam, cum idem sit utriusque Tragœdiæ argumentum, longe tamen alia ejus est fabula, ab illa *Euripidis*, ob maximam connexionis & solutionis diversitatem. Licet enim cum eo in primaria actione conveniat; nimirum, quod Phædra amarit Hippolytum, eo autem in petitionem tam execrandam non consentiente interitum ei struxerit, & manus sibi violentas intulerit, unde Theseus ab inferis reversus, his cognitis, Hippolyto imprecatus fuerit, quam imprecationem Neptunus etiam ratam fecerit, eumque per marinum taurum dilacerarit: tamen in iis, quæ ab ingenio Poëtæ pendent, qualia sunt solutio, & quæ ad eam viam quasi sternunt, episodia, ita eum imitatus est, ut non tantum ab eo in multis abierit, sed sæpe eum superarit, plane ad præceptum illud *Horatii in arte*, v. 131.

Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.

& quæ sequuntur. Nam primo personas Phædræ & Nutricis commutavit, ut melius solutioni inservirent. Quum enim *Euripides* ita Nutricem induxisset, ut summa niteretur ope Phædram eo perducere, ut Hippolyto suum amorem aperiret; illa autem adeo ab hoc abhorruisset, ut vix tandem à Nutrice id fieri permiserit: *Seneca* contrà Nutricem suam ita informavit, ut Phædram, quibus posset rationibus à tam fœdo amore deterreret, & vix tandem pateretur, ejus petitionem ad Hippolytum emanare: Phædram autem ita furentem dedit, ut ipsa Hippolytum ad incestum amorem sollicitaret. Quod quum factum esset, & Hippolytus à tam nefanda petitione abhorruisset, illa etiam amplexibus apud eum institit, unde ille ensem adversus eam strinxit. Hoc ut Phædra vidit, gratissimum sibi fore dicit, si se occidat. Ille vero, ne ullo modo eam voti sui compotem reddat, abstinet se à sanguine illius; simulque gladium abjicit, purum non amplius esse ratus, quod eum contra tam scelestam mulierem strinxerat. In hoc jam latet illa œconomia optima, qua factum est, ut ipsa actio sine ullo labore protinus ad finem perduceretur, ut jam patebit. Amor igitur ille, suasu Nutricis in odium fatale convertitur, quo omne scelus in Hippolytum devolvitur. Redeunti enim Theseo Phædra maximo cum dolore exponit factum Hippolyti, quod nimirum suam sollicitarit pudicitiam, simulque gladium relictum testimonii loco ostendit. Quo viso Theseus statim excandescit, & omnia dira capiti ejus imprecatur, qui jam fugerat. quod itidem melius longe ordinatum est, quam apud *Euripidem*, etiam si temporis rationem spectes. Ibi enim vix Hippolytus à Patre abierat, & statim nuntius adest, qui fatum ejus narrat: Hic verò aufugerat, antequam Theseus rediisset, unde putandum est, ut primum Theseus has diras in filium effuderit, Neptunum ei marinum istum taurum immisisse. quod cum Phædra audiisset, cœpit, partim stimulis conscientiæ agitata, partim commiseratione insontis adolescentis ducta, rem omnem, ut gesta erat,

erat, Theſeo exponere. Hic adjunxit Seneca, ut *Heinſius* dicit, duas *ὄψεις σκηνικὰς*, quibus oculorum lenocinium quæſivit, quod illi etiam in aliis ſolenne eſt. Nam Phædra coram populo manus ſibi infert, quod apud *Euripidem* melius narratur; & Hippolyti reliquiæ exhibentur, quas Theſeus componit, & in ordinem redigit. Sed *Horatius* hæc talia non probat, eo quod revera exhiberi non poſſint, & hac ratione ſibi fidem detrahant. Nemo enim credet, Phædram ſe revera gladio confeciſſe, aut has reliquias eſſe illius Hippolyti, qui prius in ſcena exhibitus fuit, quod tamen eſt contra naturam Tragœdiæ, quæ ſemper in argumento veriſimili verſari debet, ut *Ariſtot.* docet c. 10. Ex his ita diſpoſitis per ſe fluunt omnes perturbationes, & affectus, in quibus Euripides mire excellit; quorum doctrinam hic non repetendam eſſe duco, cum ſupra quædam in hanc rem dicta ſint, & ab ipſo *Ariſtotele* accuratiſſime eadem tradita fuerit *c.* 14. *&* 15. de Poëtica, *editionis Heinſianæ.* Pergimus jam ad chorum.

De Choro.

In choro plerumque vincit Euripides: inter alios eminet ille, quo ſævi cupidinis potentiam deprecatur, imo videtur is *Heinſio* plane inimitabilis. Idem tractat argumentum *Seneca* choro 1. ſed non tam bono ſucceſſu, latius enim evagatur. Nam quid huc pertinent Apollinis, Jovis, Herculis exempla? longe melius ille canit de amoribus Ioles, & Semeles, perniciofis quippe, & qui Phædram à ſuo inceſto amore deterrere poterant. reliqua nimis ſunt vulgaria. vix ultimo verſu ad rem propius accedit, cum canit, v. 355.

Vicit ſævas cura novercas,

Contra. quam divina ſunt illa, & vel Nectare dulciora, v. 525.

Ἔρως, ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
Στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
Ψυχᾷ χάριν, ὓς ἐπιστρατεύσῃ.

neq; minus hæc, quibus ſuadet cultum amoris legitimi, v. 538.

Ἔρωτα δὲ, τὸν τύραννον ἀνδρῶν,
Τὸν τᾶς Ἀφροδίτας,
Φιλτάτων θαλάμων
Κλῃδοῦχον, οὐ σεβίζομεν;

hæç vero plane aculeos habent, v. 563.

Δεινὸν γὰρ τὰ πάντ' (Venus) ἐπιπνεῖ, μέλισσα
Δ' οἷά τις πεπόταται.

Chorus tertius apud *Senecam* idem fere eſt cum ſexto *Euripidis*, v. 1102. ubi providentia divina in dubium vocatur, quum Hippolyto innocentia ſua tam male cedat. ſed nec hic ſatisfacit præ illo *Euripidis*, in quo apoſtrophe illa ad Hippolytum neminem non ad miſericordiam commovet. magis itaque inſervit ſcenæ, & promovet actionem. hæc autem ſunt admiranda, & digna quæ huc adſcribantur. v. 1111.

Εἴθε μοι εὐξαμένᾳ
Θεόθεν τὰ δὲ μοῖρα παρέσχοι.
Τύχαν μετ' ὄλβου,
Καὶ ἀγήρατον ἄλγεσι θυμόν.
Δόξα ᾗ μήτ' ἀτρεκὴς, μήτ' αὖ
Παράσημος ἐνείη.
Ῥάδια δ' ἤθεα τὸν ἄυριον
Μεταβαλλομένα χρόνον αἰεὶ
Βίον συνευτυχοίην.

De providentia divina nunquam ſatis certi fuerunt Gentiles: ſæpe enim dubias traxit ſententia mentes, cum votis ſuis contraria evenire viderunt. Non parum etiam convenit cum choro *Euripideo* exordium illuſtre *Claudiani* in Ruffinum, ubi *Caſp. Barthius* multa in hanc rem congeſſit ex ſacris & profanis. Hinc eſt, quod quidam Ethnicorum aliam poſt hanc vitam ſtatuerint, ubi quemque ſua præmia ſecutura ſint, cujus etiam meminit *Eurip.* v. 191. quo pertinent campi Elyſii, Apotheoſes non paucæ, inter quas etiam Hippolyti noſtri, Virbii poſtea dicti, ut *Ovidius* habet *l.* 15. *Metam.* v. 544. numeranda erit; Judices apud inferos, pœnarumque varia & horrenda genera, à poëtis decantata, quæ *Ovidius* fere omnia coacervavit in carmine ſuo in *Ibin.* Eſſent etiam in reliquis quædam obſervanda, ſed brevitas, cui hac vice operam dare conſtituimus, non concedit ea prolixius examinare.

De Moribus.

Ventum jam eſt ad ſecundam Tragœdiæ partem, quam Græci ἦθος vocant; latini, quia aliter non poſſunt, mores. verum

rum non tam mores hac voce significantur, quam morum quædam proprietas, ut recte hoc observavit *Fabius l. 6. c. 2.* & ex recentioribus *Heins. de constitutione Tragœdiæ c.* 14. Morata autem oratio est, ut idem *Heins.* ex *Aristot.* tradit. in qua non ex indicio dicentis, sed ex ipsa, quæ in hac elucet proprietate morum institutum alicujus intelligimus, ut voluntatem, qualis est illa Phædræ apud *Eurip.* præ amore decumbentis & delirantis. v. 198.

Ἄρατέ μου δέμας, ὀρθοῦτε κάρα,
Λέλυμαι μελέων σύνδεσμα, φίλαι.

Hic, ut notat *interpres Græcus* Εὐριπίδης ἐφύλαξε τὸ τῶν νοσούντων ἦθος, κομματικαὶ γὰρ αἱ διάνοιαι, & concisæ, quemadmodum ægri loquuntur, & illi, quibus fauces mœrore strangulantur, unde latinis verba tertiata dicuntur. in reliquis delirantis mores expressi sunt. licet enim amantibus res amata desit, semper tamen species ejus intus versatur; unde amentia capiuntur, qua ea proferunt quorum postea statim pudet, ut Phædra hic. v. 208.

Ἒ, ἒ, πῶς ἂν δροσερᾶς ἀπὸ κρηνῖδος
Καθαρῶν ὑδάτων πόμ' ἀρυσαίμαν; &c.

Vix hæc & similia protulit, cum pudore suffusa subjicit, v. 239.

Δύστανος ἐγὼ τί πότ' εἰργασάμαν;
Ποῖ παρεπλάγχθην γνώμας ἀγαθᾶς; &c.

Eadem quidem apud *Senecam* dicit, v. 385. sed sunt grandiora, quam ut ægris conveniant. Alias in attribuendis moribus superior est Euripide, qui semel inconvenientes dedit. Nam cum in Nutrice satis accurate expressisset ἦθος famulæ, eam postea inducit philosophantem de vita futura v. 191. de qua tamen non nisi inter acutissimos Philosophos constabat; talem etiam de amicitia inducit disputantem. v. 253. Melius autem eadem Nutrix invocat Venerem v. 522. ut sibi sit auxilio in corrumpendo Hippolyto, quam illa apud Senecam Dianam v. 405. non enim virgo contra castitatem invocari debet, dicit *Heinsius*, neque etiam Diana est conciliatrix amoris, sed Venus. *Delrio* tamen & *Farnabius* ita excusant, quod invocarit Dianam tanquam Numen patrium, &,

 non

non ut faveat, sed ne obstet facinori suo. hoc quoque non bene. Multa etiam absurda dicit Hippolytus in oratione invectiva in genus muliebre, qui tamen erat discipulus ἁγνοῦ Πιτθέως v. 11, adeoque Philosophus. quorsum enim ista v. 618.

Εἰ γὰρ βρότειον ἤθελες σπεῖραι γένος, &c.

an non absurda? quæ etiam *Scholiastes* observavit, οἱ γὰρ πένητες οὐκ ἂν ἐκτήσαντο παῖδας, quorum tamen pars major est, quam divitum, qui dona ista, quorum ibi meminit, possident. Deinde quorsum Jovi est opus auro, ære, ferro? insuper si τοῦ τιμήματος τῆς ἀξίας ἕκαστον σπέρμα πρίασθαι oportet: annon plures erunt mali quam boni, quomodocunque hæc verba accipiantur. dupliciter enim ut *Scholiastes* notat, capi possunt: alii enim de æstimatione doni accipiunt; alii de æstimatione illius, qui hæc dona offert. si prius est, tum tanto meliores quis liberos habebit, quanto splendidius donum dederit; tanto pejores, quanto vilius. palam autem est, pauciores esse, qui aurum possideant, quam ferrum; imo etiam est rarior proventus auri, quam ferri: pauciores igitur erunt boni. Si posterius, tum mali non nisi malos dabunt, unde brevi tanta malorum seges futura esset, ut omnes boni ab iis opprimerentur. Verum nemo non videt, quam puerilia hæc sint, & non deceant hominem φρονοῦντα γνήσια, ut prius eum descripserat v. 309. talia sunt quæ habet v. 634. quasi statim necesse esset, si quis bene in conjugio viveret, ut semper habeat malos affines; aut si affines sint boni, uxor sit mala; aut ille felicissime vivat, qui simplicem habet uxorem. Nec melioris commatis sunt, quæ sequuntur, v. 645. Certe *Euripides* mihi hic videtur potius seipsum expressisse, quam Hippolytum; modo enim sexui sequiori maledicat, nihil pensi habuit, num absurda proferat, aut verisimilia. Vix in fine orationis hujus v. 654. castitas Hippolyti elucet. Meliora sunt illa, quæ prius dixerat, v. 601. cum ex Nutrice de insania Phædræ audivisset.

Deinde, quam leviter res transigitur redeunte Theseo, ubi Hippolytus ei occurrit in primo furore, quod melius cavit *Seneca*, ut supra quoque dictum est. Sane non est verisimile, Theseum filium suum tam placide allocuturum fuisse, quum vix verba tanto scelere digna inveniri possint. imò nullus Parens

rens tam patienti esset animo, ut vel aspicere sustineret filium, in tanto scelere modo deprehensum. Ille vero sic incipit, v. *916*.

> Ὦ πόλλ' ἁμαρτάνοντες ἄνθρωποι μάτην,
> Τί δὴ τέχνας μὲν μυρίας διδάσκετε,
> Καὶ πάντα μηχανᾶσθε, κἀξευρίσκετε,
> Ἓν δ' οὐκ ἐπίστασθ', οὐδ' ἐθηράσασθέ πω,
> Φρονεῖν διδάσκειν, οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς;

Talia ibi plura sequuntur. sed tam subtilis disputatio, ut ipse Hippolytus eam vocat v. 924. non convenit animo tantis affectibus occupato. *Seneca* in his longe præstat. Nam, ut in Phædra alia omittam, quid oratione ea, qua Hippolytum aggreditur, delicatius esse potest & mollius, quæ quidem *Heinsio* ita placuit, ut neminem, nisi *Ovidium*, hæc dicere potuisse putarit qualia enim sunt illa? v. *608*.

> *Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca:*
> *Famulamq; potius, omne servitium feram.*

&

> *Mandata recipe sceptra, me famulam accipe.*

Rationes etiam addit,

> *Te imperia regere, me decet jussa exequi.*
> *Muliebre non est regna tutari patris.*

Item averso ab Hippolyto vultu;

> *O spes amantum credula! O fallax amor!*
> *Satune dixit?*

Omnium autem mollissima sunt hæc;

> *Hippolyte sic est. Thesei vultus amo*
> *Illos priores, quos tulit quondam puer.*

& quæ sequuntur. Non pauca etiam habet, in quibus felicissime imitatus est *Ovidii Epistolam 4. Heroidum* quam Phædra scripserat ad Hippolytum; sed hæc afferre nunc non est nostri instituti.

Phædra apud *Euripidem* plane aliter est morata. qualis autem sit, ipse Hippolytus unico versu dixit. v. 1034.

> Ἐσωφρόνησεν, οὐκ ἔχουσα σωφρονεῖν.

Nempe erat amore corrupta, sed talis noluit videri, proinde vix Nutrici id confitebatur, occultabat quidem amorem sed

non

non bene. tenerior enim eſt affectus, quam ut occultari queat, inprimis ſi oratione tangatur. hinc eſt, quod, cum forte Nutrix mentionem Hippolyti feciſſet, ſtatim illa exclamet, v. 310. *οἴμοι! Ἀπώλεσάς με μαῖα.* Deinde quum amorem ſuum Nutrici conatur indicare, quanto id pudore facit? primo enim ex prioribus, ubi de amoribus matris & ſororis conqueſta erat, Nutricem vult colligere, qualis ſit amor ſuus, dum dicit, v. 345.

Πῶς ἂν σύ μοι λέξειας, ἅμ' ἐχρῆν λέγειν;

poſt interrogat,

Ὅς τίς ποθ' οὗτός ἐσθ' ὁ τῆς Ἀμαζόνος;

deinde addit, modo ne ipſa hæc confeſſa videatur;

σοῦ τάδ', οὐκ ἐμοῦ κλύεις.

Præterea pulchre in ea expreſſit ἦθος deſperantium, qui, cum certi ſunt de morte ſibi inferenda, ſedatiores fiunt, ne, ſi furere pergant, à ſuis nimis obſerventur, & in opere ipſo impediantur, quod imprimis in *Didone Virgiliana* videre licet. Ita Phædra, poſtquam ſatis cum Nutrice litigaſſet, ob eventum infelicem, & proditionem amoris ſui, tandem dicit, v. 706.

Παῦσαι λέγουσα,

&

Ἀλλ' ἐκποδὼν ἄπελθε, καὶ σαυτῆς πέρι
φρόντιζ'. ἐγὼ γὰρ τἀμὰ θήσομαι καλῶς.

Deinde ad chorum converſa obſtringit ſibi ejus fidem jurejurando, quo tamen non opus fuiſſet, additque ſe remedium huic malo inveniſſe, quo & ipſa juvetur, & liberi ſui, mortem nimirum ſpontaneam. Quia vero ſemper gloriæ cupida erat, ideo ſcelus omne in Hippolytum derivare conatur, ut ipſa honeſtius mori poſſit, quod non obſcure minabatur v. 728. Sed redeamus jam ad *Senecam*. Oratio Hippolyti longe eſt præſtantior ea, quæ eſt apud Euripidem. non enim tantum ſibi temporis ſumit, ut otioſe nugetur, & in genus muliebre invehat, ſed qua erat pietate & caſtitate, advocabat Deum judicem, v. 668.

Magne Regnator Deûm,
Tam lentus audis ſcelera? tam lentus vides?

& quæ ſequuntur, omnia digna, & pietate, & indignatione Hippolyti, quin & in quibus *Euripidem* imitari voluit, ſuperavit. Nam cum ille dixiſſet v. 654.

πῶς ἂν οὖν εἴην κακὸς,
Ὃς οὐδ' ἀκούσας τοιάδ', ἁγνεύειν δοκῶ;

hic plus dixit v. 680.

ſum nocens; merui mori;
Placui novercæ.

Neque communibus locis occupatur, ex quibus mulieres malas eſſe evincat, qualia ſunt ea, quæ habet v. 617. ſed in præſenti ſcelere verſatur. dicit enim v. 684.

O ſcelere vincens omne fœmineum genus!
O majus auſa matre monſtrifera malum! &c.

Illa autem eleganter dixit, v. 674.

tuque Sidereum caput,
Radiate Titan, tu nefas ſtirpis tuæ
Speculare?

Theſei oratio etiam longe ſuperat eam, quæ eſt apud *Euripidẽ*: propius enim rem ipſam accedit, animo etiam commotiori, & verbis vehementioribus. quid tamen in ea deſideremus inferius dicendum erit.

Heinſius etiam in *Euripidis* Hippolyto notat τὸ ἄλογον. prius enim, cum nullum periculum inſtaret, juſiurandum, quod præſtiterat Nutrici, irritum eſſe dixerat v, 612. eo quod

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Cum autem jam in ſummo peticulo verſaretur, dicit Patri, ſe veritatem profiteri non audere propter juſiurandum, quod dediſſet: quod nemo ſanus faceret, impium etiam dedit, cum non opus fuiſſet v. 1415. dicit enim;

Εἴθ' ἦν ἀραῖον δαίμοσι βροτῶν γένος.

Supereſſent quidem pluria, in hoc capite obſervanda, ſed feſtinamus ad alia.

De Sententia.

Tertiam Tragœdiæ partem *ſententiam* eſſe dicunt, inprimis eam, quam Græci γνώμην vocant, quæ, ut *Heinſius* dicit c. 15. nunquam eſt de ſingulis, nec de univerſis quibusvis, ſed de illis,

quæ ad actiones pertinent nostras, & aut eligenda sunt, aut fugienda. In iis attribuendis non semel peccarunt *Euripides*, & *Seneca*; interdum plane falsas dixerunt; qualis est illa *Euripidis* v. 253.

Χρῆν γὰρ μετρίας ἀλλήλους
Φιλίας θνητοὺς ἀνακίρναϑαι.

& quæ sequuntur. *Plutarchus in sermone de πολυφιλίᾳ* negat ei fidem habendam, cum sit inimica bonorum amicitiis, eamque potius ad inimicitias transferendam esse. Idem etiam Scipio sensit apud *Ciceronem in dialogo de amicitia, p. m.* 151. de sententia Biantis (si modo illius est, ut bene ibi dubitatur) *Ama, tanquam osurus.* neque huc, probationis loco, est trahenda sententia illa, alias sapientissima, *μηδὲν ἄγαν*: quippe, quæ Auctorem habet unum ex 7. sapientibus Græciæ. Amicitia enim quo est intensior, eo est verior, ut potius ejus perfectio in ἀκμῇ posita esse videatur, quam in mediocritate. Sed videtur *Euripides* hic se applicasse ad ingenium Nutricis, quæ potius ex indignatione hoc dixerat. Ipse non uno in loco aliter locutus est; ut in *Iphigenia priore* v. 408.

Ἐς κοινὸν ἀλγεῖν τοῖς φίλοισι χρὴ φίλους.

item *in Oreste* v. 455. 727. 804. & alibi passim.

Quæ Nutrix de Venere dixit, ea melius *Seneca* in contrarium vertit. Sic enim illa v. 359.

Κύπρις οὐκ ἄρ ἦν θεὸς,
Ἀλλ' εἴτι μεῖζον ἄλλο γίγνεται θεοῦ.

hæc verò invertit, v. 194.

Deum esse amorem turpiter vitio favens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori Numinis falsi dedit.

Hinc etiam est, quod Nutrix illa Phædræ præcipit, dum vel ultra aras illi fidelis esse cupit, ut velit se majori potestati subjicere, & amori incesto obtemperare, quis enim contra amorem aliquid possit, si Deus est? sed hæc sententia est fomes omnis libidinis, quam insuper exemplis ex cœlo petitis adstruxerunt, quæ, licet Poëtæ fabulis illis semper alio respexerint, tamen vulgo animum liberius peccandi addiderunt, ut videre est in Chærea *Eunuchi Terentiani Act. 3. Sc. 5.* qui, quod Jovis & Danaes historiam in

ta-

tabula pictam vidisset, eo confidentius in proposito perrexit:

Ὅταν γὰρ αἰσχρὰ τοῖσιν ἐσθλοῖσιν δοκῇ,
Ἦ κάρτα δόξει τοῖς κακοῖς εἶναι καλά.

ut ipsa Phædra vulgus argumentari dicit v. 411. Longe melius in sequentibus *Seneca* docuit, unde hæc libidines ortum habeant, nimirum v. 203.

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens,
Hunc illa magna dira fortuna comes,
Subit libido, &c.

Hinc rarius in tabernis pauperum hæc Venus habitat. Videtur hæc sententia expressa, & amplificata ex illa *Euripidis* v. 409.

Ἐκ δὲ γενναίων δόμων
Τόδ' ἦρξε θηλείαισι γίγνεσθαι κακόν.

splendidam enim sortem plerumque solet sequi libido & intemperantia.

Est etiam locus apud *Euripidem*, ubi inquiritur in causas vitæ nostræ corruptæ, sed certe infelici successu, licet magno conatu. Dicit Phædra, v. 375. se noctu sæpius in eam cogitationem venisse quinam sit fons, & origo tam corruptæ hominum vitæ. Videri autem sibi homines οὐ κατὰ γνώμης φύσιν à tramite virtutis deflectere, sed alios propter ignaviam, alios propter voluptates, quas honestati præferunt, alios propter aliam causam virtutem derelinquere; idque ex hoc argumento sibi certo colligere videtur, quod multi adhuc sint boni, hoc, licet non negavarim, id tamen non evincit, quod debebat. nam unde illi suam bonitaten habent, nisi ex castigatione naturæ in vitium cereæ, & præceptis sanioris Philosophiæ. certe, si ductum corruptæ naturæ sequuti fuissent, nihilo meliores evasissent, quam vulgus reliquum. Quæ *Scholiastes* hic ex Philosophia affert, ut mentem *Euripidis* explicet, nimirum, ὅτι τὰ φυσικὰ πάντα πᾶσι παρέπεται, οἷον τὸ γελαστικόν. τὸ ὑπνοῦν καὶ τὰ ὅμοια, καὶ οὐκ ἄν τινα εὕροις χωρὶς τούτων, ea ut verissima sunt, ita mire dictis nostris subserviunt. Nam cum ea, quæ natura insunt, omnibus insint, & paucissimi dentur, qui iis careant, necessario omnes boni esse deberent, paucissimis exceptis, in quibus naturæ defectus deprehenderetur sed. contrarium quis non videt? *Cicero* certe aliter sensit, licet vix proferre ausus sit, *l. 2. Tusc. quæst. p.* 264.

264. ubi dicit: *Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo, & languidum.* Interim verissima hæc est sententia v. 380.

> Τὰ χρῆστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν,
> Οὐκ ἐκπονοῦμεν δ'.

Qua *Euripides* videtur *Gasp. Stiblino in notis ad hunc locum*, oblique notare Athieniensium mores, de quibus hoc tritum ferebatur apophthegma; *scire Athenienses, quæ sint agenda, verum non facere; & ad bene dicendum, quam ad gnaviter agendum instructiores esse*, eandem sententiam etiam eleganter reddidit *Seneca* v. 176.

> *Quæ memoras, scio,*
> *Vera esse, Nutrix, sed furor cogit sequi*
> *Peiora; vadit animus in præceps sciens,*
> *Remeatque, frustra sana consilia appetens.*

Rotundius expressit *Ovidius in Medea metamorph. l. 7. v. 20.*

> *video meliora, proboque,*
> *Deteriora sequor.*

Hæc dum Phædra ita secum reputat, & cum appetitu ratio ejus pugnat, speravit quidem, non futurum esse, ut de statu rectæ rationis deturbetur, sed infirmiores experta est vires suas, quam ut pugnæ tantæ sufficerent. Sentiens autem se sacro isto amore teneri, conatur sibi ipsi medicinam afferre, primo quidem silentio; γλώσσῃ γὰρ οὐδὲν πιστὸν ut dicit v. 395. quod *Seneca* sententiose protulit v. 873.

> *Alium silere quod voles, primus sile.*

Verum amor non vult sileri, sed cum maxime opus est silentio, tum prodit animum maxime, ut *Plutarchus* dicit in quæstione, πότερον τὰ τῆς ψυχῆς, ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα. Id quod etiam Phædræ accidit. Quum igitur videret, se hac ratione nihil efficere, statuit amorem castitate vincere, & temperantia. Sed nec hoc remedium amori prævalere poterat, unde tandem ad mortem spontaneam confugere cogitat, simulque in eam invehit, quæ primo se clam viris prostituerat. Ubi *Interpres Græcus* ex *Herodiani monobiblo* tradit, Euripyli cujusdam filias Μεγαλὼ καὶ Κλυτίω, nomine, primas fuisse. Mortem autem elegit, ut suæ & liberorum famæ consulat, quæ quidem cura non infima esse

esse debet, ut ex *Cicerone* discimus, l. 3. de finib. p. m. 146.

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα (ut dicit) *κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ*
Ὅταν ξυνειδῇ μητρὸς, ἢ πατρὸς κακά.

quem locum etiam *Plutarchus* in libro *περὶ ἀγωγῆς* laudat. Gravissima autem est sententia, omniumqne animis inscribenda, qua hanc claudit orationem v. 426.

Μόνον δὲ τοῦτο φασ' ἁμιλλᾶσθαι βίῳ,
Γνώμην δικαίαν, κἀγαθὴν, ὅτῳ παρῇ.

Causam statim reddit, quod eos, qui boni videri malunt, quam esse, tempus tandem prodat, veluti speculum virginem. Hac sententia Phædra potissimum vult evincere, mortem se honestius expetere, quam vitam, quod quidem apud Stoicos est officium sapientis, ut *Cicero* de hac re disputat *l. 3. de fin. p. m.* 147. His quæ sapienter à Phædra dicta sunt, Nutrix suam orationem opposuit, qua, ut *Virgilius* in re simili loquitur, incensum animum inflammavit amore, quantum quidem potuit. Longe vero hæc est superior illâ *Senecæ*, quum Hippolytum aggreditur, ut *Heinsius* judicat. *Habet enim* (ut dicit *præfat. in Hippolytum Senecæ*) *Euripides noster τὸ κομψὸν, καὶ πανοῦργον. Neque quicquam est tam scelestum, quod non ab eo ἐνδόξως dicatur. Profecto aliam illius temporis Rhetoricam fuisse oportet, quam est pædagogulorum hodie, qui ad suas nescio quas præceptiunculas, καὶ τεχνύδρια, puerorum ingenia adstringunt.* Quas enim non colligit rationes, quibus tam impium Phædræ amorem elevet, simulque persuadeat? Primo nihil hoc novi esse dicit, si amet. commune hoc illi esse cum multis. quæ ratio plurimum valet in animis hominum. Nam *solamen miseris, socios habuisse malorum*, ut *Poëta* loquitur. Deinde quam scite subiicit, v. 440.

Κἄπειτ' ἔρωτος οὕνεκα ψυχὴν ὀλεῖς;
Οὐκ ἄρα γ' οὐ δεῖ τοῖς ἐρῶσι τῶν πέλας
Ὅσοιτε μέλλουσ', εἰ θανεῖν αὐτοὺς χρεών.

quasi dicat, nihil naturæ amoris magis contrarium esse, quam mori velle propter amorem. Cedendum potius ei esse, quod demonstrat amoribus Jovis, & Semeles, de quibus *Ovidius l. 3. Metamorph. fab. 3.* Auroræ, & Cephali, de quibus *idem l. 7. fab. 26.* qui tamen *ἐν οὐρανῷ ναίουσι*, neque à Diis spernantur. sed nec Dii ea quæ naturâ turpia sunt, honesta reddere possunt. addit

etiam, quod sit hac conditione genita, ut amet, verum non illicite. Propius jam ad rem ipsam accedit, & scrupulum ei eximere conatur, qui eam vellicabat. metuebat enim ne hæc ad alios effluerent, quum sint inhonesta, sic enim prius dixerat v. 403.

Ἐμοὶ γὰρ εἴη, μήτε λανθάνειν καλὰ,
Μήτ' αἰσχρὰ δρώσῃ, μάρτυρας πολλοὺς ἔχειν.

subiicit ergo Nutrix, hæc sapientiæ hominum tribui, ut lateant ea quæ non sint honesta: & multos esse, quos eadem sors premat, qui tamen eam dissimulent. cum nemo tam fœdam maculam suæ familiæ cupiat adspergere, aut talia eliminare, quasi vero, id excuset vitia si lateant. Pergit præterea Nutrix, & specie philosophantis, improbam profert sententiam v. 467.

Οὐδ' ἐκπονεῖν τοι χρὴ βίον λίαν βροτούς.

quam tamen, cum videatur bonis moribus officere, similitudine commitigat:

Οὐδὲ στέγην γὰρ, ἧς κατηρεφεῖς δόμοι,
Καλῶς ἀκριβώσειαν.

Deinde exhortatur eam, ut cogitet, se hominem esse, adeoque nihil humani à se alienum putet, imo, si plura habeat bona quam mala, præclare cum ea actum esse, eleganter eam sententiam his verbis concepit. v. 471.

Ἀλλ' εἰ τὰ πλείω χρηστὰ τῶν κακῶν ἔχεις,
Ἄνθρωπος οὖσα, κάρτα γ' εὖ πράξειας ἄν.

Instat deinde, ut sortem suam patienter ferat, inprimis cum id Dei sit voluntas. quo impium magis nihil dicere potuisset. Simul etiam promittit, se incantationibus suis efficere velle, ut Hippolytus in casses suos pertrahatur, ubi mire extollit τὸ πανοῦργον, sive calliditatem, & vafritiem sexus muliebris, cum dicit, v. 480.

Ἦ τἄρ' ὀψέ γ' ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν,
Εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν.

Hæc splendida dicta cum aspernaretur Phædra, quippe, quæ non tantum familias, sed & totas evertere urbes soleant; acute subjicit Nutrix v. 490.

Τί σεμνομυθεῖς; οὐ λόγων εὐσχημόνων
Δεῖ σ', ἀλλὰ τἀνδρός.

Hæc

Hæc omnia jam licet ſint turpiſſima, ut nutrix ipſa agnoſcit v. 500. magnam tamen ſpeciem veritatis acceperunt hac oratione.

Apud *Senecam* omnia ſecus fiunt; ibi enim Nutrix, quum fruſtra Phædram ab inceſto amore dehortata fuiſſet, aggreditur Hippolytum, illique commoditatem vitæ urbanæ dilaudat, oratione floridiſſima, ſed argumentis minus validis, ſi cum his *Euripideis* conferantur. Hæc enim quæ habet, v. 443.

potius annorum memor
Mentem relaxa; motibus feſtis facem
Attolle; curas Bachus exoneret graves;
Ætate fruere: mobili curſu fugit.

& quæ ſequuntur, nondum ſufficiunt animo tali expugnando. ſordent enim hæc omnia illi, qui rure tantum delectatur. ſpecioſiora ſunt, quæ dicit v. 462.

Hoc eſſe munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent? &c. &
Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna ſemper ſobole repararet nova.

ſed nec hæc movere poſſunt animum Hippolyti, qui aliis machinis eſt expugnandus.

In Phædræ oratione, apud *Senecam*, qua Hippolytum aggreditur, non placet cumulatio illa ſententiarum. vix enim ea animo erat reddita. Sunt autem ſententiæ opus ratiocinantis, ut conſtat; qui vero modo animi deliquium paſſus eſt, ratiocinari nequit. Sed neque Theſeus *Euripidis* culpa hac vacat, quem & *Seneca* imitari voluiſſe videtur; neque etiam Hippolytus. inter alias ejus quidem eminet iſta ſane ſapientiſſima in tyrannidem v. 1019.

κίνδυνος δ' ἀπᾶν
Κρείσσω δίδωσι τῆς τυραννίδος χάριν.

ſed his jam non erat opus. plura etiam hujus generis ſupereſſent, ſed animus non eſt omnia perſequi. properamus enim ad finem.

De Dictione.

Restat ultima pars Tragœdiæ, quæ est de dictione; de qua, licet plurima essent dicenda, paucissima tantum tangemus. Hic enim de omnibus dextre judicium ferre, adeo non est ingenii nostri, ut solius *Heinsii* cujusdam, vel *Scaligeri* id esse affirmare ausim. Tragici ut in multis conveniunt cum Epicis; ita & in dictione, cujus præcipuæ virtutes sunt magnificentia, & perspicuitas, quas tamen vix conjunctas videas. Est enim *Sophocles*, ut optimi in his rebus Critici observarunt magnificus, sed ut sæpe perspicuitatem negligat. *Euripides* quidem perspicuus est, sed minus grandis.

De *Latinis* cum vix aliquid in hoc scribendi genere ad nostra tempora pervenerit, præter quædam fragmenta à *Ger. Jo. Vossio* notis illustrata & tragœdiis *Senecæ* à *Petr. Scriverio* editis, adjuncta, suspendendum fere est judicium nostrum. Iis tamen, quæ *Senecæ*, *Patri* & *Filio* adscribuntur, plurimum à *Doctis Viris* tribuitur hac in parte. Inprimis *Lucius* proxime à *Græcis* abesse censetur, cui etiam hæc nostra adscribitur, ut supra diximus. Judicia de *Græcis* & *Latinis Tragicis* pluribus peti possunt, ex *I. C. Scaligeri Hypercritico p. 773. Dan. Heinsii de constitutione Tragœdiæ c. 16. Ioh. Gerard. Vossii Institut. Poëticarum l. 2. c. 14. §. 18. & seqq.* itemque ex aliis. Nos pauca quædam, ut instituimus, conferemus. Florida sunt, quæ Nutrix apud *Euripidem* dicit de amore v. 447.

> φοιτᾷ δ' ἀν' αἰθέρ', ἔστι δ' ἐν θαλασσίῳ
> Κλύδωνι Κύπρις. πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ. Ἥδ' ἐστὶν &c.

sed *Seneca* non cedit, etiam mutato schemate. v. 468.

> *Excedat, agedum, rebus humanis Venus,*
> *Quæ supplet, ac restituit exhaustum genus,* *Orbis jacebit* &c.

Sed non placet hic vox ista, *agedum*; comica enim videtur, certe *Virgilius* ea nusquam usus est in opere divino: in reliquis *Euripidem* superat. cum enim ille amoris amplissimum regnum celebrat, πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ; hic etiam necessitatem addit; dicit enim *supplet*, & *restituit genus*, & quidem *exhaustum*. Quum Hippolytus dixisset, v. 664.

μισῶν

μισῶν δ' οὔποτ' ἐμπλησθήσομαι
Γυναῖκας, οὐ δεὶ φησί τις μ' αἰεὶ λέγειν.

hic longe gravius dixit pathetica αὐξήσει, v. 564.

Deteſtor omnes, horreo, fugio, execror,
Sit ratio, ſit natura, ſit dirus furor,
Odiſſe placuit.

Imprecationem etiam Theſei feliciter imitatus eſt iisdem fere verbis. Inſuper in narrando vel *Euripidem*, *Heinſii* calculo, provocat. Dixerat *Euripides* v. 1162. ἱππόλυτος οὐκ ἔτ' ἔστιν, hic eadem brevitate effert, v. 994.

Hippolytus, heu me, flebili letho occubat.

Melius etiam Pater ſubjungit,

Gnatum Parens obiiſſe jam pridem ſcio;
Nunc raptor obiit.

Quam ille quæſtionem ſuam:

Πρὸς τοῦ; δι' ἔχθρας μέν τις ἦν ἀφιγμένος,
Ὅτου κατῄσχυν' ἄλοχον, ὡς πατρὸς, βίᾳ:

quomodo enim hoc fieri potuiſſet, quum Hippolytus vix à Patre abierit. Illuſtris etiam eſt διατύπωσις illa belluæ marinæ. quum enim *Euripides* ſatis habuiſſet v. 1214. illam ἄγριον τέρας vocaſſe hic 12. verſibus nempe à v. 1033. usque ad v. 1045. ita deſcribit, ut vel legendi horrorem incutiat. Pari venuſtate etiam tempeſtatem deſcripſit, v. 1004. Simile ab arte nautica petitum, quod tribus tantum verbis concepit *Euripides* v. 1221. eleganter quoque amplificavit v. 1069.

Reliqua, quæ ſatis multa adhuc ſunt, afferre propter brevitatem non licet. Sufficiant igitur hæc, quæ in præſentia pro ratione inſtituti tumultuaria hac opera congeſſimus. Omnia enim ordine annotare, & recenſere animus non fuit. Sicubi etiam erravimus, placide monentes audiemus. Interim hæc minora, æquo, & harum literarum amanti Lectori commendamus.

XLI.

De CLARIGATIONE, ET MANIFESTIS.

Ad locum Tit. Livii Hist. Lib. I. Cap. 32.

M*Edium erat in Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor: &, præterquam quod avi regno magis necessariam fuisse pacem credebat, quum in novo tum feroci populo; etiam quod illi contigisset ocium, sine injuria id se haud facile habiturum: tentari patientiam, & tentatam contemni: temporaque esse Tullo regi aptiora, quam Numæ: ut tamen, quoniam Numa in pace religiones instituisset, à se bellica ceremoniæ proderentur; nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu: jus ab antiqua gente Æquicolis, quod nunc Feciales habent, descripsit, quo res repetuntur. Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen est)* Audi Jupiter, *inquit*, audite fines (*cujuscunque gentis sunt, nominat*) audiat fas, ego sum publicus nuncius populi Romani, juste pieque legatus venio, verbisque meis fides sit. Peragit deinde postulata. Inde Jovem testem facit: Si ego injuste impieque illos homines, illasque res dedier nuncio populi Romani mihi exposco, tum patriæ compotem me nunquam sinas esse. *Hæc quum fines suprascandit; hæc quicunque ei primus vir obvius fuerit; hæc, portam ingrediens; hæc, forum ingressus, paucis verbis carminis, concipiendique jurisjurandi mutatis, peragit, si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim solemnes sunt) peractis, bellum ita indicit:* Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite. Ego vos testor, populum illum, (*quicunque est, nominat*) injustum esse, neque jus persolvere, sed de istis rebus in patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur. *Cum is nuncius Romam ad consulendum redit, confestim rex his ferme verbis patres consulebat:* Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patra-

to

to priſcorum Latinorum, hominibusque priſcis Latinis, quas res dari, fieri, ſolui oportuit, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec ſoluerunt, dic, *inquit ei, quem primum ſententiam rogabat*, quid cenſes? *tum ille*: Puro pioque duello quærendas cenſeo; itaque conſentio conſciſcoque. *Inde alii rogabantur, quandoque pars major eorum, qui aderant, in eandem ſententiam ibat, bellum erat conſenſu fieri ſolitum; ut fecialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præſentibus diceret*: Quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini adverſus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſſit eſſe, ſenatusque populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis priſcorum Latinorum, hominibusque priſcis Latinis bellum indico facioque, *id ubi dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitæ res, ac bellum indictum: moremque eum poſteri acceperunt.*

CLarigationem & Manifeſta, ut appellant, nomina in caſtris & Principum aulis quam ſcholis frequentiora, hac diſſertatione explanare conſtitui: non quod tantæ rei amplitudinem me aut complecti ingenio, aut eruditione penetrare potuiſſe confidam (majora enim doctrinæ pariter ac experientiæ ſubſidia hæc res poſcit) ſed ut his tanquam haſtiludiis animum meum quodammodo exercerem. Quod ipſum nec ſic auſus fuiſſem, niſi autoritas & conſilium Clariſſimi *Bœcleri*, cui hoc, quicquid eſt, totum debeo, calcar dubitanti addidiſſet. Omnes itaque qui hoc opuſculum meum lectione ſua dignabuntur, rogatos cupio, ut id corrigant potius quam culpent, & quicquid eruditionis ipſi deeſt, benevolentia ſua ſuppleant. Id ſi fuero conſequutus non me pigebit, leve hoc ingenii mei ſpecimen publicaſſe. Plura jam non præfabor ſed conceptis ad Deum Ter Optimum Maximum votis pro felici operis ſucceſſu, ad propoſitum meum properabo.

CAP. I.

De Nomine Clarigationis.

Nomen clarigationis & ejus ambiguitates.

AD ordinem dissertationis nostræ pertinebit, ut de clarigatione acturi, ab ipso nomine auspicemur, præsertim cum illud multa laboret ambiguitate. Primum igitur clarigationem hic non accipimus *pro pignoratione*, quo sensu Livius hanc vocem usurpasse videtur, dum *Veliternos ob crimen rebellionis jussos trans Tyberim habitare*, dicit, *ea lege ut ejus qui cis Tyberim deprehensus esset, usque ad mille pondo* (multæ sc. nomine) *Clarigatio esset*; ubi Clarigationem idem esse vult *Calv. Lex. Jurid.* quod Imperator Justinianus τὴν ἐνεχυριασμὸν vocat, vetus Interpres *pignorationes* vertit; quas, ut *Budæus* habet *in annotat. posterior, in Pandect. Juris Interpretes malunt Repressalias dicere, usque adeò barbaries ad stomachum rusticitatis facit.* Item *Budæus* etiam refert *annotat. in Pandect. p. 347. Hermolaum Barbarum* Repressalias *Clarigationem* appellare, *quasi aliud non esset verbum græcum aut latinum, quo res omni tempore usurpata significari possit.* Cui consentit *Vossius* qui *lib. 3. latino-barbarorum*, cum de repressaliis agit, eas cum *Hermolao Barbara* vocari posse *clarigationē*, affirmat. Cæterùm in *Androlipsia* speciem aliquā repressaliis cognatā Græci observasse videntur, quapropter & in veteri glossa *Androlipsia* clarigatio exponitur. Verùm, nos neq; Repressalias, neq; androlipsiam per clarigationem intelligimus, neq; cum *Budæo in forensibus pag. 67.* vocem clarigationis ad *citationem per autorizationem* accommodamus, *qui ejusmodi homines* (*scilicet qui solum verterunt*) *si controversias habent judiciales, cum domicilium habere desierint, præconio evocari*, ait, *cum opus est, vel citari in finitimis oppidis exterarum nationum* i. e. *per autorizationem, quæ latinè prisco verbo clarigatio dici potest.* Sed indulgeat unusquisque suæ opinioni, nobis cum *Limnæo* inter *clarigationem publicam* & *privatam* distinguere placebit. Privatam enim clarigationem appellamus, de qua *Livius* lib. 8. supra laudato, & eam repressaliarum aliquam speciem obtinere non negamus. Publicam verò eam, cujus *Livius* meminit *lib. 1. cap. 32.* De qua in præsenti sumus acturi, quamque *Plin.* factam esse dicit, cum legati ad hostes *res raptas clarè repetitum*

Margin notes: l. 8. c. 14. — Novell. 52. — l. 4. Iur. publ. c. 8. non 302. — lib. 22. c. 2.

tum mittebantur, quod quia verbis solennibus & clara voce fiebat, à claritate vocis, vel quia per bellicam sortem agros hostium invadebant, ἀπὸ τῦ κλήρυ, hoc est, sorte, *clarigationem* dictam esse vult *Servius*. Est autem clarigationem exercere, idem quod per feciales bellum indicere; bellum censere & jubere, bellum denunciare, arma sive hostilia nuntiare. Sed & per *diffidationem* exponi potest clarigatio, quæ idem quod denuntiatio, die Absagung: unde & recentioribus, inprimis *Crantziô*, literas *diffidationis mittere*, idem est quod bellum denuntiare. Est tamen differentia quædam inter *clarigationem* & *belli denuntiationem*, quod nempe *clarigatio* conjunctam semper habet rerum raptarum repetitionem, & justam ob illatam injuriam vindicationem, quapropter *Grot. conditionatam* appellat *denuntiationem*, quæ cum rerum repetitione conjungitur; *Belli* verò *indictio* non item. Sæpe enim bellum, nulla justa extante ratione, nec vindicandæ injuriæ causa, sed cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium indicitur. Hinc *Selden.* inter clarigationem & belli indictionem distinguit, jusque clarigationis Orientalibus populis non commode attribui posse autumat, *cum illis nec injuria præcedens nec tutela sui necessaria, sed augendæ imperii amplitudinis ratio tantum, ex magistrorum recepta sententia justa belli suscipiendi causa haberetur. Ad ejusce denuntiationem seu indicendi formulam, rerum repetendarum seu clarigationis jus, quod ferè in occidente, saltem olim, obtinuit, semper obtinere non potuisse nemo non videt. Bellum autem indicere eis erat, deditionem ac fœdus solum ab hostibus deposcere, quod offerre eis, seu invitare eos ad pacem nuncupabant. Conf. Wilh. Schickard. Jur. Reg. Hebr. cap.* 5.

Descriptio clarigationis. lib. 9. & 10. Æneid.

Nomina idem significantia.

Distinctio clarigationis ab indictione belli.

de Iur. belli & pac. l. 3. c. 3. §. 7.

de Iure gent. lib. 6 cap. 13.

CAP. II.

De Clarigationis origine & usu apud gentes antiquissimas.

ORiginem Clarigationis quod spectat, antiquissimum eam judicamus, quoniam *ad jus feciale* pertinet, quod omnium apud Romanos vetustissimum fuit, docente *Fenestel-*

Clarigatio ex jure feciali.

la. Verùm quo tempore, vel à quo inventum sit, inter Autores non satis constat: nam ut loquitur Alex. ab Alexandro, *Feciales, quos fœderibus sanciendis & rebus repetendis & bellis indicendis Romanos habuisse constat, à Tullo Hostilio, seu Anco Marcio, ut vero alii à Numa Pompilio creatos fuisse liquet, qui ab antiqua gente Æquicolis, jura & verba solennia, quibus res repetuntur & bella indicuntur, accepere.* Fecialium quidem antiqua est memoria, cum varia eorum in historiis etiam antiquissimis fiat mentio. nam & apud veteres Aborigines eorum usus fuit, dictiq; sunt σπονδοφόροι, q. d. *fœdiferi vel fœderum latores:* apud Pelasgos etiam antiquissimos Græciæ populos eos viguisse, meminit *Dionys. Halicarnass. Quoties bellum*, inquit, *aliis illaturi, aut illatum propulsaturi, copias ultra agri sui fines emittebant, feciales, qui erant viri quidam sacri, sine armis alios præcedebant:* Verum nobis de fecialibus proprie non est sermo, nec primam ipsorum originem inquirere nostri propositi erat; tantum dè collegio fecialium, quod Romæ olim fuit, deque ejus origine pauca dicamus. Prima igitur ejus institutio Numæ inprimis adscribenda videtur. is enim, omnis divini & humani juris consultissimus, regno potitus, *leges moresque Romanis constituit, qui consuetudine præliorum, jam latrones & semibarbari putabantur*, urbemque novam vi & armis conditam, jure, legibus ac moribus de integro condere paravit; quibus cum inter bella assuescere videret non posse, (quippe efferatis militia animis) mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, *feciales pacis custodes, cognitores, arbitrosque causarum belli indicendi legitimarum instituit.* Hujus constitutionis Cicero meminisse videtur, dum inter leges antiquas & hanc recenset: *Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, feciales indices duo sunto bellaq; disceptanto.* Testatur etiam *Dionys. Halicarnaß.* Numam hoc fecialium collegium primum constituisse, septimamque legum sacrarum partem ipsorum collegio dicasse, utrum autem ab Æquicolis exemplum sumserit, ut nonnulli arbitrantur, an ab Ardeatibus, ut scribit *Gellius*, affirmare non vult, *illud tantum monuisse sibi satis esse*, inquit, *ante Numæ regnum fecialium collegium nondum Romæ fuisse; Numa enim id constituit, cum esset bellum Fidenatibus illaturus, qui latrociniis &*

Gen. dier. lib. 5. c. 3.

lib. 1.

Ipsum jus feciale, quid & unde.

Eutrop. lib. 1.

Plutarch. in Camillo

lib. 2. de legibus.

lib. 2.

& incursionibus in ipsius agrum factis eum vastarant. Paulo aliter sentiunt *Livius*, & ex eo *Servius*, qui Ancum Marcium illud jus feciale primo ab Æquicolis descripsisse volunt. *Quoniam enim,* inquit, *Livius, avus ejus in pace religiones instituisset, à se bellicas quasdam ceremonias prodire voluit, atque ideo ut nec gererentur solũ, sed & indicerentur bella aliquo ritu, jus ab antiqua gente Æquicolis, quod nunc feciales habent, descripsit,* apud quos hujus juris inventor primus fertur exstitisse Rhesus. In eadem est opinione *Servius*, quam ex Livio fortasse hausit, *Ancum Marcium, cum videret Populum Romanum ardentem amore bellorum, & plerumq; inferre gentibus bella, nulla justa exstante ratione, & exinde pericula procreari, misisse ad gentem Æquiculanam, & accepisse jura fecialia, per quæ bella indicebantur.* Cæterum jus feciale vel officium fecialium quod attinet, in iis præcipuè consistebat. 1. ut feciales curam gererent, ne populus Romanus ulli fœderatæ civitati bellum injustum inferret. 2. ut cognoscerent, si qui fœderatorum se à Romanis injuriam passos dicerent. 3. ut Imperatorum delicta contra jusiurandum ac fœdera commissa expiarent. Plura ipsorum munera recenset *Dionys. Halicarnass.* Feciales ideo dicti sunt, quod fidei publicæ inter populos præerant. *Pacis enim custodes ex officio suo nomen trahentes disceptatione comprimebant certamina, neque prius quam abscissa omni juris obtinendi spe ad arma iri sinebant. Frequenter commeabant ad eos qui injuriam inferrent, poscebantque res reddi, si non redderent, Deos testati, multa diraque sibi ipsi ac patriæ suæ, ni juste injuriam vindicatum irent imprecabantur: Ita indicebant illis bellum. Intercedentibus quoque fecialibus aut improbantibus, neque militi licebat, neque Regi Romano arma movere, sed ab his auspicandum ei bellum, ut justo duci erat, inde quid expediret expendendum.* Bellum igitur aut *suadebant* olim feciales, quod pacem inutilem & inhonestam putabant; aut *nuntiabant*, quod etiam suis ritibus & quadam velut religione olim definitum erat, de quibus jam pauca sunt addenda. Missi ad fines hostium feciales quatuor, filo lanæ capite velato, quædam solennia præfati, res sibi dari clara voce poscebant, quorum unus verbenam, *scilicet gramen*, ut vult *Plin. ex arce cum sua terra evulsum* por-

lib. 1. c. 32.

Sext. Aurel. Vict. in Anco.

ad lib. 10. Æneid.

lib. 2.

Plutarch. in Numa.

Marselar. de legat. lib 2. dissert. 21

Ritus clarigationis.

lib. 22. c. 2.

portabat, indeque verbenarius vocabatur. Herbæ id genus ex arce sumtum dari fecialibus solebat etiam in fœderibus feriendis, de quo *Livius*, ornabatur autem ideo unus veste & sacris insignibus, ut præter cæteros esset conspicuus. Non autem cuicunque ex fecialibus, sed soli Patri patrato indicendi belli facultas erat, quem fecialis verbena caput & frontem cingens indicendi belli principem faciebat. Ibat enim pater patratus ad hostium fines & verba solennia præfatus, bellum à populo R. contra præscriptos hostes ob certas & legitimas causas; aut quia socios læserant; aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent, clara voce indicebat, (*erat autem pater patratus is, cui pater & cui filii erant & maximus habebatur.*) Hic cum primum hostium fines attigerit, Jovem cæterosque Deos invocans, testatur se à Romanis juste pieque legatum venire, verbisque suis fidem petit. Quibus peractis Jovem iterum testem facit, se venire ad injustum populum, seque suosque cives, si quid injuste impieque exposceret exsecratus, intra fines ingreditur, & quem primum obviam nactus est, eum testatus, sive is urbanus sit, sive rusticus, & repetitis eisdem precibus & exsecrationibus ad urbem pergit & forum ingressus adventus sui causam iterum indicat. Tum si non detur, quæ exposcit, confestim Romam ad consulendum, quo pacto jus adipiscatur, proficiscitur, & diebus XXXIII. peractis, si jus suum non impetraverit, consilio senatus, & populi jussu hastam ferratam, aut sanguineam præustam (apud Æquicolas primum & horum exemplo apud Romanos usitatam) ad fines eorum perfert, & non minus tribus puberibus præsentibus bellum tali formula indicit; *Quod populi priscorum Latinorum, hominesque prisci Latini, adversus populum Rom. Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus Roman. Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, senatusque populi Roman. Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret, ob eam rem, ego populusque Roman. populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis bellum indico facioque. Id ubi dixisset, hastam in fines eorum emisit.* Hæc *Liv. l. 1. cap. 32.* Cum quo consentit *Gellius*, qui fecialem populi Romani bellum indicentem hostibus,

lib. 30. capit. 43. Alex. ab Alexandr. lib. 5 cap. 3. & Serv. in lib. 9. & 10. Æneid. Rosin. Antiquit. Roman. lib. 3. cap. 21.

lib. 16. c. 4.

bus, telumque in agrum eorum jacientem, his verbis uti scripsit: *Quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, adversus populum Romanum bellum fecere, deliquere, quodque populus Romanus cum populo H. hominibusque Hermundulis bellum jussit, ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo & hominibus Hermundulis bellum indico facioque.* Qua de re sic *Ovidius*: lib. 6. Fast.

Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,
In regem & gentes cum placet arma capi.

Solebant etiam interdum Romani hostibus suis duo signa, *caduceum* nempe & *hastam* mittere, ut eorum unum eligerent, hoc vero pacem, alterum bellum indicabat. Caduceum enim & hastam mittere nihil aliud erat, quam permittere, ut pro arbitrio quis vel bellum iniret, vel pacem amplecteretur. Sic L. Fabius Imperator Romanorum dedit ad Carthaginenses epistolam, qua scriptum fuit; populum Romanum misisse ad eos hastam & caduceum, signa duo belli aut pacis, exque iis utrum vellent eligerent: quod elegissent, id unum ut esse missum existimarent. Videri possunt hac de re *Livius lib.* 21. *cap.* 18. & *Florus lib.* 2. *cap.* 6. paulo aliter memorantes. Cæterum hastam in fines hostium intorquere non minus in consuetudine Græcis & Barbaris quam Romanis fuit. *Alexander enim in Persidem profecturus, à navi in littus hastam ejaculatus est, terramque primus egressus navigio, quasi captivam cepit.* De Grambade Chionitarum Rege, refert *Ammian. Marcell. Quod ubi hastam infectam sanguine ritu patrio more fecialis conjecisset*, armis exercitus concrepans involaverit in muros. Indicebat enim hasta projecta pugnæ principium, jamque licebat more belli res rapere, excursiones facere, prædas agere, fines populari eosque ferro igneque vastare, atque omnia hostilia facere permissum erat. Unde *Virgilius* de Turno Ardeam obsidente.

Gell. l. 10. cap. 27.

Diodor. Sicul. l. 7. cap. 2.

lib. 19.

lib. 9. Æneid.

Sic ait, & jaculum emittens intorsit in auras
Principium pugnæ.

Præter hunc autem communem morem hastæ in terram hostium emittendæ, nonnulli populi peculiares olim ritus & ceremonias adhibuerunt. Græcis enim in more fuit, post res repetitas, si ad constitutum diem non darentur, *arietem in ho-*

hostium agros immittere, eoque modo bellum indictum, & armis uti licere arbitrati sunt. Persæ autem bella suscipientes prius *præconem misere, qui terram & aquam exposceret*. Sic enim Xerxes Persarum Rex cum adversus Græciam bellum meditaretur, primum præcones misit *postulantes terram & aquam*, ut habet *Suidas in Xerxe*. De Germanis refert *Auentinus*, quod Alexandro magno ipsis, ne Tanaim atque Histrum amnes injussu suo transirent prohibenti, militiæ factis magni ad verborum linguæque certamina rudes, gladium per legatos miserint, fortitudinis & injuriæ propulsandæ indicem puto. Sed plura de his priscorum ritibus, qui scire satagit videat *Alex. ab Alexand. lib. 5. cap. 3.*

Cæterum hodie omnibus fere populis usitatum est, quoties amicitias dirimere volunt, *literas* componere (quas *diffidatitias* appellant, Feind-und Absagbrieffe/) iisque declaratis prius & ostensis belli causis & rationibus, deque injuriis sibi factis testantibus, amicitiam renunciare & bellum indicere. Quo enim bellum magis testatum esse videatur, literarum testimonio id signatum volunt; quas perferendas dant *juveni nobili*, cui *comitem Tubicinem* adsociant, & hic hodie appellatur ein Herold. Talem Saxo & Hessus Carolo V. miserunt, qui juxta belli legem scriptum aliquod protulit, quo repetitis superiorum temporum actionibus, & purgatis iterum quæ obiiciebantur criminationibus; postquam justa esse arma, quæ induerint multis rationibus demonstrassent, bellum denunciabant. *Natalis Comes* quidem, singulari quodam & olim apud Germanos usitato ritu hanc indictionem factam esse scribit, *dum literas hasce ad teli amentum alligatas, in castra Cæsariana missas esse*, ait, *juxta morem veterum Germanorum belli denuntiandi*. Idem habet *Surius in Comment. sub anno 1546.* & *Hortensius lib. 2. de bello German. pag. 70. & 73.* Verum Amplissimus quondam *Caspar. Bitschius* in notis suis ad Comitem putat, hos omnes Ludovici Avilani verbis deceptos fuisse, qui eo errore ductus, ita habet, *lib. 1. de bello German. pag. 17. B.* Dum eo statu res essent, *Joannes Fridericus & Hessus puerum cum aneatore ad Cæsarem miserunt. Quo cum pervenissent* &c. *epistolam proferunt ad amentum teli deligatam. Hic vetus Germanorum mos est: per hos illi feciales bellum hosti denunciant.* Sed

Thuanus lib. 2. Sleidan. l. 17.

lib. 1. hist. pag. 15.

Sed falsam hanc ejus esse opinionem *Bitschius* inde præcipuè probat, quod de hoc singulari & propterea memorabili Germanorum more, bellum per epistolam amento, vel cuspidi sagittæ alligatam indicendi, nusquam alibi quicquam literis proditum sit. Adducit deinde & alias rationes, quas curioso lectori ibi legendas relinquimus.

CAP. III.
An Clarigatio requiratur ad justitiam belli.

PRæmissis jam iis quæ ad Clarigationis originem & usum, tum etiam ad varios circa eam ritus & ceremonias pertinent, consequens esse videtur, ut jam ipsa jura clarigationis aggrediamur, & an ea omnino ad justitiam belli requirantur, dispiciamus. Quæstio igitur nobis nascitur: *An bellum sine clarigatione susceptum, justum dici, mereatur.* Incultæ sane agrestesque olim gentes omne jus suum in viribus locabant, *& prima ipsis bellorum jura erant, se invicem ultro lacessere, ejicere, adeoque jus in armis ferre.* Omnes enim lites armis dirimebant, pleraque causarum judicia duello sive singulari certamine decernebant, *inque dubiis judiciis, cum utrinque argumenta essent obscura, armis litigantium credebatur: in circum arenamue dimissi pugnabant, victus pro nocente habebatur*, quique felicius, ille & justius arma sustulisse putabatur. Apud quosdam id legibus etiam sancitum fuit, ut de qualibet controversia ferro decerneretur, *speciosius viribus quam verbis confligendum existimantes. Pigrum quinimo & iners ipsis videbatur verbis id impetrare, quod sanguine potuissent parare; hostes enim vocare, vulnera mereri*, exque rapto vivere, id virtutis argumentum, id gloriæ habebatur. *Id in summa fortuna æquius quod validius, sua retinere privatæ domus: de alienis certare, regiam laudem esse putabant.* Sed apage cum feritate ista Ethnica & bestiali ab ipsa profecto barbarie veniente, *nec unquam animum Christianum penetrent illæ voces: in armis jus ferendum & omnia fortium virorum esse.* Haud desunt tamen hodie & nostro seculo homines, qui in bello omnia jura cessare, armatisque nullas leges positas esse putant, quique cum Mario præ armorum strepitu

Quæstio proponitur.

Clarigationis jus cum toto jure belli sperni- tur negaturq; à nonnullis.

Sallust. Iug. c. 18.
Barclaius Icon. Animor: c. 3.
Saxo Grāmat. l. 5. pag 86.
Tacit. German. c. 14.
Tacit. Annal. 15. c 1.
Lips. polit. lib. 5. c. 3. num. 7.

leges à se posse exaudiri negant. *Hanc enim juris partem ita contemnunt, quasi nihil ejus præter inane nomen existeret.* Unde Grotius, cum compertissimum haberet, *esse aliquod inter populos jus commune, quod & ad bella & in bellis valeret*, de eo scriptionem instituit, & librum istum vere aureum, *de jure belli & pacis*, quo de tota posteritate optime meritus est, scripsit; *Videbat enim*, ut ipse fatetur *in prolegom. hujus libri*, *per Christianum orbem, vel barbaris gentibus pudendam bellandi licentiam: levibus aut nullis de causis ad arma procurri, quibus semel sumtis nullam jam divini, nullam humani juris reverentiam, plane quasi uno edicto ad omnia scelera emisso furore.* Hodie enim *sata ex bellis bella, porrectus late in gentes terror, oppressa armis aut fraude libertas, non virtutis modo, sed heroum fama celebrantur. Estque non vulgi tantum opinio bellum ab omni jure longissime abesse, sed & viris doctis & prudentibus sæpe dicta excidunt, quæ talem opinionem foveant*, quibus illud Euphemi dictum semper in ore est, *Regi aut civitati imperium habenti nihil injustum quod utile*, & *Rempublicam sine injuria geri haud posse*; quibus nullæ rapinæ infames si quæstum, nulla bella injusta si utilitatem aliquam promittant. Hi sane homines incidunt in grande illud iniquitatis mysterium: *utilitatem pro jure esse*; deque iis dici potest, quod *Plutarchus in Agesil.* de Lecedæmoniis usurpavit. *Jus aliud nec discunt nec norunt, quam unde existimant Spartæ magnitudinem & incrementa promoveri posse.* Ergo cum objicitur spes magnæ prædæ, statim illis in ore est: *Dignum id præmium esse ob quod justitia deseratur & honestas violetur.* Nulla igitur belli occasione abstinent ne injusti quidem ac periculosi, tam fœderatis quam infestis bellum ultro inferentes, idque interdum de talibus causis, quæ vix querela & expostulatione dignæ sunt. Cæterum prolixum nimis foret, per ævi nostri exempla ire, nec ad institutum nostrum pertinere videtur, præsertim cum omnibus satis cognitum sit, quod & hodie reperiantur, qui omnia cum pretio honesta, nihilq; esse cum lucro malum gloriose dictitant, quiq; honesto postposito, suis comodis ac cupiditatibus lenocinantur, *potentia ad impotentiam utuntur*, jus in armis ferunt, sine injuria potentiam levem atque inopem esse arbitrantur, quibus nulla jura, leges, fœdera, divina humanaque sancta nisi ex usu, nec timenda nisi per simulacrum. Atque inde est, quod

Bœclerus in Comment. ad Corn. Nepot.
Grot. de Iur. bell. in prolegom.
Thucydid. lib. 6.
Vellej. Paterc. 2. cap. 29.

quod omnes, quæ inter Reges & populos hodie incidunt controversiæ, ferme Martem habeant arbitrum, & arma jam non in juris custodiam, sed interitum assumantur, ut recte cum Ennio conqueri possimus.

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Sed his qui injustam hanc belli licentiam, fas armorum & jus hostium hodie appellant, recte respondet *Clapmar. Tu mihi,* inquit, *jus appellas, in quo ne umbra quidem justitiæ est?* Quanquam ipsis prætextus non desunt, quos obtendant; ut quod non injustum sit vicinos sive alios vi & armis sine ulla causa, absque omni denuntiatione occulte invadere: cum æquitati naturali consentaneum sit arma vicinorum reprimere, ne contra se insurgere audeant, *more veterum Germanorum, qui hoc proprium virtutis existimabant, expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam prope se audere consistere: simul hoc sese fore tutiores arbitrabantur repentinæ incursionis timore sublato.* Quod ipsa ratio dictitet, ut is hostis minime provocetur, qui sat promtus & expeditus ad sui defensionem est, *sed imprudens & imparatus, parva manu facilius opprimatur, quam paratus quamvis magno exercitu.* Quod præstet inscium & nil tale timentem hostem obruere, quam longum tempus & spatium relinquere, quo se munire, fortiorque ad resistendum possit evadere; id enim artis esse, *hosti ultro metum inferre, & à se remoto periculo, eum in discrimen adducere*, atque ex occulto attentare, ut integris suis, quantum possint hostem interimant, certe vel terreant: *multum etiam interesse alienos populari fines, quam suos uri excindique videre.* Contra si indicatur bellum, tum hosti tempus concedi, quo vires suas reparare, arma contra ciere, auxiliaque ab aliis petere possit: unde non modo major nascatur vis belli, sed & quod antea per dies, jam non per años aliquot impetretur: ad grande enim & inexpiabile bellum rem redire, quæ expeditiori remedio antea potuisset sanari. His subnectunt utilitatem belli. Quod bella inutili

Arcan. l. 5. cap. 11. *allatis etjam rationibus contra morem clarigandi.*

Cæsar l. 6. bell. Gall.

Corn. Nepos in Datam.

Liv. l. 28. cap. 44.

Bodin. de republ. l. 5. cap. 5.

tili ac ignavi turba rempublicam liberent, *cum nullum majus remedium sit, homines otio turpi, inertia, voluptatibus diffluentes è civitate sive republica tollendi, ac velnti pravis ac corruptis humoribus plenum corpus vacuandi, quam ad bellum eos emittere.* Deinde, quod in Republica otium & luxuriam non patiantur, unde *Tullus, senescere civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quæsiverit.* Denique quod continuis bellis populi fortiores evadent, contra verò si omnes dissensiones jure & indicio non bello discernantur, jam arma otio hebescant, & respublica in luxum & mollitiem prosternatur, *nullam ideo apud veteres Germanos infamiam habuisse latrocinia: fiebant enim juventutis exercendæ & desidiæ minuendæ causa.* Quin & juri divino non adversari suam sententiam probare conantur: Quoniam Abrahamus adversus quatuor istos reges, qui Sodoma diripuerãt, arma sine ulla indictione susceperit, eosq; nocte clam aggressus fuerit, quodq; hoc ejus factum à Deo per Sacerdotem Melchisedecum comprobatum fuerit. Quo etiam referunt exemplum Israëlitarum, qui divina authoritate mandatoque freti terras Cananæas ingressi, nulla prævia belli denuntiatione debellarunt.

Liv. lib. 1. cap. 22.

Iul. Cæsar. l. 6. bell. Gall.

Gen. 14.

Alii requirunt & probant clarigationem exemplis sacris.

Atque his utuntur rationibus, qui lites non jure, sed gladio domandas volunt. illi vero, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan

ab hoc belluarum per vim decertandi genere abhorrent; *bella* etenim *nec suscipi nisi ad juris consecutionem volunt, nec suscepta geri nisi intra juris ac fidei modum.* nam requiri ad omne bellum, ut non perfidiose, sed juste, non ad internecionem, sed ad juris defensionem geratur. Et id bellum *pium & justum* appellant, non quod ex libidine, nec quod ex ambitione & avaritia, sine justa & necessaria causa, ad fines imperii ampliandos, sed quod post illatam injuriam, rebus prius repetitis, omnibusque pacificis remediis, quibus offensiones hostium possent restingui tentatis, suscipitur. Nam pium & humanum est, inquiunt, omnia prius amica compellatione experiri, quam armis & contentionibus locum concedere, *idque sapientem decet omnia prius experiri quam armis contendere. Et æquum est*, inquit Gerhard. *in loc. de Magistrat. polit. bellum prius indicere quam inferre, perinde ut in causis forensibus prius in jus vocamus & litem denun-*

Grot. de jure bell. & pacis in prolegom.

nuntiamus: stolidum contra armis repetere, quod vel postulationis æquitate, vel sola armorum comminatione impetrari possit. Nititur id jure tam Divino, quam omnium gentium & civili. Juri Divino id conforme esse apparet ex *Deuternom.* 20. *vers.* 10. ubi Deus singulari effato denuntiationem belli cum oblatione pacis conjunctam populo suo commendavit. *Si quando,* inquit, *accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem, si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Meminit ejusdem legis à Deo latæ *Joseph. cum bellum,* inquit, *instabit, caduceatores primum ad destinatos hostes sunt mittendi: decet enim ante arma verbis ad eos uti, docendo, quod quamvis & copiæ vobis adsint numerosæ & equi & arma, & super omnia Deus auxiliator propitius: mavultis tamen non cogi ad bellum, neque ex rebus illorum direptis ingrata lucra quærere. Et si quidem quod æquum est, persuaderi sibi patiantur, præstat pacem inviolatam servare, quod si plus suis viribus tribuentes jus in armis reponant, exercitum contra eos educite imperium Deo committentes.* Atque huic præcepto obsecuti, Moses, ad Sihonem Regem in Hesbon legatos misit verbis pacificis, etiamsi Deus eum cum tota regione in manus Israëlitarum tradiderit: Jephthe nuncios pacem oblaturos ad Regem filiorum Ammon ablegavit, qui illum sine jure invadere fines Israëlitarum, validissimis rationibus demonstrarent, & causam invasionis expeterent: Joas Amaziam Regem Judæ sibi bellum indicentem ad pacem hortatus est. Nec minus Necho Rex Ægypti legatos de contestanda sua innocentia ad Josiam Regem Judæ misit. Israelitarum quoque huc pertinet exemplum, quod egregie *Josephus ex lib. Josuæ cap.* 21. describit. *Israelitæ,* inquit, *cum audivissent Rubenis tribus & Gadis, & quotquot Manassitarum eos secuti sunt, altare super ripam Jordanis erexisse, putabant eos novata religione alienorum numinum cultum velle introducere: & temere hac suspicione violatæ religionis moti, arma corripuerant, vindicaturi patrios ritus & pœnas à violatoribus exacturi. Josua vero & pontifex Eleazarus cum senatu cohibebant eos, dicentes: verbis prius quam armis rem aggrediendam, & sentiendum qua mente id fecerint:* &

Antiquit. Iudaic. l. 4. c. 8.

Deuter. 2.

Iudic. 2.

2. Regum cap. 14.

2. Paralip. cap. 35.

Antiquit. Iudaic. l. 5. cap. 1.

& si forte malo animo factum deprehensum sit, tum demum armis impetendos. Respectu igitur cognationis & ea spe, quod fortasse admonitione ad sanitatem reduci possent, miserunt legatos qui cognoscerent, quid sibi volentes altare in ripa construxissent. Et cap. 2. ejusdem libri simile refert exemplum desumtum ex *lib. Judicum cap.* 19. Cum Gabaëni Levitæ cujusdam uxorem vi ad stuprum abripuissent, *Israelitæ ad indignationem graviter commoti, & justo furore perciti, Gabaenos hostiliter armis impetere decernunt; sed hunc impetum senatus cohibuit, suadens non ita temere cognatis bellum inferendum, priusquam verbis agerent de criminibus: quando ne in exteros quidem ob injuriã acceptam armari leges permittunt, nisi legatis prius de satisfactione missis. Rectum igitur esse ad Gabaënos mittere, qui sontes ad supplicium deposcant: qui si dedantur, horum pœna contentos esse debere: sin contumaces fuerint, bello in eos vindicandum. Itaque mittebantur ad Gabaënos accusaturi eos juvenes, qui vim pudicitiæ mulieris intulerant, & postulaturi ut pro violatis legibus, morte justas pœnas dependerent.* Atque his tam præceptis quam exemplis sacris Hebræorum magistri videntur adducti, ut bellum nisi indictum à populo suo geri noluerint; etiamsi enim clarigationis jura non strictè semper observaverunt, *tamen bellum nisi nuntiatum, nisi indictum*, ut habet Seldenus, *geri nolebant, disertis divinæ legis verbis satis moniti, bellum autem indicere eis erat deditionem ac fœdus solum ab hostibus deposcere, quod offerre eis, seu invitare eos ad pacem nuncupabant.* Hactenus de jure divino; jam ostendendum est, quod & jure omnium gentium æqua & pacifica remedia armis bellisque præcedere debeant. *Vt igitur bellum*, inquit Grotius, *solenne sit ex jure gentium, duo requiruntur; primum ut geratur utrinque authore eo, qui summam potestatem habeat in civitate, deinde ut ritus quidam adsint, & hæc quia conjunctim requiruntur, ideo alterum sine altero non sufficit.* Hi autem ritus de quibus *supra cap. 2. egimus*, consistunt in ipso clarigationis jure, pro more & consuetudine unius cujusque populi, olim suis ritibus & ceremoniis munito, & eorum varios nobis tradidit *Alexand. ab Alex.* Cæterum apud omnes fere populos id peræque olim custoditum est, ut bella legitimo more &

de Iur. gẽt. lib. 6. c. 13.

Consuetudine & exemplis Gentiũ.

de Iur. bel. lib. 1. cap. 3. §. 4.

gen. dier. lib. 5. c. 3.

& certis ceremoniis indicerentur, quo magis justa belli causa, injuriaque sibi facta omnibus innotesceret, & hostis de injuriarum satisfactione, vel ablatorum restitutione admoneretur, bellumq; ex quo plurima mala, etiam in innocentes sequi solent *dum innocentes ac noxii juxta cadunt*, vitaretur. Multa autem ac pene infinita sunt exempla, quibus cultissimæ quæque gentes, jam pridem non minus ac hodie, clarigationis jura, tradita quasi per manus consuetudine approbarunt, quorum paucissima, illustriora tamen, quantum fieri potest colligam. Certe apud Romanos clarigationis jura maxime olim viguisse, ex historiis sat patet. Illi enim nullum bellum justum voluerunt, nisi indictum, nisi nuntiatum, nisi repetitis rebus: gloriosius existimantes, indicere prius quam gerere bella, denuntiare etiam, quam per insidias hostem aggredi. Romanas enim appellabant artes, collatis cominus viribus, hostem virtute non casu vincere. *Hinc cum Q. Marcius gloriaretur, decepto per inducias & spem pacis Perse: veteres & moris antiqui memores, negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes, majores enim non per insidias, nec ut astu magis quam vera virtute gloriarentur, bella gessisse, indicere prius quam gerere solitos bella, denuntiare, etiam interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Hacque Romana esse, non versutiarum Punicarum, aut calliditatis Græcæ; apud quos fallere hostem, quam vi superare, gloriosius fuit.* Cum itaque, *non fraude neque occultis, sed palam & armatus, populus Romanus hostes suos ulcisci soleret*, ideo clarigationis jura ab ipsis sancta æstimata sunt, adeo, ut ea religionis instar observaverint, inque bello omitti non posse, *sine jactura religionis, sine oblivione Deorum*, crediderint. Hinc feciales constituti, & inter sanctos numerati, qui curam gererent, ne populus Romanus ulli bellum injustum inferret: & si populus Romanus ipse injuria afficeretur, satisfactionem, vel ablatorum restitutionem flagitarent, eamque recusantibus bellum indicerent. Sed de his *sup. c.* 2. egimus. Cæterum egregie de Romanis locutus est *Cic. Belli æquitas*, inquit, *sanctissime feciali P. R. jure perscripta est, ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit & indictum.* Gerebant enim bella Romani, non *minus juste quam fortiter, belliquesicut & pacis jura esse, non ignari erant*, ut olim Camillus dixit.

Tacit. Annal. 1. c. 48.

Romanorum.

Liv. l. 42. cap. 47.

Tacit. Annal. 2. 88.

Liv. lib. 38. cap. 46.

lib. 1. Offic.

Liv. lib. 5. cap. 27. lib. 2.

Qua in parte etiam *Varro* illos commendat: *Romani*, inquit, *nullum bellum pium putabant geri oportere, prinsquam indicerent iis, à quibus injurias factas sciebant. Feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui si postulata impetrassent, fœdus cum iis faciebant; sin minus, re deliberata bellum indicebant.* Non desunt nobis exempla; *Nam Tullus Hostilius, res prius repetens & negantibus Albanis, pie bellum se inferre posse putavit. Ancus Latinos incursionem in agrum Roman. facientes, re prius repetita, sed superbo sibi responso reddito, justo bello adortus est. Vejentibus etiam in agrum Roman. excursiones facientibus, noluerunt Romani confestim bellum indicere, religio enim obstitit: feciales prius mittendos ad res repetendas censuere. Nec ad auditum obsidium sociæ civitatis Sagunti, statim ad arma procurrere voluerunt, sed prius more legitimo questi sunt*, teste *Floro. Ut enim omnia juste ante bellum fierent, legatos in Africam miserunt, ad percunctandos Carthaginenses: publicone consilio Annibal Saguntum expugnasset: & si faterentur & defenderent, publico consilio factum, ut indicerent populo Carthaginensi bellum.* Prætereo alia bella à Romanis cum Antiocho, Philippo, Annibale, & Pœnis gesta, *quæ omnia populus jussit. sæpe legati ante missi res repetita, postremo qui bellum indicerent missi sunt.* Et ideo felicia sua bella, quia justa præ se ferebant Romani, nec tam exitu eorum, quod vicerunt, quam principiis quod non sine causa susceperunt, gloriabantur, ut Rhodii de ipsis quondam prædicabant. Unde & *Cicero* dixit, *Romanos non calliditate aut robore, sed pietate & religione omnes gentes nationesque superavisse.* Non igitur injuria accusatus *Cneius Manlius*, nec injusta concertatio triumphi ipsius impediendi videtur, *quod Gallogræcis, non ex senatus authoritate, non ex populi jussu, non rebus repetitis, non denuntiatum bellum intulisset.* Nec injuste *Cicero* Crassum reprehendit, quod Euphratem transiverit & Parthis nulla injuria cognitis bellum intulerit. nam ut narrat *Florus*; *Dum titulorum cupidine Araxem & Euphratem sub imaginibus suis legi concupiscit, neque causa, nec consilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quasi hoc quoque ex arte Ducis esset obrepere, in Parthos impetum fecit.* Violarunt sane hi Romana arma, fecerunt enim contra Romanorum morem, *qui*, teste *Polybio apud Suidam*, *id semper summopere curarunt, ne priores ipsi finitimis inferrent violentas manus, sed ut semper crederentur in*

Liv. lib. 1. cap. 22. Liv. lib. 1. cap. 32. Liv. lib. 4. cap. 30. lib. 2. c. 6. Liv. lib. 21. cap. 18. Liv. lib. 38. 45. Liv. lib. 45. 22. Orat. de Aruspic. resp. c. 9. Liv. lib. 38. cap. 45. Grot. l. 2. cap. 1. §. 1. lib. 3. c. 10.

in hostem ire, ad arcendas injurias. Quanquam non tam sancti & innocentes semper fuisse videntur Clapmario. Nam & bella in- Arcan.
terdum ob præmia & divitiarum cupidinem suscipiebant. De lib. 4. c. 11.
Cypro enim occupata ita *Ammianus Marcellinus* loquitur: *Nec,* lib. 14. ca-
inquit, *piget dicere, avide magis hanc insulam populum Romanum* pit. 27.
invasisse quam juste. Ptolomæo enim Rege confœderato nobis & socio, ob ærarii nostri angustias, jusso sine ulla causa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta est, & velut exiles ejus exuviæ classi impositæ in urbem advecta sunt per Catonem. Florus quoque non obscure indignitatem rei innuit: lib. 3. c. 9.
dum inquit: *Divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus, & donare regna consuetus, P. Clodio Tribuno Duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit.* Arguit & alibi *Florus* Romanorum iniquitatem, nimirum in bello Cretico, his ver- lib. 3. c. 7.
bis: *Creticum bellum,* inquit, *si vera volumus noscere, nos fecimus; sola vincendi nobilem insulam cupiditate.* Exprimit etiam Galga- Agr. 30. 6.
cus Romanorum avaritiam apud *Tacitum: Romani,* inquit, *si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi.* Sed adscribemus id seculi vitiis, crescentibus cum ipsa magnitudine imperii: stabit tamen, Romanos præ omnibus aliis gentibus in bello justitiam maxime coluisse. Et tantum de Romanis. Porro etiamsi non omnes Aliarum
gentes, tam stricte, ut Romani, clarigationis jura observaverint, nationum.
fuerunt tamen populi, qui jura quædam in bello, ipsa natura dictante, aut aliarum gentium consensu agnovere. Nescirem enim alias, unde olim Sabini, Albani, Ægyptii aliique, istam in bello hauserint æquitatem, quæ interdum apud ipsos emicuit. Certe Vexorem Regem Ægyptium in bello Scythis illato, justitiæ quandam habuisse reverentiam nemo negabit. *Bellum enim ipsis indi* Iustin. l. 2.
xit, missis tamen primo lenonibus, (fecialibus de quibus *vide Bernec. notas*) *qui hostibus parendi legem facerent.* Etiam Sabinos cap. 2.
hujus juris aliquantulum gnaros fuisse inde apparet, quod Romulum, qui virgines ipsis rapuerat, quemque armis pro Barbarorum more cogere potuissent, æquis tamen conditionibus tentare non intermiserunt. *Legatos enim prius miserunt ad Romulum, cum* Plutarch.
æquis & moderatis postulatis, redderet sibi puellas, & vim illatam in Romul.
resolveret, tum cum bona gratia & lege amicitiam & affinitatem inter utramque gentem contraheret. Verum cum non remitteret Romulus puellas, peteret autem à Sabinis, ut hanc necessitudinem

 proba-

probarent, infestum agmen Romam moverunt. Nec minus Albani aliquam juris belli notitiam præ se tulerunt, qui cum ex ipsorum agro Romani, illi vero ex Romano, invicem prædam egissent, Romam prius legatos miserunt res repetituros, & ni redderentur, bellum indicturos. Imo & veteres Galli, gens aliàs naturâ ferox, moribus incondita, *quorum nominis tantus erat terror, ut etiam Reges non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur, Jus se in armis, ferre & omnia fortium virorum esse gloriose alias jactitantes*, jura tamen aliqua in bello olim animadvertisse videntur. *Nam eorum abundans multitudo, quam non capiebant terræ quæ genuerant*, ad novas sedes quærendas ingenti agmine profecta, frugum fortasse dulcedine, maximeque vini nova tum voluptate capta Alpes transivit, jamque per Italiam vaga Clusinos obsedit: pro quibus ut pro sociis & fœderatis intervenit populus Romanus missis ex more legatis. Quorum unus accepto duriore Gallorum responso, se jam munere legationis defunctum ratus, fortissime dimicantem inter Gallos provocavit, victoriamque obtinuit oppresso Gallo. verum legentem spolia, ubi Galli agnoverunt, per totam aciem, Romanum legatum esse, signum datum est; Deosque testati Galli, violato jure gentium, quod apud omnes sit nationes sacrosanctum, eum qui ut legatus venisset, hostilia perpetrasse, omissa in Clusinos ira, receptui canunt, minantes Romanis. Fuerunt qui extemplo Romam eundum censerent, sed vicere seniores, qui, ne cupientibus quisquam existimaret oblatam injuriam & quæsitam occasionem, mittendos prius legatos, questum injurias voluerunt, postulatumque, ut pro jure gentium violato, legatus ille dederetur. Verum cum accepissent, ultro honorem Romæ habitum violatoribus juris humani, elusamque suam legationem, flagrantes ira, confestim signis convulsis citato agmine Romam petunt. Jam ad septentrionales populos progrediamur, & an illi jura quædam in bellis suscipiendis habuerint observanda, dispiciamus. Ubi quidem negare non possumus, illorum quam plurimos viventes ex raptis, vitam assidue sub armis egisse olim, proferendique imperii gratia, multis alienis regnis & imperiis inhiasse, nullamque ideo apud quosdam latrocinia habuisse infamiam, quod de Germanis *Cæsar*, deque Danis & Vandalis *Crantzius* asserunt. *Piratica*, inquit Crantzius, *in honore fuit, non minus quam olim apud Lacedæmonios furtum, arbitrantibus in paganismo barbaris, (quibus*

Gallorum.

Iust. l. 24. c. 4. n. 7.

Liv. lib. 5. cap. 36.

Iust. l. 24. c. 4. n. 1.

Liv. lib. 5. cap. 36. & Plutarch. in Numa & Camil.

Septentrionalium populorum.

lib. 6. bell. Gallic.

Vandal. l. 1. cap. 7.

bus nullæ leges proditæ, nulla justitia comperta monita,) juste possideri, quicquid vi aut armis quæreretur. *Pontanus* quoque Danorum Historicus gravissimus, fatetur, ex hac parte haud magis Cimbros veteres, Normannosque ac Danos, quam Græcos, *apud quos latrocinio maris vitam tolerare olim gloriæ habebatur*, posse excusari. Quod quidem verum est; nam ut habet *Aventinus, vel ob inundationem Oceani, vel ob exonerandam turbam, prægravantem regnum domi, sive ut alii scriptis mandarunt, latrocinandi more & cupidine prædæ, rege Medo, patria relinquentes penates, novarum sedium avidi, ab ultimis terrarum oris profecti sunt*, exclusique Gallia & Hispania, *immensa millia ferorum atque immitium populorum, more procellæ Italiam inundarunt*. Et ideo à Romanis, communi barbarorum, infami apud ipsos cognomine, vocitabantur: *quippe qui barbariei tantopere obnoxii, ut pacem non intellexerint*. Verum non plane barbaros fuisse, exinde probari posse existimo, quod novas sedes quærere coacti, cum terras eorum inundasset Oceanus, legatos prius in Silani castra honestis precibus, aliquid sibi terræ dari, petitum miserint, simulque manus & arma sua utenda velut stipendium obtulerint: repulsi vero, quod nequiverant precibus, armis tandem petere constituerint; quod sane à Barbarorum more maxime alienum fuit, qui honestas preces armatis nunquam anteferebant, quodque potuerunt cogere, minime rogabant. Huc etiam accedit, *quod his gentibus antiquitus lege sancitum fuerit, ut dum nimis regiones essent hominibus repletæ, viri audaciores de propriis migrare sedibus cogerentur*. Ita enim è Dania inediæ languore attrita, Longobardi, cum iis alendis sufficere non potuerit, *exierunt, & multam terrarum partem emensi armisque depopulati, postremo in Italia sedes posuerunt*. Id equidem libenter concedamus, priscis Germanis, Cimbris & aliis *armorum studiosis, bellique semper amore flagrantibus, facile rem vel levissimam quamque in causam belli sufficere potuisse, adeo, uti raro justum aliquod bellum ab iis susceptum* cum Cluvero existimemus, *nisi si bellum illatum propulsaverint, aut exortam tyrannidem exstinxerint*. Verum hoc vitium *certe commune fuit ab initio universo terrarum orbi, quod nemo historiarum peritus negare potest. Nam omnia illa Ægyptiorum, Scytharum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, in externas gentes imperia, per mera occupata fuerunt latrocinia*. Quis enim negabit, Romanos

In Chorograph. Daniæ description. p. 776.

lib. 1.

Iust. l. 38. cap. 4.

Florus l. 4. cap. 2.

Florus l. 3. cap. 3.

Matth. Vestmon. in Floribus Hist. pag. 179.

Sax. Grammat. lib 8.

Cluv. German. Antiq. lib. 1. cap. 46.

Cluv. German. Antiq. lib. 1. cap. 19.

consuetudine multorum bellorum latrones & barbaros fuisse, antequam ipsos Numa cultioribus institutis mitigasset? nam is populum, *religionibus & divino jure, primum devinxit.* Idem & de Danis dici potest, quorum barbariem Poppo Slesvicensis Episcopus conspicuo quodam miraculo flexit, *æternumque religionis spiritum, ut Saxo ait, ipsis ingeneravit*, cum candens ferrum, chirothecæ formam præferens, sine ulla læsione manus indueret. *quo evenit, inquit Saxo, ut Dani abrogata duellorum consuetudine, pleraque causarum judicia, eo experimenti genere constatura decernerent, controversiarum examen, rectius ad arbitrium divinum, quam ad humanam rixam relegandum putantes.* Sed inepta erat hæc quoque disceptandi ratio, nec facile excusanda, quod tum mandato tum promissione divina destituebatur. Mittimus hæc, ne nos longius ab incepto trahant. Nos septentrionalium populorum, in bellis juste gerendis ritus & mores diligentius inquirentes, exempla, quæ non tantum Romanorum mores & leges exæquant, sed etiam interdum superant, facile invenimus: prorsus ut admirabile videatur, ipsos justitiam ingeniis non legibus coluisse, hocque ipsis naturam dedisse, quod Romani & Græci longa sapientum doctrina & assidua legum disciplina consequi nequiverant, ut recte *Tacitus* dixisse videatur: *plus ibi bonos mores quam alibi bonas leges valuisse. Ideo* & Chaucos idem *Tacitus*, *populum inter Germanos nobilissimum, commendat, quod magnitudinem suam maluerunt justitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocaverint bella, nullis raptibus aut latrociniis populati sint: idque præcipuum virtutis argumentum, quod ut superiores agerent, non per injurias sint assecuti: promta tamen omnibus arma, ac si res posceret, exercitus.* Eleganti quoque encomio, Maroboduum Marcomannorum Ducem effert *Velleius Paterculus*, *natione eum magis quam ratione barbarum fuisse prædicat. Gerebat enim*, inquit, *ita se adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, & si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet.* Idque ipse Marobod. de se gloriari non abstinuit: *se nempe à Tiberio duodecim legionibus petitum, illibatam Germanorum gloriam servavisse, nihilque admisisse, quod Germania dedecori esset, sed rem totam sic administrasse, ut brevi æquis conditionibus pace facta hostis discederet.* Nec parvam hac in parte Danorum Rex Frotho tertius meretur laudem

Tacit. Annal. 3. c. 26.

lib. 10.

Germ. 19 6.

Germ. c. 35.

Vellej. l. 2. cap. 108.

Tacit. Annal. 2. capit. 46.

Meurs. histor. Dan. lib. 1.

dem, qui tot gentium victor & domitor *arma nunquam nisi lacessitus sumsit.* Verum ut amplius videamus, quanti olim jus clarigationis æstimarint, id prius nobis constet, nullibi in historiis reperiri, ipsis de belli indicendi jure, certas, ut Romanis, leges positas fuisse, cum tamen eandem quam Romani, in bellis coluerint æquitatem. Quemadmodum enim duella, secundum statutas leges, sine prævia provocatione non gerebantur; sic bella plerumque, non nisi prius indicta, suscipiebantur, unde interdum locum diemque prælii condicebant. Sic *Haraldus Daniæ Rex, ne improvidis bellum Sueonibus pararetur, misit legatos Ringoni palam inimicitiarum mandata perlaturos, ipsamque sequestræ pacis diruptionem vulgaturos. Hisdem pugnæ locum præstituere quoque jussum.* Ita Olaus Norvagiæ Rex Suenoni, *uxorem quam ipse petiit, per legatos in suum conjugium trahenti, ira ardens, antea toties devicto, & nunc quoque, uti sibi persuadebat, vinci facili, nimis temere contemnens, bellum indicit: & in freto, quod est inter Scaniam & Sialandiam, locum prælii præscribit.* Solebant etiam interdum, damni compensationem, vel raptorum restitutionem petere, æque ut Romani, quamvis non iisdem solennibus verbis & ceremoniis. Observavit id Gotricus Danus, qui Carolum M. bello Saxones invadentem, per legatos suos ab incepto ita dehortatus est. Dudum nempe, *Saxones Danis vectigales esse: itaq; orare ipsum armis abstinere velit, neq; illos divexare. Quod si autem ad inceptum frustra bellum revertatur, se ad arma suis opponenda cogi.* Item voluit Canutus, qui, cum Slesvicensem præfecturam patruus Nicolaus ipsi demandasset, *Henrico Vandalo eandem, acerrimis excursationibus diu vexanti, per legatos mandat, se cum eo libenter de pace acturum, ea lege, ut quæ dederat damna sarciat, & abductam prædam reddat. Henricus vero se neq; cum Danis amicitiam gesturum, neque à paternæ hæreditatis petitione cessaturum respondit: quo accepto, Canutus rursum ad eum legatos mittit, omnem sequestræ pacis communionem publice rescissuros.* Idem ante secula aliquot fecerunt Dani, qui in electione Regis Christiani primi occupati, cum de Suecorum armis inaudivissent, ad Carolum Gothiam infestantem, quemque sibi constituere regem, *legatos miserunt, postulatum, ut copias revocaret, neq; porro Gothiam infestare vellet, quippe eam Daniæ non Sueciæ iuri subjacere. Itaq; si postulata recusaret, neq; exercitum deduceret, Christia-*

Saxo lib. 8.

Meurs. histor. Dan. lib. 3.

Meurs. histor. Dan. lib. 7.

Saxo lib. 13. & Meurs. l. 4. in vit. Nicolai.

Meurs. in vita Christiani I.

ſtianum ad injuriam propulſandam armis experiri certum. Sed reddita reſponſione, Suecos exercitum revocare nec poſſe nec velle, indignatus Chriſtianus Rex, bella omnia niſi neceſſaria detrectans armis Suecos coercendos ſtatuit. Lubecenſes quoq́, cum in bello quodã Danorum contra Suecos navis quædam, Suecicas merces vehens, ipſis à Dano intercepta fuiſſet, tumultuari quidem ac vociferari in principio cives; non ferendam vim Danorum; quæ injuſte abſtuliſſent bello petenda; gerendam tamen per legatos prius rem exiſtimabat moderatior Senatus, itaq́ miſit qui navem interceptam peterent, quam ſi reddere recuſaret Rex, bellum minarentur. Huc etiam pertinere videtur, Eduardi Angliæ Regis exemplum, indignum ſane quod prætereatur, *qui datis ad Gallum literis bellum ei denuntiabat, quarum hæc erat ſumma, ut Galliæ poſſeſſionem, quæ jure ad ſe pertineat, ſibi reddat, quo nobilitatem & ordinem eccleſiaſticum priſtino juri & libertati reſtituat, Id ſi non impetret, earum calamitatum, quæ poſtea ſint ex hac injuria naſcitura, culpam à ſe removebat, quæ quidem*, inquit Cominæus, *conteſtationis formula, eſt uſitata principibus, dum alter alteri hoſtem ſe profitetur.* Recentiora alia huc facientia exempla hiſtoriæ nobis ſatis ſuppeditant, nec eorum mentionem ulla feſtinatio transgredi debet. Certe Saxo, Heſſus & alii ſocii, Carolo V. Imp. miſſis literis, bellum juxta legem denuntiabant, cum antea tam privata epiſtola apud Cæſarem, quam publico ſcripto apud omnes populos ſe purgaſſent, & coactos ſe ad arma venire queſti eſſent, *vim injuſtam, Cæſarisq́ perſona indignam depellendi cauſa.* Sic ductor exercitus Ferdinandi Romanorum Regis, bellum Saxoniæ Ducis populo denuntiat, *annuens nihil opus fuiſſe, ulla denuntiatione, propterea quod ille Saxonicus à Cæſare eſſet proſcriptus, tamen ne quid prætermiſſũ eſſe videretur, voluiſſe hoc pro ſui muneris ratione ſignificare.* Sic Ferdinandus Rex Romanorum & Mauritius Elector Saxoniæ, Alberto Marchioni Brandenburgico bellum indixerunt, miſſis literis crimini dantes, *quod lites, juxta commune Imperatoris & ordinum conſilium, legibus proſequi recuſaverit, ideoq́ omnis calamitatis, quæ per hoc bellum oriretur, culpam in ipſum, qui nullam ad æquam conditionem accedere voluit, transferendam eſſe teſtabantur.* Ita Fridericus II. Danorum Rex, cum variis injuriis affectum ſe diceret, Sueco hoſtilia. ſcripto denuntiavit, teſtatus ſe, ad *juſtam ſuorum ſubditorum, & fœderatorum defenſionem*

Meurſ. l. 2. in vit. Iohannis.

Cominæus lib. 5.

Sleidan. lib. 17.

Sleidan. lib. 18.

Sleidan. lib. 25.

Thuan. lib. 34.

nem contra ambitiosum regem & publicæ tranquillitatis turbatorem justa arma pro communi libertate induisse. Hisce exemplis probari jam satis existimo, clarigationem esse juris gentium, utpote ipsa naturali ratione dictante, tot populis communem.

Pergimus jam ad jus civile, ex quo probare quidam conantur, justitiam belli, omnino præcedentem denuntiationem requirere, idque apprime colligi posse putant ex *l. 24. ff. de captiv. & postlim. ab host. redemt.* Ubi hæc hostium definitio: *hostes sunt quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano*, cæteri *latrunculi, vel prædones* appellantur. & *l. 118. ff. de verb. signif. Hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus, cæteri latrones aut prædones sunt.* Dicunt, ostendere jus civile voluisse bella, quæ spe lucri improba geruntur, minime bella esse, sed mera latrocinia & injustas rapinas, istosq; populos, qui aliena imperia sine pietatis respectu, sine justitiæ reverentia invadunt, tantũ ut fœdæ suæ avaritiæ, & improbæ nocendi cupiditati consulere queant, non hostes esse, sed latrones & prædones, & ideo nec belli legibus tractandos, deque iis dici posse illud, quod à Romanis Jurisconsultis proditum est, *prædones esse eos, qui rogati de possidendi causa nullam aliam adferunt, quam ut possideant.* Quibus non male aptemus illud Augustini: *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos, sola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?*

Juris civilis analogia.

l. pro hæred. §. ultim. ff. de hæred. pet.

De Civ. Dei lib. 4. cap. 6.

Denique & evidens ratio ab omni injusto suscipiendi belli modo abhorret, & viam potius juris armis præmittere suadet, omnesque ad justitiam & æquitatem invitat. Quæ autem hæc dementia! ritu ferarum, non ratione, sed impetu injurias ulcisci, rerumque suarum judicium permittere impio armorum furori, fortunæque sæpe ipsis armis obsistenti. Grave profecto est, & ab omni æquitate remotum, ita bellum inferre aliis; Convenit

Rationibus.

Piscibus hoc nemorumq; feris, avibusq;, se ut ipsi
Invicem edant: juris quia non discrimen in illis.

Hesiod. l. 1. Ep.

At homines, quibus Deus rationem & judicium supra cætera animalia dedit, ad æstimanda, quæ sunt honesta quæ turpia, quæ delectant, quæve nocent, *quiq; justitiam colunt, boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, æquitate quam sanguine, causa quam armis se suaque*

L. 1. ff. de Iustit. & jur.

Tacit. Annal. 15. 2. 3.

que tueri decet; præsertim cum prorsus inhumanum esset vim vi, culpam damno, & injuriam vindictæ aviditate semper pensare. Inde enim fiet, ut homines ira aut odio impulsi, arma sæpe moveant non movenda, id quod damnat pius ille Antistes Augustinus: *Nocendi*, inquiens, *cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.* Homo igitur pius & *Christianus, alieno sanguini tanquam suo parcat, & sciat homini non esse prodige homine utendum*, sed quoniam *fatalis*, proh! *humani cerebri æstus aut morbus est, ut sine dissensione durare omnino non possit*, imitetur potius illud *Ciceronis* monitum: *Cum duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, alterum belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.* Idque non modo juris, sed etiam consilii est. *Primò* enim justior hostem impetendi causa succedit, qui justum & pium bellum induit, idque legitimo more, cum prius remedia pacis omnia frustra tentarit, denuntiat; nam is ante omnia confidere potest Deo, eumque vera ac firma fide in bello necessario amplecti, inque ejus solo præsidio omne suum auxilium constitutum habere, certo sciens, Deum sibi secundum jus fasque felicem belli exitum daturum. Accedit etiam spes justæ ac bonæ causæ, *qua eum velut caput bonæ spei* (liceat huc alludere) *ad triumphales terras ducat.* Nam *Causa jubet superos melior sperare secundos.*

Augustin. contra Faustum. lib. 22. c. 74. tom. 6.
Senec. epistol. 88.
Marselaer. de Legat. Dissert. 22. lib. 2.
Cic. Offic. 1. cap. 11.
Lips. polit. 5. 3. 11.
Lucan. 7. vers. 343.
Grotius de Iur. bell. in prolegom.

Quantam autem vim habeat in bellis justitiæ conscientia, passim ostendunt historiarum scriptores, qui victoriam sæpe huic causæ præcipue asscribunt; Inde proverbia illa, raro eum sospitem redire, qui injusta arma sumserit, bonæ causæ spem adesse comitem. Grotii hæc sunt verba. Quo apprime pertinet illud *Dionis Cassii* monitum: *Maxima nobis justitiæ habenda est ratio: quæ si adsit, vis bellica spem bonam præbet: sin absit, nihil quis certi habet, etiamsi prima, ex sententia succedant.* Nec inèleganter *Lipsius*, omnia injusta bella fugienda, nec ullo bello nisi justo animum accommodandum suadet, præceptaque juste suscipiendi, gerendi & conficiendi bellum præscribit, *quorum aliquid qui negligit*, inquit, *aut perperam administrat, vix est, ut bono eventui unquam litet.* In suscipiendo imprimis bello serio monet, *ut omnis injustitia absit, armaque moveri haud vult, nisi quæ mos & ratio suadent; bellum ar-*

Lips. polit. 5. c. 3. n. 3.

arduum esse opus existimans, *quod semel temere cœptum si eventus arguat, sera pœnitentia nequaquam emendabit.* Justus igitur belli suscipiendi modus, quemadmodum recta & legitima sua causa fretis Deum propitium promittit, spemque victoriæ certam concedit: ita etiam, *secundò,* militibus alacriorem pugnandi animum incutit, spem accendit, metum minuit, firmat animos, multaque virtuti incitamenta præbet, jamq; milites justam causam, suamque necessitatem intuentes, victoriam ut sperent, mortem non recusabunt, tam quia salus, quam quia gloria ipsis carissima est. Contra turpis & nefaria belli causa, male & injuste auspicatum bellum, formidinem & timorem militibus suppetit, *qui metu solliciti formidant* ac pavent, Deumque omnium injuriarum vindicem, proque meliore causa stantem verentur, respicientes ad illum, qui justa Dei vindicta, injusta bella fere comitari solet, tristem & luctuosum exitum. Vere enim

Curt. supplem. 2. 2. 5.

Onosand. Strateg. cap. 4.

Frangit & attollit vires in milite causa,
Qua nisi justa subest, excutit arma pudor.

Propert. 4. eleg. dict. 26.

Quare Herodes militibus suis post cladem in Arabia, armorum suorum justitiam exponere omnino voluit: *ostendam vobis,* inquiens, *quam juste susceperimus hoc bellum, coacti inimicorum contumeliis, id enim si intellexeritis, magnum vobis ad audendum erit incitamentum.* Allocutio etiam Cæsaris ad milites suos digna ut apponatur apud *Dionem* extat, qua milites suos ita adhortatus est: *Cum & auditu accepissem, & re ipsa expertus essem, maximas ac plurimas bellicas, aut potius omnes actiones humanas, feliciter ab iis confectas, qui in consilio capiendo, inque agendo, justitiam & pietatem præ aliis observassent, nunc id & mente cumprimis repeto & vos considerare jubeo. Nam etsi tantis sumus instructi viribus, ut etiam in causa iniquiore victoriam sperare nobis liceret, tamen paulo plus fiduciæ in belli causa, quam in apparatus robore pono. Tertio & ultimo,* consilii etiam est, bella legitima suscipere eaque prius indicere, quam gerere, quia id maxime valet ad bonam famam apud vicinos populos consequendam, firmumque ad amicitias conciliandas & fœdera ineunda momentum est; cum iis *enim quibus nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio est,* non facile quis fœdera aut amicitias contrahere satagit, & *nemo se facile iis adjungit,* inquit Grotius, *quibus jus, fas, fidem vilia putat.* Hos enim ob fidem quam flocci habent, cuncti conte-

Grot. l. 2. c. 26. in annot. ad §. 4.

Aristoph. Acharn. act. 2. scen. 2. v. 29.

In proleg.

nunt, ob injurias forte inferendas metuunt, dumque metuunt, oderunt, & ob illatas ulcisci cupiunt. Quis igitur tam stolidus esset, ut non potius gloriæ & famæ suæ, quam impio suo furori iræque consuleret? quis non fidem & justitiam potius coleret, quam se tot hominum calumniis & objurgationibus objiceret? quis non potius justus bellator, quam omnium ore prædo & latro dici cuperet? Nos igitur post conscientiam semper famæ consulendum esse putamus, hortatuque Taciti, *præcipua rerum ad famam dirigenda*, nec bella sumenda, quæ nomini famæque aliquid detrahunt; sed potius illud fortitudinis veræ indicium amplectendum, *nihil nisi turpem famam metuere*, contra bonam famam non contemnere, *quia contemtu famæ contemnuntur etiam virtutes*, quod iterum inquit *Tacitus*. At gloriæ militantes nihil magis, quam perfidiæ famam timent. Hanc sane volo timeant, (eleganter *Lipsius*) quia vere scriptor Græcus: *Qui legum metuentissimi, iidem in hostes audacissimi, & pati quidvis minime verentur, qui male audire maxime verentur:* hi omnibus cari, hostibus terrori sunt. Quid quod multi nomine & justitiæ suæ fama, gentes vicerunt. Alexander M. *certe plura fama quam armis evertit; nomine enim ac fama sua, maximo in bello utique momento, sæpe pavidos in fugam convertit*. Hinc *Darium ut pacem ab eo peteret, nulla vis subegit, sed justitia & continentia ejus expressit*, quod fateri ipse cogebatur Darius. Falisci quoque non Romanorum vi ac potentia, sed fide & Camilli Imperatoris justitia provocati se dediderunt. Camillus enim, scelestum Ludimagistri munus spernens, justitiæ & æquitatis fama id assecutus, quod longa armorũ cominatione haud forte impetrasset. *Vir sane sanctus & sapiens veram sciebat victoriam, quæ salva fide & integra dignitate pararetur*. Atque ita omnes qui legitimas belli suscipiendi rationes habent, easque recte & juste exequuntur, *non bonam famam, veram & solidam gloriam tantum, sed etiam tranquillitatẽ, & confessa hostium obsequia* inde reportare videm⁹, *quod pulchrius omnibus triumphis, si vincendus nemo sit*. Reliquis autem, qui famam & gloriam aspernantes bella justa extante ratione, movent, nullo juris habito respectu gerunt, illud Aristotelis cogitandum proponitur, *non pejerare, timentes & divinam ultionem, & humanam infamiam*. Nam profecto

—— —— Etsi quis primò perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Nos

Annal. 4. cap. 40.
Sall. Iug. cap. 85.
Tacit. Annal. 4. c. 38.
Lips. polit. 5. c. 12. n. 33. & 34.
Curt. 4. 4. 2. & 5, 13. 14.
4. 11. 2.
Livius l. 5. cap. 27.
Florus l. 1. cap. 12.
Plin. panegyr. capit. 16. n. 2. & 3.
Lips. polit. 2. 14. num. ultim.

Nos cum Gerhardo Theologo vere incomparabili, *omnia bella injusta, temeraria & illegitima, quæ ex ambitione & avaritia, sine justa & necessaria causa, ad fines imperii ampliandos suscipiuntur, ex animo detestamur, tanquam latrocinia, non dubitamus affirmare, authores ejusmodi bellorum, gravissimam aliquando Deo reddituros esse rationem, pro cædibus, rapinis, incendiis, stupris, devastationibus, adeoq; pro omnibus, quæ occasione talium bellorum fuerunt gesta.* Locorum Theolog. de magistratu pol.

Cæterum cum jam legitimam belli indictionem, & præviam pacis oblationem, jura omnia jubeant, evidens ratio suadeat, bona conscientia, præclaraque fama hortentur, quæri potest: An injusta omnia bella, quæ sine clarigatione, sine denuntiatione geruntur? *Defensionis causa bellum* quod sumitur, ulla indictione non indiget, denuntiante id ipsa natura; *Naturali enim jure*, inquit *Grotius, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo ipso qui deliquit pœna deposcitur, nulla requiritur denuntiatio, nec magis necessaria est, ac si dominus rei suæ manum injicere velit. Ælianus ex Platone* ita expressit, *quod ad propulsandam vim suscipitur bellum, non à caduceatore, sed à natura indici.* Est id apud Ulpianum, *vim vi repellere licere Cassius scribit, idq; jus natura comparatur: Apparet autem*, inquit, *ex eo, arma armis repellere licere.* id quoque *Cic.* non modo *justum sed etiam necessarium* judicavit, *cum vi vis illata defenditur*, & alibi inquit, *quid est quod contra vim sine vi fieri posset? Vim enim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt*; & *quod quis ob tutelam corporis sui fecit, jure fecisse existimatur*, cum *adversus periculum naturalis ratio se defendere permittat. Hoc enim & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacunq; ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent*, ideo singulis animantibus vires à natura sunt attributæ, ut sibi tuendis juvandisque sufficiant. *Etiam jure gentium ita comparatum esse*, inquit *Livius, ut arma armis propulsentur.* Et *Florentinus* ait: *jus esse gentium ut vim atque injuriam propulsemus, ut corpus nostrum tutemur.* Hoc jure ante annos aliquot Suecorum Rex Gustavus Adolphus, quem Cæsariani ob hostilem, sine ulla indictione, Germaniæ invasionem incusarunt, se defendit, se nempe injuria Cæsareanorum lacessitum, dum prius hostilia ipsorum arma in Prussia expertus esset, ad injuriam propulsandam arma sume-

Marginal notes: *Distinctio controversiæ* — Grot. Iur. bell. l. 3. cap. 3. §. 6. — Lib. 1. — l. 1. §. 27. de vi & vi arm. — Cic. pro Mil. c. 4. — Epist. famil. 12. 3. — l. 45. §. 4. ad L. Aq. l. 3. de I. & I. — Cic. pro. Mil. c. 11. — Liv. l. 43. — L. ut vim ff. de Iust. & Iure.

re coactum fuisse, idque bellum omnium gentium jure, non à fecialibus, sed ipsa natura indici. prolixum ejus hac de re scriptum videre licet *in Theatro Europaeo Anno* 1630. Sic etiam Orangium arma adversus Hispanum corripuisse, *F. Strada* memorat, tanto honestiore specie, quanto se tueri, sua repetere, socios, filium, patriam in libertatem asserere, non æquum modo, sed etjam gloriosum videri potuit. Atque hæc de extemporaneo bello defensivo, quod sine prævia indictione admittimus, cum extrema necessitas, moram nec patiatur, nec interpellandi vel indicendi belli tempus concedat, & periculum aliter effugi non possit. At *bellum quod in injuriarum vindictam suscipitur*, sine denuntiatione, forte non usquequaque approbari potest, quia ejus causa aliquando est impia vindictæ aviditas, & clarigatione adhibita offensio sanari, & delictum forte pœnitentia & satisfactione expiari potest. Naturæ quidem jus nudum si respiciamus, tale bellum ut indicatur, non est opus, vindictam & ultionem ipsa injuria citante. Hoc naturali jure Platæenses apud *Thucydidem* se defendere voluerunt, *merito*, dicentes, *eos ulti sumus jure apud omnes recepto, ut hostilia patrantem ulcisci liceat*; *& Demosthenes* oratione adversus Aristocrat. *communem*, ait, *esse legem inter homines, qui nostra, vi rapiat, ulcisci nobis fas sit*. Sed vindicta *talis, quarens sibi remedium ex alterius damno, natura quidem congruit, sed ei quam homo cum bestiis habet communem*, (ita *Grotius*) *est enim ira ut in bestiis, ita in homine, ideoque talis appetitus in se spectatus, non convenit parti rationali, cujus est imperare affectibus; ac proinde nec juri natura, quia id est dictatum natura rationalis ac socialis, qua talis est. Dictat autem ratio, homini nihil agendum quo noceatur homini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum.* Oportet igitur delicta multa dissimulari potius quam vindicari, & quamvis sæpe legitimæ adsint rationes, justa damni vel injuriæ vindicta, tamen non juste statim sine indictione ad arma properabitur, nam non sufficit bellum ex causa necessaria & justa suscipi, sed oportet etiam legitimo more illud geri, juxta illud, *quod justū est, juste exequaris. Invasio quidem licita est, sed non omnis. Illa palam cum injuriam vindicas*, (inquit *Lipsius*,) *& jure gentium res tuas repetis. Nam justitiæ primum hoc munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus injuria. Itaque si quis res tuas aut jus rapiat, cape arma: cum ea conditione tamen, ut ex forma veteri prius mittas* cla-

lib. 7. pag. 351.

de Iur. bell. & pac l. 2. c. 20. §. 3.

lib. 5 polit. cap. 4. n. 12. & 13.

clarigatum, non enim etiam læsus juste statim bellum inferes. Sunt enim, ut olim *Cicer.* dixit, *officia etiam adversus eos, à quibus injuriam acceperis, servanda, estq́; ulciscendi & puniendi modus.* Et cum bellum sit medium vindictæ grave & periculosum, ideoque ut justum sit bellum, prius pacificè ab hostibus debita satisfactio petenda est, id honestius, & ad quietem hominum conducibilius. Tum enim hostem, si respectum aliquem amicitiæ tuæ habere cernas, & is de injuriis quæ tibi factæ satisfacturum promittat, inique vi impetas, juxta illud Archidami apud *Thucydidem, in eum qui iure agere & satisfacere paratus est, nefas bellum sumere, tanquam in injurium*, nec utendum *imperio ubi legibus agi potest.* At si satisfactio ipsi gravis videatur, & res tuas retineat armatus, quod blande non potueris minaciter impetrabis, *tuncque honestius erit offendere, quam odisse. idque omnium confessione ut justum & æquum est, si quis alieni non appetens, contentusque res suas repetere, passus repulsam, armis jus suum persequatur.* Hic enim illud valeat, *justum est bellum quibus necessarium, & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Attamen nemo existimet, ubi jus jam satis compertum est, statim aut oportere bellum suscipi, aut semper etiam licere. Interdum enim magis pium rectumque sit de jure suo cedere, quam illud cum tanto aliorum incommodo, quantum secum ferunt bella, adipisci, idque non modo laudabile, sed & debitum est, ratione ejus quam hominibus, etiam inimicis debemus, dilectionis, sive in se spectatæ, sive qualiter eam exigit sanctissima lex Evangelii, de quibus videri potest *Grot.* Etenim nonne præstat aliquid de suo jure concedere, quam paululum commodi innumeris mercari fortasse malis? Cæsaris Augusti præclarum præceptum attendite quæso: *prælium aut bellum nunquam suscipiendum, nisi cum major emolumenti spes quam damni metus ostenditur. Nam minima commoda*, ait idem sapientissimus Imperator, *non minimo sectantes discrimine, similes sunt aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla captura pensari potest.* Quæ cum ita sint, nonne multo satius erit jus suum relinquere & *omissis præcipitibus, tuta & salutaria capessere, vetera novis, & quieta turbidis antehabere*, quam se suosque armis & ferro in casum dare? Hic affectus ô utinam omnibus impressus! *profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet.*

CAP.

lib. 1. offic.

Tacit. Anal. 3. 69.

Tacit. Agric. 22.

Dionys. Halicarn. lib. 8.

Liv. lib. 9. cap. 1.

de Iur. bell. l. 2. cap. 24. §. 1.

Sueton. August. cap 25.

Tacit. Anal. 12. capit. 29.

Tacit. Anal. 1. 58.

Iust. l. 2. c. 2

CAP. IV.

De Usu & Effectu Clarigationis.

VSum Clarigationis in genere si consideremus, ad ipsam humanitatem, vel jura societatis humanæ pertinere videtur.
I. Quia enim *homines*, ut *Cic.* ait, *ad congregationem nati sunt, ad societatem, communitatemque generis humani, tum etiam ut communiter ad eas virtutes apti essent, quæ notæ illustresq; sunt, justitiam dico, temperantiam cæterasq; generis ejusdem*: merito eos summa ope niti decet, ut ea jura, quæ societatem validissimam efficiunt, conserventur; iis enim neglectis societas salva esse non potest. Certe aliis nocendo sua commoda quærere, est humanam societatem omnino dissolvere; *ea enim salva, nisi amore & custodia partium, esse non potest.* Id quoque contra naturam esse, olim *Cic.* dixit. *Detrahere alteri aliquid, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem.* Unde apparet, bella quæ utilitatis causa non indicta suscipiuntur, injusta esse, quia naturæ societatis repugnant, damnisque aliis illatis, suo commodo consulunt, quod sane societatem, quæ alieni abstinentiam, & si quid alieni habeamus, aut lucri inde fecerimus, restitutionem, damnique culpa dati reparationem jubet, penitus evertit. Salva igitur ut sit naturalis hominum societas, clarigationem omnino adhibendam putamus, quo magis bellum sumtum ob causas moventes, non sub ratione utilis, sed sub ratione justi, constet.

Cic. de fin. bon. & mal. lib. 4.

Senec. de ira lib. 2. cap. 32.

Cic. lib. 3. offic.

II. De Effectibus clarigationis jam tandem ut agamus, reliquum est; ob quos bellum sæpius justum dicitur, non vero ob causas semper unde oritur, *idque eo sensu*, inquit Grotius, *quo justum testamentum codicillis, justæ nuptiæ servili contubernio opponuntur: non quod non liceat codicillos facere ei, qui velit, & servo secum mulierem habere in contubernio; sed quod testamentum & nuptiæ solennes, peculiares quosdam ex jure civili habeant effectus.* Cum itaque clarigatio administrationem belli præcedat, varii

de Iur. bell. l. 1. cap. 3. §. 4.

vatii ejus sunt effectus, qui bellum justum maxime reddunt: primum enim ne pericula bellorum in infinitum multiplicentur, offert se facultas aut reddendi juris, aut apparandæ defensionis: deinde armorum furor facile sopitur, tot gentium internecio mitigatur, pax interveniente mora fortè revocatur, & cessantibus paululum injuriis, causa belli evanescit, *multaque homines, ne bellare necesse sit, voluntate remittunt, quæ bello & armis cogi non possint.* Nam clarigatio non prius ad bellum venire permittit, quam cum omnis spes juris obtinendi perierit. Igitur egregie usum & effectum hunc clarigationis prodit *Philo Jud: Bella caduceatores fecialesq; dirimunt offerendo pacem aut inducias. Quæ nisi admittantur, nec modus nec finis erit calamitatibus & ultro citroque illatis injuriis.* Apud *Romanos ideo mittebantur feciales patre patrato, ut mora quæreretur, qua bellandi furor temperaretur, & lites sine clade, sine multo sanguine dijudicarentur.* Porro & illum effectum adsequitur clarigatio, quod cùm rebus prius repetitis, nulla satisfactio sive restitutio secuta sit, tum ad arma statim procurrere liceat. amicam enim interpellationem aspernantibus, juste arma necessitatem adhibebunt:

Liv. l. 36. cap. 45.

de legat. ad Cajum. Gailius de pac. pub. 1. cap. 4. §. 37.

III.

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.

Inque eum injusta vis non est, qui jus æquum pati non potest. Sunt & qui clarigationi hunc effectum tribuunt, *quod bello denuntiato, ex eo fraude uti jus & fas sit*, quem enim perdere mos fasque sit, quid refert quo modo? Tritum illud poëtæ innotuit, *dolus an virtus quis in hoste requirat?* Imo hostem hosti lædere licere & in persona & in rebus à multis probatur. videri hic potest *Grotius de Jur. bell. l. 4. cap. 4. §. 3. & seq.* Et *Augustinus*, ait, *Cum justum bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Jurisconsulti Romani *bonum dolum vocant, si adversus hostem latronemve quis machinaretur.* Nos itaque fraudes dolosve in hostibus ob peculiarem hunc quem clarigatio obtinet effectum, admitti quidem posse putamus, cæterum ante indictum bellum aliquem dolose & fraudulenter invadere, iniquum existimandum est. Sed ut ad propositum redeamus, hic clarigationis effectus dicitur effectus licentiæ & impunitatis, *& non eos tantum comprehendit, qui actu ipso arma gerunt, aut qui bellum moventis subditi sunt, sed omnes etiam qui intra fines sunt hostiles.* quod apertum fit ex hac formula apud *Livium* lib.

Virg. Æneid. 10. Liv. lib. 38. c. 50.

IV.

Xenophō. c. 517. Lips. polit. 5. c. 17.

Quæst. 10. supra Jos.

Grōt. de J. B. l. 4. c. 4. §. 6.

dicamus. Ita enim de Julio Cæsare: *prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit, causas autem alias fuisse opinantur; speciosissimum enim hunc Cæsari titulum præbebat Pompeius, quasi necessitate inevitabili in arma ageretur, licet hoc prætextu aliæ causæ & præsertim profunda imperii cupido velaretur.* Est autem ingens *causarum* & *prætextuum* discrimen: *Causæ sunt quæ proprie & vere moverunt aliquem, ut bellum susciperet, aliudve negotium moliretur: prætextus autem, quæ ad dissimulationem veræ causæ speciose excogitantur jactanturq;*. Sic causæ veræ belli civilis à Cæsare Octavio suscepti erant, primo quidem cupido dominandi; deinde quod videbat Cæsar, Remp. invadentibus opportunam, per factiones & discordias, & enervatam legum authoritatem: prætextus autem arripiebatur ultio cædis paternæ. Indicasse id Suetonius quoque videtur, ita dicendo, *omnium bellorum initium & causam hinc sumsit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare tuerique acta:* sed animadverterunt prudentes Taciti, *pietatem, in parentem, & tempora Reip. obtentui sumta; ceterum cupidinem dominandi, tot malis artibus abunde ostensam esse.* *Florus* & multi alii historici, falsas has belli causas, quæ plerumque prætenduntur, speciem, reliquas vero quæ silentii nube teguntur, rem veram nuncupant; de Romanis ita *Florus*; *specie quidem juvandi socios, revera autem sollicitante præda, fretum Carthaginense ingressi sunt.* Antiochum in Romanos bella suscepisse memorat *Livius in speciem causas habentem, revera quod ex labente Romanorum disciplina spem magnam concepisset.* *Dionysius Halicarnass.* alias belli causas manifestas, alias occultas appellat, belliq; Samnitici manifestam causam, quæque cum aliqua honestatis specie narrari omnibus potuit, eam Romanis fuisse affirmat: *Lucanis qui ad ipsos confugerant se velle opitulari, (tanquam communis & patria Romanorũ civitati consuetudo esset, iis qui injuria affecti ad ipsos confugerant opem ferre,) occultam autem & quæ magis ipsos amicitiam dissolvere cogebat, fuisse eam, qua præditi Samnites erant, potentiam.* Ex his & multis aliis, quæ ubique leguntur exempla, apparet, alias belli causas, quia favorabiliores, plerumque in vulgus jactari, alias quia secretiores, & interdum solæ causæ nomen merentur, reticeri. *Sæpe enim ante &*

Boclerus differt. in Cæsar. §. 18.

Id. Annot. 1. ad Tacit. An. 1, c, 10.

Aug. cap. 10.

Tacit. Annal. 1, cap. 10.

Lib. 2, cap. 2.

& sub initia bellorum speciosissimi sanctissimiq; tituli, sermonibus, rumoribus, scriptis vulgantur: in quibus continentur, meræ causæ justifica bellorum, sed quæ respectu usurpantium meri sunt prætextus: nam causæ ipsæ suasoriæ, quæ re vera impulerunt ad ejusmodi consilia & actiones, studiose teguntur & dissimulantur. Id fieri inde putamus: quoniam fundamentum proprium omnium Manifestorum est jus belli, justitia armorum, & super ea disputationes, ideoque omnes qui manefesta edunt, summa ope summoque studio laborant, ut ipsorum arma omnibus legitima & justa appareant, ac etiamsi interdum non imaginem, imo ne vel umbram aliquam justitiæ habeant, tamen *lusciniolæ prius defuat cantio*, (ita Plautus) quam ipsos decora vocabula, species & prætextus varii deficiant, quibus sceleribus suis honestatis colorem inducere, injustæque causæ veritatis titulum imponere queant. Quis enim unquam bellavit, quin sanctitatem juris, & speciosa vocabula suis consiliis præferret? vereque Cerealis apud Tacitum: *Libertas & speciosa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Et nemo est*, egregie *Quinctilianus* dicit, *tam malus ut malus videri velit, & qui de re nefaria deliberat, id solum quærit, quomodo quam minimum peccare videatur.*

Bæclerus Annot. 1. in Tacit. Annal. 1. cap. 10.

Hist. 4. cap. 73.

Verum notum jam est, quemadmodum causas bellorum, ita etiam *Manifesta* omnino in duplici esse differentia: ut enim causæ quædam sunt revera justæ, quædam apparentes: ita Manifesta *quædam* declarationem & demonstrationem juris exhibent, *quædam* autem colores juris & schemata conficta, prætextusque proponunt: *interdum* etiam miscent ea, quæ aliquem juris titulum habent, cum illis quæ fictis coloribus prætenduntur, neque revera justa sunt, sed tantum apparentia, penitius enim introspecta, & ad rectam rationem expensa, improba, & ab omni respectu juris remota reperiuntur.

Sed nos brevitatem pro lege habentes, jam ad formam hujus generis scriptorum pergimus, quam semper ad gravitatem & honestatem comparatam esse volumus. Gravitatem commendamus, *quia generosum debet esse, nec pondus modo, sed quandam magnificentiam habere quod princeps definit*; indignis-

Baclerus Annot. 5. ad Tacit. Annal. 1. cap. 7.

lib. XXXVII. *Hostis sit ille, quique intra ejus præsidia sunt*, tum et-
Bald. ad l. 2. Cod. de servis n.70 jam ex hoc JCtorum axiomate, *Diffidato principe, diffidati ejus adhærentes.* Patet etiam ex decreto isto apud *Livium: Vellent, Juberent Philippo Regi, Macedonibus, qui sub regno ejus essent, bel-*
Lib. 31. *lum indici.* Huic effectui & alius accedit, qui dominii effectus
V. recte appellari potest; quia omnibus dominium rerum legitimo bello captarum concedit, idque tam jure naturæ quam gentium. Jure naturæ quidem, justo bello ea acquiruntur, quæ aut paria sunt ei, quod cum nobis sit debitum, aliter consequi non possumus, aut etiam quæ nocenti damnum inferunt, intra æquum
l.4.c.6.§ 1. pœnæ modum, hæcque prolixe tractat, *Grot. de Jur. bell.* Jure
Ibid. §. 2. gentium affirmat idem *Grotius, quemvis in bello solemni, sine fine modoq; dominum fieri eorum, quæ hosti eripit: eo sensu nimirum, ut à gentibus omnibus & ipse, & qui ab eo titulum habet, in pos-*
§. 17. I. de R. D. *sessione rerum talium tuendi sint, nam ea quæ hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt.* Hinc Romani Auruncis restitutionem agri, Ecetranis ademti postulantibus, tale dederunt re-
Dionys. Halicarn. lib. 6. sponsum: *Renunciarent Auruncis, Romanos æquum esse censere, ut quæcunque quis sua virtute hostibus ademerit, & sibi compararit, ea suis posteris tanquam res proprias relinquat.* Ita & Volscis à Romanis idem petentib⁹ respondendũ esse T. Largius judicavit,
Ibid. *Romanos nimirum ea honestißime & justissime quæsita esse existimare, quæ jure belli fuerint parta, nec se unquam passuros, ut virtus stultitiâ deleatur, quod fieret, si res jam partas traderent iis qui eas amiserint.* Ita etiam inter Ericum inferioris Saxoniæ Ducem, & civitates Lubecam & Hamburgum, aliorum principum con-
Saxon lib. XI. cap. 5. sensu, decretum esse meminit *Krantzius*, ut nimirum memoratæ civitates, in arcibus Begerdorpe, Ribenborg, & Cuddevvorde, cum omnibus pertinentiis possidendis maneant, quia constabat eas legitimis causis, militari more indicto bello, non injuste captas esse. Et tantum est quod de Clarigatione, pro ingenii mediocritate dicere potui, quanquam non diffitear, multa quæ à nobis dicta sunt, varie & in contrariam partem disputari posse, de quibus cuique liberum permittendum est judicium.

DE

DE MANIFESTIS, quæ dicuntur.

ACturus de *Manifestis*, ante omnia veniam iis, quæ non satis apte traduntur, peto, quam etiam facile me impetraturum confido in ardua & difficili materia, quam nemo quod sciam adhuc scriptis illustravit, quæ jam mihi huic labori minime pari, adjumento esse potuissent. Certe ego non ingenii aut virium fiducia, sed spe Lectorum benevolentiæ, à qua benignam mihi censuram polliceor, hoc meum institutum aggredior, & *Manifesta* describi posse aptissime ita judico, *quod sint scripta publica, quæ Princeps vel Resp. in bellorum principiis, ad ius suum declarandum, itemq; belli justas causas omnibus & singulis demonstrandas, toti orbi exponit, omniumq; lectioni commendat.* Manifesta ideo dicuntur, quia patent, quia clara, aperta, vulgata, & omnibus nota fiunt, & præsertim notum faciunt, quod in quæstione est.

Distinguenda autem sunt à Clarigatione, quod ea in bello adversus hostes & armis invadendos locum suum inveniat: hæc autem tam in pace quam bello, omnibus & singulis in toto mundo, tam amicis quam inimicis, tam hostibus quam fœderatis publice exhibeantur. In bellis equidem, Clarigatio manifestorum vicem olim gessisse videtur; nam manifestorum adeo antiqua non est memoria, cum olim semper & ubique, ut hodie per scripta publica, sed per famas tantum & rumores belli causæ promulgarentur. Ideo Clarigationem claris verbis, alta voce, actibusque solennibus fieri voluere veteres, ut à singulis legitimæ intelligerentur belli causæ, omnibusque populis innotescerent: Ex quibus apparet, quod belli causæ olim, etsi non scriptis, tamen fama rumoribusque publicabantur, dum nemo erat, quin justitiæ & æquitatis suæ famam per omnes gentes vulgari cuperet.

Hinc apud *Thucydidem* distinguuntur causæ vulgatæ ab illis quæ veræ & interiores erant; Hasque Polybius vocat *προφάσεις*, quia palam proferri solent; Quæ Latinis prætexta, colores, species, vocabula, tituli, speciosa nomina dicuntur. Illas Græci nomine *αἰτίας*, Latini per *rem veram* & *τὸ ceterum* exprimunt. Has cum Suetonio vult Grotius *prætextus*, illas *causas* dica- Lib. 1. Cap. 30.

dicamus. Ita enim de Julio Cæsare: *prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit, causas autem alias fuisse opinantur; speciosissimum enim hunc Cæsari titulum præbebat Pompeius, quasi necessitate inevitabili in arma ageretur, licet hoc prætextu aliæ causæ & præsertim profunda imperii cupido velaretur.* Est autem ingens *causarum & prætextuum* discrimen: *Causæ sunt quæ proprie & vere moverunt aliquem, ut bellum susciperet, aliudve negotium moliretur: prætextus autem, quæ ad dissimulationem veræ causæ speciose excogitantur jactanturq;.* Sic causæ veræ belli civilis à Cæsare Octavio suscepti erant, primo quidem cupido dominandi; deinde quod videbat Cæsar, Remp. invadentibus opportunam, per factiones & discordias, & enervatam legum authoritatem: prætextus autem arripiebatur ultio cædis paternæ. Indicasse id Suetonius quoque videtur, ita dicendo, *omnium bellorum initium & causam hinc sumsit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare tuerique acta:* sed animadverterunt prudentes Taciti, *pietatem, in parentem, & tempora Reip. obtentui sumta; ceterum cupidinem dominandi, tot malis artibus abunde ostensam esse. Florus* & multi alii historici, falsas has belli causas, quæ plerumque prætenduntur, speciem, reliquas vero quæ silentii nube teguntur, rem veram nuncupant; de Romanis ita *Florus*; *specie quidem juvandi socios, revera autem sollicitante præda, fretum Carthaginense ingressi sunt.* Antiochum in Romanos bella suscepisse memorat *Livius in speciem causas habentem, revera quod ex labente Romanorum disciplina spem magnam concepisset. Dionysius Halicarnass.* alias belli causas manifestas, alias occultas appellat, belliq; Samnitici manifestam causam, quæque cum aliqua honestatis specie narrari omnibus potuit, eam Romanis fuisse affirmat: *Lucanis qui ad ipsos confugerant se velle opitulari, (tanquam communis & patria Romanorũ civitati consuetudo esset, iis qui injuria affecti ad ipsos confugerant opem ferre,) occultam autem & quæ magis ipsos amicitiam dissolvere cogebat, fuisse eam, qua præditi Samnites erant, potentiam.* Ex his & multis aliis, quæ ubique leguntur exempla, apparet, alias belli causas, quia favorabiliores, plerumque in vulgus jactari, alias quia secretiores, & interdum solæ causæ nomen merentur, reticeri. *Sæpe enim ante*

&

Boeclerus dissert. in Cæsar. §. 18.

Id. Annot. 1. ad Tacit. An. 1. c. 10.

Aug. cap. 10.

Tacit. Annal. 1. cap. 10.

Lib. 2. cap. 2.

& ſub initia bellorum ſpecioſiſſimi ſanctiſſimiq́ tituli, ſermonibus, rumoribus, ſcriptis vulgantur: in quibus continentur, meræ cauſæ juſtifica bellorum, ſed quæ reſpectu uſurpantium meri ſunt prætextus: nam cauſæ ipſæ ſuaſoriæ, quæ re vera impulerunt ad ejusmodi conſilia & actiones, ſtudioſe teguntur & diſſimulantur. Id fieri inde putamus: quoniam fundamentum proprium omnium Manifeſtorum eſt jus belli, juſtitia armorum, & ſuper ea diſputationes, ideoque omnes qui maneſeſta edunt, ſumma ope ſummoque ſtudio laborant, ut ipſorum arma omnibus legitima & juſta appareant, ac etiamſi interdum non imaginem, imo ne vel umbram aliquam juſtitiæ habeant, tamen *luſciniolæ prius deſuat cantio*, (ita Plautus) quam ipſos decora vocabula, ſpecies & prætextus varii deficiant, quibus ſceleribus ſuis honeſtatis colorem inducere, injuſtæque cauſæ veritatis titulum imponere queant. Quis enim unquam bellavit, quin ſanctitatem juris, & ſpecioſa vocabula ſuis conſiliis præferret: vereque Cerealis apud Tacitum: *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Et nemo eſt*, egregie Quinctilianus dicit, *tam malus ut malus videri velit, & qui de re nefaria deliberat, id ſolum quærit, quomodo quam minimum peccare videatur.*

Paterus Annot. 1. in Tacit. Annal. 1. cap. 10.

Hiſt. 4. cap. 73.

Verum notum jam eſt, quemadmodum cauſas bellorum, ita etiam *Manifeſta* omnino in duplici eſſe differentia: ut enim cauſæ quædam ſunt revera juſtæ, quædam apparentes: ita Manifeſta *quædam* declarationem & demonſtrationem juris exhibent, *quædam* autem colores juris & ſchemata conficta, prætextusque proponunt: *interdum* etiam miſcent ea, quæ aliquem juris titulum habent, cum illis quæ fictis coloribus prætenduntur, neque revera juſta ſunt, ſed tantum apparentia, penitius enim introſpecta, & ad rectam rationem expenſa, improba, & ab omni reſpectu juris remota reperiuntur.

Sed nos brevitatem pro lege habentes, jam ad formam hujus generis ſcriptorum pergimus, quam ſemper ad gravitatem & honeſtatem comparatam eſſe volumus. Gravitatem commendamus, *quia generoſum debet eſſe, nec pondus modo, ſed quandam magnificentiam habere quod princeps definit*; indignif-

Baclerus Annot. 5. ad Tacit. Annal. 1. cap. 7.

dignissimum certe foret principe, publica promulgare scripta, quibus suspensa & obscura essent verba; quæque sensus suos penitus abdere, inque incertum & ambiguum magis implicari viderentur: & subdola, inania & falsa merito sane suspectantur. Huc igitur imprimis pertinebit, *ut talia dicantur, scribantur, dictentur, quæ promta ubique sensuum nobilitate, publicum quendam, ut sic dicam, colorem, ultro legentibus offerant & insinuent*; Gravitatem aliquam omnino præ se ferant, & quidem talem, quæ authoritati & majestati personæ edentis respondeat; nam scripta ambagibus verbosissimis plena principem minime decent; sed ea potius, quæ Reip. dignitati, & præsentium rerum necessitati accommodata omnia ex decoro & usu publico, cum gravitate & authoritate quadam exponunt. *Gravitas* autem illa, quam hic laudamus, *non minimum roboris habet ex inaffectato verborum pondere, & formulis solennitatem & asseverationem præ se ferentibus.* Verba, inquam, gravia quidem esse debent, sed ad modestiam tamen flexa, de se & suis causis magnifica, de hoste autem cum decore & modestia, citra omnis vehementioris affectus indicium. Formulis utendum est etiam gravibus, & quæ solennitatem & asseverationem aliquam judicant, non vero morosis, rixosis aut superbis: Omnino enim abstinendum est à nimia jactantia sui, & multis in hostem probris. Quid enim turpius, quid inhonestius, quam hostem jurgiis & cavillationibus insectari, eumque scriptis procacibus diffamare velle? Est sane id nonnunquam ab honestate remotum, odio apud multos, despectui apud omnes habetur: & ejusmodi scripta etiamsi æqua sint, amittunt tamen omnem æquitatis partem, irritant etiam & exasperant hostes, honore verborum facilius placandos. Pertinebit quoque ad honestatem, (cui in conscribendis Manifestis, non exiguus merito tribuatur respectus) ut inanes verborum strepitus, omnesque petulantes discursus omittantur, proque iis potius omnia modestiæ signa ostendantur; quod tum præsertim fit, cum nominibus hostium contumeliosa nulla imponantur vocabula, quæ forte ipsorum famæ & nomini obesse possent: sed potius honesti & generales isti tituli, qui ipsorum dignitati conveniunt, iis adscribantur, quod in omnibus & hodie scriptis publicis usi-

Idem Annot. 7. ad Tacit. Annal. 1. cap. 11.

Idem Annot. 5. ad Tacit. Annal. 1. cap. 7.

usitatum reperitur, dum semper affinitatis, consobrinitatis, vel alia humanitatis vocabula, inter ipsa dissidia miscentur: quibus sane hostis de reddendâ vice admonetur, & velut in mutuæ benevolentiæ & honorificentiæ certamen provocatur.

Tandem ad scopum & finem Manifestorum pervenimus, quem duplicem constituere possumus. *Partim* enim hæc scripta, ad existimationem bellantium spectant; cum nemo sit qui velit sponte subire infamiam armorum, injustis de causis sumtorum, seque omnibus invisum reddere, sed potius sibi voluntates populorum, & opinionem ad decus & subsidium bellandi parare. Principes ideo & Rerump. moderatores, *quibus præcipua rerum ad famam dirigenda*, ut magnitudinem & gravitatem summæ suæ fortunæ retineant, invidiam autem & infamiam effugiant, scripta hæc publica, quibus justitiam suam testantur, non solum hujus ævi sed & sequentis hominibus commendant. *Partim* etiam hæc *scripta ad spem probabilem juris exsequendi spectant*, notante *Grotio*, & hic alter ipsorum scopus & finis est. Quippe justitia causæ magnum non immerito in bello momentum censetur. Bellantes enim quanto justitiæ causæ propiores, tanto impensius pro ea nituntur, freti felici exitu, quem bona plerumque concedere solet causa. Huc etiam accedit, quod melior causa populi favorem non raro sane profuturum sibi facile conciliare possit. Unde hæc scripta longe lateque per populos dimitti, & ut ab omnibus intelligantur, in varias linguas transferri solent.

Tacit. Annal. 4. cap. 40.

De jure belli l. 3. cap. 1. §. 3.

Deberent certe quidem Manifestorum nomine ea tantum venire scripta, quæ veras & proprias bellorum causas continerent, ita futurum esset, ut instrumenta juris appellari mererentur, & ad scopum juris bellici pertinerent: Hac scilicet ratione clarigationis partem facerent, vel certè cum ea valde conjuncta essent. Verumenimvero sicut cœpimus dicere, sub hoc genere scripturæ, sæpissime soli prætextus & speciosa vocabula præferuntur, causis interioribus ac verioribus, & quæ proprie merentur appellari causæ, dissimulatis & profunda silentii nube involutis. Et quis ignorat id in plurimis bellis usuvenire, ut veris eorum causis dissimulatis ac suppressis, prætextus tantum & tituli in theatrum producantur? Id Metius Suf-

Livius lib. 1. cap. 23.

nunt, ob injurias forte inferendas metuunt, dumque metuunt, oderunt, & ob illatas ulcisci cupiunt. Quis igitur tam stolidus esset, ut non potius gloriæ & famæ suæ, quam impio suo furori iræque consuleret? quis non fidem & justitiam potius coleret, quam se tot hominum calumniis & objurgationibus objiceret? quis non potius justus bellator, quam omnium ore prædo & latro dici cuperet? Nos igitur post conscientiam semper famæ consulendum esse putamus, hortatuque *Taciti*, *præcipua rerum ad famam dirigenda*, nec bella sumenda, quæ nomini famæque aliquid detrahunt; sed potius illud fortitudinis veræ indicium amplectendum, *nihil nisi turpem famam metuere*, contra bonam famam non contemnere, *quia contemtu famæ contemnuntur etiam virtutes*, quod iterum inquit *Tacitus*. At gloriæ militantes nihil magis, quam perfidiæ famam timent. Hanc sane volo timeant, (eleganter *Lipsius*) quia vere scriptor Græcus: *Qui legum metuentissimi, iidem in hostes audacissimi, & pati quidvis minime verentur, qui male audire maxime verentur*: hi omnibus cari, hostibus terrori sunt. Quid quod multi nomine & justitiæ suæ fama, gentes vicerunt. Alexander M. *certe plura fama quam armis evertit*; *nomine enim ac fama sua, maximo in bello utique momento, sæpe pavidos in fugam convertit*. Hinc *Darium ut pacem ab eo peteret, nulla vis subegit, sed justitia & continentia ejus expressit*, quod fateri ipse cogebatur Darius. Falisci quoque non Romanorum vi ac potentia, sed fide & Camilli Imperatoris justitia provocati se dediderunt. Camillus enim, scelestum Ludimagistri munus spernens, justitiæ & æquitatis fama id assecutus, quod longa armorũ cominatione haud forte impetrasset. *Vir sane sanctus & sapiens veram sciebat victoriam, quæ salva fide & integra dignitate pararetur*. Atque ita omnes qui legitimas belli suscipiendi rationes habent, easque recte & juste exequuntur, *non bonam famam, veram & solidam gloriam tantum, sed etiam tranquillitatẽ, & confessa hostium obsequia* inde reportare videm⁹, *quod pulchrius omnibus triumphis, si vincendus nemo sit*. Reliquis autem, qui famam & gloriam aspernantes bella justa extante ratione, movent, nullo juris habito respectu gerunt, illud Aristotelis cogitandum proponitur, *non pejerare, timentes & divinam ultionem, & humanam infamiam*. Nam profecto

> —— —— *Etsi quis primò perjuria celat,*
> *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Nos

Annal. 4. cap. 40.
Sall. Iug. cap. 85.
Tacit. Annal. 4. c. 38.
Lips. polit. 5. c. 12. n. 33. & 34.
Curt. 4. 4. 2. & 5, 13. 14.
4. 11. 2.
Livius l. 5. cap. 27.
Florus l. 1. cap. 12.
Plin. panegyr. capit. 16. n. 2. & 3.
Lips. polit. 2. 14. num. ultim.

Nos cum Gerhardo Theologo vere incomparabili, *omnia bella injusta, temeraria & illegitima, quæ ex ambitione & avaritia, sine justa & necessaria causa, ad fines imperii ampliandos suscipiuntur, ex animo detestamur, tanquam latrocinia, non dubitamus affirmare, authores ejusmodi bellorum, gravissimam aliquando Deo reddituros esse rationem, pro cædibus, rapinis, incendiis, stupris, devastationibus, adeoq; pro omnibus, quæ occasione talium bellorum fuerunt gesta.* Locorum Theologic. de magistratu pol.

Cæterum cum jam legitimam belli indictionem, & præviam pacis oblationem, jura omnia jubeant, evidens ratio suadeat, bona conscientia, præclaraque fama hortentur, quæri potest: An injusta omnia bella, quæ sine clarigatione, sine denuntiatione geruntur? *Defensionis causa bellum* quod sumitur, ulla indictione non indiget, denuntiante id ipsa natura; *Naturali enim jure*, inquit *Grotius*, *ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo ipso qui deliquit pœna deposcitur, nulla requiritur denuntiatio, nec magis necessaria est, ac si dominus rei suæ manum injicere velit.* *Ælianus ex Platone* ita expressit, *quod ad propulsandam vim suscipitur bellum, non à caduceatore, sed à natura indici.* Est id apud Ulpianum, *vim vi repellere licere Cassius scribit, idq; jus natura comparatur: Apparet autem*, inquit, *ex eo, arma armis repellere licere.* id quoque *Cic.* non modo *justum sed etiam necessarium* judicavit, *cum vi vis illata defenditur*, & alibi inquit, *quid est quod contra vim sine vi fieri posset? Vim enim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt*; & *quod quis ob tutelam corporis sui fecit, jure fecisse existimatur*, cum *adversus periculum naturalis ratio se defendere permittat. Hoc enim & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacunq; ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent*, ideo singulis animantibus vires à natura sunt attributæ, ut sibi tuendis juvandisque sufficiant. *Etiam jure gentium ita comparatum esse*, inquit *Livius*, *ut arma armis propulsentur*. Et *Florentinus* ait: *jus esse gentium ut vim atque injuriam propulsemus, ut corpus nostrum tutemur.* Hoc jure ante annos aliquot Suecorum Rex Gustavus Adolphus, quem Cæsariani ob hostilem, sine ulla indictione, Germaniæ invasionem incusarunt, se defendit, se nempe injuria Cæsareanorum lacessitum, dum prius hostilia ipsorum arma in Prussia expertus esset, ad injuriam propulsandam arma sume-

Distinctio controversiæ

Grot. Iur. bell. l. 3. cap. 3. §. 6.

Lib. 1.

l. 1. §. 27. de vi & vi arm.

Cic. pro Mil. c. 4.

Epist. famil. 12, 3.

l. 45. §. 4. ad L. Aq. l. 3. de I. & I.

Cic. pro. Mil. c. 11.

Liv. l. 43.

L. ut vim ff. de Iust. & Iure.

re coactum fuisse, idque bellum omnium gentium jure, non à fecialibus, sed ipsa natura indici. prolixum ejus hac de re scriptum videre licet *in Theatro Europæo Anno* 1630. Sic etiam Orangium arma adversus Hispanum corripuisse, *F. Strada* memorat, tanto honestiore specie, quanto se tueri, sua repetere, socios, filium, patriam in libertatem asserere, non æquum modo, sed etjam gloriosum videri potuit. Atque hæc de extemporaneo bello defensivo, quod sine prævia indictione admittimus, cum extrema necessitas, moram nec patiatur, nec interpellandi vel indicendi belli tempus concedat, & periculum aliter effugi non possit. At *bellum quod in injuriarum vindictam suscipitur*, sine denuntiatione, forte non usquequaque approbari potest, quia ejus causa aliquando est impia vindictæ aviditas, & clarigatione adhibita offensio sanari, & delictum forte pœnitentia & satisfactione expiari potest. Naturæ quidem jus nudum si respiciamus, tale bellum ut indicatur, non est opus, vindictam & ultionem ipsa injuria citante. Hoc naturali jure Platæenses apud *Thucydidem* se defendere voluerunt, *merito*, dicentes, *eos ulti sumus jure apud omnes recepto, ut hostilia patrantem ulcisci liceat*; & *Demosthenes* oratione adversus Aristocrat. *communem*, ait, *esse legem inter homines, qui nostra, vi rapiat, ulcisci nobis fas sit*. Sed vindicta *talis, quærens sibi remedium ex alterius damno, natura quidem congruit, sed ei quam homo cum bestiis habet communem*, (ita *Grotius*) *est enim ira ut in bestiis, ita in homine, ideoque talis appetitus in se spectatus, non convenit parti rationali, cujus est imperare affectibus*; *ac proinde nec juri naturæ, quia id est dictatum naturæ rationalis ac socialis, qua talis est. Dictat autem ratio, homini nihil agendum quo noceatur homini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum.* Oportet igitur delicta multa dissimulari potius quam vindicari, & quamvis sæpe legitimæ adsint rationes, justa damni vel injuriæ vindicta, tamen non juste statim sine indictione ad arma properabitur, nam non sufficit bellum ex causa necessaria & justa suscipi, sed oportet etiam legitimo more illud geri, juxta illud, *quod justū est, juste exequaris. Invasio quidem licita est, sed non omnis. Illa palam cum injuriam vindicas*, (inquit *Lipsius*,) & *jure gentium res tuas repetis. Nam justitiæ primum hoc munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus injuria. Itaque si quis res tuas aut jus rapiat, cape arma: cum ea conditione tamen, ut ex forma veteri prius mittas cla-*

lib. 7. pag. 351.

de Iur. bell. & pac l. 2. c. 20. §. 3.

lib. 5 polit. cap. 4. n. 12. & 13.

clarigatum, non enim etiam læsus juste statim bellum inferes. Sunt enim, ut olim *Cicer.* dixit, *officia etiam adversus eos, à quibus injuriam acceperis, servanda, estq; ulciscendi & puniendi modus.* Et cum bellum sit medium vindictæ grave & periculosum, ideoque ut justum sit bellum, prius pacificè ab hostibus debita satisfactio petenda est, id honestius, & ad quietem hominum conducibilius. Tum enim hostem, si respectum aliquem amicitiæ tuæ habere cernas, & is de injuriis quæ tibi factæ satisfacturum promittat, inique vi impetas, juxta illud Archidami apud *Thucydidem, in eum qui iure agere & satisfacere paratus est, nefas bellum sumere, tanquam in injurium*, nec utendum *imperio ubi legibus agi potest.* At si satisfactio ipsi gravis videatur, & res tuas retineat armatus, quod blande non potueris minaciter impetrabis, *tuncque honestius erit offendere, quam odisse. idque omnium confessione ut justum & æquum est, si quis alieni non appetens, contentusque res suas repetere, passus repulsam, armis jus suum persequatur.* Hic enim illud valeat, *justum est bellum quibus necessarium, & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Attamen nemo existimet, ubi jus jam satis compertum est, statim aut oportere bellum suscipi, aut semper etiam licere. Interdum enim magis pium rectumque sit de jure suo cedere, quam illud cum tanto aliorum incommodo, quantum secum ferunt bella, adipisci, idque non modo laudabile, sed & debitum est, ratione ejus quam hominibus, etiam inimicis debemus, dilectionis, sive in se spectatæ, sive qualiter eam exigit sanctissima lex Evangelii, de quibus videri potest *Grot.* Etenim nonne præstat aliquid de suo jure concedere, quam paululum commodi innumeris mercari fortasse malis? Cæsaris Augusti præclarum præceptum attendite quæso: *prælium aut bellum nunquam suscipiendum, nisi cum major emolumenti spes quam damni metus ostenditur. Nam minima commoda*, ait idem sapientissimus Imperator, *non minimo sectantes discrimine, similes sunt aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla captura pensari potest.* Quæ cum ita sint, nonne multo satius erit jus suum relinquere & *omissis præcipitibus, tuta & salutaria capessere, vetera novis, & quieta turbidis antehabere*, quam se suosque armis & ferro in casum dare? Hic affectus ô utinam omnibus impressus! *profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet.*

lib. 1. offic.
Tacit. Annal. 3. 69.
Tacit. Agric. 22.
Dionys. Halicarn. lib. 8.
Liv. lib. 9. cap. 1.
de Iur. bell. l. 2. cap. 24. §. 1.
Sueton. August. cap. 25.
Tacit. Annal. 12. capit. 29.
Tacit. Annal. 1. 58.
Iust. l. 2. c. 2

CAP.

CAP. IV.

De Usu & Effectu Clarigationis.

VSum Clarigationis in genere si consideremus, ad ipsam humanitatem, vel jura societatis humanæ pertinere videtur.

I. Quia enim *homines*, ut *Cic.* ait, *ad congregationem nati sunt, ad societatem, communitatemque generis humani, tum etiam ut communiter ad eas virtutes apti essent, quæ notæ illustresq; sunt, justitiam dico, temperantiam cæterasq; generis ejusdem*: merito eos summa ope niti decet, ut ea jura, quæ societatem validissimam efficiunt, conserventur; iis enim neglectis societas salva esse non potest. Certe aliis nocendo sua commoda quærere, est humanam societatem omnino dissolvere; *ea enim salva, nisi amore & custodia partium, esse non potest.* Id quoque contra naturam esse, olim *Cic.* dixit. *Detrahere alteri aliquid, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera quæ possint aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem.* Unde apparet, bella quæ utilitatis causa non indicta suscipiuntur, injusta esse, quia naturæ societatis repugnant, damnisque aliis illatis, suo commodo consulunt, quod sane societatem, quæ alieni abstinentiam, & si quid alieni habeamus, aut lucri inde fecerimus, restitutionem, damnique culpa dati reparationem jubet, penitus evertit. Salva igitur ut sit naturalis hominum societas, clarigationem omnino adhibendam putamus, quo magis bellum sumtum ob causas moventes, non sub ratione utilis, sed sub ratione justi, constet.

Cic. de fin. bon. & mal. lib. 4.

Senec. de ira lib. 2. cap. 32.

Cic. lib. 3. offic.

II. De Effectibus clarigationis jam tandem ut agamus, reliquum est; ob quos bellum sæpius justum dicitur, non vero ob causas semper unde oritur, *idque eo sensu*, inquit Grotius, *quo justum testamentum codicillis, justæ nuptiæ servili contubernio opponuntur: non quod non liceat codicillos facere ei, qui velit, & servo secum mulierem habere in contubernio; sed quod testamentum & nuptiæ solennes, peculiares quosdam ex jure civili habeant effectus.* Cum itaque clarigatio administrationem belli præcedat, varii

de Iur. bell. l. 1. cap. 3. §. 4.

vatii ejus sunt effectus, qui bellum justum maxime reddunt: primum enim ne pericula bellorum in infinitum multiplicentur, offert se facultas aut reddendi juris, aut apparandæ defensionis: deinde armorum furor facile sopitur, tot gentium internecio mitigatur, pax interveniente mora fortè revocatur, & cessantibus paululum injuriis, causa belli evanescit, *multaque homines, ne bellare necesse sit, voluntate remittunt, quæ bello & armis cogi non possint*. Nam clarigatio non prius ad bellum venire permittit, quam cum omnis spes juris obtinendi perierit. Igitur egregie usum & effectum hunc clarigationis prodit *Philo Jud: Bella caduceatores fecialesq; dirimunt offerendo pacem aut inducias. Qui nisi admittantur, nec modus nec finis erit calamitatibus & ultro citroque illatis injuriis*. Apud *Romanos ideo mittebantur feciales patre patrato, ut mora quæreretur, qua bellandi furor temperaretur, & lites sine clade, sine multo sanguine dijudicarentur*. Porro & illum effectum adsequitur clarigatio, quod cùm rebus prius repetitis, nulla satisfactio sive restitutio secuta sit, tum ad arma statim procurrere liceat. amicam enim interpellationem aspernantibus, juste arma necessitatem adhibebunt:

Liv. l. 36. cap. 45.

de legat. ad Cajum. Gailius de pac. pub. l. cap. 4. §. 37.

III.

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.

Virg. Æneid. 10.

Inque eum injusta vis non est, qui jus æquum pati non potest. Sunt & qui clarigationi hunc effectum tribuunt, *quod bello denuntiato, ex eo fraude uti jus & fas sit*, quem enim perdere mos fasque sit, quid refert quo modo? Tritum illud poëtæ innotuit, *dolus an virtus quis in hoste requirat?* Imo hostem hosti lædere licere & in persona & in rebus à multis probatur. videri hic potest *Grotius de Jur. bell. l. 4. cap. 4. §. 3. & seq.* Et *Augustinus*, ait, *Cum justum bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest*. Jurisconsulti Romani *bonum dolum vocant, si adversus hostem latronemve quis machinaretur*. Nos itaque fraudes dolosve in hostibus ob peculiarem hunc quem clarigatio obtinet effectum, admitti quidem posse putamus, cæterum ante indictum bellum aliquem dolose & fraudulenter invadere, iniquum existimandum est. Sed ut ad propositum redeamus, hic clarigationis effectus dicitur effectus licentiæ & impunitatis, *& non eos tantum comprehendit, qui actu ipso arma gerunt, aut qui bellum moventis subditi sunt, sed omnes etiam qui intra fines sunt hostiles*. quod apertum fit ex hac formula apud *Livium*

Liv. lib. 38. c. 50.

IV.

Xenophō. c. 5 7.

Lips. polit. 5. c. 17.

Quæst. 10. supra Ios.

Grōt. de I. B. l. 4. c. 4. §. 6.

 lib.

lib. XXXVII. *Hostis sit ille, quique intra ejus præsidia sunt*, tum etiam ex hoc JCtorum axiomate, *Diffidato principe, diffidati ejus adhærentes.* Patet etiam ex decreto isto apud *Livium: Vellent, Juberent Philippo Regi, Macedonibus, qui sub regno ejus essent, bellum indici.* Huic effectui & alius accedit, qui dominii effectus recte appellari potest; quia omnibus dominium rerum legitimo bello captarum concedit, idque tam jure naturæ quam gentium. Jure naturæ quidem, justo bello ea acquiruntur, quæ aut paria sunt ei, quod cum nobis sit debitum, aliter consequi non possumus, aut etiam quæ nocenti damnum inferunt, intra æquum pœnæ modum, hæcque prolixe tractat, *Grot. de Jur. bell.* Jure gentium affirmat idem *Grotius, quemvis in bello solemni, sine fine modoq; dominum fieri eorum, quæ hosti eripit: eo sensu nimirum, ut à gentibus omnibus & ipse, & qui ab eo titulum habet, in possessione rerum talium tuendi sint, nam ea quæ hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt.* Hinc Romani Auruncis restitutionem agri, Ecetranis ademti postulantibus, tale dederunt responsum: *Renunciarent Auruncis, Romanos æquum esse censere, ut quæcunque quis sua virtute hostibus ademerit, & sibi compararit, ea suis posteris tanquam res proprias relinquat.* Ita & Volscis à Romanis idem petentib⁹ respondendũ esse T. Largius judicavit, *Romanos nimirum ea honestissime & justissime quæsita esse existimare, quæ jure belli fuerint parta, nec se unquam passuros, ut virtus stultitiâ deleatur, quod fieret, si res jam partas traderent iis qui eas amiserint.* Ita etiam inter Ericum inferioris Saxoniæ Ducem, & civitates Lubecam & Hamburgum, aliorum principum consensu, decretum esse meminit *Krantzius*, ut nimirum memoratæ civitates, in arcibus Begerdorpe, Ribenborg, & Cuddevvorde, cum omnibus pertinentiis possidendis maneant, quia constabat eas legitimis causis, militari more indicto bello, non injuste captas esse. Et tantum est quod de Clarigatione, pro ingenii mediocritate dicere potui, quanquam non diffitear, multa quæ à nobis dicta sunt, varie & in contrariam partem disputari posse, de quibus cuique liberum permittendum est judicium.

Bald. ad l. 2. Cod. de servis n. 70
Lib. 31.
V.
l. 4. c. 6. § 1.
Ibid. §. 2.
§. 17. I. de R. D.
Dionys. Halicarn. lib. 6.
Ibid.
Saxon lib. XI. cap. 5.

DE MANIFESTIS, quæ dicuntur.

ACturus de *Manifestis*, ante omnia veniam iis, quæ non satis apte traduntur, petô, quam etiam facile me impetraturum confido in ardua & difficili materia, quam nemo quod sciam adhuc scriptis illustravit, quæ jam mihi huic labori minime pari, adjumento esse potuissent. Certe ego non ingenii aut virium fiducia, sed spe Lectorum benevolentiæ, à qua benignam mihi censuram polliceor, hoc meum institutum aggredior, & *Manifesta* describi posse aptissime ita judico, ***quod sint scripta publica, quæ Princeps vel Resp. in bellorum principiis, ad ius suum declarandum, itemq; belli justas causas omnibus & singulis demonstrandas, toti orbi exponit, omniumq; lectioni commendat.*** Manifesta ideo dicuntur, quia patent, quia clara, aperta, vulgata, & omnibus nota fiunt, & præsertim notum faciunt, quod in quæstione est.

Distinguenda autem sunt à Clarigatione, quod ea in bello adversus hostes & armis invadendos locum suum inveniat: hæc autem tam in pace quam bello, omnibus & singulis in toto mundo, tam amicis quam inimicis, tam hostibus quam fœderatis publice exhibeantur. In bellis equidem, Clarigatio manifestorum vicem olim gessisse videtur; nam manifestorum adeo antiqua non est memoria, cum olim semper & ubique, ut hodie per scripta publica, sed per famas tantum & rumores belli causæ promulgarentur. Ideo Clarigationem claris verbis, alta voce, actibusque solennibus fieri voluere veteres, ut à singulis legitimæ intelligerentur belli causæ, omnibusque populis innotescerent: Ex quibus apparet, quod belli causæ olim, etsi non scriptis, tamen fama rumoribusque publicabantur, dum nemo erat, quin justitiæ & æquitatis suæ famam per omnes gentes vulgari cuperet.

Hinc apud *Thucydidem* distinguuntur causæ vulgatæ ab illis quæ veræ & interiores erant; Hasque Polybius vocat *προφάσεις*, quia palam proferri solent; Quæ Latinis prætexta, colores, species, vocabula, tituli, speciosa nomina dicuntur. Illas Græci nomine *αἰτίας*, Latini per *rem veram* & *τὸ ceterum* exprimunt. Has cum Suetonio vult Grotius *prætextus*, illas *causas* dica-

Lib. 1.

Cap. 30.

dicamus. Ita enim de Julio Cæsare: *prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit, causas autem alias fuisse opinantur; speciosissimum enim hunc Cæsari titulum præbebat Pompeius, quasi necessitate inevitabili in arma ageretur, licet hoc prætextu aliæ causæ & præsertim profunda imperii cupido velaretur.* Est autem ingens *causarum* & *prætextuum* discrimen: *Causæ sunt quæ proprie & vere moverunt aliquem, ut bellum susciperet, aliudve negotium moliretur: prætextus autem, quæ ad dissimulationem veræ causæ speciose excogitantur jactanturq;.* Sic causæ veræ belli civilis à Cæsare Octavio suscepti erant, primo quidem cupido dominandi; deinde quod videbat Cæsar, Remp. invadentibus opportunam, per factiones & discordias, & enervatam legum authoritatem: prætextus autem arripiebatur ultio cædis paternæ. Indicasse id Suetonius quoque videtur, ita dicendo, *omnium bellorum initium & causam hinc sumsit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare tuerique acta:* sed animadverterunt prudentes Taciti, *pietatem, in parentem, & tempora Reip. obtentui sumta; ceterum cupidinem dominandi, tot malis artibus abunde ostensam esse.* *Florus* & multi alii historici, falsas has belli causas, quæ plerumque prætenduntur, speciem, reliquas vero quæ silentii nube teguntur, rem veram nuncupant; de Romanis ita *Florus*; *specie quidem juvandi socios, revera autem sollicitante præda, fretum Carthaginense ingressi sunt.* Antiochum in Romanos bella suscepisse memorat *Livius in speciem causas habentem, revera quod ex labente Romanorum disciplina spem magnam concepisset.* *Dionysius Halicarnass.* alias belli causas manifestas, alias occultas appellat, belliq; Samnitici manifestam causam, quæque cum aliqua honestatis specie narrari omnibus potuit, eam Romanis fuisse affirmat: *Lucanis qui ad ipsos confugerant se velle opitulari, (tanquam communis & patria Romanorũ civitati consuetudo esset, iis qui injuria affecti ad ipsos confugerant opem ferre,) occultam autem & quæ magis ipsos amicitiam dissolvere cogebat, fuisse eam, qua præditi Samnites erant, potentiam.* Ex his & multis aliis, quæ ubique leguntur exempla, apparet, alias belli causas, quia favorabiliores, plerumque in vulgus jactari, alias quia secretiores, & interdum solæ causæ nomen merentur, reticeri. *Sæpe enim ante*

Bœclerus dissert. in Cæsar. §. 18.

Id. Annot. 1. ad Tacit. An. 1. c. 10.

Aug. cap. 10.

Tacit. Annal. 1. cap. 10.

Lib. 2. cap. 2.

&

& sub initia bellorum speciosissimi sanctissimiq; tituli, sermonibus, rumoribus, scriptis vulgantur: in quibus continentur, meræ causæ justifica bellorum, sed quæ respectu usurpantium meri sunt prætextus: nam causæ ipsæ suasoriæ, quæ re vera impulerunt ad ejusmodi consilia & actiones, studiose teguntur & dissimulantur. Id fieri inde putamus: quoniam fundamentum proprium omnium Manifestorum est jus belli, justitia armorum, & super ea disputationes, ideoque omnes qui manefesta edunt, summa ope summoque studio laborant, ut ipsorum arma omnibus legitima & justa appareant, ac etiamsi interdum non imaginem, imo ne vel umbram aliquam justitiæ habeant, tamen *lusciniolæ prius defuat cantio*, (ita Plautus) quam ipsos decora vocabula, species & prætextus varii deficiant, quibus sceleribus suis honestatis colorem inducere, injustæque causæ veritatis titulum imponere queant. Quis enim unquam bellavit, quin sanctitatem juris, & speciosa vocabula suis consiliis præferret? vereque Cerealis apud Tacitum: *Libertas & speciosa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Et nemo est*, egregie Quinctilianus dicit, *tam malus ut malus videri velit, & qui de re nefaria deliberat, id solum quærit, quomodo quam minimum peccare videatur.*

Baclerus Annot. 1. in Tacit. Annal. 1. cap. 10.

Hist. 4. cap. 73.

Verum notum jam est, quemadmodum causas bellorum, ita etiam *Manifesta* omnino in duplici esse differentia: ut enim causæ quædam sunt revera justæ, quædam apparentes: ita Manifesta *quædam* declarationem & demonstrationem juris exhibent, *quædam* autem colores juris & schemata conficta, prætextusque proponunt: *interdum* etiam miscent ea, quæ aliquem juris titulum habent, cum illis quæ fictis coloribus prætenduntur, neque revera justa sunt, sed tantum apparentia, penitius enim introspecta, & ad rectam rationem expensa, improba, & ab omni respectu juris remota reperiuntur.

Sed nos brevitatem pro lege habentes, jam ad formam hujus generis scriptorum pergimus, quam semper ad gravitatem & honestatem comparatam esse volumus. Gravitatem commendamus, *quia generosum debet esse, nec pondus modo, sed quandam magnificentiam habere quod princeps definit*; indignis-

Baclerus Annot. 5. ad Tacit. Annal. 1. cap. 7.

dignissimum certe foret principe, publica promulgare scripta, quibus suspensa & obscura essent verba; quæque sensus suos penitus abdere, inque incertum & ambiguum magis implicari viderentur: & subdola, inania & falsa merito sane suspectantur. Huc igitur imprimis pertinebit, *ut talia dicantur, scribantur, dictentur, quæ promta ubique sensuum nobilitate, publicum quendam, ut sic dicam, colorem, ultro legentibus offerant & insinuent*; Gravitatem aliquam omnino præ se ferant, & quidem talem, quæ authoritati & majestati personæ edentis respondeat; nam scripta ambagibus verbosissimis plena principem minime decent; sed ea potius, quæ Reip. dignitati, & præsentium rerum necessitati accommodata omnia ex decoro & usu publico, cum gravitate & authoritate quadam exponunt. *Gravitas* autem illa, quam hic laudamus, *non minimum roboris habet ex inaffectato verborum pondere, & formulis solennitatem & asseverationem præ se ferentibus.* Verba, inquam, gravia quidem esse debent, sed ad modestiam tamen flexa, de se & suis causis magnifica, de hoste autem cum decore & modestia, citra omnis vehementioris affectus indicium. Formulis utendum est etiam gravibus, & quæ solennitatem & asseverationem aliquam judicant, non vero morosis, rixosis aut superbis: Omnino enim abstinendum est à nimia jactantia sui, & multis in hostem probris. Quid enim turpius, quid inhonestius, quam hostem jurgiis & cavillationibus insectari, eumque scriptis procacibus diffamare velle? Est sane id nonnunquam ab honestate remotum, odio apud multos, despectui apud omnes habetur: & ejusmodi scripta etiamsi æqua sint, amittunt tamen omnem æquitatis partem, irritant etiam & exasperant hostes, honore verborum facilius placandos. Pertinebit quoque ad honestatem, (cui in conscribendis Manifestis, non exiguus merito tribuatur respectus) ut inanes verborum strepitus, omnesque petulantes discursus omittantur, proque iis potius omnia modestiæ signa ostendantur; quod tum præsertim fit, cum nominibus hostium contumeliosa nulla imponantur vocabula, quæ forte ipsorum famæ & nomini obesse possent: sed potius honesti & generales isti tituli, qui ipsorum dignitati conveniunt, iis adscribantur, quod in omnibus & hodie scriptis publicis usi-

Idem Annot. 7. ad Tacit. Annal. 1. cap. 11.

Idem Annot. 5. ad Tacit. Annal. 1. cap. 7.

usitatum reperitur, dum semper affinitatis, consobrinitatis, vel alia humanitatis vocabula, inter ipsa dissidia miscentur: quibus sane hostis de reddendâ vice admonetur, & velut in mutuæ benevolentiæ & honorificentiæ certamen provocatur.

Tandem ad scopum & finem Manifestorum pervenimus, quem duplicem constituere possumus. *Partim* enim hæc scripta, ad existimationem bellantium spectant; cum nemo sit qui velit sponte subire infamiam armorum, injustis de causis sumtorum, seque omnibus invisum reddere, sed potius sibi voluntates populorum, & opinionem ad decus & subsidium bellandi parare. Principes ideo & Rerump. moderatores, *quibus præcipua rerum ad famam dirigenda*, ut magnitudinem & gravitatem summæ suæ fortunæ retineant, invidiam autem & infamiam effugiant, scripta hæc publica, quibus justitiam suam testantur, non solum hujus ævi sed & sequentis hominibus commendant. *Partim* etiam hæc *scripta ad spem probabilem juris exsequendi spectant*, notante *Grotio*, & hic alter ipsorum scopus & finis est. Quippe justitia causæ magnum non immerito in bello momentum censetur. Bellantes enim quanto justitiæ causæ propiores, tanto impensius pro ea nituntur, freti felici exitu, quem bona plerumque concedere solet causa. Huc etiam accedit, quod melior causa populi favorem non raro sane profuturum sibi facile conciliare possit. Unde hæc scripta longe lateque per populos dimitti, & ut ab omnibus intelligantur, in varias linguas transferri solent.

Tacit. Annal. 4. cap. 40.

De jure belli l. 3. cap. 1. §. 3.

Deberent certe quidem Manifestorum nomine ea tantum venire scripta, quæ veras & proprias bellorum causas continerent, ita futurum esset, ut instrumenta juris appellari mererentur, & ad scopum juris bellici pertinerent: Hac scilicet ratione clarigationis partem facerent, vel certè cum ea valde conjuncta essent. Verumenimvero sicut cœpimus dicere, sub hoc genere scripturæ, sæpissime soli prætextus & speciosa vocabula præferuntur, causis interioribus ac verioribus, & quæ proprie merentur appellari causæ, dissimulatis & profunda silentii nube involutis. Et quis ignorat id in plurimis bellis usuvenire, ut veris eorum causis dissimulatis ac suppressis, prætextus tantum & tituli in theatrum producantur? Id Metius Suf-

Livius lib. 1. cap. 33.

Suffetius de se & suis sponte fateri haud erubuit: *injurias*, inquit, *& redditas res ex fœdere quæ repetita sunt, & ego Regem nostrum Cluilium causam hujusce esse belli audisse videor: nec te dubito Tulle eadem præ te ferre: sed si vera potius, quam dictu speciosa dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos populos ad arma stimulat.* Idem suis temporibus accidisse *Sallustius* scribit: *quicunque*, ait, *Remp. agitavere, honestis nominibus, alii sic, ut jura populi defenderent, pars quo senati auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certantes.* Hoc ut turpe, ita frequens & usitatum! omnibus seculis plurimorum artificium est, ambages & subtiles interpretationes, ad pingendum honestiori schemate quodvis facinus artificiose excogitare, omnesque prætextus, colores & titulos, tam eleganti mangonio adornare, tamque speciosis verbis adumbrare, ut nihil in ipsis desiderari posse videatur, nisi animorum fides & sinceritas, quam, introspicientibus, longe abesse apparet. Recentiora, supra nostram intelligentiam sunt: vetustiora, censuris veterum exposita habemus.

Iugurth. cap. 38.

Verum ut obvii & aptissimi plerumque arripiuntur tituli, injuriarum vindicta, subditorum defensio, libertatis tuitio, sæpe religionis necessitas, & ejusdem generis alia. Hæc in ore & calamo semper ipsis sunt, ceterum in animo, consilio & conatu, amor ruinæ aliorum, immensa proprii lucri cupido, avaritia & ambitio, *quæ multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo æstimare, magisq; vultum quam ingenium habere bonum.* Quæ ubi jam semel prævaluere, technis & commentitiis prætextibus, se suaq; consilia obtegere, simulare, dissimulare non erubescunt, quid proferant aut scribant parum pensi habentes, dummodo cupitis potiantur, seque voti compotes faciant. *Non virtutem quærunt, sed virtutis speciem affectant; non fidem colunt, sed fidei colorem ostentant; non amicitia, sed species amicitiæ; non pax, sed imago pacis; non fedus, sed simulatio federis, non facta sed verba locum habent.* Ita fallere & decipere, multis prudentia est: auferre, trucidare, rapere & solitudinem facere, in legitimæ vindictæ vocabulum vertitur, honestoque principatus nomine obumbran-

Sallust. Catilin. c. 10.

brantur ea, quæ re ipsa nihil nisi latrocinia sunt: Deus & pietas magna nomina præfiguntur improbæ ambitioni : Religio, inquam, sanctus titulus, pravæ rei. Carolum Octavum G. R. hac ex parte reprehendit Baconus quod flagrans ambitione & cupiditate Britanniæ Ducatum recuperandi & reannectendi, occasionem pulchram & speciosam arripuerit, *quæ ambitionem suam tegeret & belli ansam adversus Britanniam porrigeret; Eo scilicet nomine, quod Dux Britanniæ, Ducem Aurelianensem, & alios ex nobilitate Franciæ (qui contra se arma sumpsissent) ad se recepisset.* Guilielmum Orangium ejusdem fere criminis arguit F. Strada, quod in Apologia sua, qua testatus est omnibus, *se à puero, reformatæ religionis perquam studiosum fuisse, eoq; pertinere quæ domi, quæq; militiæ patrarat ipse, nempe ut religionem tot legum edictorumq; telis à Cæsare, à Rege petitam, pro vetere suo cultu ubique tueretur, nec vera scripserit, nec ex animo senserit cum Calvinianis, sed Religionem obtentui habuerit, eamq; ceu vestem pro temporis opportunitate sumpserit juxta ac deposuerit, non enim usque adeo religionis habendam esse rationem, ubi de acquirendo, firmando imperio agatur, aliquando scripserit.* Sed hæc verane, an invidia vel studio partium dicta sint, aliis judicium relinquimus. Illud satis omnibus constat, Orangium arma non movisse, ut se Albani tyrannidi objiceret, *qui ut eo licentius grassaretur, culpam violatæ religionis prætexebat.* Id quod publico libello edito testatus est, quo belli contra Albanum suscepti causas exponit. *Se sibi gloriam DEI, ac commodum Regis proposuisse: Nec se aliud agitare, quam ut sævientem Albanum cervicibus innocentis populi, & per vim oppressi, depelleret: ac rogare universos, ut favore atque auxilio institutum tam præclarum adjutum velint.* Sed nobis redeundum est eo unde degressi sumus. Est sane id politicorrm usitatum artificium, idque pro prudentiæ suæ parte æstimant, veritatem plurimis modis infringere, eamque tanta arte tegere, & verbis adumbrare, ut luce sua & authoritate carere videatur; contra falsa & omni mendacio plena tam eleganti colore, & decora vocabulorum specie circumponere & oblinere, ut vera & falsis contraria appareant: ita ut eo sane nomine *Manifesta* hodie interdum

Hist. Henr. VII. p. 79.

Lib. 2. p. m. 90.

Meursius Guil. Auriac. l. 5. p. 68.

Ibid. lib. 4. pag. 51.

rectius aliquis diceret *Obscura*, & involuta politicorum artificia, quibus arcana dominationis & dissimulationis teguntur. Egregie sanè hanc politicorum artem descripsit T. *Boccalinus* è Centur. 1. Relat. 10. Parnasso, politicus sane ingeniosus & acutus, *qui Siculum quendam in forum mercaturæ aliquando prodiisse*, refert, *ut pallia in terram usque propendentia coemeret quamplurima; cuidam vero cum admiratione eum diu intuenti, & interroganti quisnam esset, & cujus conditionis? Respondisse, se esse Siculum, & navigia piratica duo propriis conduxisse sumptibus ad infestandum latrociniis mare, & se præda locupletandum; non vero ignorare, talia facinora omnium plerumq; odiis & calumniis esse exposita, ideoque ut omnibus hominibus, prætextu belli, idiotis & liberalium artium hostibus inferendi imponeret, hocque suum institutum obtegeret & palliaret, se longo omnino indigere pallio.* Sed egregium redditur huic Siculo responsum: *Illum frustranea ope niti, cum latroni omnes qui in Anglia concinnantur panni, nunquam ad pallium sufficiant, quin vel ima aliqua pars pedum nuda appareat.* Magnopere itaque falluntur isti pseudo-politici, qui flagitia sua velamento quodam tegi posse putant: certe dum alios fallere cupiunt, semet ipsos fallunt, cum decipiendi & mentiendi libido se tandem facile prodat, exque effectis magis innotescat: est enim mendacium instar fumi, qui cum in altissimum pervenerit, evanescit. Apud imperitum vulgus, ubi verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus & interpretationibus callidorum hominum æstimantur, hæc scripta, quia plerumque verbis magnificis, ad ostentationem & deceptionem fictis composita sunt, facilem assensum nanciscuntur: at in prudentiorum manus cum incurrunt, misere sinistra fama lacerantur: hi enim acrioribus oculis ea intuentes, non ex verbis, sed ex re judicium ferunt, titulos & colores statim animadvertunt, & larvam ipsis obductam facile detrahunt, tuncque veritas antea laborans, genuinam & propriam claritatem atque lumen ipsa sibi vindicat, vimque suam ostendit, Cic. pro M. Cœl. c. 26. *quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsam defendit.*

Verum

Verum hic necesse est, ut cautionem aliquam & moderationem adhibeant, qui hæc Regum vel Principum Manifesta legunt. *Primo enim in conjiciendis causis consiliisq; minime festinandum, aut præcipitandum est judicium: donec res ipsa eventusque claris argumentis ostenderit, mala cupidine susceptum esse, quod honestis nominibus tegebatur. Deinde nimia diffidentia & suspicio vitanda est. Verissimum quidem est, plerumque sub causarum nomine, prætextus adornari, & dictu potius speciosa quam vera ostentari. Sed si quis tamen omnium idcirco Regum Principumque, sine ulla exceptione, eadem censura vellet complecti consilia, atque nemini prorsum credere, fallor an ferocius sentire diceretur, quam judicii civilis modestia requirit.* Illorum certe credulitatem damnamus, qui omnia quoquo modo scripta & tradita, pro certis & veris habent, nec an ea quæ referuntur vera aut falsa sint, diligentius inquirunt, sed statim credunt, & avide arripiunt. Illorum malignitatem detestamur, qui de ejusmodi principum scriptis statim suspiciose judicant, & omnem ipsis fidem derogant. *Utrumque in vitio est, tam omnibus credere, quam nulli*; sicut jam olim *Seneca* dixit. Legenda igitur sunt hæc principum scripta sine ira & studio, sitque animus legentis omnino ab istis liber. Judicium de iis non vulgari curiositate; sed officii necessitudine, prudenter, caute, modeste ferendum; &, præter rationem necessariam, omnino declinandum.

Bœclerus Annot. 1. ad Tacit. A. 1. c. 10.

Epistol. 3.

Ultimo tandem & illud annotare utile duximus: ex talibus scriptis aliquando occasionem arripi, integris voluminibus disceptandi de causis & jure bellorum, quod nostris præsertim temporibus usitatissimum. Nota sunt *Martis Gallici* ab *Armacano* editi, & quas, ut satis constat, *Justus Asterius* opposuit, *Vindiciarum Martis Gallici*, exempla.

HANNONIS PERIPLUS.

CUm omnino mihi hoc tempore publicè esset aliquid proponendum; unde & doctoribus & commilitonibus meis constaret de studiorum meorum ratione & via, quâ decurrere instituissem: cœpi in animo meo recordari, quæ de Hannonis Periplo disserentem pro cathedra audiveram Virum Amplissimum, JO. HENRICUM BOECLERUM, Historiarum Professorem Publicum longè Celeberrimum, magnum meum Fautorem, Patronum, atque Præceptorem, omni observantiæ cultu prosequendum.

Juvabat pervenisse in notitiam scripti, multis vix nominetenus noti: quod ab Eo acceptum in Latinum sermonem, ut meus est captus, transtuli; adjectis nonnullis, quæ in tractando tàm nobili monumento, fortuna oculis meis obtulerat. In quo genere ut amplius erudirer, examini eorum, quos à principio laudavi, omnia subjicere constitui: veniam imperitiæ, & favorem conatui ausus sperare, cum præsertim scirem, plerisque rem gratam me facturum, si libellus, cujus nulla pridem copia, studiosis antiquitatis veluti postliminio redhiberetur. Græca ex editione Frobeniana Basileensi Gelenii anni 1533. ita se habent:

ΑΝΝΩΝΟΣ ΚΑΡΧΗΔΟΝΙΩΝ

βασιλέως περίπλους, τῶν ὑπὲρ τὰς ἡρακλέους στήλας λιβυκῶν τῆς γῆς μερῶν, ὃν καὶ ἀνέθηκεν ἐν τῷ τοῦ χρόνου τεμένει, δηλοῦντα τάδε.

Ἔδοξεν καρχηδονίοις, ἄννωνα πλεῖν ἔξω στηλῶν ἡρακλείων, καὶ πόλεις κτίζειν λιβυφοινίκων. καὶ ἔπλευσεν, πεντηκοντόρους ἑξήκοντα ἄγων, καὶ πλῆθος ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, εἰς ἀριθμὸν μυριάδων τριῶν, καὶ σῖτα, καὶ τὴν ἄλλην παρασκευήν. ὡς δ' ἀναχθέντες τὰς στήλας παρημείψαμεν, καὶ ἔξω πλοῦν δυοῖν ἡμερῶν ἐπλεύσαμεν, ἐκτίσαμεν πρώτην πόλιν, ἥν τινα ὠνομάσαμεν θυμιατήριον. πεδίον δ' αὐτῇ μέγα ὑπῆν. κἄπειτα πρὸς ἑσπέραν ἀναχθέντες, ἐπὶ σολόεντα λιβυκὸν ἀκρωτήριον, λάσιον δένδρεσι συνήλθομεν.

μεν. ἔνθα ποσειδῶνος ἱερὸν ἱδρυσάμενοι πάλιν ἐπέβημεν πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ἡμέρας ἥμισυ. ἄχρι ἐκομίσθημεν εἰς λίμνην οὐ πόρρω τῆς θαλάττης κειμένην, καλάμου μεστὴν πολλοῦ καὶ μεγάλου. ἐνῆσαν δὲ καὶ ἐλέφαντες, καὶ τἆλλα θηρία νεμόμενα πάμπολλα. τήν τε λίμνην παραλλάξαντες ὅσον ἡμέρας πλοῦν κατῳκίσαμεν πόλεις πρὸς τῇ θαλάττῃ καλουμένας, καρικόν τε τεῖχος, καὶ γύττην, καὶ ἄκραν, καὶ μέλιτταν, καὶ ἄραμβυν. κἀκεῖθεν δ' ἀναχθέντες, ἤλθομεν ἐπὶ μέγαν ποταμὸν λίξον, ἀπὸ τῆς λιβύης ῥέοντα. παρὰ δ' αὐτὸν, νομάδες ἄνθρωποι λιξῖται, βοσκήματ' ἔνεμον, παρ' οἷς ἐμείναμεν ἄχρι τινὸς, φίλοι γινόμενοι. τούτων δὲ καθ' ὕπερθεν, αἰθίοπες ᾤκουν ἄξενοι, γῆν νεμόμενοι θηριώδη, διειλημμένην ὄρεσι μεγάλοις, ἐξ ὧν ῥεῖν φασὶ τὸν λίξον. περὶ δὲ τὰ ὄρη, κατοικεῖν ἀνθρώπους ἀλλοιομόρφους τρωγλοδύτας. οὓς ταχυτέρους ἵππων, ἐν δρόμοις ἔφραζον οἱ λιξῖται. λαβόντες δὲ παρ' αὐτῶν ἑρμηνέας, παρεπλέομεν τὴν ἐρήμην πρὸς μεσημβρίαν, δύο ἡμέρας. ἐκεῖθεν δὲ πάλιν πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα, ἡμέρας δρόμον. ἔνθα εὕρομεν ἐν μυχῷ τινος κόλπου, νῆσον μικρὰν, κύκλον ἔχουσαν σταδίων πέντε. ἣν κατῳκίσαμεν, κέρνην ὀνομάσαντες. ἐτεκμαιρόμεθα δ' αὐτὴν ἐκ τοῦ περίπλου, κατ' εὐθὺ κεῖσθαι καρχηδόνος. ἐῴκει γὰρ ὁ πλοῦς, ἔκ τε καρχηδόνος ἐπὶ στήλας, κἀκεῖθεν ἐπὶ κέρνην. τοὐντεῦθεν εἰς λίμνην ἀφικόμεθα, διά τινος ποταμοῦ μεγάλου διαπλεύσαντες, χρέτης, εἶχε δὲ νήσους λίμνη τρεῖς μείζους τῆς κέρνης. ἀφ' ὧν ἡμερήσιον πλοῦν κατανύσαντες, εἰς τὸν μυχὸν τῆς λίμνης ἤλθομεν. ὑπὲρ ἣν ὄρη μέγιστα ὑπερέτεινεν, μεστὰ ἀνθρώπων, ἀγρίων δέρματα θήρεια ἐνημμένων. οἳ πέτροις βάλλοντες, ἀπήραξαν ἡμᾶς, κωλύοντες ἐκβῆναι. ἐκεῖθεν πλέοντες, εἰς ἕτερον ἤλθομεν ποταμὸν μέγαν, καὶ πλατὺν, γέμοντα κροκοδείλων, καὶ ἵππων ποταμίων. ὅθεν δὴ πάλιν ἀποστρέψαντες, εἰς κέρνην ἐπανήλθομεν. ἐκεῖθεν δὲ, ἐπὶ μεσημβρίας ἐπλεύσαμεν δώδεκα ἡμέρας, τὴν γῆν παραλεγόμενοι. ἣν πᾶσαν κατῴκουν αἰθίοπες, φεύγοντες ἡμᾶς, καὶ οὐχ ὑπομένοντες. ἀσύνετα δ' ἐφθέγγοντο, καὶ τοῖς μεθ' ἡμῶν λιξίταις. τῇ δ' οὖν τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, προσωρμίσθημεν ὄρεσι μεγάλοις δασέσιν. ἦν δὲ τὰ τῶν δένδρων ξύλα, εὐώδη τε, καὶ ποικίλα. περιπλεύσαντες δὲ ταῦτα ἡμέρας δύο, γινόμεθα ἐν θαλάττης χάσματι ἀμετρήτῳ. ἧς ἐπὶ θάτερα πρὸς τῇ γῇ, πεδίον ἦν. ὅθεν νυκτὸς ἀφεωρῶμεν, πῦρ ἀναφερόμενον πανταχόθεν κατ' ἀποστάσεις· τὸ μὲν πλέον, τὸ δ' ἔλαττον. ὑδρευσάμενοι δ' ἐκεῖθεν, ἐπλέομεν εἰς τοὔμπροσθεν ἡμέρας πέντε παρὰ γῆν, ἄχρι ἤλθομεν εἰς μέγαν κόλπον, ὃν ἔφασαν οἱ ἑρμηνέες καλεῖσθαι, ἑσπέρου κέρας. ἐν δὲ τούτῳ, νῆσος ἦν μεγάλη, καὶ ἐν τῇ νήσῳ, λίμνη θαλασσώδης· ἐν δὲ ταύτῃ νῆσος

ἑτέρα, εἰς ἣν ἀποβάντες, ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφεωρῶμεν, ὅτι μὴ ὕλην. νυκτὸς δέ, πυρά τε πολλὰ καιόμενα, καὶ φωνὴν αὐλῶν ἠκούομεν, κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον, καὶ κραυγὴν μυρίαν. φόβος οὖν ἔλαβεν ἡμᾶς. καὶ οἱ μάντεις ἐκέλευον ἐκλείπειν τὴν νῆσον. ταχὺ δ' ἐκπλεύσαντες, παρημειβόμεθα χώραν διάπυρον θυμιαμάτων. μεστοὶ δ' ἀπ' αὐτῆς πυρώδεις ῥύακες, ἐνέβαλλον εἰς τὴν θάλατταν. ἡ γῆ δ' ὑπὸ θέρμης, ἄβατος ἦν. ταχὺ οὖν κἀκεῖθεν φοβηθέντες ἀπεπλεύσαμεν. τέτταρας δ' ἡμέρας φερόμενοι, νυκτὸς τὴν γῆν ἀφεωρῶμεν, φλογὸς μεστήν. ἐν μέσῳ δ' ἦν ἠλίβατόν τι πῦρ, τῶν ἄλλων μεῖζον, ἁπτόμενον ὡς ἐδόκει τῶν ἄστρων. τοῦτο δ' ἡμέρας, ὄρος ἐφαίνετο μέγιστον, θεῶν ὄχημα καλούμενον. τριταῖοι δ' ἐκεῖθεν, πυρώδεις ῥύακας παραπλεύσαντες, ἀφικόμεθα εἰς κόλπον, νότου κέρας, λεγόμενον. ἐν δὲ τῷ μυχῷ, νῆσος ἦν, ἐοικυῖα τῇ πρώτῃ, λίμνην ἔχουσα. καὶ ἐν ταύτῃ νῆσος ἦν ἑτέρα μεστὴ ἀνθρώπων ἀγρίων. πολὺ δὲ πλείους ἦσαν γυναῖκες δασεῖαι τοῖς σώμασιν. ἃς οἱ ἑρμηνέες, ἐκάλουν γορίλλας. διώκοντες δέ, ἄνδρας μὲν συλλαβεῖν οὐκ ἠδυνήθημεν. ἀλλὰ πάντες μὲν ἐξέφυγον, κρημνοβάται ὄντες. καὶ τοῖς πετρίοις ἀμυνόμενοι. γυναῖκας δὲ τρεῖς. αἳ δάκνουσαί τε, καὶ σπαράττουσαι τοὺς ἄγοντας, οὐκ ἤθελον ἕπεσθαι. ἀποκτείναντες μέντοι αὐτάς, ἐξεδείραμεν. καὶ τὰς δορὰς ἐκομίσαμεν εἰς Καρχηδόνα. οὐ γὰρ ἔτι ἐπλεύσαμεν προσωτέρω, τῶν σίτων ἡμᾶς ἐπιλιπόντων.

HANNONIS CARTHAGINENSIUM Regis Periplus, seu navigatio, qua circumvectus est Africam ultra columnas Herculis: quem commentarium in templo Saturni consecravit, ista memorantem.

PLacuit Carthaginensibus Hannoni negotium dare, ut navigatione ultra columnas Herculis instituta, Libyphœnicum oppida coloniis frequentaret. Et profectus est cum classe sexaginta navium (actuarias quinquaginta remorum vocant) & virorum, mulierumque numero ad triginta millia; instructus & frumento, reliquoque apparatu. Portu autem egressi, cum Herculis columnas præterissemus, biduique cursum confecissemus, primam urbem condidimus, eamque Thymiaterium appellavimus. Suberat ibi magna planities. Subinde ad occidentem evecti, ad promontorium Libycum multis arboribus consitum, Soloenta, seu So-

Solunta, pervenimus. Ibi excitato Neptuni templo iterum progressi sumus ad orientem solem iter dimidiæ diei: donec venimus in paludem non procul à mari, multa magnaque arundine plenam. Inerant & Elephantes, aliaque complura, quæ pascebantur, animalia. Cum autem quasi cursu unius diei paludem prætervecti essemus, urbes ad mare extruximus, quarum nomina: Cariconticus (sive Murus Caricus) Gytte, Acra, Melitta, & Arambys. Inde digressi in magnum flumen Lixum pervenimus, quod ex Libya oritur. Accolas habet pastoritium genus Lixitas, pecoribus pascendis deditos: cum quibus amicitia conjuncta aliquantum temporis substitimus. Supra horum regionem Æthiopes omnis hospitalis commercii expertes terram incolebant feris plenam, magnisque distinctam montibus, è quibus originem Lixi repetunt. Circa montes autem inusitata specie homines Troglodytæ habitant: quos cursibus equorum pernicitatem anteire, Lixitæ ferebant. Nos, interpretibus acceptis, deserti oram ad meridiem per biduum prætervecti sumus: unde rursus ad orientem solem conversi, unius diei cursum confecimus. Ibi in recessu cujusdam sinus exiguam insulam, stadiorum quinque ambitu, invenimus; eamque, deductis colonis, Cernen appellavimus. Notavimus autem in circumeundo, eam è regione Carthaginis sitam esse. Videbatur enim cursus Carthagine quidem ad columnas, inde ad Cernen æquali intervallo procedere. Hinc per ingentem cursu delati fluvium in stagnum, nomen est Chretes, pervenimus: in quo tres cernebantur insulæ majores, quam Cerne. Ab his confecto cursu diurno in sinum quendam stagni perventum est. Imminebant autem stagno alti montes: è quibus homines feri, & belluarum pellibus amicti, saxa jaculantes nos abigebant, neque egredi navibus sinebant. Digressi inde in alium delati sumus fluvium magnum, & latum, in quo multi crocodili; & hippopotami visebantur. Tum converso cursu ad insulam Cernen regressi sumus. Illinc versus meridiem profecti duodecim per dies oram legebamus litoris: in quo Æthiopes habitabant, refugientes congressum nostrum, linguaque utentes etiam Lixitis, qui nobiscum

biſcum erant, parum intellecta. Poſtremo die acceſſimus ad montes magnos & ſylvoſos, lignis arborum odore & varietate notabilibus. His biduo circumitis, in immenſum maris barathrum delati ſumus. Ejus maris ab altera parte, planities erat; unde de nocte proſpiciebamus ignem undique efferri per intervalla locorum, alibi magis, alibi minus. Aqua autem inde petita, ulterius provecti, quinque diebus oram legebamus, donec in magnum quendam ſinum, quem interpretes Heſperi Ceras ſive Cornu vocari ajebant, deventum eſt. Hîc inſula erat ingens, & in inſula ſtagnum, maris ſpecie: in ſtagno alia inſula. In hanc exſcenſione facta interdiu quidem nihil cernebamus præter ſilvam. Nocte autem multi ignes collucebant, & vox tibiarum, cum cymbalorum, & tympanorum ſtrepitus, cum clamoribus diſſonis audiebantur. Timore itaque nos perterritos, vates quoque abſcedere inſula jubebant. Celeriter igitur profecti prætérivimus regionem odoribus æſtuantem, unde & plures igniti torrentes in mare ferebantur: ita ut præ fervore inacceſſa eſſet. Quare neque hîc moras trahere pavor nos ſinebat. Repetito autem curſu poſt quartum diem, apparuit nobis de nocte terra flammis plena, cujus in medio ignis altiſſimus, majorque ceteris, ſidera attingere videbatur: diurno autem tempore montis maximi ſpeciem præferebat, quem deorum vehiculum appellitabant. Tertio poſt die, præteritis illis ignitis torrentibus, in ſinum pervenimus, qui Cornu Auſtri vocabatur. In receſſu inſula erat, priori ſimilis, ſtagnum habens, in quo alia inſula, feris plena hominibus. Multo plures autem fœminæ inerant hirſuto corpore, quas interpretes vocabant Gorillas. Cum autem conſectaremur incolas, virorum quidem neminem intercipere potuimus. Omnes enim effugerunt: per præcipitia diſcurrere, & nullo negotio vim à ſe propulſare aſſueti. Fœminæ autem tres captæ, eos, à quibus ducebantur, morſu, laniatuque appetebant, neque ſequi volebant. Occiſis tamen pelles detraximus, & Carthaginem detulimus. Neque enim ulterius navigare contendimus, cum annona jam nos deficere cœpiſſet.

De

DE hoc Hannone non præclarè sentit magnus ille *Gerardus Joannes Vossius libro quarto de Historicis Græcis*: fidéq; prorsus indignum existimat propter locum *Athenæi*, *Libro III.* Filius autem *Isaacus Vossius*, *verissimam* hanc *commemorationem* putat: *ejusque explicationem* pollicetur; *& antiquitatem* supra Homeri & Hesiodi ævum profert: partim ex fabula Gorgonum, quàm à tribus Hannonis Gorgidibus repetit; partim ex loco *Strabonis*, vulgatam Phœnicum navigationem celebrantis extra columnas Herculis, qua in media Africæ ora maritima, urbes condiderint paulo post Trojani belli tempora. Quod non debuit omittere *Thomas Rivius*, cum de illis temporibus ageret. Memoravit in ejusdem instituti opere *Claudius Bartholomæus Morisotus*. Plura autem fuisse Hannonis scripta, facilè intelligas, si veterum loca de hoc viro probè consideres.

p. 513. & 514. ad Melam. l. 3. c. 9. p. 302

l. 1. p. 48.

Histor. Naval. antiq. lib. 1. c. 12. Orb. marit. lib. 1. c. 31.

Naves, quibus usus est Hanno, *Pentecontoros* vocat: quæ sunt actuariæ quinquaginta remorum. Quas observes hîc tantæ multitudinis capaces fuisse, ut una quingentos caperet homines.

Urbis primùm conditæ nomen θυμιατήριον occurrit. De qua doctissimus *Samuel Bochartus in Geographia sacra* ita annotat: *In Scylace* θυμιατηριὰς, *& in Stephano* θυμιατηρία *scribitur. Notum, Græcè* θυμιατήριον *esse acerram vel thuribulum. Quo nomine cur Phœnices urbem appellarint, nemo facile dixerit. Sed quod à Græcis passim fieri jam alibi notavimus, Hannonis Græcus interpres barbaram vocem ita mollivit, ne læderet aures Atticas. Nempe verum urbis nomen erat Dumathiria, quasi* πεδιάδα *dixeris, i. e. campestrem urbem. Arabice saltem in Giggeio Dumathir & Dumthor est terra plana; inde petitum urbis nomen docent ipsa verba Hannonis:* ἐκτίσαμεν πρώτην πόλιν, ἥν τινα ὠνομάσαμεν θυμιατήριον· πεδίον δ' αὐτῇ μέγα ὑπῆν. *primam urbem condidimus, quam vocavimus Thymiaterium: illi quippe suberat magnus campus.* δὲ *pro* γὰρ *hoc loco sumimus, ut passim apud Homerum: quia nulla apparet causa, cur Hanno addiderit Thymiaterio magnum subesse campum, nisi ut sciremus, quorsum oppidum ita nominaverit.*

part. 2. Chanaan. lib. 1. c. 37.

Addamus, quæ sequuntur, quia liber ille est in paucorum manibus: *Inde ventum ad* Σολόεντα *Libycum promontorium* λάσιον δένδρεσι, *arboribus opacum, in quo Neptuni templum ædificarunt. Hinc in Hesychio:* Σολεντὶς ἄκρα τῆς Λιβύης. *Et in Ptolemæo:* Σολοεντία ἄκρα, *&* Σολεέντιοι *populi, quamvis utrumque ad meridiem removeat justo longius. Apud Plinium Agrippa corruptè Surrentiam appellat. Verum nomen erat* Σολόεις *Hebr. Selaim, rupes. Adde Stephanum de Urbib. voc.* Σολοῦς. Pergit *Bochartus: Promontorium istud post iter semidiei excipit lacus ingens, unde diei navigatio ad quandam oram, in qua quinque urbes se condidisse refert Hanno, nempe* Καρικὸν τεῖχος, καὶ Γύττην, καὶ Ἄκραν, καὶ Μέλιτταν καὶ Ἀράμβυν. *Fallor, an* Καρικὸν τεῖχος *murus Caricus Pœnis erat Kirchares, murus Solis, cujus nominis urbem in Moabitis memorat Esajas 16, 11. Quidni enim Cares ex Chares fecerit Græcus interpres, quomodo alii Carrhas ex Charan, & Malacam ex Malacha, & Tapsacum ex Tipsach Hebræa aspiratione mutata in consonam K. Aut ut ex hoc ipso Chares factum est Persicum Cores vel Cyrus pro Sole. Plutarchus in Artaxerxe, ubi de Cyri nomine:* ἀπὸ τοῦ ἡλίου γενέσθαι φασὶ, κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον.

Gytta nomen habet à pecu, ut Cretæ urbs Πολύρρην, *quam sic appellari scribit Stephanus,* ἀπὸ τοῦ πολλὰ ῥῆνας, τοῦτ' ἔστι, πρόβατα, ἔχειν. *Nempe Syris Geth est pecus, cujus plurale Gitthim. Sed veteres sine aspiratione scripserunt. Inde Gath Philistæorum, à Polybio, Josepho, & Stephano Gitta dicitur, à Plinio Getta.*

Acra est Hakra, i.e. arx seu munitio. Quam vocem, Græcis frustra repugnantibus, Syri sibi vindicant. Hinc in Ionathane urbes Hacra, i.e. munitionis sive munitæ Deut. 3, 5. & in Chaldæa Paraphrasi 2. Sam. 2,7. Hakra de Sion, arx Sionis. Et cap. 7. v. 9. habitatio David in hacra, id est in arce. Græci Acram dixerunt neglecta aspiratione. Sic 1. Macchab. 1. 35. Et ædificaverunt civitatem David muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis εἰς ἄκραν, *in Acram. Tamen à civitate David Iosephus Acram ita distinguit, ut in illa* τὴν ἄνω πόλιν, *in hac* τὴν κάτω πόλιν *sitam fuisse asserat.*

Melitta vel Melita propriè significat calicatam urbem, si verbo datur venia, i.e. in qua condenda multum calcis sit adhibitum

bitum vel in structuras, vel etiam in tectoria. Radix melit reperitur Ierem. 43. 9. pro cœmento ex arena & calce. Stephanus : Μίλιστα, πόλις Λιβύων.

Arambyn, quæ sola superest, à situ puto vocasse Phœnices har-anbin, montem Uvarum, vel har-anbi, montem racemiferum. Vites enim uberiores sunt in montibus, ut scribit Servius in illud magni Poetæ :

Bacchus amat colles.

Et vites fuisse in illis locis, constat ex periplo Scylacis, qui de vicinis Æthiopibus ita habet : οἶνον δὲ ποιοῦσι πολὺν ἀπὸ ἀμπέλων. *vinum autem ex vitibus multum faciunt. Quibus consona hæc Plinii lib. 5. cap. 1. Ibi fama existere certa vestigia habitati quondam soli, vinearum, palmetorumque reliquias. Sed Strabone nihil expressius, qui in Mauritania refert ex aliorum fide,* ὅτι ἄμπελος φύεται δυεῖν ἀνδράσι τὸ πάχος δυσπερίληπτος, βότρυν πηχυαῖον πως ἀποδιδοῦσα, *nasci vitem tam crassi candicis, ut eam duo homines vix amplectantur, racemos cubitales nonnunquam producentem.* Sequitur de Lixo fluvio, quem *Bochartus*, cujus hactenus explicationem nominum afferre placuit, à Phœnicio *Laix s. Lix, leo* deducit. Hebr. ליש. eo quod oriatur ex Æthiopum terra θηριώδει sive feris & leonibus frequenti. *Stephanus :* Λίξα πόλις Λιβύης, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν πρώτῳ Λιβυκῶν, ἀπὸ Λίξου ποταμοῦ, τὸ ἐθνικὸν Λίξιοι, λιξίτης, καὶ λιξάται παρά τισι.

De Troglodytis sive Trogodytis (nam & ita scribi *Turnebus* pridem notaverat) vide *Diodorum Siculum lib. 3. & Agatharchidem* apud *Photium*, τρώγλην & τρώγλαις dici; *Salmasius*, cod. 250.
Casaubono crediderat, ad *Strabonem* ita annotanti : quo no- lib. 1. 6.
mine reprehenditur à doctissimo *Isaaco Vossio in observat. ad* lib. 1. c. 4.
Melamp.

Cernen insulam Hanno quinque stadiorum facit. At Cornelius Nepos apud *Plinium* ambitum ejus definit duobus lib. 6. c. 31.
millibus, id est, quindecim stadiis, quasi legerit in Hannone σταδίων δέκα πέντε vel ιέ pro έ. Ut autumat *Bochartus* : idem qui nomen ejus Phœnicibus fuisse credit *Chernaa*, postremum habitationis, sive ultima habitatio. Plenius esset *Achernaa* ; sed prima radicalis sæpè excidit. Ultima autem & *Dionysio* dicitur :

πυμάτης παρὰ τέρματα Κέρνης. in Periegesi.

Phœnices enim ulterius nullam deduxerunt coloniam, licet Hanno hunc terminum navigationis excesserit. Esse autem
ad Mel. 3, 9. 66. Cernen hodie insulam *Arguin*, *Vossius* annotat. Falli enim eos, qui Cernen voluerunt esse Menuthiadem, id est, Madagascar vel S. Laurentii insulam, quæ inter maximas locum habet, modus spatii satis ostendit. ut rectè monet *Bochartus*. De situ insulæ Hanno: καθ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος, *i. e. tantundem hanc insulam à freto distare, quantum fretum à Carthagine.* καθ' εὐθὺ *Græci dicunt de locis in eodem sitis parallelo.*
ad Mel. 2, 7. 44. Hæc *Is. Vossius*: & addit: *Sed cum fœdè hallucinatus fuisset Hanno, vicinaque admodum freto esset Cerne. Quapropter puto, interpretem non rectè hæc ex Punico reddidisse. Utcunque enim Hanno non rectè eum, quem existimavit, cursum tenuerit, satis tamen ex ipsius verbis colligi potest, non adeo errasse, ut Æthiopas & Carthaginenses collocarit sub eodem parallelo. Ptolemæus medium ferire voluit, & ex adverso Atlantis Majoris posuit Cernen. Verum hoc est geminare errorem, sic enim neque in eodem parallelo sitæ erunt Carthago, & Cerne, neque eadem erit distantia à freto Herculeo.*

Navigatio Hannonis procedit à Cerne per fluvium magnum, cui nomen Chretes. Verba sunt; τὸ ἐντεῦθεν εἰς λίμνην ἀφικόμεθα, διά τινος ποταμοῦ μεγάλου διαπλεύσαντες, χρέτης. Corrigit hunc locum feliciter, ut arbitror, *Bochartus: legendum puto*, inquit, ὄνομα Χρεμέτης. *Muto* χρέτης in χρεμέτης, *quia Chretis vel Chretes amnis planè est ignotus. At de Chremete Africæ fluvio ad Oceanum, hæc Aristoteles Meteorologicon l. 1. c. 13. de maximis Libyæ fluviis agens:* οἱ δὲ μέγιστοι τῶν διωνομασμένων ὅ, τε χρεμέτης καλούμενος, ὃς εἰς τὴν ἔξω ῥεῖ θάλατταν, καὶ τὸ Νείλου τὸ ῥεῦμα τὸ πρῶτον. &c. *Celebrium autem maximi sunt, & is, quem vocant Chremetem, qui in mare exterius, id est, in Oceanum influit, & primus Nili fluxus &c. Et eum secutus Basilius in Hexaemeron Homilia 3.* ὁ καλούμενος χρεμέτης, ἢ πρός γε ἔτι ὁ Νεῖλος. *Et Hesychius:* χρεμετὴς, ὄνομα ποταμοῦ. *Et Suidas:* Χρεμέτης, ὄνομα ποταμοῦ. *Et Nonnius Dionysiac. lib. 13. v. 347.*

οἵ τε ῥόον χρεμέταο, καὶ οἳ παρὰ Κίνυφος ὕδωρ.

Ad ripam Chremetis qui sunt & Cinyphis undam.

Et lib. 31. v. 103.

ἄυτη

αὐτὴ δὲ Χρεμέταο μετήιεν ἕσπερον ὕδωρ,
Ἥρη μητιόωσα γέρων βαρὺς, ὀππόθι κάμνει
οὐρανίῃ στροφάλιγγι, λίβυς κιρτόμενος Ἄτλας.
Hesperias Chremetis trajecit fluminis undas
Magni sancta Jovis conjux, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Fluvius Chremetis Punicè dicebatur naar Cheremath, i.e. fluvius vinearum. Nam Arabibus Chermath idem quod Hebræis Cheramim. Confirmatur id ex Scylace, qui eos ipsos Æthiopes, qui prope Cernen degunt, nempe ad amnem, quem diximus, vinum asserit è vineis plurimum conficere. Verba sunt: οἶνον δὲ ποιοῦσι πολὺν ἀπὸ ἀμπέλων. Hæc de fluvio isto *Bochartus.*

Memorat dehinc Hanno alium *fluvium latum & magnum, crocodilis & hippopotamis refertum.* De quo ita prosequitur *Bochartus: Hujus amnis nomen ab Hannone omissum ex Polybio supplet Plinius: Flumen, inquit, Bambotum crocodilis & hippopotamis refertum. Et Solinus Plinii Simia: Bambotum crocodilis & hippopotamis refertum. Sed legendum, Bamothum, nomine facto ex Bamoth. Bamoth seu* בהמות *Bhemoth esse hippopotamum Job. 40,10. iis argumentis probatur in libro de animalibus, quæ viros undecunque doctos traxerunt in assensum. Ergo fluvius Bamoth seu Behemoth est fluvius hippopotami. An intelligitur Gambræ fluvius, unus ex Nigri brachiis, in quo solo Caballinum piscem, i. e. hippopotamum reperiri scribit Aloysius Cadamustus c. 44.* lib. 5. c. 1.

Quæ sequuntur de navigatione ad Ἑσπέρου *&* Νότου κέρατα *& montem igneum, quem vocant* θεῶν ὄχημα, *& de crebris ignibus, qui solum noctu micant, & insulis tibiarum cantu, tympanorumque & cymbalorum sonitu strepentibus, consulto prætereo, quia merè fabulosa sunt.* Hactenus ista ex Bocharto in meum & aliorum usum describere licuerit, nam & libri paucis copia est, & annotationes ad Hannonis periplum non extant meliores. Non tamen ista omnia fabulosa esse, paulo post ostendetur.

Qualia autem hîc Hanno tradit de insula quadam Hesperii cornu, habent similitudinem cum *Plinianis* istis de Atlante: *Incolarum neminem interdiu cerni, silere omnia, haud alio quam soli-* lib. 5. c. 1.

litudinum horrore: subire tacitam religionem animos propius accedentium, praterq; horrorem elati super nubila (montis) atque in viciniam lunaris circuli, eundem noctibus micare crebris ignibus, Ægipanum, Satyrorumq; lascivia impleri, tibiarum ac fistula cantu tympanorumque & cymbalorum sonitu strepere.

lib. 3. c. 9. Propiora sunt illa *Pomponii Mela: super eos* (Æthiopum populos fabulosos) *grandis litoris flexus grandem insulam includit, in qua tantum fœminas esse narrant, toto corpore hirsutas, & sine coitu marium sua sponte fœcundas: adeo asperis, efferisque moribus, ut quadam contineri, ne reluctentur, vix vinculis possint. Hoc Hanno retulit, & quia detracta occisis coria pertulerat; fides habita est. Ultra hunc sinum mons altus (ut Graci vocant) θεῶν ὄχημα perpetuis ignibus flagrat; ultra montem viret collis longo tractu longis littoribus obductus, unde visuntur patentes magis campi, quam ut prospici possint, Panum, Satyrorumque. Hinc opinio ea fidem cepit, quod cum in his nihil culti sit, nulla habitantium sedes, nulla vestigia, solitudo in diem vasta, & silentium vastius, nocte crebri ignes micant, & veluti castra late jacentia ostenduntur, crepant cymbala & tympana, audiuntur tibia sonantes majus humanis.* Et post aliqua: *Contra eosdem* (Æthiopas Hesperios) *sunt insula Gorgades, domus, ut ajunt, aliquando Gorgonum. Ipsa terra promontorio, cui ἑσπέρυ κέρας nomen est, finiuntur.*

Sed sequamur ordinem, quem Hanno tenet. Ἑσπέρυ κέρας *est promontorium illud famosum, quod Viride* (Cabo Verde) *appellatur. Valde hallucinatur Salmasius, cum hoc negat, ac caput Palmarum interpretatur, eo enim usque non est progressus Hanno.* Ita
3. 9. 67. *Is. Vossius ad Melam.*

Ad Melam *Idem* de ignibus, quos Hanno sibi in litore pernoctanti visos
3. 9. 46. tum de sonitu audito, ita annotat: *Utrum vero Æthiopes interdiu fugientes, noctu autem se colligentes, ac facibus, clamore, tympanis ac incensis pyris belluas abigentes, ut etiamnum apud ipsos fieri solet, caussam huic spectaculo dederint; an vero naturali hoc factum sit ratione, ex apparitione nempe ignis illius, quem fatuum appellamus, qui adeo frequens est in Zona torrida, ut toti in Æthiopia campi noctu ceu stellis colluceant, id vero non addit. Ego postremum verum esse existimo.*

3. 9. 43. Quantum ad montem θεῶν ὄχημα, *Vossius* ista ad *Melam* adjicit: *Mons iste hodie appellatur Sierra Liona. Adeo altus, ut ducentis*

centis & amplius passuum millibus nonnunquam sit conspicuus. Latera ejus perpetuò virent odoratis omnis generis arboribus. Vertex æternis incingitur nebulis, quas ne ardentissimas quidem Sol unquam dispellere ac vix perrumpere possit. Hinc fit, ut continuis fulminibus ac tonitruis noctu præsertim percutiatur, quorum fragor à navigantibus ad 50000 passuum exaudiri potest. Sonitum istum Lusitani assimilarunt leonum rugitui; ac ea propter monti nomen indidere Sierra Liona.

Insula, quæ Γοργίδας habebat (ita enim legendum fuerit) hodie Palmifera sive S. Annæ creditur. Corrupit Mela historiam, secutus illos Græcos, ut putat *Vossius*, qui Hannonis periplum variis fabellis inquinarunt. Dari vero integros populos toto corpore hirtos, *Idem* ostendit præcipue exemplo terrarum illarum, quæ supra Japoniam sitæ, non ita pridem à Belgis detectæ sint. *Plinius: contra hoc promontorium* (Hesperion Ceras) *Gorgades insulæ narrantur, Gorgonum quondam domus, bidui navigatione distantes à continente, ut tradit Xenophon Lampsacenus. Penetravit in eas Hanno Pœnorum Imperator, prodiditque hirta fœminarum corpora: viros pernicitate evasisse: duarumq; Gorgonum cutes* (*trium, Hanno ait*) *argumenti & miraculi gratia, in Junonis templo posuit, spectatas usq; ad Carthaginem captam. Suidas*: Γοργόνες παρθένοι. τρίτων ποταμὸς ἢ τόπος Λιβύης, ἔνθα αἱ γοργόνες διέτριβον. Et *Strabo* quidem fabulis confictis illa, quæ de Gorgidibus sive Gorgonibus feruntur, accenset; ita ut nec in re, nec in loco quicquam veri sit. Sed, utut fabulæ plures cumulatæ sint, ex vero tamen, ut apparet, originem traxerunt. Γοργοτομία certe & τὸ γοργόνειον, ne de numero Gorgonum dicam, unde confingi cœperint, nemini obscurum esse potest. ad Mel. 3. 9. 37. lib. 6. c. 31. lib. 1.

Ad id quod Hanno dicit, se penuria annonæ adductum abrupisse navigationem, referendum est illud *Strabonis*: οἵτε γὰρ περιπλεῖν ἐπιχειρήσαντες, εἶτα ἀναστρέψαντες οὐχ ὑπὸ ἠπείρου τινὸς ἀντιπιπτούσης καὶ κωλυούσης, τὸν ἐπέκεινα πλοῦν ἀνακρουσθῆναι φασίν, ἀλλὰ ὑπὸ ἀπορίας, καὶ ἐρημίας, οὐδὲν ἧττον τῆς θαλάττης ἐχούσης τὸν πόρον. *Nam qui circumnavigare aggressi, de cursu destiterunt, non dicunt objectu alicujus continentis se quo minus in alteram partem penetrarent, impeditos, sed inopia rerum & solitudine, aversos, etiamsi mare haud minus esset navigabile.* lib. 1.

Libet

Libet adjicere ista amplius disquirenda:

I.

Strabo lib. 1. dicit & explicat: *Geographiam maxima parte ad civiles usus pertinere.* Τῆς γεωγραφίας τὸ πλέον ἐστὶ πρὸς τὰς χρείας τὰς πολιτικάς, -- -- -- τὸ μὲν δὴ πλέον, ὥσπερ εἴρηται, πρὸς τοὺς ἡγεμονικοὺς βίους καὶ χρείας.

II.

Idem eodem libro laudat Hipparchũ, quod præclarè scripserit, *Geographiam sine observatione rerum cœlestium & defectuũ solis & lunæ parari nullo modo posse.* Εὖ δὲ καὶ Ἵππαρχος ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην διδάσκει, ὅτι παντὶ καὶ ἰδιώτῃ καὶ τῷ φιλομαθοῦντι τῆς γεωγραφικῆς ἱστορίας προσηκούσης, ἀδύνατον λαβεῖν, ἄνευ τῆς τῶν οὐρανίων καὶ τῆς τῶν ἐκλειπτικῶν τηρήσεων ἐπικρίσεως. Est enim duplex hujus πραγματείας pars: artificiosa & mathematica, tum historica. Inprimis autem Geometria & Astronomia hic opus est. Μάλιστα δὲ δοκεῖ, γεωμετρίας δὲ καὶ ἀστρονομίας δέον τῇ τοιαύτῃ ὑποθέσει. Et *lib.* 2. τὸν δὲ μὴν γεωγραφοῦντα πιστεῦσαι δεῖ περὶ τῶν ἐχόντων αὐτῷ τάξιν ἀρχῆς, τοῖς ἀναμετρήσασι τὴν ὅλην γῆν γεωμέτραις, τούτους δὲ τοῖς ἀστρονομικοῖς, ἐκείνους δὲ τοῖς φυσικοῖς. Adde *Ptolemæi lib.* 1. *c.* 2.

III.

Optimum est consilium *Strabonis* (*lib.* 1.) *aliis regionibus alium convenire* χωρογράφον. Unde videmus fere omnes eos, qui totum orbem describendum sumserunt, dum incomperta sibi tradiderunt, plurimis fabulis sua opera (etiam de recentioribus capias licet) implevisse. Unde cautio *Ptolemæi* locum habet *lib.* 1. *Geogr. c.* 4. Idem *Ptolemæus* (*lib.* 1. *Geogr. c.* 12. & 13.) commendat *peregrinationum* & *navigationum* usum ad exactiorem notitiam Geographices comparandam. Sed cautio *Strabonis* (*lib.* 1.) sæpe locum habet: ἀλαζὼν γὰρ δὴ πᾶς ὁ πλάνην αὐτοῦ διηγούμενος. *Quicunque peregrinationes suas narrant, fere ad arrogantiam solent prolabi, & inflatius pleraque jactare.* Id quod exemplo Menelai ostenditur.

IV.

Quænam sit illa magna insula in vasto Oceano, positu contra Africam, complurium dierum navigatione à Libya in

in occasum declinans, quam memorat *Diod. Siculus l.* 5. & de qua in *Aristot. Admirandis auditionib.* legitur, quod Carthaginenses crebro eo commearent, donec edicto ista navigatio vetaretur: dubitare licet. non adeo absurde *Becanus*, *Turnebus*, *Pamelius* Continentem Americæ intelligunt. putat tamen *Gerardus Johannes Vossius*, posse Britanniam esse. *de scientiis Mathem. c.* 42. §. 10.

V.

Hannonis Periplus non nihil conjecturæ suppeditat de America. ab Hesperidibus enim (quorum fabulam primum ex Hann. Periplo promanasse non nemo censet) sive insulis de Cabo Verde, brevissimus ad Continentem Americæ creditur esse trajectus. *Iohannes Laet in Introductione Novi Orbis.*

VI.

Ad prodigium usque absurdus est titulus Donationis Pontificiæ, quo Hispani dominium & proprietatem Americanarum terrarum vindicarunt: quod diploma ex Antonio de Herrera describit Johann. de Laet in prooemio Americæ suæ.

VII.

Esset ne probabilior titulus, si quis commercandi causa ad Americanos accessisset, indeque cum pacifica omnia prætulisset, vi repulsus esset, bello propterea illato imperium in victos sibi vendicare? opus est hic quoq; cautionibus, ut justa fiant ejusmodi arma.

VIII.

Franciscus Dracus privatim ab Hispanis injuria affectus ad navigationem illam, qua tribus plus minus annis orbem terrarum circum navigavit, animum adiecit, ut damna accepta in auctores vindicaret. id licere Theologus quidam classiarius persuaserat. Cum autem egregie ditatus opibus Hispano ademtis domum redisset, primarii aliquot in aula viri oblatum ab eo aurum quasi scelere piratico quæsitum respuerunt. Camdenus Part. 2. anno 1580. utri rectius senserunt Theologus ille, an aulici? Tutius fuerit à parte Aulicorum stare.

IX.

Quæri amplius potest, an Regina Angliæ obstricta fuerit, ut redderet Hispano repetenti aurum à Draco ereptum? aut an idonea fuerit ratio compensandi damna, cum Regina diceret:

 se

se grandiorem pecuniam, quam Dracus intulerit, contra rebelles profudisse, quos Hispanus in Hibernia & Anglia excitarat?

X.

Cum Thomas Arundelius ab Imperatore Romano, Comes sacri Imperii creatus esset, disputatum est in Anglia, an honos ab extero Principe admittendus sit? quidam allatis rationibus affirmabant, quidam contrariis rationibus negabant: quibus & Regina accessit. vide Camdenum parte 4. an. 1596. placet hac vice cum Regina sentire.

XLIII.

DE FATIS LITERARIIS NOSTRI TEMPORIS.

Crebra subiit animum meum reputatio fati publici cujus non minima pars ad rem scholasticam scilicet ac litterariam pertinet. Ea enim est, quæ sacris profanisque rebus non ornamentum modo ac decus, sed robur & vigorem ipsum largiri consuevit: ejusque florem, genitum prosperis, Deus gratificari; inclinationem, terrarum devastationi semper visus est præmittere. Inclinatio autem illa, proxima plerumque fastigio est: fastigium ipsum, plerumque inclinationis caussis obnoxium. sicut cum magna imperia, quæ non habent quo crescant amplius, caussas sibi interim illa ipsa magnitudine sua elaborant, quibus decrescant. Quod ubi cœpit fieri, observatione prudentium & cura opus est: qua licet interverti non semper possit præcepta indiciis fortuna, mitigari tamen hactenus potest ne incautos & incogitantes adeoque fortius percellat. Quemadmodum autem in regnis ac civili statu, duabus potissimum rebus, corruptio & profectura ad interitum aut conversionem labes deprehenditur, *si & mores singulorum populique vita sit vitiosa*; & *administratio reipublicæ ipsa vel aperta iniquitate*, *vel arcanis artibus*, *flagitiis*, *simulationibus*, (qualia hodie pleraque *ratione status*, quam vocant, teguntur) *in parvum deflexa comperiatur*: Ita in studiorum quoque regno sive litterario orbe, tum alia infelicitatis fragilitatisque præsagia observari possunt, tum quædam *Ratio status* conspicitur, de qua nunc amplius, disseremus. Placuit enim hoc

hoc nomen consuetudinis & comparationis gratia retinere: quo Itali primum *salutem & necessitates reip.* honestamq; administationis civilis συνυπόκρισιν videbantur denotare: nisi quod mox infames ab Etruria artes, totumque κακοπραγμοσύνης πολιτικῆς commentum, decoro in speciem vocabulo cœpit involvi, quo lusu in hunc diem, quæcunque parandi, retinendi, intendendi dominatus ergo, citra aut contra jus & fas, per vim aut dolum geruntur, hoc mangonio publice exponuntur, hoc titulo in vulgus obtenduntur. Cujus consuetudinis incrementa, certissima sunt rei & utilitatis publicæ decrementa. quæ nuspiam magis deprehendas, quam, ubi ad felicitatis & potentiæ summum sceptra pervenere. Ejus rei similitudinem & fata, ut sic dicam, παράλληλα ut in doctrinam scholarumque studiis reperiamus, ante omnia cognoscendum est, *an hoc tempore quædam litterarum ἀκμὴ, studiorum excellentia, eruditionis principatus, in orbe Europæo vigeat.* Quod omnino affirmaverim. Eamus per præcipuas ejus provincias. Hispania haud dubie satis litterata est: Gallia superioris sæculi memoriam doctis viris illustravit, nec adhuc suæ laudi impar amat censeri. Eadem Italiæ conditio: quæ & ipsa non quidem vetustissimam, sed veterem quam instauratis litteris meruit gloriam nondum plane dememinit. Anglia & Hibernia supra pristinam sortem longe longeque caput extulere. Dania & Suedia, numquam litteris cultiores fuere: nec fortasse Polonia. Belgium ad invidiam usque floret studiorum varietate & nobilitate. Et quid Germaniam nostram omitto? quam licet omni sævitia Martis furor attaminaverit, convulserit, imminuerit, nondum tamen penitus *ruit alto à culmine Troja*: sed perstat adhuc quoddam doctrinæ fastigium sive ἀκρωτήριον, quod partibus circumcirca incendio ambesis aut corruptis, veluti miraculo servatum, ostentui jussit esse gentibus Deus immortalis, ut diligenter ac cum mora pristini fati exemplum pariter & orbem, ferme impletum contemplarentur atque observarent. Id quod facile æstimant, qui viros doctos non consuetudine & opinionibus vulgi, sed facta prudenter ingeniorum operumque quibus tractandis divinitus admoventur, tum distinctione tum comparatione & conjunctione, didicerunt indicare. De scho-

 larum

larum multitudine aut paucitate nihil hic dicemus: quarum abusus, ubi crebræ sunt; & exempla industriæ, ubi rariores, ambiguam æstimationem faciunt, cum de fati litterarii summa & profectu quæritur. Si ad instrumenta literarii nominis & paratum attendimus: superbit magnifice Bibliothecis Italia, præsertim postquam spoliis Germaniæ (quam alias contra plerorumque laudes poteramus nominare) priorem pompam amplificavit: æmulatur id institutum Anglus; sequitur, sed ut properet antecedere, Gallus; cum quo Belga concertat. De ipsa doctrinarum copia, perfectione, plenitudine quid dicimus? nonne ad magna & celsa & splendida pervenere? Quod cum dico, non obliviscor eorum, quæ inter excolenda potiùs quàm exculta sunt; non eorum, quæ partim non tentata, partim vix tentata, partim tentando intricata, meliorem fortunam adhuc expectant aut sperant, aut ne sperant quidem. Quorum quantus sit numerus, soli ignorant, qui solidas omnium studiorum rationes ignorant. Verumenimvero perfectam omnibusque absolutam numeris eruditionem non habuit his orbis, non habebit, neque latere potest, cum de summis loquimur, ubi & quo sensu loquamur. Igitur, prout cœpi dicere, tam florentem studiorum in Europa statum, *ratio* nihil minus quàm optima hujus aut cujuscunque alterius *status*, malo omine invasit, hactenusque magno molimine exercet ac debilitat, quæ sicut superioribus etiam ætatibus observari potuit in iis quæ supererant fortunæ publicæ ornamentis, ita nunc alia ejusdem ut fati, ita observationis periodus volvitur, in iis quæ supersunt. Statim enim nobis hic occurrit illud *πρῶτον ψεῦδος* ut Aristotelicam vocem huc accommodem; in quo ceteræ fraudis commenta continentur aut ex eo oriuntur, litteratorum doctorumq; *Ἀντίτεχνοι*. nam & hoc Græcorum lingua dicendum est, qui rotunde exprimunt, illam æmulandi adversandique circa & propter studia libidinem, affectum, consuetudinem, artem. Philosophi civiles, cum inter gentes & in publicis rebus talia usurpantur, *ἀντιπολιτευτὰς*, *ἀντιστασιαστὰς*, *ἀντιπαράτην*, *ἀντισεμνυντὰς*, *ἀντιδοξεῖν* appellant; & Latine *adversarii in gerenda rep. factiosi*, *æmuli*, *inimici*, *malevoli*, *invidi*, *obtrectatores inciviles*, *feroces*, *inquieti* cum similibus titulis, aliquan-

aliquando idem notant. vitium & frequens & diffusum, & insidiosum, & propterea plerumque exitiosum. tollit enim de publico, id quod est publicum, & quo est publicum. Quis itaque non metuat infamem & receptissimum hodie morem, quo ad injuriam studiorum aut contumeliam sufficit, *diversæ gentis esse, aut in diversis gentibus litteris studuisse?* Namque hæc est prima & quasi *generalis ἀντιτέχνης* cujus hypotheses & arcana hæc sunt: *domestica extollere, externa deprimere:* ibi *figuras, commenta, simulacra, inania, speciosa adhibere; hic fastidio, supercilio, mendacio, convitiis, probris uti:* utrobique, *nullam obtinendi instituti rationem turpem ducere:* denique, *de scelere, si occasio & res ferat, pro populari gloria, virtutem & laudem redigere:* quod in reipublicæ administratione non dubitavit Pseudopoliticorum quidam commendare. Ita Græci quondam (res misera & mirabilis!) cum haberent haud dubie eruditionis inter populos principatum, ne non viderentur habere, ceteros omnes magno fastu aspernati insectabantur etiam ut barbaros, adimebantque singulis, quæ cuique debebatur, laudem, cum suam ab omnibus non consentiri modo, sed cumulari quotidie cernerent. donec, fato ultionem meditante, in Romanos migravit tota studiorum felicitas. Sed & hic eodem caussarum eventuumque nexu circuloque felicitatem abusus, & parilis noxa, ream primo, mox exulem fecit. Equidem talio & jus videri poterat, cum Roma contemtoribus Græcis contemtum suum regereret: nisi quod prudentum animis altior fati veneratio insita, quicquid vanitate aut insolentia fortunam irritare consuevit, perpetua cautione damnat ac devitat. Quod si ad recentiora oculum reflectimus quis nescit quæ jam antea posui sine nomine gentis crimina? obtrectare inter se animo, lingua, calamo; deterere aliena merita, sibi famam studiorum vendicare: peregrinam gloriam, ubi palam attrectare non licet, tristi silentio damnare; aut cum alterius, itidem peregrini, injuria, tantisper fateri, dum ipsi inter se commissi, novum detrahendi argumentum præbeant. clarius loquerer, expressis titulis, nisi tam inglorii de gloria certaminis adeo me pridem fuisset pertæsum, ut in præsentia vel instituti

dememinisse videri malim, quàm ea dicere, quæ ingenuis auribus molestiam vel sola mentione possint creare. Illud planius est, quam ut possit negari; indignius, quam ut occultari debeat: Exterorum multos adeo conspirata ambitione in Germanici nominis inuidiam consensisse, ut clam palam laudes nostras imminutum eant. Qui insulse & imprudenter id agunt, ne mentione quidem digni sunt. Doctiores autem quis non miretur, cum Germanorum scripta oblique & aliquando, ut secretius noceant, perplexe arrodunt: cum in aliis, vestem scriptionis accusant, cujus ipsum corpus & solidas vires deberent æstimare: cum, ubi hac quoque parte satisfactum, dissimulatione tam fastidiosa peregrinam eruditionem ulciscuntur, ut quod legerunt, quod utile senserunt, nec legisse nec usurpasse velint videri: cum in suis, ut nova, & sibi primum observata, edunt, quæ alibi pridem sunt copiosius & diligentius pervestigata pariter & in publicum tradita: qualia plura nemo tam obesæ naris est, quin dudum animadverterit. pæne nominatim prodidissem tum alia tum illud insolentiæ peregrinæ invidiæque gentilis insigne specimen, cum in editis alibi Magni viri epistolis, quas ipse ad alios & alii ad ipsum scripserant, ex *Caselianis* pluribus ne una quidem luci reddita est. cujus rei causam non aliam fuisse, quàm quod doctissimi viri patria & gens haud placuit, non conjicimus, sed compertum habemus. Scilicet urebant ambitiosos spiritus luculenta illa bona, quæ Deus Opt. Max. non larga tantum manu Germaniæ obtulit, sed munifica cumulavit. Videbant nuper hujus terræ, imperiique incrementa, imo apicem: ea lumina nolebant suo splendori officere, *hinc illæ lacrymæ:* illa judicii morosi iniquitas, illa malignitatis machinatio. Hoc loco gratulatione prosequendi sunt Germani & miseratione. facit enim augendæ laudi nostræ, quod gnari fastus talis & totiens ad paria provocati, simplici tamen æstimatione cordatoque animi proposito, alienam gloriam & agnovimus semper, nec parce prædicavimus. quanquam cum hujus meriti eventum quærimus, nostra ingenuitate aliorum arrogantiam auximus, atque audaciam nos spernendi intendimus.

Dum

Dum non pauci callide, candorem Germanorum in occasionem, sive in rationem sui status attollendi trahunt. Sexcenta possent memorari ejusmodi artificia, quibus hæc scena instruitur, ut nimirum, quod *Statistis* (concedatur nobis paulisper, ut ita loquamur) proprium & solenne est, *astus astu colatur*, ac persona quam sibi induit illa æmulatio,

—— servetur ad imum

Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Disquirat forte hîc aliquis de remedio & levamento hujus incommodi. quod si ab illis petimus, qui eandem histrioniam in civilibus negotiis exercent, statim in promtu erit vulgatum istud: *adversus vulpem vulpinandum; rationem status, ratione status deludendam; artem arti, fraudem fraudi opponendam: neque aliter hæc sacra constare.* Verum quis non videt, esse hæc dehonestamenta verius quàm præsidia Germanici nominis? cum cujus germana indole ac virtute pugnat, quicquid fucatur coloribus, simulacris obtenditur, inanibus emasculatur, vafritie corrumpitur. Quinimo populare candoris decus & Christianam religionis integritatem professos unum pro omnibus arcanum decuerit: arcanis ejusmodi non indigere aut delectari. Quippe Deum benignissimum & sapientissimum bonorum omnium dispensatorem unicuique genti sua, nobis nostra dedisse. Quorum certam possessionem & securam apud eos, qui aliena non appetunt, sua non negligunt. neque nostra sane interesse, quid alii nos accepisse autument disputentque, dum modo nos semper meminerimus, quid in acceptis Deo ferendum habeamus. non enim splendori ad exteros aut ambitiosos, sed usui patriæ & reipublicæ inter Christianos ista destinari. Præter hæc & talia, fortasse & illud in consilii vicem veniat, quod hactenus equidem me violasse ultro confiteor: dissimulatione & silentio, rem ipsis censoribus & detractoribus nostris, si viri sumus & Germani, molestiorem vindicare, adeoque eadem opera gentilem istam ἀντιτέχνησιν à nobis prorsum amoliri. Quanquam ne sic quidem malarum artium finem attigimus: offertur enim nunc genus non minus triste ἀντιτεχνήσεως, quod & ipsum pergentes passim diffusum, nec minus

minus, imo magis etiam priore noxium, *nomen ab ipsis studiorum disciplinarumque nominibus sortitur:* cum scilicet non ὁμότεχνοι modo & idem literarum genus tractantes fiunt & sunt plerumq; ἀντίτεχνοι, sed præsertim etiam, *qui diverso eruditionis opere occupantur, spernunt mutuo & spernuntur, invident & invidentur.* Theologi, Jurisconsulti, Medici, Philosophi, Philologi, nomina sunt non tam artis & scientiæ, quàm saluberrimæ societatis & amicæ pro republica conjunctionis: sed ratio illa status, quæ cum ambitione in studia irrepsit, factionum & partium titulos facit. Quem ad modum in Civitate, Magistratuum, dignitatum, potestatum officia atque jura non alia magis ratione in distinctionem operis sunt partita, quàm ut instituto operis ac fine in unum conspirent ac collineent. nisi quod, ambitiosa consilia nunquam patiuntur rempublicam esse rempublicam; sed consulatum prætura, præturam consulatu, aut utrumque tribunatu, aut tribunatum utroque, & sic cetera ceteris oppugnant: & dum in singulis contentiose patentia affectatur, universi corporis vires enervantur. Indignum factu! studia in mutuas operas nexu naturali devincta, in amicitiam proprio instituto ordinata; in consensum salutis publicæ Christiana religione consecrata, tantum à seipsis degenerare, ut in dissidiorum, æmulationum, caussas & artificia non raro valeant. ita perit singulis, quod universos nobilitare poterat, publici actus efficacia & religio. in cujus locum quid succedat, & quibus rationibus succedat, differo explicare. Nam & atrocia & fœda sunt, ad quæ deveniunt nonnunquam, qui ex alterius studii ordinisque fama sibi infamiam, famoso timore metuunt; aut obliquæ mentis pravitate abrepti, publici privatique obliviscuntur, dum libidini suæ obsequantur, & obtrectanti cacoëthes expleant. Ac cetera quidem occultius aut insidiosius geruntur: in humanitatis studia & philologiam, velut agmine facto, palam impressio datur: & ne quid ad extremam vim reliqui fiat, linguarum, antiquitatis, historiæ non trivialis illa, sed seria & accuratior tractatio, *ineptiarum, quisquiliarum, stultitiarum* probris à quibusdam traducitur, adeoque id, quod singularis muneris nomine mortalibus semper consuevit imputare supremus sapientiæ mode-

moderator, injurio in Deum hominesque fastu inter rejectamenta despectatur. quæ figura tam prodigiosa est, ut nullius rethoricæ technologia tropum adeo insolentem excusari posse pro comperto habeam. nisi quod *Ratio status*, quam incuso, ut in ceteris à regula & recto abit, ita nomenclatione plane nova & inaudita plerurque utitur. Oportet enim ut talia sint, quæ novam & supra fidem rerum, auctoritatem, scientiam, eminentiam, opinionem cupientibus immensa animis apud homines conciliare debent. Sed, non revelo *τούτου τοῦ παραδόξου τὸ ἐγχειμαλισμένον, καὶ ὑπερηφανὲς καὶ κρύφιον, καὶ κακοπραγὲς, καὶ τοῖα ἄλλα.* Properandum enim est ad tertiam *ἀντιτέχνησιν*: *quæ titulorum est & honoris litterarii.* cum antiquitus jam obtineret, ut egregii labores, præcipue publici, tum aliis præmiorum generibus, tum quibusdam præmiorum testimoniis & mansuris in meriti honorem cognomentis ornarentur: æquissimum erat, præstantissimis quoque laboribus & utilissimis (tales autem sunt litterarii) istud decus non denegari. Ea Magistrorum, ea Doctorum, per quos pleraque in studiis hodie geruntur, origo. Salva utrisque dignitas & tranquilla, si de dignitatis causa usuque constanter cogitassent. sed initium injuriæ à potentioribus factum. Hi cum plus titulum, quàm eruditionem aut merita sua in animo & ore haberent, eademque existimandi ratione erga alios uterentur, cœperunt aliquando viros præstantissimæ eruditionis &, si exciperes minoris tituli insigne, cetera innoxios nec privatim aut publice male meritos despicere, vexare, subsannare, deniq; (nam huc sum̃a ejus arcani redit) infra fastigii sui majestatem alte deprimere ac ferociter contundere. quid sibi voluerit amplius istud institutum, nemo nescit. Pupugit ergo cordatorum quorundam indolem: neq; ferendum videbatur, honores eruditionis & insignia super ipsam eruditionem æstimari. esse quædam studia, quibus licet minores aut nullos titulos consuetudo decreverit, non minor interim labor impendatur, sed nec emolumentum in republica minus debeatur. aliud in juvene præmiis donatum, aliud in viro æstimatione & pretio dignum. quot præterea reperiri, qui, variis de causis, titulorum insignibus vacui, ingenio, meritis, doctrina, nemini titulis splendido concedant, sed nec raro tales superent. Servaretur sane gradus

dus & ordo, & præſtantiæ differentia: ſed citra injuriam aut fraudem perſonæ, functionum, ſcientiarum, quas nec pendere à nominibus magnis, nec obumbrari debere. Dicemus, hactenus bene philoſophatos, qui intra modeſtiam & teſtationem ſuæ injuriæ ſubſtitere. ceteros in vitii alieni, quod damnabant, affinitatem nimium admiſſus intra præcordia retentusque dolor egit, & de ἀνλιτραγίᾳ nequaquam laudabili commonuit. in poſterum enim titulos ſolennes & Academica honeſtamenta ludibrio vexarunt, riſu & ſatyra notarunt, odioſiſſimaque abuſuum exagitatione rei totius ſplendorem obſcurarunt. Atque hæc ſecta ſpernendorum nominum magnis nominibus ſe approbaſſe viſa eſt. inveniasque, qui non parum ſuæ gravitati ſe arbitrentur velificari, ſi feſtivis ex occaſione dicteriis ceteroque arrogantiæ apparatu, in honeſtiſſimos ritus & cæremoniam invehantur. Qua re duo potiſſimum aſſequi contendunt: ut adverſarios, quos ſibi conſtituere, premant & poſſeſſione ſolitæ laudis depellant; tum ut declinando in extrema, dum longiſſime ab invidioſa titulorum affectatione & uſurpatione videntur remoti, non tam nullis quàm aliis nominibus gloriam ſibi comparent. Quali ferme aſtutia, Auguſtus cum dictatoris & Regis & Domini honores ac jura reapſe obtineret, diligentiſſime & cum averſatione nomina ipſa abnuit, diverſiſſimoque Principis vocabulo vim dominationis totam corripuit & complexus eſt. Notari procul dubio pridem potuit, me in evolvendis magni illius ſophismatis literarii, quod ἀντιτεχνήσεως appellatione hactenus indicavi, artibus, calliditatibus, adminiculis, ſubſidiis, momentis deniq; illius νίκωως ἀνλιῤῥόπω, feſtinanter, adeoque parce ac perfunctorie verſari. Imperat mihi hanc rationem dicendi, temporis anguſtia, argumenti amplitudo, veſtrarum aurium reverentia quæ diutius detinendæ non ſunt aut delaſſandæ. Alias per hoc veſtibulum ingreſſi, litterarios ſtatiſtas (perſeverabo enim ita loqui) in ipſis conciliabulis ſuis adytis, inter arcanas callidasque proviſiones, & immanium molitionum meditamenta poteramus deprehendere. Pompejum alicubi & Cæſarem, quorum nec ille parem, neque hic poſſet ſuperiorem ferre, ſuæ furiæ exercerent, atque ad obtinendum per miras artes eruditionis in regno litterario principa-

cipa-

cipatum, sive ejus famam stimularent. Alibi cerneremus ingens & prodigiosæ molis cœptum, cum insolentissimæ atque violentissimæ παντεπιστημοσύνης titulo & imagine assumta, aliquis audacia pro jure usus, omnes doctrinas, scientias, artes repentino & arbitrario dominatu terreret aut attentaret. cui consilio quod comparem non reperio aliud, quam infaustum illud infestumque Hispanicæ Monarchiæ idolum, quod terriculamento gentium prostituere studuerunt, qui omnium & rerum & hominum dominum esse Hispanum, turpius an superbius aut iniquius, non dixerim, jactitarunt. Licuisset quoque eruditorum qui usquam sunt, unam veluti civitatem constituere: pone[illegible] ea ordines; distinguere senatum, notare equites, præfi[illegible]magistratus, partiri populum. in hac equiti sua adversus Senatorem, huic adversus illum & populum arcana; in hac, essent, qui exemplo Octavii Romani, modo senatus modo populi favorem indeque potentiam ambitiose affectarent; qui cum Curione procellas populares excitarent, cum Cæsare senatui imponerent, cum Tiberio omnes ordines simulacris & inanibus suspenderent & sensu ejus, quod ageretur, diverterent. Nec disconvenirent instrumenta, quibus quisque spei suæ tenderet. Satellitum numerus & nationes & artes: jactæ in vulgus voluptates & ludicra & missilia, quibus plerique hodie supra doctissimorum præconia provehuntur. grandia nomina, speciosi prætextus; magnifici oris spiritus, & aliquando non minores minutiloquii insidiæ. inita, quoties conduceret, cum impiis fœdera, rescissa apud bonos. blanditiæ apud simplices; minæ apud vividos & erectos. ingentia magnorum & utilium operum promissa, quæ ne attrectare quidem destinavit interim promissor. publica altercatio: intestina bella, clades, tumultus, pax rursum, & in ea technæ armorum. Hujus generis pleraque ad instituta & exempla Politicorum, quibus occulta & vafra, qualem Florentinus veterator non formavit (quæ enim resp. non sensit hanc labem?) sed in publico laudavit, *ratio status* tanquam artis compendium placet, possent non inconcinne examinari contendique. ut intelligeretur denique ac judicaretur, de fato totius status litterarii: cujus dum intima hic morbus pervasit, quod proximorum præsentium-

 que

que documentis temporum liquet, prudentibus non immerito suspecta est futurorum conditio & formidolosa. quam divinationem ut plane patiantur irritam esse, prodigia nostræ, eventa antiquioris ætatis, valde veremur. præsertim cum accedat insaniendi pereundique obstinatio, justaque & certa Dei talia aversantis indignatio, quæ rerum quarumcunque statum solenni lege & more convertit aut subvertit, quoties *perversa illa ratione gubernandi status* irritatur. Quod si enim aliquis mori potius hominum & consuetudini artium isthæc tribuenda, adeoque nulla hinc majoris rei autumat præsagia petenda, is mihi negligentibus & imperitis in scena spectatoribus similis esse videtur: qui inter dramatis actum non cogitan[illegible] dramatis καταστροφῇ, & in ipsa catastrophe actum omne[illegible]n dememinere. Sed nec proxima & quæ in partibus geruntur suffecerit cordato sapientique viro observare. licet enim singularum gentium, civitatum, locorum fortuna, multa trahat ex causis & similitudine universi fati: longe tamen alia & altior philosophia est, quæ summas rerum & contextum illum ampliorem complectitur. ex quo plenius nimirum & uberius de divinæ providentiæ operibus, de divinorum operum prædictionibus, de tota denique prudentia judicium fieri potest, & acquiri disciplina. Fueritque hæc veluti Academia prudentiæ; sicut inferiorum scholarum & particularium, quas vocant, in rerum particulis cognoscendis imago quædam statui potest. Sed nos manum de tabula. in qua rudes & primores tantum lineas signavimus: *incedere in re litteraria & scholastica pravum morem, & perversam status tam nobilis agendi rationem, publico inimicam, privata cujusque libidini opportunam, plenam superbia, invidia, æmulatione, arrogantia, vecordia, injuria, calumnia, jurgio, ceterisq. malis, adornata in diversos vultus specie vafre dissimulatis, eoque nocentioribus cujus lex suprema sit, adversari mutuo & ἀντιπράττειν, ita convelli intestino vulnere societatem doctrinarum & firmitudinem regni litterarii: quod & ample diffusum, & splendide auctum ornatumque, dum malis artibus regitur, singulare periculum & conversionem minari: præsertim cum magnitudo per se onerosa sit & lubrica & sæpius fatalis.* Faxit æternus universi fati litterarii moderator, ut ἀντιτεχνήσεις tam ominosa

&

& ἀνδρεία (quam paganismi characterem & veluti notam propriam Sancti quondam Patres judicarunt) ex orbis Christiani visceribus bonæ piæque mentis artibus expellatur, supremaque doctorum & nostra ratio status sit; status inquam administrandi, tuendi, firmandi, amplificandi; *Deum nostri status auctorem venerari, & rectorem invocare, & inspectorem revereri, & judicem metuere.*



COMPARATIO MILITIÆ VETERIS ET NOVÆ.

BEllorum originem tristis quidem primi Auctoris memoria infamat, humanæ verò Societatis securitas eorundem necessitatem ultrò commendat. Bellum enim gerere, licet nonnulli, aut ex mitioris mansuetudine ingenii, aut aliis ex caussis, olim iniquum judicarint, tamen experientia testatur vim injustam non nisi armis interdum ab aris & focis posse depelli. Nemo igitur hodie dubitat, quin hostibus obviam eundum, impendentia pericula magnanimitate propulsanda, Patria Parentesque armis tegendi sint. Quo factum, ut omnes Gentes artem militandi crediderint necessariam, inque ea subinde aliquid novi attulerint, & quasi inventis bellorumque usu, alter alterum æmulatus fuerit. Possent quidem adduci Nationes vetustissimæ, Assyrii nimirum, postea Persæ, tum quoque Græci, ut præcipua magni in re militari studii exempla; sed Romani in suam militiam omnium Gentium priorum inventa conduxisse, eamque novis quoque commentis auxisse videntur. Siquidem divina providentia huic præsertim Monarchiæ plurima maximaque bella gerenda attribuit. Itaque celeberrimus Scriptor militaris *Vegetius* sibi temperare nequit, quin in hæc verba erumpat initio sui operis: *Nulla*, inquit, *aliâ re videmus Populum Romanum orbem subegisse, nisi armorum exercitio, disciplina ca-*

ſtrorum, uſuque militia. Quid enim adverſus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuiſſet? Quod adverſus Germanorum proceritatem brevitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidem non tantùm numero; ſed etiam Viribus corporum noſtris praſtitiſſe manifeſtum eſt. Aphrorum dolis atque divitiis ſemper impares fuimus, Gracorum artibus prudentiaque nos vinci, nemo unquam dubitavit; ſed adverſus hac omnia profuit ſcientia rei bellica. Quæ jactatio ad rem penitius inquirendam ac ponderandam, me quoque invitavit: An hæc bellandi ſcilicet peritia, quoniam ſucceſſu temporis pleraque immutata ſunt, adhuc floreat, aut ſupra priorum inventa, aliis exculta acceſſionibus, ad majorem perfectionem perducta ſit?

Volentibus igitur conſiderare Veterem & Novam Militiam, altera alteri quid præſtet, attendendum eſt: *Primò* ad apparatum & inſtrumenta militiæ: *Deinde* ad Vires Ducesque & Milites: *Denique* ad Conſilia belli, artesque. Apparatum dicimus copias, res neceſſarias, inſtrumentaque belli, ut ea ſemper proviſa, parata ſint. Non autem hic agemus de adminiſtratione ærarii ſeu pecuniæ, quæ nimirum peculiarem exigit diſquiſitionem: ſed paucis verbis tantùm attingemus ea, quæ ad comparandum prius, quàm gerendum bellum pertinent. Quàm verò induſtrii hâc in re fuerint Romani, etſi Exemplis non paucis docere poſſemus, tamen nobis ſatis erit, ſub exemplo tantùm Miſithei prætorii Præfecti, hanc induſtriam propoſuiſſe. *Nam hujus Viri tanta in Republ. diſpoſitio fuit, ut nulla eſſet unquam Civitas Limitanea potior, qua non poſſet Exercitum populi Romani ac Principem ferre, qua totius anni in aceto, frumento, & larido atque hordeo & paleis condita non haberet: minores verò urbes alia triginta dierum, alia quadraginta, nonnulla duorum menſium, qua minimum quindecim dierum.* Quæ diſpoſitio admiranda nobis videtur, ſi ponderamus omnia oppida ita fuiſſe inſtructa, ut majora per totius quidem anni ſpatium; minora autem ad tempus aliquod pro toto videlicet quodam Exercitu, copias haberent præparatas: ſed augebitur admiratio hujus apparatus, ſi tempora conſideramus, quibus illud à Miſitheo ſub Gordiano nimirum Imperatore effectum eſt, cùm jam priorum Principum vitia Rei-

Capitolinus Gordian. 3.

Reipublicæ dispositionem non parùm corrupissent. Ne autem hic Præfectus Prætorii solus videatur admirabilis, intelligi etjam debet, hæc ab illo fuisse procurata, imitatione meliorum temporum & Principum. Scimus enim, imò historia abundè docet, Augustum Imperatorem, ut omnium bonorum ferè in Republ. exemplorum, sic etiam hujus longè antea Auctorem extitisse. Nam ille minimè ignorans tantam Imperii molem sine Exercitibus stare non posse, omnia providentissimis dispositionibus ordinavit. Cujus rei *Dionem*, *Suetonium*, aliosque gravissimos Auctores habemus. Sicut igitur huic Principi cura in defendendis terrestribus limitibus magna, ita nec minor in tuendis maritimis fuit. Ut enim Classes semper in procinctu haberet, duo Castra navalia, alterum ad Misenum mari nimirum infero, alterum autem ad Ravennam mari scil. supero constituit, dato utrique Classi præfecto, vel Admirallo, (ut hodiè loquuntur) cum sex armatorum millibus. Hi universi Maris mediterranei curam agebant, ut Conatus Prædonum primo impetu opprimendo Mare tutum redderent, aut si hostium Classes se commovissent, in promptu essent, aut si qua expeditio Mari facienda esset, ad hæc duo loca Conventus Nautici indicerentur. Vide Thom. Rivium lib. 1. Hist. Naval. med. c. 3 & 4.

Denique propriè hùc pertinet magna illa & incomparabilis, & à prudentibus apud *Tacitum* summis laudibus ornata dispositio, quâ nimirum *Legionem*, *Provincias*, *Classes*, *cuncta inter se connexuit*, atque ita Imperium tum armis septum reddidit, tùm obtinuit quietum. 1. Annal. 9. & sicut hæc dispositio imperium Romanum munivit, ita postea ejus neglectio multa magnaque incommoda attulit. Sublato enim præsidio militari, factum est, ut ingentes barbarorum copiæ ripas Rheni & Danubii Legionum præsidiis nudatas trajecerint, viciniores que sibi Imperii occidentalis provincias invaserint. ita Franci & Burgundiones Gallias; Hunni & Gepidæ Pannoniam, & Illyrium & reliquas cis Danubium Germaniæ vicinas Provincias, atque alii alias invasere, ita ut sola in Imperatorum occidentis ditione relicta esset Italia. Onuphr. præf. lib. 4. fast. Quàm igitur ordinarii milites præsertim magnis Imperiis, necessarii sint, ab Historicis quoque indicatur, notato hâc in re Parthorum errore, qui, cùm potentissimi essent, Herodian. lib. 3. 1. x.

essent, numero, opibusque, tamen plurimum ipsis in bello nocuit, quòd ingruente bellandi necessitate, nullum ordinarium militem habuerint; sed tumultuariam manum coacti fuerint colligere. Quapropter laudandus est *Lipsius*, quod prudenter ordinarios ac subsidiarios milites distinguit, & utrosque magnis Principibus, ut decus in pace, & præsidium in bello commendat. Sed ad instrumenta belli præsertim etiam pertinent ipsa arma & machinæ militares. quippe multum referre quo armorum genere aliquis utatur, patet ex *Livio* in aureâ illa egressione, ubi Alexandri Macedonis & Romanorum militiam comparat hisce verbis: *Arma, Clypeus, Sarissaque Macedonibus: Romano scutum majus corporis tegumentum & pilum haud paulò quam hasta vehementius ictu missuque telum.* *Tacitus* verò in describendo Romanorum cum Germanis prælio, notabili comparatione id observat, cum inquit: *Nec minor Germanis animus, sed genere pugnæ & armorum superabantur.* Longum esset percensere, fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, clibanarias, hastarias, ballistarias, quæ magno numero provinciatim sub Imperatoribus Romanis instruebantur. Neque Machinas & opera oppugnandis aut defendendis muris reperta, arietes, testudines, Vineas, pluteos, musculos, sambucas, tollenones, balistas, scorpiones, variasque turres hîc prolixè referre vacat. Quippe hæc in obviam notitiam posuere, ex antiquitate quidem *Vegetius*, è recentioribus in Poliorceticis suis *Lipsius*. Sed illud hîc statim utilius fuerit disquirere, quænam sit horum Instrumentorum cum modernis comparatio. Incipiemus enim ab eo, quod ultimum posuimus, ut ad primum retro veniamus. Non desunt inter viros doctos, qui existimant, machinas Veterum bellicas & arma idem præstitisse, quod hodiè præstant bombardæ, ac tormenta pilas murales jacientia. Ita sentiunt eâ de re celebris ille Italus *Scipio Amiratus*, è Gallis quoq; idem argumentũ in discursibus militaribus & Politicis ad Tacitum tractat *Laurentius Melliet*, *nec gladiis*, inquit, *nec pilis muros perfringere ullæ manus possunt, præsidium igitur à machinis bellicis sumendum, quarum etiam Veteres invenére & varias & effectu admirandas. Nam inter eorum instrumenta ad jaciendos magnos lapides & subruendos muros*

V. Pol. I.

Laur. Melliet. in discurs. milit. & Polit. ad Tacit. pag. 9. discours quatriesme, que la difference des armes &c.

Lib 9. c. 19

II. A. 22.

pag. 702. douzieme de l'utilité de 5. Canons.

ros

ros fuit & balista, quæ tàm graves emissiones habuit, ut nihil tàm longinquum quin subrueret, & instar fulminis penetraret ac perrumperet id in quod incideret. Cujus rei locupletes testes erunt balistæ illæ, quibus Batavi in obsidione Veteris Romani Castelli usi, magna præstitére. Nam excussa, ait Tacitus, balistis saxa stravere informe opus. & Corbulo expugnavit uno die Volundum, immittendo nimirum vibrandoque missilia candentia, ac faces ardentes; sicut hodie nostri glandes sclopetarias jaciunt. Quibus exemplis & compluribus aliis balistæ & machinæ veteres, quanquam nostris tormentis diversæ, tamen eosdem ferè effectus habuisse & præstitisse videntur: nimirùm in evertendis turribus, perfringendis muris, cædendis hominibus, & defendendis locis. Ita hactenus ille. Sed sanè multa in contrarium dici possunt, quæ ostendant Sclopos sive fistulas, & tormenta majora longè celerius & facilius ea efficere, quæ Veterum tormentis tardè & ægrè, aut ne quidem efficiantur. *Laonicus Chalcochondylas libr.* 5. de rebus Turcicis, ubi Bombardas describit, ad commune orbis judicium provocat. *Orbis*, inquit, *judicat, bombardas, arma & munimenta esse optima, id est, accommodatissima instrumenta, & ad inferendum, & ad propulsandum bellum.* Id quod aliis in locis, repetitis bombardarum elogiis ostendit: sed & illud magnum est præstantiæ argumentum, quòd à Germanis in totum terrarum orbem progressus est bombardarum usus, cunctis scil. Gentibus priora arma huic invento posthabentibus. Jam, quid de cuniculis dicemus? quorum usus Veteribus non quidem planè incognitus fuit, sed reverà nihil habuit, quod cum nostris Cuniculis comparari possit: quando ignea & sulphurea ex abdito vis ingentes moles, munimenta, propugnacula, arces, maximosq; montes subruit & in aërem dissipat. Admirabile hoc inventum immittendi pulverem tormentarium Cuniculis militaribus plerique adscribunt *Petro Navarro Cantabro*, qui scil. in arce Luculliana, quæ ovi dicitur, propè Neapolim primum specimen ediderit. Sed *Franciscus Georgius Senensis* primum excogitavit hoc genus militaris machinæ, à quo *Petrus* ille *Cantaber* didicit. Sicut collatis, quæ hâc de re scripserunt *Cardanus* & *Guicciardinus* conciliarunt *Vannochius Birunguccius* & *Gerhardus Joannes Vossius*

Vid. Guicciard. lib. 6. Histor.

Theol. Gentil. lib. 2. c. 63. fin.

sius. Nihil dicam de armis cæteris gladiisque, quos videas comparantem apud varias nationes, & dijudicantem, *Laonicum Chalcochondylam*, quem suprà laudavimus. Cæterùm, quod ad connexionem Virium militarium attinet, haud dubie nullum exemplum in recentioribus historiis dari potest, quod undiquaque cum Augusti ordinatione possit conferri. Sicut nec copiarum, armamentariorum, officinarum dispositio ad Misithei exemplum, & Veterem Romani Imperii formulam accuratè respondebit, si Regnorum statum à propioribus seculis inspiciamus: negari tamen non debet maximis quibusque regnis usque in hunc diem magnam talium dispositionum curam fuisse. Sicut eâ de re breviaria & instrumenta publica leguntur. Ita de Galliâ memorant, non minus victu atque armis instructam, quam populosam semper fuisse. Nulla enim Civitas (ut est apud Scriptores ejus Regni) limitanea est, quæ non sit munita, præsidiis firmata, & armis, tormentis, aliisque ad bellum necessariis instructa. Nervus autem militiæ Gallicæ in milite terrestri positus, & quidem magis in equitatu, quàm peditatu cognoscitur. Nam equestres copiæ sunt omnes nobiles, qui nimirum certo equorum numero pro opibus beneficiarii prædii præstò esse, & Principi operam militarem navare tenentur, & quia nobilium numerus magnus, itaque nec minor quoque equitatus habetur. Sed hæc de Galliâ: nunc de Hispaniâ. Cujus Monarchiæ membra jungi pridem poterant viribus maritimis. Rex enim, duobus Castris navalibus, mediterraneo & Oceano mari constitutis, omnes status, quos in Europâ & novo Orbe possidet, unà junctos tenere solebat. Quid verò adhuc nuper Hispanus mari potuerit, remittunt nos plerique ad apparatum illum Anno Christi M. D. LXXXVIII. factum, quo scil. tempore illam *Invincibilem* vulgò dictam, Classem extruxit contra Angliam. Sed non absurdè huic dispositioni maritimæ terrestris quoque æquiparari videtur. Præter enim pedestres copias, etiam multas equestres alere Rex solet, nimirùm in Hispaniâ, & aliis in locis sex millia equitum, quorum numerum ingruente bellandi necessitate, facilè in majus excrescere posse Vasallorum, quos vocant, officio cognoscitur, qui numero utique non pauci, servitia bellica Regi præstare omnes tenentur.

[Margin: lib. 7. — Vid. Les Estats Empires & Principautez du Monde.]

Vene-

Venetorum quoque in re militari fertur eximia dispositio. inter omnia enim benè composita, elucet etiam armamentarium admirandum tàm ob amplitudinem quàm ob ædificii magnificentiam, apparatumque omnium rerum necessariarum. Alienum autem videtur hîc prolixe illud describere. quippe in hac Martis officina laudanda, accuratèque delineanda consensit compluriumm industria. Satis igitur nobis erit uno verbo indicasse simile ejus non reperiri per totam Europam. Et quoniam placuit nonnullis opinari Galliam & Hispaniam esse quasi lances in Europæ librâ, & Angliam lingulam sive libripendem; itaque duabus illis lancibus, ut ipsis placet, hanc lingulam adjungemus. Videtur igitur Anglia minimè invidere cæteris regnis apparatus suos. quippe mari & terrâ Vires in promptu habet, ad propulsandos omnes insultus externos: quadringentarum enim navium anchoris patriam semper niti, jam olim gloriatur Britannus; & hosti ingruenti opponi posse Exercitum centum millium peditum, & viginti millium equitum quoties quinquaginta Comitatibus miles imperatur, in breviariis Anglicis habetur. Et quid de bellicosissimâ nostrâ Germania dicemus? quæ illas lances, quas diximus, suâ manu poterat librare, si suis uti Viribus constanter & concorditer perseverasset. sed nescio an semper satis diligenter provisio ejus rei administrata sit. Nobis per modestiam non licet, in ea, quæ captu nostro majora sunt, odiose inquirere. Recordamur tamen gravissimi illius Consilii, quod *Augerius Busbequius* superiori seculo, de re militari contra Turcam instituendâ, diligenter perscripsit. Ubi castigatâ hujus rei negligentiâ, prudentissimè suadet, ne quiescant Germani, donec ad minimum præter ordinaria præsidia, duodecim millia ex Germanis delecta habeant, eaque diligenti armorum exercitio ad omnes usus belli condocefaciant. Idque vel Turcorum exemplo, quorum imperium virtute & numero Janizarorum tanquam parato semper, expeditoque præsidio unicè firmatur. Claudemus hunc locum illo *Xenophontis* dicto, cùm inquit, *eos qui semper in promptu & expedita habeant arma, hoc consequi, ut amicos habeant multos, inimicos nullos.*

Camden. in Elisab.

Accedendum nunc est ad milites & duces, quorum virtute & consilio res militaris administratur. Atque si de Europæis Gentibus loquimur, apparebit nondum eas degenerâsse à veteri virtute & militari confidentia. Licet enim fortasse una & altera Gens antiquæ laudi bellicæ minimè par sit hodie, tamen nolumus nunc talia odiosè disquirere: cùm certum sit (ut rectè animadvertit *Lipsius*,) è quavis Europæ parte non minus hodie, quàm olim posse manum bellis aptam congregari. Sed illud in dubio est, an ea, quibus milites boni fiunt, æque nunc ac olim in usu sint? Delectus enim est & disciplina, quibus militi robur, militiæ decus conciliatur. Hinc Veteres fastidiosè legisse milites intelligimus. minimè enim ignorantes fundamentum Regni Romani in prima delectorum examinatione consistere ponderabant in milite patriam, ætatem, corpus, animum, vitamque. quem postea armis simulatâq; pugnâ exercebant, & non minus ad ordinem agminis, quàm ad imaginem omnem præliorum assuefaciebant, ut quæcunque evenire in acie atque præliis possunt, omnia in campestri meditatione prænosceret. Quibus exercitiis atque variis laboribus induratus miles non minùs sua arte, quàm virtute hostem profligabat. Hic jam videmus nostram ætatem longo intervallo esse inferiorem. de quâ re, quoniam nolim mihi ipsi censuram sumere, adhibebo duorum eruditissimorum Virorum judicia *Lipsii* & *Hermanni Hugonis*. quorum ille, cùm ad delectum describendum accedit, respectu nostrorum temporum ita loquitur. *delectus quæ forma apud nos? nulla. Emunt militem non legunt, ut queritur apud Tacitum Galba. Pecuniola proponitur, tympanum strepit, & ecce coeunt aliquot inter se ignoti, ignorantesque. Purgamenta urbium suarum, vocat Curtius. quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est. Pleriq; profectò tales (nam omnes absit ut culpem) aut si qui melioris notæ, immixti facilè abripiuntur, & velut obducuntur, à reliqua illâ face.* *Hermannus* autem *Hugo*, cùm de equitum delectu vult agere, cum gemitu orditur: *Quo abiisti*, inquit, *priscum militiæ decus? Eques legi quondam solebat virtute, nobilitate, robore, quid nunc? ô mores! Eques non legitur, sed quivis de trivio arripitur, nullo discrimine, lixa an calo, Vibices dicam, an vomi-*

lib. 5 polit. cap. 10.

V. pol. 8.

Milit. equestr. lib. II. cap. 2.

mi-

micas Martis nostri? Et posteà *Lipsii* quoque descriptionem adfert, suoque judicio approbat, inquiens: *Non potest Lipsio odium conciliare tàm certa notaque Veritas: vident, fatentur omnes, adeoque si rediret junior aliquis Africanus, pullo se indueret sago, & perambulans castra, diceret; lugere se infamiam Exercitus.* Neque circa disciplinam melius res geritur hodie. Hinc tot querelæ: & deplorationes Scriptorum rei militaris, cùm de disciplina tractant. Itaque haud dubiè Metellis & Corbulonibus opus, qui res lapsas instaurent, & militiæ decus suum restituant. Quorum ille (Metellus) majorum disciplina laborare coëgit exercitum sibi à Sp. Albino Proconsule traditum inertem, imbellem, neque periculi, neque laboris patientem, violentum ad prædas, & ignavum ad prælia. Itaque is exercitus (ut cum *Sallustio* loquar) *prohibendo à delictis magis, quàm vindicando confirmatus, & edicto adjumentum ignaviæ sublatum fuit.* At Corbulo non minoribus fertur laudibus apud *Tacitum*, quàm Metellus apud *Sallustium*: Cujus præsentiâ *legiones operum & laboris ignaræ, populationibus lætantes veterem ad morem reductæ* videbantur. tales, inquam, Viri nobis hodie optandi sunt, quoties tristi oculo cum Lipsio intuemur Duces sine imperio, & milites sine obsequio, inter disciplinam negligentes aspernantesque: adeò ut Imperatoris munus, & militis officium de historiis vel libris potiùs repetendum videatur, quàm ab exemplis. Sed quid, si Julius aliquis se nobis hìc opponat, & milites laxè etiam habitos benè pugnare posse affirmet? Notum est illud Julii Cæsaris apud *Suetonium* qui, cùm omnem passim lasciviendi licentiam militibus suis permitteret, jactare solebat: *milites suos etiam unguentatos benè pugnare posse.* Et sanè, frequens hodie est ista cantilena, utinam magis decora. Nam Julii Cæsaris exemplo se tueri non possunt, qui animadvertent Julium Cæsarem per bella præsertim civilia illaudabilem illam indulgentiam adhibuisse. neque sufficit fortiter gerere bella, nisi & sine turpitudine gerantur. Æternam infamiam habent Ottonianorum ac Vitellianorum temporum bella, in quibus an plus fuerit acerbitatum, an verò libidinum, dubitant scriptores. In bonorum Virorum animis eò tristior est

XI. A. 18.

in Iulio c. 67.

est hæc cogitatio, quia Turcarum barbaries, quoad disciplinam militiæ, longè minus barbara est: adeò, ut sæpè licentia Christianorum exercituum, occasionem victoriæ immanissimo hosti aperuerit, sicut Historiarum monumenta abunde pro nobis loquuntur. Conferunt alii culpam non levem hujus rei in certas nationes, quasi præ cæteris intractabiles, & exaudiendis Imperiis inassuetas: Unde *Thuanus* descriptionem prælii inter Nassovianos & Hispanos apud Monacum tali clausulâ finit: *tanta Victoria Hispanorum præcipuè virtute parta, fructum eorundem insolentia corrupit, dum complurium mensium stipendia per seditionem reposcunt: quod illis post pugnam ut Germanis ante pugnam solenne est, exitioso pariter exemplo & exitu, cum & alteri rei bene gerendæ occasionem adimant, alteri re bene gestâ, ut successu careant, efficiant.*

Thuan. lib. 19.

Progrediendum nunc est ad Duces, quorum tàm illustria apud Veteres præfulgent nomina, ut fortasse obscurari videantur primo aspectu hodiernæ militiæ laudes. Videmus Romanos Scipiones, & postea Julios, Augustos, Tiberios, viros omnibus artibus instructissimos, qui juxta armis & studiis clari, ut corpus periculis; ita animum disciplinis exercuere. Nihil quod ad morum politiem, quod ad Sapientiæ apparatum, quod ad actionis solertiam atque promtitudinem pertinet, in ipsis desiderari potest. Quicquid *Onosandri Strategici* præceptis docetur, id Cæsar aliquis exemplo exhibet, sicut rectè existimavit Gallus ille, qui ex militia Cæsaris delineavit Ideam perfecti ducis. Et fortasse haut paulò efficacius docet, qui tantorum Ducum personas, loco omnium præceptorum proponit, exponitque. Interim tamen, si eamus ad Philosophorum quoque Scholas, & ex *Cicerone* aliquo innumerabilium, quibus Duces eminere debent, artium copiam admiremur, semper nobis exempli loco Vetustas prædicabit viros omni bellorum fortunæque genere exercitos, quibus labor in negotio, fortitudo in periculo, industria in agendo, celeritas in conficiendo nunquam defuerit: qui innocentia, temperantia, fide, facilitate, humanitate nemini cesserint, quorum actiones semper gubernaverit ratio: nunquam præcipitaverit temeritas: quibus ad res maximas gerendas divinitus adjuncta fortuna præsto

Vellei. lib. 1. c. 13.

Le parfaict. Capitaine.

Lipsi. lib. 5. cap. 15.

ſto fuerit; quorum nomen apud hoſtes, apud cives plenum auctoritate & veneratione perviguerit.

Verumenimvero, ſi in his tantùm hæreamus, neque recentiorum quoque temporum Heroas admiremur, fortaſſe non immeritò aliquis nobis illud *Taciti* objectabit: quòd *vetera extollamus recentium incurioſi*. 2. Annal. cap. 88. Non jam dicam, Vetuſtatem nimis interdum indulgere amplificandis ſuis laudibus (maneat enim per nos & perennet intacta priſcorum ducum gloria) ſed profectò vel ſoli Impp. Romani, ex quo imperium translatū eſt ad Germanos, ſuppeditare nobis poſſint illuſtriſſima exempla omnigenæ laudis artiſque Imperatoriæ. Quis enim neſcit quanta belli fulmina fuerint Ottones, Henrici, Conradi, Friderici, Caroli, aliique, quos melius æternus Annalium honor, quàm noſtra prædicatio commendat. Quodſi hic ad aliarum Gentium Reges aut inferioris conditionis duces, qui ſub magnis Regibus, Principibuſque militavere, egrediendum eſſet, facilè appareret, nullam omninò ætatem in hunc uſque diem præteriiſſe, quæ non militarem gloriam in perfectiſſimis Ducibus viderit. Magna quidem eſt diverſitas, multique gradus laudis Imperatoriæ: ſed quomodocunque aliquis vetera cum recentioribus velit contendere, non deficiemur exemplis, quæ opponamus. Itaque, quantum ad Heroas accuratè & eruditè ſic appellatos attinet, veriſſimè utique omnibus agnoſcendum, nobis prædicandum eſt, Deum non antiquis tantùm ſeculis; ſed ſingulis quoque ætatibus ſuos dediſſe Heroas, non pacis modò, ſed bellorum quoque artibus eminentiſſimos. ſed quia hæc illuſtrium virorum monumentis & hiſtoricis elogiis ſunt prodita, non opus eſt huic vel narrationi, vel prædicationi immorari.

Venimus nunc ad conſilia arteſque militiæ: In quibus multùm ſanè laudis Veteribus partum eſt: ſed ſi rectè rem volumus æſtimare, ne hac quidem parte inferior erit recens militia. Quod, ut rectè intelligamus, paulo diſtinctius agendum erit; referuntur enim illa conſilia arteſque militiæ, partim ad conſuetudinem famamque bellandi ordinariam, & ad uſitatum bellica munia adminiſtrandi morem: de quo non opus eſt hîc verba facere. Quis enim non videt omnes artes

&

& consilia in veteri militia usurpari solita, hodiernorum quoque Ducum, militumque exemplis contineri. Idque eò magis, quia recentiora secula omnem vetustatis memoriam in conspectu habuerunt, indeque quicquid usui esset, hauserunt, sed etiam, ut est facile inventis aliquid addere, novis subinde accessionibus cumularunt. Itaque eximiè huc pertinet illud Taciti; *non omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis & artium imitanda posteris tulit.* Quinimò certum est, nullum seculum adeò esse sterile, quod non aliquid tanquam proprium munus ac inventum ad posteritatem transmittat. Jam, si consilia artesque belli ponderemus, quatenus à singulari quadam animi solertis ingeniique dote procedunt, absurdus sit haud dubiè, qui divinam in exornandis recentiorum temporum ingeniis benignitatem putet defecisse. Denique, si exemplis certandum sit, (nam maximè valida est in talibus declaratio) assumantur Veterum strategemata: evolvantur *Frontini*, *Polyæni*, qui callida veteris militiæ consilia artesque & furta belli memoriæ prodidere. Hæc inquam, conferantur cum recentiorum temporum strategematis: apparebit iterum, nihil habere Veteres quod nobis objiciant, aut in quo nostra fastidiant tempora.

Lib. 3. Annal. c. 55.


Quod si denique in summam judicandum loquendumque sit, de veteri novaque militia, omninò distingui debent intervalla & solennes periodi seculorum temporumque. Observamus enim fermè continuationem diuturnam bellorum, in una eademque Gente magnas peperisse militiæ mutationes. Quod ut clarius appareat, rursum exemplo bellicosissimi populi ac Imperii utemur. Romani enim ab initio suæ potentiæ, bella & justius & majori disciplinâ gerebant: postquam assiduitas bellandi in consuetudinem vertit, cœperunt jura belli, & causæ & virtutes militares negligi, omniaque in licentiam & quandam militiæ dissolutionem degenerarunt. Idem aliis gentibus accidit: neque hodie quicquam ad restaurandam superioris militiæ gravitatem accommodatius suaderi unquam, aut excogitari possit, quàm restauratio pacis: cujus humanitate & disciplinâ innutritæ mentes, bellorum decus, & veras genuinasque artes denuò condiscant ac meditentur.

Ante-

Antequam finiamus, summatim expedienda est illa quæstio, *An veterum militia, an verò hodierna solida Virtuti exercenda accommodatior fuerit?* Extant multorum querelæ, ex quo inventæ sint bombardæ, nullum esse in militiâ veræ virtuti locum, cum ignavissimus quisque calonum, fortissimum ducem aut militem unius globuli jactu possit prosternere. Præsertim, cùm pleraque militiæ munia hodie sclopis & pyrio pulvere gerantur. At in veteri militiâ, inquiunt, omnia strenua, & viribus animisque ostendendis apta erant. In torquendis missilibus lacertorum robur, in dirigendis mucronibus armorum exercitatio, in congressu denique prælij omnia manu, arte, confidentiâ gerebantur. Hinc legimus tot singulares & admirandas magnorum Virorum pugnas, dejectos hostes viribus, elusos agilitate, territos ferociâ. Quorum omnium minor hodie vel occasio, vel admiratio videtur, ubi volantibus temerè pilis omnis illa virtus quodammodo intervertitur. Verum enimvero non usque quaque hæc rectè inter se comparari, liquidior animadvertentibus consideratio facilè persuadebit. Quippe quod de temerario pilorum & globorum jactu adferunt, id non adeò nostræ militiæ proprium est, ut non veterum quoque sagittæ, & è fundis balistisque lapides eundem fortunæ lusum retulerint. Nonne enim fortissimus quisque Heros, ignavi alicujus lixæ arcu fundaque potuit occumbere? Nec sanè infrequens est in lectione veterum super talibus casibus querela. Jam verò ipsa militiæ munia hodie nescio an plus etiam constantiæ, fortitudinis, laboris requirant, cum inter volantes circumcirca pilas, inter tormentorum fulmina ac tonitrua, inter plumbeos ferreosque nimbos, vel tot objectæ difficultates eluctandæ, vel perrumpendæ acies, vel scandendum vallum, vel muri expugnandi sunt. Quò enim majora & plura bellorum per hodiernas bellandi rationes pericula sunt, eò major ad audendum animus; ad vincendum labor, requiritur. Itaque nondum videmus, quomodo à sententia ante proposita recedere debeamus, cùm nimirum postrema hæc tempora inde à fastigio Romanæ Monarchiæ incomparabili

militiæ gloriâ præcellere judicavimus. Quod ſupereſt, Deum Exercituum, Deum fortem in prælio devotis precibus venerabimur, ut, quandoquidem extremis hiſce temporibus nunquam defutura videntur ingentia bella, inter Chriſtianos tamen bellorum ſemina extinguat, concordiæ amorem inſtauret, atque ita pacatos unitoſque ſuos fideles, adverſus vim barbararum & Chriſtiano nomini infenſarum gentium potenter armet, copioſè inſtruat, militaris diſciplinæ artiſque præſtantiâ nobilitet, perpetuiſque victoriis ac triumphis muneretur.





INDEX

Rerum in hoc Volumine præcipuarum.

A.

Argo-

Pere-

COM-

Ele-

Corru-

exerci-


Mili-

bellum

Scripto-

for-

FINIS.



Errata.

Pag. 14. lin. 27. leg. distinxissent. p. 89. lin. ult. l. amne. p. 155. lin. 23. l. præcipuè. p. 212. lin. 2. l. vocabulis p. 254. lin. 10. l. clarissimi. p. 314. lin. 6. l. constitutione. p. 317. lin. 17. l. imperium. p. 331. lin. ult. l. alterum. p. 356. lin. 16. l. exprimendi. p. 380. lin. 7. Mermnadarum. p. 464. lin. 29. l. que. p. 482. lin. 2. l. quo. p. 497. lin. 31. l. intulerit. p. 5 9. lin. 5. l. aliis. p 565. lin. 32. l. exprobrantes. p. 568. lin. 6. l. querentes. p. 576. lin. penult pro Scipio l. Polybius. p. 628. lin. 9. l. Aureolo. p. 634. lin. 15. l. paulatim. p. 662 lin. 12. l. capiebat. p. 694. l. 33. l. lenocinia. p. 741. lin. 21. l. plurium. p. 744. lin. penult. del. &. p. 746. lin. 10. l. nimii p. 747. l. 23. l. ubiq. p 754. l. 10. pro ut, l. ac. ibid. lin. 11. l exprobrent. p 756. lin. 29. l. propositi. ibid. lin. 30. l. queritur. p. 757. lin. 22. l. qua. p. 758. lin. ult. l. deliciis. p. 759. lin. 12. l. rarò. ibid. lin. 26. pro secum l. suam. p. 771. l. 19. l. quid. ibid. lin. 26. l. præposuit, sed. p. 773. in marg. l. obsequitur p 775. lin. 19. l. recensendis. ibid. lin. 24. l. Mæcenate. ibid. lin. 25. l. exemplo. p. 780. lin. 30. l. μύθων. p. 782. lin. 17. l. repertam. p. 783. lin. 20. l. Θετταλίας p. 784. lin. 25. pro ἢ l. τῆ. p. 785. lin. 24. l. πόλεων. p. 786. lin. 25. l. pacto. p. 788. lin. 23. l. rumusculi. p. 792. l. 23. l. ἐαρινῆς. p. 796. lin. 1. l. cum. p. 798. lin. 17. l. saltem. p. 800. lin. 22. l. ambacti. p. 807. l 33. l. dediderit. p. 808. lin. 35. l. Originibus. p. 817. l. 32. l. tenuia. p. 829. l. 6. l. servanti. ib. lin. 9. l. Imperatores. p. 832. lin. 33 l. quiq. p. 833. l. 33. l. ominibus p. 834. lin. 8. l. Peirescii. p. 836. lin. penult. l. legiones. ibid. lin. ult. l. Galba. p. 837. lin. 5. l castrorum. p. 840. lin. penult. l. molimine. p. 841. lin. 30. l. Cæsarum. p. 842. lin. 2. l. divus. ibid. lin. 26. l. fœtidum. ibid. lin. 28. l. obversantur. pag. 843. lin. 34. l. repeto. pag. 846. lin. 9. l. Pompejiq. pag. 848. lin. 9. pro ut l. aut. pag. 853. lin. antepen. l. serviant. pag. 854. lin. 4. l. Princeps. ibid. lin. 8. l. ἀνθρώπων. p. 855. lin. 4. l. atq. p. 869. lin. penult. l. planè. p. 870. lin. 7. post. libr. adde. 2. p. 874. lin. 14. l. appellavere. p. 876. lin. 7. l. Denotavit. ibid. lin. 10. l. dicebatur. ibid. lin. 26. pro è l. à. p. 878. l. 9. l. Cornelii. p. 883. lin. 17. l. (Græci Σεβαςὸς. p. 898. in marg. pro Sebedius l. Schedius. pag. 912. lin. 17. l. oculus. pag. 913. lin. 14. l. Senatoria. ibid lin. 34. pro è l. à. p. 914. lin. antepen. l. delectus. p. 919. lin. 5. l. supellectili. p. 928. lin. antepen. l. resp. p. 946. lin. 19. l. consuluerit. p. 954. lin. ult. l. ἐλευθερία p. 955. lin. 16. l. δοκιμασία p. 956. lin. 21. l. cõtra. p. 961. lin. 4 l. omina. p. 962. lin. 7. l. hariolatione. p. 964. lin. 9. l. bonis. p. 966. lin. 31. l. pertinent p. 978. lin. 15. l. jacta. p. 979. lin. 9. l. aliorsum. p. 982. lin. 9. l. peritia. p 988. lin. antepen. post indoles, l qualem. p. 997. lin. 20. l. statim. p. 1000 lin. 25 l. Fabricius. p. 1001. lin. 22. l. minus. p. 1212. lin. 1. l. communicabat p. 1015. lin. 33. l. suæ. p. 1019. lin. 29. l. publicæ. p. 1020. lin. 7. l. possint. p. 1021 lin. 27. l. Cocionum. p. 1030. lin. 12. l. tàm. p. 1031. lin. 14. l. repugnat. p. 1034. lin. penult. l. notitia. p. 1040. lin. 1. l. Ethnicos. p. 1045. lin. 31. l. Xenophon. p. 1047. lin. 7. l. ἀρχὴν. ibid. lin. 13. l. cetariorum. ibid. lin. 21. l. abundantissima. p. 1048. lin. 33. l. potestates. p. 1052. lin. 29. l. essent. ibid. lin. 30. l. quæ. p. 1055. lin. 26. l. esset. p. 1059. lin. 26. l. baptisterio. p. 1071. l. 2. l. Themis. p. 1076. lin. 24. l. rem. p. 1078. lin. 12. l argumentorum. p. 1079. lin. 31. l. abstrudendum. p. 1085. l. 32. l. Apollonii. p. 1088. lin. 29. l. tuendarum. p. 1102. lin. 30. l. legatione. p. 1105. lin. 24. l. vilitate. p. 1114. lin. 10. l. sanè. ibid. l. penult. post, ubi, l. magni momenti. p. 1115. lin. 13. l. absint. p. 1121. lin. 17. l. quandam. p. 1148. lin. 15. l. Tatium. ibid. lin. 17. l. Ἀθηναίης. p. 1154. l 33. l. liberaverit. p. 1160. l. 34. l. parricida. p. 1167. l. 7. l. ἐπισταθ. p. 1168. lin. 11. l. Ἀμαζόνος. pag. 1171. lin. 5. l. hæ. ibid. lin. 14. l. καλὸν. ibid. lin. 25. l. bonitatem. p. 1177. lin. 22. l. legenti. p. 1180. lin. 14. l. idem. ibid. lin. 19. l. Barbaro. p. 1190. lin. 1. l. ignava. p. 1211. lin. 22. l. olim non semper. p. 1217. lin. 22. dele, non p. 1217. lin. 31. l. politicorum. p. 1241. lin. 2. l. rhetoricæ. ibid lin. 10. l κακοπραγὲς. ibid. lin. 15. l. ornarentur. p. 1246. lin. 2. l. quid. p. 1251. lin. 4. l. magnificentiam.





